UNIVERSA MORALIS THEOLOGIA,

Qua non solum Principia Speculativa sed etiam Regulæ Practicæ

AD USUM

CONFESSARIORUM

EXPLICANTUR.

AUTHORE

CONSTANTINO RONCAGLIA

CONGREGATIONIS MATRIS DEI.

Accessit in fine Liber Consiliorum Moralium, eodem Authore.

TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS, MDCCLX.

TYPIS FRANCISCI PITTERI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

11 - 489



TRACTATUS XVI.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CUM juxta Apostolum 1. ad Cor. 4. 19. Sacerdotes *sint Ministri Novi Testamenti*, *& Dispensatores Mysteriorum Dei*, summopere oecessarium est non ignorare, quæ sit Sacramentorum excellentia, quæ efficacia, quæ necessitas, quæ utilitas; sicut etiam qui ritus, quibus conficiuntur, & administrantur. Dum hæc ignorat, ipse ad hos salutis fontes imparatus accedet; nec qua reverenria, & dispositione ad ipsos accedendum poterit populos edocare. Hrne fiet nequaquam *Domino plebem perfectam* paraturos, sicut ipsorum exigeret ministerium.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramentis in Genere.

CAPUT I.

De Definitione Sacramenti; & de Sacramentorum convenientia, necessitate, & numero.

Q. I. Quid sit Sacramentum.

R. Quamvis hoc nomen *Sacramentum* diversas possit habere significationes; nihilominus, illis omissis utpote in præsenti non necessariis, dicendum est, optime Sacramentum posse ex *D. Thom. 3. p. q. 60. art.* 2. ita definiri: *Signum rei sacræ sanctificantis animam*. Dicitur *signum*, quod scilicet sensibile est, quia nempe Sacramenta constant rebus, quæ nostris sensibus subjiciuntur. Non est autem signum naturale, quo pacto fumus est signum ignis, sed signum divinitus institutum ad significandam sanctificationem, quam in nobis causant Sacramenta. Ita e. g. aqua Baptismi, quæ sordes abstergit, est signum illius animæ emundationis, quam causat illud Sacramentum. Additur *rei sacræ sanctificantis animam*, Gratiæ nempe habitualis, a qua oritur nostra sanctitas, & justificatio. Quamvis proinde S. Imagines, & Signum Crucis significent rem sacram, non proinde sunt Sacramenta, quia non significant gratiam sanctificantem. Nec sacramentalia pariter dici possunt Sacramenta, quia ex opere operato non habent gratiam conferre, quamvis rem sacram significent. Demum Sacramentum distinguitur a Sacrificio, quia illud primo, & per se institutum est ad indicandam divinam excellentiam, non sanctificationem offerentis, quam in nobis causari indicant Sacramenta. Ultra gratiam Sanctificantem notat S. Thomas *3. p. q. 60. art. 3.* Sacramenta significare etiam Christi passionem, nam gratia nobis ex illius meritis confertur; sicut etiam Gloriam cœlestem, nam Gratia tribuit jus ad illam.

Q. II. An conveniens fuerit fuisse Sacramenta.

R. I. Pro statu innocentiæ non conveniens fuit institui Sacramenta. Non, inquam, conveniens fuit pro gratia primo acquirenda; nam unusquisque in illo statu natus fuisset in gratia. Non pro eadem gratia augenda; sicut enim ab initio absque Sacramentis fuisset collata, ita sine illis habuisset augmentum. Non pro aefrænanda concupiscentia, quia tunc nulla fuisset passionum rebellio. Non denique pro recuperanda gratia, supposito quod ille status perseverasset, & aliqui peccassent mortaliter; sicut etenim tunc homines non ex ignorantia, aut fragilitate peccassent, sed ex pura malitia, non fuisset conveniens mediis Sacramentis reddere illis faciliorem pœnitentiam, sed relinquere, ut perfecta contritione gratiam recuperarent. Docet proinde S. Thomas *3. part. quæst. 61, art.* 2. in illo statu nulla fuisse Sacramenta. Fuissent nihilominus in illo statu Sacrificia: debebant enim homines non solum actibus internis Deum ut supremum animæ Dominum agnoscere; sed etiam sacrificando res externas ut Dominum corporis, omniumque rerum sensibilium.

R. II. Pro legis naturæ statu, nempe a lapsu Adæ usque ad legem per Moysem promulgatam, sicut & in statu ipsius legis usque ad legem Gratiæ, & ab hac usque ad finem mundi, conveniens fuit fuisse Sacramenta. Ratio est, quia post Adæ lapsum cum facti essemus tam ad malum proclives, conveniens erat, ut instituerentur Sacramenta, quibus vel lapsi facilius resurgere, vel innocentes a lapsu possent præservari. Tum quia cooveniens erat, ut mediantibus Sacramentis darentur in Ecclesia signa visibilia, quibus fideles ab infidelibus discernerentur. Tum quia, ut notat S. Th. *3. p. q. 60. art.* 5. decebat nobis innotescere, sanctificationem nostram pendere non a mediis a nobis electis, sed a Deo determinatis.

Q. III. An conveniens fuerit institui Sacramenta sub rebus sensibilibus.

R. Sicut conveniens erat institui Sacramenta, ita & decebat institui sub rebus sensibilibus, non solum, ut possent esse signa, quibus discernerentur fideles ab infidelibus, sed etiam ut media, quibus nobis conferenda erat Gratia, proportionata essent nostræ cognitioni, quæ initium habet a rebus sensibilibus, ut notat S. Thomas *3. part. quæst. 61. art.* 1. Oportebat etiam Sacramenta institui sub rebus sensibilibus, ut nobis signa essent Gratiæ, quam conferunt: ita aqua Baptismi significat Gratiam, quam confert, emundantem nempe ab omni delicto. Bene etiam congruebat materiæ sensibili addere in institutione Sacramentorum verba, ut effectus Sacramentorum, non virtuti naturali materiæ, sed principaliter Dei verbo tribuerentur, ut observat S. Augustinus *tract. 80. in Joan.* Addit S. Thomas *3. part. qu. 60. art. 6.* quod cum Sacramenta habeant quamdam relationem ad mysterium Incarnationis, sicut hæc facta fuit ex unione Verbi ad humanitatem, ita adumbranda erat in Sacramentis, uniendo verba materiæ:

Q. IV. Quot fuerint Sacramenta tempore Legis naturæ, & Legis scriptæ.

R. I. Tempore legis naturæ saltem admittendum est Sacramentum peccati originalis deletivum, ut observat S. Augustinus *l. 5. contr. Julian. cap. 9.* Quamvis autem non ita exploratum sit, in quo consisteret hoc Sacramentum; nihilominus innuere videtur idem S. Augustinus *l. 2. de nupt. & concupis. cap.* 11. illud constitutum fuisse in actu fidei venturi Mediatoris, quæ tamen fides innotescere debebat aliquo signo externo, alias in hoc consistere non potuisset Sacramentum, quo discernendi erant fideles ab infidelibus. Hinc putat S. Thom. *3. p. qu. 70. art. 4. ad* 2. hanc fidem redditam fuisse sensibilem per aliquas preces, vel benedictionem Parentum.

R. II. Nullatenus dubitari potest tempore legis scriptæ fuisse Sacramenta. Plura illius legis Sacramenta recenset *S. Thom. 1.2. q.102. art.5.* Apud omnes autem exploratum est Circumcisionem fuisse illius legis Sacramentum in remedium peccati originalis, atque ut eo populus a Deo electus a cæteris populis discerneretur, ut observat S. Augustinus *l. 16. de Civit. cap. 27. & l. 2. de nupt. cap. 11. & S. Gregor. l. 4 moral. cap. 2.* Sicut autem omnino dicendum est pro fœmellis aliud fuisse Sacramentum peccati originalis deletivum, ita & idem credere est deservisse pro parvulis existentibus in mortis periculo ante diem octavum, quo circumcidi debebant, & quamvis scriptum non sit in qua cæremonia proprie consisteret, affirmandum tamen est illud fuisse quoddam externum signum certum, & determinatum, protestativum fidei in Christum venturum. Videndus est S. Augustinus *l. 5. cont. Julian. c. 9.*

Q. V. Quot sint Sacramenta tempore legis Gratiæ.

R. Cum antiqua Sacramenta designarent Christum venturum, & nobis promeriturum Gratiam, nova instituenda erant Sacramenta post ipsius adventum, quæ significarent Christum jam natum, & passum, sicut & Gratiam nobis promeritam. Et quidem cum multas habeamus in Lege nova cæremonias sensibiles a Deo permanenter institutas ad Gratiam significandam, jam etiam constat plura in ea esse Sacramenta. Ecclesia autem Catholica semper septem esse Sacramenta agnovit, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, ut contra Novatores definit etiam Tridentinum *sess. 7. can. 1.*

Hujus numeri septenarii congruentiam assignat S. Tho. *3. p. q. 65. art. 1.* Primo, observat, quod cum finis Sacramentorum fuerit perficere hominem in ordine ad Dei cultum secundum Christianam Religionem, necesse habebat spiritualiter nasci per Baptismum; augeri in vita spirituali per Confirmationem; alimentum habere in eadem vita per Eucharistiam; sanari a morbis Spiritualibus per Pœnitentiam; robur accipere in præcipuo agone contra spirituales hostes per Extremam Unctionem; spiritualiter gubernari mediantibus Superioribus per Ordinem Sacrum institutis; ac denique per Matrimonium auxilium habere ad sancte filios procreandos, & educandos.

Observat pariter S. Doctor, quod cum alter Sacramentorum finis sit curatio peccati, huic etiam optime congruit septenarius Sacramentorum numerus; nam Baptismo tollitur peccatum originale; Confirmatione medetur infirmitati spirituali, quæ remanet in baptizatis; Eucharistia proclivitati ad peccandum; Penitentia deletur peccatum commissum post Baptismum; Extrema Unctione reliquiæ peccatorum; Ordine impeditur dissolutio multitudinis; & Matrimonio compescitur rebellio concupiscentiæ.

Cum autem ex dictis constet aliqua Sacramenta primo, & per se instituta esse ad delendum peccatum, ideo hæc appellantur Sacramenta mortuorum, & sunt Baptismus, & Pœnitentia, quæ homini spiritualiter mortuo, mediante Gratia Sanctificante dant vitam spiritualem. Cætera Sacramenta, quia per se primo instituta sunt pro iis, qui jam debent habere vitam spiritualem, per eadem Sacramenta augendam, dicuntur Sacramenta vivorum.

Q. VI. Quale sit discrimen inter Sacramenta Novæ, & Antiquæ legis.

R. Cum Apostolus *ad Hebr. 7.* dicat omnia Sacramenta antiquæ Legis abolita fuisse propter ipsorum infirmitatem, & inutilitatem, eaque fuisse *infirma & egena elementa* pronunciet *ad Galat. 4.* constans est Theologorum sententia quam plurimum ab illis Sacramenta Novæ Legis differre. Hinc Tridentinum *sess. 7. can. 2.* anathema dicit asserentibus in hoc solum differre quod aliæ sint cæremoniæ, alii ritus externi. Dicendum proinde est antiqua Sacramenta solummodo figurasse Gratiam dandam per Christi Passionem, & cum non haberent ipsa virtutem ad Gratiam conferendam, Adulti eadem Sacramenta suscipientes, Gratiam assequebantur actu propriæ fidei, & rectæ, seu contritæ voluntatis dispositione; parvuli vero actu fidei & bonæ voluntatis ministrantis, seu offerentis, ut docet S. Thom. *3. p. q. 70. art. 4.* Dicendum autem est Sacramenta Novæ Legis habere virtutem conferendi gratiam, quam significant, ut etiam explicat Cathechismus *Concil. Trident. p. 2, tit. de Sacram. num. 27.* Relinquendum autem est Theologorum disputationi, an ista virtus consistat in hoc, quod habeant vim physicam instrumentaliter gratiæ efficiendæ, vel potius in hoc quod ex institutione Christi, & Dei acceptione, exhibitioni Sacramentorum infallibiliter annexa sit Gratia Sanctificans, per Christi merita conferenda.

Q. VII. Quæ sit necessitas Sacramentorum.

R. Quamvis Deus nos justificare potuisset sine Sacramentis, supposita nihilominus ipsorum institutione, certum est Baptismum sive in re, sive in voto necessarium esse necessitate medii ad salutem. De necessitate vero cæterorum Sacramentorum sermo erit cum de illis agemus.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Diligens valde sit Confessarius, ne Pœnitens ignoret ea, quæ pertinent ad Sacramenta. Minoris valde ea æstimabit, si ipsorum nesciat excellentiam, maximamque utilitatem, quæ provenit digne suscipientibus. Ex hac etiam ignorantia potest derivare vel quod non se disponat, ut par est, vel ut minus se disponat; adeoque vel quod nullum, vel minorem fructum ex Sacramentorum participatione percipiat. Quam majus autem esset inconveniens, si ipse Confessarius adeo indoctus esset, ut nesciret sufficienter Pœnitentem instruere de excellentia Sacramentorum, & effectibus, & de convenienti dispositione ad eadem recipienda!

CAPUT II.

De Authore Sacramentorum, & de effectibus, quos causant Sacramenta.

Q. I. QUæ sit causa Sacramentorum.

R. I. Solus Deus est causa efficiens principalis Sacramentorum. Ratio est, quia ille solus dici debet causa principalis efficiens Sacramenta, qui tribuit illis virtutem ad homines sanctificandos; hæc autem a solo Deo est, solus enim dat virtutem Sacramentis ad causandam gratiam, quæ nos sanctificat. *D. Th. 3. p. q. 69. art. 2.*

R. II. Christus ut homo est causa instrumentalis physica Sacramentorum. Ratio est, quia cum de facto ipsa instituerit, fuit causa physica ipsorum; cum autem ex dictis, ut homo erat, non potuerit esse causa physica principalis, dicendum est fuisse causam physicam instrumentalem, quatenus scilicet Humanitas Christi, ut Verbo conjuncta, operabatur per virtutem a Divinitate acceptam. Hinc Christus, ut Homo, dicitur Institutor Sacramentorum potestate ministerii principalis, sive, ut dicit S. Thomas, *potestate excellentiæ*.

R. III. Christus ut Homo est causa principalis moralis Sacramentorum. Ratio est, quia abunde promeruit effectus Sacramentorum, unde solent dicere SS. PP. ex ipsius latere manasse, atque suis meritis Deum movisse ad eadem physice instituenda.

Sicut Sacramenta physice principaliter a Deo derivarunt, instrumentaliter physice a Christi Humanitate, & ab eadem principaliter moraliter, ita dicendum est de ipsorum effectibus.

Q. II. An Christus instituerit omnia Sacramenta; & an talis potestas puro homini communicari potuisset.

R. I. Omnino dicendum est Christum per se omnia Sacramenta instituisse, ut definivit Tridentinum *sess. 7. can. 1.* Ratio est, quia cum oporteret Christum ante Ascensionem omnino homines a peccati jugo liberare, ac perfecte fundare Ecclesiam, novumque concedere Testamentum, oportebat pariter etiam per se omnia instituere Sacramenta; etenim una cum Sacrificio sunt pars præcipua novi Testamenti. Videatur *S. Th. 3. p. q. 64. art. 4. ad 1. & in 4. d. 2. q. 1. art. 4.*

R. II. Si Deus ita voluisset instituere Sacramenta per purum hominem, ita ut per divinam inspirationem constitueret certum signum sensibile, quo conferretur gratia, nil repugnat quin ita instituere potuisset. Hoc modo talis homo purum ministerium exhibuisset, & fuisset solummodo promulgator divinæ voluntatis; & hoc pacto vetera Sacramenta instituta fuere per Abrahamum, & Moysem.

At dico nullam etiam esse repugnantiam, si dicatur. Deum dare potuisse homini, e. g. Apostolis, potestatem suo arbitrio designandi signa sensibilia, ad quorum exhibitionem infallibiliter conferretur Gratia sanctificans; in quo casu institutio Sacramentorum proxime fuisset humana, remota autem, & principaliter a Deo. Verum tamen est, quod talis potestas Apostolis collata, non fuisset tam excellens sicut fuit in Christo. In eo igitur fuit quodammodo connaturalis tum ratione unionis hypostaticæ, tum quia de condigno promeruit; tum quia constitutus fuit Auctor, Legislator, & caput Ecclesiæ. Hæc omnia defuissent puro homini, adeoque, ut notat *S. Th. a. 4. cit. ad 3.* in ipsis potestas Sacramenta instituendi fuisset ipsi Christo subordinata, cum omnes fuissent ipsius Ministri, atque Vicarii. Cæterum

rum observare est, non fuisse conveniens aliis a Christo conferre potestatem Sacramenta instituendi; nam tunc fortasse in illis homines spem, plusquam par esset, posuissent, ut observat Sanctus Augustin. *tr. 5. in Jo.* Præterea facile orta fuisset divisio in Ecclesia, sicut inter illos, qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ: 1. ad Cor. 1.*

Q. III. Quales sint Sacramentorum effectus, & quomodo eos producant.

R. I. Certum est ex Fide Sacramenta Gratiam sanctificantem causare, quapropter in S. Scriptura dicimur recipere per Sacramenta remissionem peccatorum, renasci, regenerari &c. ut passim videre est apud Controversistas; ac proinde hanc veritatem definitam habemus apud Tridentinum *sess. 7. can. 6.* Baptismus, & Pœnitentia habent secundum suam rationem specificam causare primam gratiam; illam enim non supponunt in subiecto, sed conferunt non habenti; unde, ut dixi supra, appellantur Sacramenta mortuorum. Cæterum Sacramenta de sua ratione specifica, habent augere gratiam, quam supponunt in subjecto, & proinde dicuntur causare secundam gratiam, & esse Sacramenta vivorum.

Non per hoc tamen dico etiam hujusmodi Sacramenta non posse causare primam gratiam, tunc scilicet quando quis non putans esse in statu peccati mortalis, nihilominus accedat cum dolore supernaturali ad ea recipienda. Ratio est, quia cum de ratione generica omnium Sacramentorum sit saltem gratiam eugere, consequens est & de ratione generica ipsorum Sacramentorum esse primo, & per se ipsam causare: ita videmus quod causa potens calorem augere, potest & primo causare. In præfata ergo suppositione quod quis non credens habere peccatum mortale, quod de facto habet, accedat cum dolore supernaturali ad quodcumque Sacramentum recipiendum, quia non accedit indispositus, vi Sacramenti, primam gratiam obtinebit; & quidem non per accidens, sed per se, cum de ratione generica cujuscumque Sacramenti sit dare primam gratiam. Ita de Eucharistia expresse docet *S. Th. in 4. d. 9. q. 1. a. 3. q. 2. & 3. p. q. 79. a. 3.* & quod dicitur quoad hunc effectum de Eucharistia, non est cur aliis Sacramentis denegetur.

R. II. Sacramenta, ultra gratiam sanctificantem, virtutes infusas, & dona, quæ illam comitantur, conferunt etiam gratiam Sacramentalem. Hæc autem consistit in specialibus auxiliis gratiæ actualis, proportionatæ fini illi, ob quem singula Sacramenta instituta sunt, ut docet *S. Th. 3. p. q. 62. a. 2.* Et revera superflua videretur institutio diversorum Sacramentorum, si non corresponderet unicuique Sacramento aliqua specialis gratia ad obtinendum finem, ob quem fuit institutum.

R. III. Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis imprimunt etiam characterem, ut definivit Tridentinum *sess. 7. de sacram. can. 9.* Cum autem character significet notam alicui firmiter impressam, per quam aliqua res ab aliis discernatur, hinc est, Theologos per Sacramentorum characterem intelligere signum spirituale indelebiliter virtute præfatorum Sacramentorum impressum in anima illorum, qui eadem suscipiunt. Duo autem præstat caracter Sacramentorum; dat nempe aliquam potestatem in ordine ad Dei cultum, & designat statum, quem assequimur mediantibus Sacramentis. Potestas, quæ confertur a charactere Baptismi est pure passiva, reddit enim hominem capacem cæterorum Sacramentorum: est vero signum, quod baptizatus cognoscitur esse de Christi familia, sive pertinere ad ipsius ovile, & ita per illud discernitur ab Infidelibus. Potestas, quæ derivatur ex charactere Confirmationis, partim est passiva, cum reddat magis capaces cætera Sacramenta recipiendi; præcipue vero est activa, cum ordinetur ad fortiter dimicandum contra Fidei hostes: Signum autem est, quo dignoscimur esse milites Christi, atque ita per illud discernimur ab iis, qui non sunt in hac militia conscripti. Potestas a charactere Ordinis derivata, activa solummodo est, cum respiciat Sacramentorum administrationem. Ille vero character designat hominem esse Christi Ministrum, adeoque discernit a Laicis, qui ex officio nullum possunt peragere ministerium Ecclesiæ.

R. IV. Sacramenta producunt suos effectus *ex opere operato*. Ideo autem dicuntur conferre gratiam &c. *ex opere operato*, quia pii actus, qui excercentur ab iis, qui volunt recipere Sacramenta, non sunt causa gratiæ, sed dispositiones, ut virtute Sacramenti conferatur. Ut autem id bene intelligatur, considerandum est præfatos pios actus dupliciter posse considerari. Primo quatenus eliciuntur ab homine jam justificato, & tunc cum de se sint alicujus gratiæ meritorii, causant *ex opere operantis* augmentum ipsius gratiæ. Secundo, considerari possunt, quatenus illis vult aliquis se disponere ad recipienda Sacramenta; & in hac acceptione non sunt causa gratiæ quam conferunt Sacramenta, sed solummodo reddunt subjectum dispositum, ut virtus collata a Christo Domino Sacramentis, causet in eo gratiam, & id est causare gratiam *ex opere operato*. Verum nihilominus est quod quo major est suscipientis dispositio, eo uberiorem gratiam causant Sacramenta: conveniens etenim est credere ita a Deo instituta fuisse, ut majorem sanctificationem magis dispositis conferant; *S. Th. 3. p. q. 69. ar. 8. in 4. d. 4. q. 2. art. 3. q. 2.* & communiter.

Q. IV. An recipiens Sacramenta sine debitis dispositionibus, sive, ut dici solet, *cum fictione*, recipiat eorum effectus: & quid recedente fictione.

R. I. Cum aliud sit Sacramentum, aliud res, sive effectus Sacramenti, bene potest dari tota essentia Sacramenti absque eo, quod causet gratiam, ut patet in adulto recipiente Baptismum sine dolore suorum peccatorum. Hic utique valide recipit Baptismum, cum tota ipsius essentia ponatur; at recipere non poterit gratiam, quia, ut de se patet, dicit omnimodam oppositionem cum peccato mortali. Cum tamen character Baptismi non importet nostram sanctificationem, adeoque simul cum gratia possit consistere, hinc est recipientem baptismum sine debita dispositione nihiluminus recipere characterem, ut innuitur etiam *c. Majores de Baptis.*

R. II. Pro certo tenendum est, recedente fictione, Baptismum gratiam causare. Pro hoc igitur Sacramento specialis ratio datur ad hoc affirmandum, non solum nempe, quia non potest iterari, sed quia cum peccatum originale, aliaque peccata ab adulto ante baptismum commissa, non possint ab aliis Sacramentis, sed solummodu per Baptismum deleri, conveniens est dicere recedente fictione, virtute characteris impressi dari gratiam delectivam præfatorum peccatorum: *S. August. l. 1. de Baptis. cont. Donat. cap. 12. S. Thom. in 4. q. 3. d. 4. art. 2. q. 3.*

Eamdem doctrinam magis communiter extendunt Theologi ad alia Sacramenta imprimentia characterem; cum etenim iterari non possint, & aliunde character perfici exposcat per gratiam, quam conferunt Sacramenta, videtur dicendum, ita Deum illa misericorditer instituisse, ut recedente fictione, nempe obice gratiæ, ex opere operato conferatur gratia, quæ correspondet Sacramento. Multi etiam ita dicunt de cæteris Sacramentis non imprimentibus characterem; quamvis etenim non habeant quodammodo in charactere perseverare, ut dicitur de Sacramentis illum imprimentibus, perseverasse dicuntur in divina acceptione, adeoque, sublato obice, movere posse divinam voluntatem ad gratiam causandam. Ita magis communiter docent Thomistæ, ut apud Serram videre est *3. p. q. 62. a. 1. ad 3.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Dum Penitens, non habens conscientiam peccati mortalis, accedere vult ad Eucharistiam recipiendam, non præmissa Confessione, monendus est a Confessario, ut semper præmittat actum doloris supernaturalis; ita enim fiet, ut si forte habeat peccatum mortale ab ipso ignoratum, justificetur, mediante eadem Eucharistia. Multo magis in hoc diligens debet esse Parochus; dum SS. Viaticum Moribundo administrat, sive Extremam Unctionem. Valde proinde negligentes essent illi Parochi, qui antequam ministrarent Extremam Unctionem, non curarent excitare in Moribundo dolorem supernaturalem. Quis scire potest, an justificatus fuerit mediante Confessione, vel Eucharistia? cum maxime multoties gravitas morbi non sinat Moribundum satis se disponere ad digne hæc Sacramenta suscipienda? In tali casu, cum non tam facile sit assequi justificationem per contritionem perfectam, remanet, ut moribundus justificetur, mediante Extrema Unctione, suscepta cum dolore supernaturali peccatorum. Si proinde Parochus solummodo curet de Eatrema Unctione administranda, non vero de excitando in suscipiente dolore supernaturali, fortasse Moribundus, qui hoc medio justificari poterat, damnabitur.

II. Diligens etiam sit Confessarius in admonendis Pœnitentibus, ut quo magis fieri potest, se ad Sacramenta recipienda disponant, illos instruendo eo magis sanctificandos, & actualia auxilia recepturos, quo major erit ipsorum dispositio.

CAPUT III.

De Materia, & Forma Sacramentorum.

Q. I. QUid veniat in Sacramentis sub nomine materiæ, & formæ, & cur in Sacramentis Novæ Legis addita sit forma.

R. Sicuti in Philosophia Peripatetica illud dicitur habere rationem materiæ, quod, cum sit ad plura indifferens, determinatur per formam ad aliquam speciem, & forma dicitur; quod eamdem materiam determinat; ita proportione servata, hæc nomina usurpavit Ecclesia ad designandas partes componentes Sacramenta consistentia in usu, & in actione transeunte; nam Eucharistia, quæ est Sacramentum permanens, utique verbis, & actione transeunte constare non potest. Quia igitur e. g. aqua Baptismi alias esset indifferens ad gratiam significandam, dicitur materia hujus Sacramenti; verba vero quæ pronunciat Minister in applicatione materiæ, quia illam determinant ad gratiam significandam, dicuntur illius forma.

R. II. Observat S. Th. *3. p. q. 60. a. 6.* post Christi adventum magis innotuisse mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis, quam sub umbra prioris Testamenti, adeoque etiam conveniens fuisse, Sacramenta Novæ Legis magis quam antiqua, proprios effectus significare. Cum igitur sola materia subobscure significare posset effectus Sacramentorum, addidit Christus Dominus verba, ut per eadem clarius innotescerent. Exemplificat id S. Doctor in aqua Baptismi, quæ de se significare poterat ablutionem, ratione humiditatis, & refrigerationem, ratione frigiditatis: eo autem ipso quod addita fuerint verba *ego te batizo &c.* manifestatur nos uti aqua in baptismo ad significandam spiritualem emundationem.

Q. II. Quotuplex sit materia Sacramentorum, & qualem conjunctionem habere debeat cum forma.

R. I. Materia Sacramentorum duplex est, scilicet alia remota, alia proxima. Materia remota Sacramento um est res sensibilis quæ necessario requiratur ad conficiendum Sacramentum, qualiter se habet aqua respectu Baptismi. Proxima est usus ipsius rei, sensibilis, & ita se habet infusio aquæ in Baptismo. Jam autem dixi non esse hic sermonem de Eucharistia, quæ est Sacramentum permanens.

R. II. Utique materia, & forma Sacramentorum debent simul esse, ita ut intelligi possit verba cadere in materiam, alias non intelligeretur quomodo possint Sacramentum constituere. At advertendum pro diversitate Sacramentorum diversam posse dari simultatem. In Sacramentis Baptismi, Confirmationis, Ordinis, & Extremæ Unctionis necesse est proferri formam, dum applicatur materia; si etenim e. g. postquam infusa est aqua, Minister dicat, *ego te baptiza &c.* forma non verificatur, nam *baptizo* idem est ac *ablua*, quod non verificatur, si pronuncietur, quando jam est infusa aqua. Hoc idem exposcunt formæ Confirmationis, Ordinis, Extremæ Unctionis, ut consideranti constabit. Quia vero Pœnitentia instituta est per modum judicii, in quo non est necesse sententiam esse omnino simul cum confessione criminis, hinc est absolutionem differri posse post auditam confessionem, ut suo loco dicetur. Cum pariter Sacramentum Matrimonii fiat ad modum contractus civilis, non obstabit ipsius validitati, si consensus unius Conjugis non insimul ponatur cum consensus alterius.

Q. III. An Christus Dominus determinaverit materiam, & formam Sacramentorum.

R. S. Th. *3. p. q. 60. a. 5.* sentit Christum Dominum determinasse quidquid pertinet ad essentiam Sacramentorum, ea motus ratione, quod cum nostra sanctificatio sit in solius Dei potestate, ad ipsum solum pariter pertinebat determinare res sensibiles, quibus mediantibus nobis Dei gratia conferatur. Sunt nihilominus, qui sentiant formam, & materiam quorundam Sacramentorum solummodo determinata fuisse a Christo in genere, non in specie, hoc est, determinasse Apostolos, vel Ecclesiam uti debuisse materia, & verbis designantibus effectus talium Sacramentorum, illis vero reliquisse determinare quæ res in particulari adhibendæ essent in conficiendis illis Sacramentis. Hac opinione, quæ videtur etiam innui *cap. Presbyter de Sacram. non iterandis*, facilius conciliatur diversitas, quæ est inter Ecclesiam Latinam, & Grecam, maxime in sacris Ordinationibus.

Q. IV. Quæ mutatio formæ, & materiæ reddat irritum Sacramentum.

R. I. Mutatio substantialis formæ reddit irritum Sacramentum; cum enim tunc interveniat mutatio substantialis formæ, quando verba non retinent sensum, quem debent habere, jam constat deesse formam Sacramenti. Non vero redditur irritum per mutationem accidentalem, tunc etenim retinet suum sensum, quamvis vel omittatur aliquod verbum, ut si in forma baptismi omittatur pronomen *ego*, vel varietur aliqua litera, non destruens debitum sensum, ut statim dicam

Præfatæ mutationes multipliciter possunt evenire. Primo, per mutationem verborum, ut dictum est. Quod si hæc mutatio consistat in verbis synonimis, idem etiam explicite significantibus, variatio non erit substantialis, sed accidentalis; & ita valeret Baptismus, si Minister pro *baptizo* diceret *abluo*. *D. Th. 3. p. q. 60. a. 8.* Si vero licet verba sint synonima, non tamen habeant eamdem explicitam significationem, ac forma Sacramenti, tunc mutatio facile erit substantialis, quia non reddent totum sensum, quem intendit Christus Dominus. Hinc *S. Th. 3. p. q. 66. a. 5.* censet invalidum baptismum collatum in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, quia licet hæc nomine synonima sint nominibus Patris, Filii, & Spiritus Sancti, non tam explicite sicut ista, quæ Christus adhiberi voluit, explicant relationem, quæ inter Personas SS. Trinitatis intercedit. Quia nihilominus non desunt, qui substineant baptismum sub præfata forma collatum esse validum, ideo saltem judicarem esse dubium. Si vero verba ita mutentur, ut sint æquivoca, tunc ad judicandum de mutatione substantiali, vel accidentali, videndum est in quo sensu ea usurpaverit Minister. Si e. g. Sacerdos in consecratione dicat: *Hic est corpus meum*, & sumat *hic* adverbialiter, Sacramentum erit nullum, quia tollit veram formæ significationem; si vero sumat loco pronominis, esto sit error grammaticalis, variatio erit accidentalis, utpote non removens veram formæ significationem: *D. Th. 3. p. 60. a. 8.*

Secundo, intervenit mutatio in forma Sacramentorum per additionem, & est substantialis, si destruat ipsius veram significationem, ut si quis baptizaret in nomine *Patris majoris &c.* ut faciebant Ariani, accidentalis vero si non destrueret ipsius veram significationem, ut si quis baptizaret in nomine *Patris Genitoris &c.*

Tertio, mutatur forma Sacramentorum per omissionem, & ita si in Baptismo omittatur aliqua persona SS. Trinitatis, mutatio erit substantialis, & Baptismus erit nullus, quia deest aliquid necessarium ad explicandam SS. Trinitatem, quæ explicanda est in eadem forma. Erit vero mutatio accidentalis, si omittatur pronomen ego, quia adhuc subsistit integer sensus formæ.

Quarto, intervenit mutatio in formis Sacramentorum per corruptionem verborum. Si vel unica litera varietur, quæ tollat significationem verborum, mutatio erit substantialis; ut si Baptismus conferatur in nomine Matris &c. Si vero talis corruptio literæ non variet significationem, mutatio erit accidentalis, ut si Baptismus conferatur in nomine *Patria, & Filia &c.* siquidem ita collatus ab ignorante Latinam linguam, intelligitur satis exprimere SS. Trinitatem, ut habetur *cap. retulerunt d. 4. de consec.*, & docet *S. Th. 3. p. q. 60. a. 7.* Atque hic observandum est mutationem in primis syllabis, vel literis facillime posse esse substantialem, non tam frequenter vero in ultimis.

Quinto, datur mutatio in verbis per transpositionem; adeoque si transpositio variet sensum, erit substantialis; alias accidentalis. Substantialis est ista transpositio in forma Eucharistiæ: *meum est hoc corpus*, quia significat idem ac, corpus pertinet ad me. Accidentalis erit sequens: *In nomine Patris, & Filii &c. ego te Baptizo.*

Demum mutari potest forma Sacramentorum per interruptionem, ut si præcedentia verba juxta moralem æstimationem, non intelligantur continuare eumdem sensum cum subsequentibus. Observare autem est, quod interruptio sit intermixta syllabis unius dictionis, tunc, quamvis brevissima, facillime removebit sensum illius, adeoque mutatio erit substantialis. Exemplum sit in eo, qui diceret: *Ego te Bapti* & interposita hac voce, *o Sanctissima Virgo*; prosequeretur, *tizo in nomine &c.* *Tambur, de Sacr. c. 1. §. 1. n. 15.* Idem dicendum, si inter syllabas ejusdem dictionis interveniret tussis non momentanea; si vero brevis interruptio sit inter unum, & aliud verbum formæ, mutatio erit accidentalis, adeoque subsistet Sacramentum; ut si Sacerdos, prolatis illis verbis *Ego te Baptizo*, dicat *sustinete puerum*, & statim subjungat, *in nomine Patris &c. Lugo disp. 2. de sacr. sect. 6. n. 111, Tambur, cit. n. 10.*

R. II. Mutatio substantialis materiæ reddit irritum Sacramentum, non etenim tunc datur pars essentialis Sacra-

cramenti, secus mutatio accidentalis. Tunc vero intervenit mutatio substantialis, quando materia non convenit in substantia cum materia a Christo determinata, & usitata ab Ecclesia. Mutatio accidentalis datur, quando perseverat eadem substantia, sed aliquantulum alterata. Ita aceto valide non conficitur Eucharistia, bene vero vino, quod inceperit acescere.

Q. V. Quomodo peccet, qui mutat materiam, vel formam Sacramentorum.

R. Si interveniat culpabiliter mutatio substantialis in materia, & forma Sacramentorum, semper adest grave sacrilegium, ob gravem injuriam, quæ fit Sacramento illud invalide conficiendo. Si mutatio fit accidentalis, intervenit peccatum, vel leve, vel grave secundum levem, vel gravem irreverentiam, quæ apprehenditur intervenire. Hinc putatem leve esse peccatum adhibere pro conficienda Eucharistia vinum, quod aliquantulum incepisset acescere; grave vero si adhiberetur valde ad acetum inclinans, quamvis substantiam vini retineret. Leve esset peccatum dimittere in forma Baptismi pronomen *ego*, at non puto leve esse peccatum adhibere sine necessitate aquam sordidam.

Q. VI. An aliquando in conficiendis Sacramentis liceitum sit adhibere materiam dubiam.

R. Quando materia est dubia, adeoque in controversia est apud DD. an sit valida, Minister extra casum necessitatis non potest ea uti absque gravi culpa, tum propter gravem irreverentiam, quam facit Sacramento, illud exponendo periculo nullitatis; tum propter damnum, quod facere potest suscipientibus Sacramentum. Contrariam opinionem damnavit Innocentius XI. in prima ex propositionibus ab ipso damnatis. In necessitate potest talis materia adhiberi, ut consulatur necessitati proximi; immo Minister tenetur, cum Christus instituerit Sacramenta ad consulendum nostræ saluti; *Lugo de Sacram. disp. 8. n. 140.* Ut occurratur nihilominus reverentiæ Sacramenti, administrandum est sub conditione, nempe si materia sit idonea; & si postea sit locus, iterum materia non dubia ad ministrandum sub conditione, si nempe primum Sacramentum non fuerit validum: *Lugo resp. moral. l. 2. num. 10.*

Regulæ in praxi observanda.

Solent quidam scrupulosiores Sacerdotes, maxime in proferenda forma consecrationis, vel etiam absolutionis post aliqua verba prolata; iterum ab initio integre proferre ipsam formam. Postquam e. g. dixerant *Hoc est* aliquantulum subsistunt ad renovandam intentionem; ac deinde iterum dicunt: *Hoc est corpus meum*. Id otique non est invalide conficere Sacramentum; cum vere integram formam pronunient, sed redarguendi sunt, quia imprudenter repetunt aliqua verba consecrationis. Idem dicendum de illis, qui postquam e. g. dixerunt. *Hoc est corpus me*, iterum statim repetunt integre *meum*. Concedo illam primam syllabam in tam brevi tempore repetitam non distrahere verum sensum formæ, at hæc omnia, quo fieri potest, removenda sunt in proferendis formis Sacramentorum; nam certe Christus Dominus non ita instituit, ut eo modo pronuncientur.

C A P U T III.

De ministro Sacramentorum; & de iis, quæ in eo requiruntur ad valide, & licite conficienda, vel administranda Sacramenta.

Q. I. QUi possint esse Ministri Sacramentorum:

R. Si ab aliquo Angelo, vel Beato administraretur aliquod Sacramentum, pro vero Sacramento habendum est, nam ut ait S. Th. 3. p. q. 64. art. 7. *si aliquando Sacramentale ministerium a bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia deberet constare hoc fieri voluntate divina, sicut quædam Templa dicuntur angelico ministerio consecrata.* Ceterum de lege ordinaria solis hominibus viatoribus competit esse ministros Sacramentorum; nam solis Apostolis viatoribus, & ipsorum in Sacerdotio Successoribus, injunctum fuit a Christo Sacramenta administrare. Ita etiam congruebat; nam cum instituta fuerint Sacramenta pro solis viatoribus, conveniens erat ipsis solummodo mandari eadem administrare. Non posset ergo anima separata Sacerdotis, quamvis conservet characterem, conficere Sacramenta, bene vero Sacerdos qui a mortuis resurgeret, quia rediret ad statum viatoris. Excipienda tamen sunt Sacramenta, quæ non possunt confici sine Jurisdictione; siquidem in morte cessat omnis jurisdictio: *Gabr. a S. Vinc. disp. 7. q. 2.*

Q. II. An ad conficienda valide Sacramenta requiratur fides, & probitas in Ministro.

R. Semper docuit Ecclesia ad valorem Sacramentorum, dummodo omnia essentialia adhibeantur, non esse necessariam fidem, nec gratiam in Ministro, ut etiam definivit Tridentinum *sess. 7. canon. 12.* Ratio autem est, quia valor Sacramentorum est a Christo Domino, tamquam a principali Ministro, onde infidelitas, vel indignitas Sacerdotis, qui agit ut Christi instrumentum, non potest derogare ipsorum valori, sicut neque impedire ut iis mediantibus gratia conferatur digne suscipientibus.

Q. III. An ad valorem Sacramenti requiratur in Ministro intentio illud faciendi.

R. Suppositis hic, quæ de voluntario actuali, virtuali, & habituali *tr. 1. q. 2. c. 1. q. 1.* dixi, cum hæc omnia in præsenti aptanda sint intentioni, dico, ad valorem Sacramenti necessariam esse in Ministro intentionem saltem virtualem illud conficiendi. Ita definivit Tridentinum *sess. 7. can 11. & sess. 14. c. 6. & can. 9.* Ratio est, quia cum Ministri sint instrumenta animata, & libera, non est credendum Christum illos elegisse ad conficienda Sacramenta nisi per actionem illis convenientem, adeoque modo humano exercitam; non stat autem fieri actionem modo humano, nisi interveniat intentio saltem virtualis. Præterea conficiens Sacramenta gerere se debet ut Minister Christi, & Ecclesiæ, adeoque debet habere intentionem faciendi vel id, quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia.

Hinc advertendum Alexandrum VIII sub n. 28. sequentem damnasse propositionem: *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero apud se resolvit, non intendo facere quod facit Ecclesia.* Quidquid aliqui in contrarium dicant, constat consideranti istam propositionem, illam damnari, quia deest in Ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia; adeoque nullum erit Sacramentum, etsi externe non ex joco, sed serio apponatur quidquid pertinet ad essentiam Sacramenti. Et revera quomodo intelligeretur minister agere nomine Christi, quando nullatenus haberet intentionem conficiendi Sacramentum quod Christus instituit, vel quod in usu est in Ecclesia? Præterea intelligi non potest fieri Sacramentum, quoties actio, & verba de se indifferentia ad esse Sacramenti non determinentur. Actio e. g. abluendi in Baptismo de se indifferens est ad significandam ablutionem corporalem, vel spiritualem, sicut etiam verba formæ; si proinde non determinentur ex intentione Ministri ad esse Sacramenti nunquam intelligetur fieri Sacramentum.

Quod si Minister adhibeat essentialia Sacramenti cum intentione faciendi quod Christus instituit, non vero quod facit Ecclesia Romana, quam, quia hæreticus, non putaret veram Ecclesiam, utique conficit Sacramentum, nam dum intendit facere quod Christus instituit, velit, nolit, intendit etiam facere quod facit Ecclesia Romana; adeoque prima universalis intentio corrigit secundam. Secus si diceret, non intendo facere Sacramentum, si debeo meam intentionem conformare Ecclesiæ Romanæ; nam tunc non verificaretur conditio, sub qua intendit facere Sacramentum: *Gabr. a S. Vinc. d. 7. q. 8. Bonac. de sacr. d. 1. q. 3. p. 2. §. 3. n. 9.*

Q. IV. An ad validitatem Sacramenti intentio ministri debeat esse circa subjectum, & materiam determinatam.

R. Cum verba formæ significent subjectum, & materiam determinatam, ut patet ex illis verbis: *te Baptizo, te absolvo, hoc est corpus, hic est Calix*, consequens est etiam intentionem Ministri debere esse circa subjectum, & materiam determinatam, correspondere etenim debet verbis. Non est autem necesse scire omnes qualitates subjecti, dummodo non erret circa substantiam. Hinc reputatur validus Baptismus puellæ collatus, quam Minister puerum reputabat, quia intendit baptizare personam præsentem, quam cognoscit esse creaturam rationalem, & hæc est principalis sua intentio, quamvis erret circa sexum: *Anton. a Sp. S. de Sacr. d. 3. sect. 5. n. 1.* Sicut etiam intelliguntur consecratæ omnes particulæ præsentes, quæ sunt decem, quamvis Sacerdos sex reputaret, nam intentio sua principalis erat consecrare omnes particulas præsentes, quamvis erraverit circa numerum. *Fag. l. 2. de præc. Eccl. c. 6. a n. 9.*

Q. V: An validum sit Sacramentum administratum sub conditione.

R. I. Sacramentum administratum sub conditione de præterito, vel de præsenti validum est, si verificetur conditio, nam Minister intentionem habuit illud conficiendi, si conditio fuit, vel est. Non verificata conditione, Sacramentum est nullum, cum non subsistat id, sine

quo Minister non intendit facere Sacramentum. Cæterum nihil refert, an conditio sit expressa verbis, vel solummodo mente retenta, cum etenim intentio sit actus mere internus voluntatis, bene potest interna conditione constringi: *Gabr. a S. Vinc. d. 7. q. 8.*

R. II. Sacramentum administratum sub conditione de futuro siva contingente, sive necessaria, nullam est. Ratio est, quia non est statim validum, cum Minister non intendat illud conficere, nisi dum verificabitur conditio. Tunc autem non poterit esse validum, quia non amplius existunt materia, & forma Sacramenti: *Bonac. de Sacr. d. 1. q. 3. p. 3. §. 3. n. 19.* Non desunt qui excipiant Sacramentum matrimonii; cum etenim fundetur in civili contracta, qui habet suum valorem verificata conditione, idem dici posse videtur quatenus est Sacramentum. Contrarium tamen videtur docere S. Thomas *in 4. d. 27. q. 1. a. 1. q. 3.* unde suo loco examinabitur.

Q. VI. Quæ sint necessaria, ut Minister licite conficiat Sacramenta.

R. Minister consecratus conficiens Sacramentum, quatenus est consecratus ad illud conficiendum, peccat mortaliter, si non sit in statu Gratiæ. Id docet *D. Th. 3. par. q. 64. art. 6.* tum qaia, cum Minister consecratus in conficiendia Sacramentis debeat ex officio se gerere, ut decet Ministram Christi, & Ecclesiæ, graviter deficit in suo munere, conficiendo Sacramenta in statu peccati mortalis. Tum quia eadem conficiendo in statu peccati mortalis, ex parte sua videtur contaminare Sacramenta, quamvis secundum se sint incontaminabilia; unde id non potest esse sine gravi irreverentia. D. Thomam magis communiter sequuntur Theologi, ut videre est apud Tambur. *de Sacram. lib. 1. cap. 2. §. 3.* Præfatæ rationes non urgent respectu laici conficientis Sacramentum, dum e. g. in necessitate baptizat, nam ut observat *S. Thom. in resp. ad 3.* non agit ut Minister Ecclesiæ, sed intendit subvenire proximi necessitati. Eadem doctrina applicanda est Ministro, dum instante necessitate baptizaret, vel aliud conficeret Sacramentum in peccato mortali: *Filiuc. tract. 1. cap. 5. q. 10.* & alii apud ipsum. Potest etiam excusari a peccato Minister, qui ob nimiam perturbationem nihil de contritione deliberate cogitando, ministraret Sacramentum in peccato mortali; vel si quamvis faceret quantum potest, difficultatem in elicienda contritione experiretur, & interim e. g. urgeret necessitas audiendi confessionem infirmi: *Lugo de Sacram. d. 8. n. 151. Tamb. loc. cit. n. 10.* Cæteram notandum, quod dum Sacerdos mortali adstrictus tenetur conficere, sive ministrare Sacramentum, sufficit si eliciat actum contritionis, nam solummodo tenetur confiteri, dum recipere debet Eucharistiam ut suo loco dicetur.

R. II. Minister nunquam licite simulat administrare Sacramenta. Contrariam quorumdam opinionem damnavit Innoc. XI., dum *sub num. 29.* sequentem damnavit propositionem: *Urgens metus gravis est justa causa administrationem Sacramentorum simulandi.* Ultraquam quod ergo simulatio sit vere mendaciam, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 111. art. 1.* ex hoc solum redderetur lethalis talis simulatio, quia Minister simularet dispensare merita Christi mediante Sacram., quod de sua natura importaret ejusdem irrisionem, ut etiam innuitur *de homine de celebr. miss.* Neque etiam admitto, stante gravi metu, licitum esse dicere e. g. *neutiquam ego te absolvo*, submissa voce *neutiquam* pronunciando, nam adhuc fraudulenter usurparetur forma Sacramenti a Christo Domino instituta, quod utique non videtur posse esse sine injuria Sacramenti, & meritorum Christi Domini. In casu igitur gravis metus, seu timoris violandi sigillum, solummodo liceret recitare orationes non pertinentes ad formam Sacramenti, nam ita non simularetur Sacramentum.

R. III. Nunquam sine justa causa apponitur conditio in conficiendis Sacramentis; neque pariter sine justa causa sub conditione reiterantur. Prima pars probatur, quia sub quacumque conditione etiam de præterito, vel de præsenti conficiatur Sacramentum, exponitur periculo nullitatis, neque etenim daretur Sacramentum, si conditio non subsisteret; exponere autem sine justa causa Sacramentum periculo nullitatis, non est sine gravi irreverentia. Dum vero adest justa causa licita fit; & ita licite absolvitur moribundus, sub conditione, *si sit dispositus*. Eadem ratio probat secundam partem responsionis, nam reiterare Sacramentum etiam sub conditione, dum non adest rationabile motivum, est temere se exponere periculo nulliter conficiendi Sacramentum, adeoque non est sine gravi irreverentia: ut si quis rebaptizaret, vel iteram absolveret sine rationabili fundamento dubitandi antea nulliter se baptizasse, seu absolvisse. Secus, si daretur rationabile fundamentum; ut si adinveniret materiam fuisse dubiam, vel non recordaretur, an pœnitentem absolvisset: *Bonac. de Sacram. d. 1. qu. 2. part. 1. nu. 36., & q. 3. par. 2. §. 3. nu. 20.* & communiter. In his casibus est iterandum Sacramentum, sed sub conditione, ut consulatur Sacramenti reverentiæ.

R. IV. Ut licite administrentur Sacramenta servandæ sunt ceremoniæ ab Ecclesia institutæ pro iis administrandis. Ratio est, quia cum Ecclesia instituerit hujusmodi ceremonias, ut religiose administrentur Sacramenta, ut conveniant fideles in modo Deum colendi, & ut augeatur devotio fidelium, jam constat esse ex genere suo mortale hujusmodi cæremonias omittere. Excusabit a gravi culpa levitas materiæ, vel si omittantur, quia instat necessitas conferendi Sacram., alias omnino necessarium; ut dum, omissis omnibus cæremoniis, in necessitate puer baptizatur.

Q. VII. An licite administrari possit Sacram indignis.

R. I. Si peccator petens Sacramenta sit publicus peccator vel publicitate juris, vel publicitate facti, quia nempe ipsius delictum notum est tot personis, ut occultum non possit remanere, utique neganda sunt illi Sacramenta, cum amiserit jus ad suam famam; & aliunde Sancta non sint canibus danda, neque margaritæ ante porcos projiciendæ. Quod si dubitetur an factum, alias publicum, fuerit peccaminosum, tunc poterit illi administrari Sacramentum, si non adsit scandalum, nam petens habet jus illud exposcendi, quo jure non est expoliandus nisi constet de ipsius delicto: *Dian. t. 2. tr. 2. resol. 29.*

R. II. Si peccator sit occultus, & publice petat, cum jus habeat ad suam famam, quam amitteret publice denegando illi Sacramenta, non sunt eidem Sacramenta deneganda, ut docet *S. Thom. 3. part. quæst. 81. art. 6. ad 4.* quem communiter sequuntur Theologi. Si vero peccator sit occultus, & occulte petat, tunc denegandum est Sacramentum, quia cessat ratio infamiæ, & scandali; & aliunde quod sanctum est non est indigno conferendum. Idem dicendum, si peccator occultus petat ab iis, quibus notum est illius peccatum: *Tamburinus in Opuscul. de Commun. cap. 6. §. 2.* Quod si iste peccator, vel etiam publicus velit inferre grave malum Ministro, si denegeret Sacramentum, poterit illi administrare, dummodo sit capax illius, & valide confici possit. Ratio est, quia quod facit Minister, per se bonum est, & nihil ipse facit irreverenter; non videtur autem voluisse Christus ab ipso impediri irreverentiam a petente inferendam Sacramento, cum periculo e. g. suæ vitæ. Secus, si peteretur Sacramentum ad irridendum, & contemnendum; præceptum etenim impediendi tantam irreverentiam, videtur prævalere præcepto vitam conservandi: *Gabr. a S. Vinc. d. 6.*

R. III. Si petens Sacramentum non solum est indignus, sed etiam illius incapax, itaut nec valide illi possit administrari, nunquam licite illi administraretur. Ratio est tum quia tunc nulliter conficeretur Sacramentum, quod non esset sine gravi irreverentia; tum quia falsificaretur forma Sacramenti; ut dum Sacerdos diceret indisposito *absolvo te*, vel diceret *ego te batizo*, rebaptizando jam baptizatum: itaque idem dicendum si administrarentur alia Sacramenta non baptizato.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Ministri Sacramentorum, si scrupulis laborent, solent non raro inquietari timentes non habuisse intentionem consecrandi, absolvendi &c. Curet igitur Confessarius omnino ab his scrupulis suum pœnitentem liberare, nam in praxi difficillimum est non adesse intentionem saltem virtualem, quæ ex actuali præcedenti remanserit. Quis igitur credere potest, non dari intentionem actualem saltem implicitam consecrandi, dum qui accedit ad ecclesiam animo celebrandi Missam, induit S. Vestes, &c. Idem dicendum de eo, qui accedit ad fontem Baptismi, animo baptizandi, ad Confessionarium animo confessiones excipiendi &c. Ex hac autem actuali præcedenti intentione remanet virtualis, sufficientissima ad Sacramenta conficienda, quamvis actualem habere, dum actu conficiuntur Sacramenta, melius esset. Ideo sæpe præfati scrupuli in Ministris oriuntur, quia quamvis habuerint, vel etiam actu habeant debitam intentionem, dum conficiunt Sacramenta, non reflectunt serio se illam habuisse, vel habere, at hæc reflexio nullatenus est necessaria.

II. Quamvis Minister, qui suo maximo infortunio non est in statu gratiæ, non teneatur confiteri, sed solum elicere

cere perfectam contritionem, dum debet Sacramenta administrare, nihilominus Confessarius illi suadeat præmittere confessionem, dum tempus, & commoditas suppetunt. Ego nunquam tam facile esse illi credidi elicere actum perfectæ contritionis, qui valeat justificare, dum consideravi virum maxime Ecclesiasticum, peccatis mortalibus inquinatum, in ordine ad res supernaturales paulatim tepescere, & parum affici erga divinam bonitatem, quæ debet esse motivum contritionis; ita etiam Deo permittente, & denegante validiora auxilia, quia Ecclesiasticorum peccata, tum ratione status, tum ratione scandali sunt horribiliora.

III. Removeat quantum potest Confessarius Ministrum suum pœnitentem a reiterandis sine sufficienti fundamento etiam sub conditione Sacramentis, ut faciunt aliqui, qui putantes non habuisse intentionem absolvendi, iterum absolvunt sub conditione, si nempe pœnitens non fuit absolutus; iterum sub conditione consecrant, si nempe prima vice non consecrarunt. Isti faciunt actionem, quæ ex genere suo est grave peccatum, adeoque ab his, quantum fieri potest, sunt removendi. Cæterum in praxi putarem difficillime accidere hos scrupulosos graviter peccare, quia ita scrupulis perturbantur, ut non credant habere leve fundamentum reiterandi Sacramentum; & ex alia parte putant se peccare, si non reiterent.

IV. Quamvis regula generalis sit non esse administranda Sacramenta publico peccatori, nihilominus in Ministro quoad hoc summa necessaria est prudentia. Primo igitur caveat a judicandu aliquem esse publicum peccatorem ex falsis rumoribus, & vulgi suspicione; nam multoties quamplurima falsa ita publicantur. Debet ergo suspicio esse & publica, & tam vehemens, ut inducat moralem certitudinem, alias semper prævalet jus, quod habet ad suam famam, qui petit Sacramenta. Legendas *S. Thom. in 4. d. 9. quæst. 1. art. 5. quæst. 2.* Secundo, debet distinguere inter peccatorem publicum, cui non possint sine scandalo denegari Sacramenta, usque dum publice constet de emendatione, & inter peccatorem, qui licet publice peccaverit, nec adhuc publice constet de emendatione, nihilominus præsumenda est, & alias scandalum non est illi administrare Sacramenta. Demus e. g. publicum esse peccatum fornicationis commissum ab aliqua puella, nec constet illud confessione expiasse; utique illi petenti non est deneganda Eucharistia, quia omnes præsumant suum peccatum confessam esse, & ita cessat omne scandalum. At si petat meretrix, si publicus Usurarius, si Histriones repræsentantes lascivas comœdias, & similes peccatores, quamvis præsumi posset præmisisse Sacramentalem confessionem, nihilominus deneganda est Eucharistia, quia magnum adesset scandalum, si illis administraretur, antequam constaret turpe exercitium reliquisse. Excipiendum est periculum mortis, in quo cessaret omne scandalum, si ad consulendum saluti istorum, ipsis Sacramenta administrarentur.

V. Graviter reprehendat Confessarius illos sacros Ministros, qui ita properato celebrant, ac alia Sacramenta ita administrant, ut plurimum deficiant in sacris ritibus, & cæremoniis, cum facillime in hoc graviter peccare possint. Ponat illi sub oculos, quæ habent S. Carolus Act. part. 4. de Sacram. administ. *Sacramentum aliquod*, ait, *dum ministrat, ut id magna cum religione præstet, singula verba, quæ ad illius formam, rationemque pertinent, omni animi attentione, & pietate distincte pronunciabit, & elata item voce, ut ab illis audiatur, quibus ministratur: sacras item precationes sancte graviterque dicat. Solemnes præterea alios ritus, cæremoniasque ita observabit, ut veluti ante oculos ponere videatur eximia illa dona, quæ in eo Sacramento continentur. Ita vero demum in omni Sacramenti administratione se geret, ut non actione solum tota, sed vultu etiam illos, qui adsunt, incitet ad pietatem, & devotionem. Illudque noscat præterea officii sat esse, & hac sancta administrandi ratione, & præterea assiduis orationibus, & doctrina, & omni Sacerdotali industria fideles sibi commissos tales efficere, quibus digne, utiliterque Sacramenta ministrari possint.*

CAPUT V.

De Subjecto Sacramentorum, & de iis, quæ in eo requiruntur, ut valide, & licite ea recipiat.

Q. I. An soli viatores sint capaces Sacramentorum.

R. Soli viatores juxta præsentem providentiam sunt capaces Sacramentorum; cum etenim instituta fuerint a Christo ut media ad salutem conducentia, constat solis viatoribus esse destinata. Non per hoc tamen omnes viatores sunt capaces Sacramentorum. Igitur non baptizati invalide recipiunt cætera Sacramenta, nam ipsorum redduntur capaces per baptismum, & ideo a Conciliis, & SS. PP. appellatur janua Sacramentorum. Excipitur Eucharistia, quæ cum sit Sacramentum de se permanens, & subsistens, utique reciperetur etiam a non baptizato, quamvis tantum materialiter, seu sine effectibus Sacramenti. Sacramentorum Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis solum sunt capaces ii, qui post Baptismum peccaverunt. Solum Adulti capaces sunt Sacramenti Matrimonii, utpote quia ad ipsius valorem requiritur contrahentium consensus. Sed de his iterum redibit sermo, dum agemus de singulis Sacramentis.

Q. II. An ut Adultus valide recipiat Sacramenta, debeat habere intentionem illa recipiendi; & qualis esse debeat.

R. I. Utique dum Sacramenta administrantur infantibus, ut dum baptizantur, vel etiam in articulo mortis confirmantur, in eis nulla requiritur intentio, cum non sint capaces actus humani; adeoque dici solet Ecclesiam supplere pro ipsis defectum intentionis. Certum autem est in adultis ad valorem Sacramentorum exigi intentionem ea recipiendi, ita etenim semper sensit Ecclesia. Ratione etiam probatur, quia susceptio Sacramentorum in adultis est actus moralis, qui non potest dari sine aliqua intentione ea suscipiendi. Præterea cum Sacramenta vel conferant justificationem, vel augeant, non potest intelligi hos effectus recipi ab adulto, nisi & ipsa velit suam justificationem, vel ipsius augmentum. Demum cum ex susceptione Sacramentorum multæ oriantur obligationes, & ita baptizatus teneatur non solum ad plura Sacramenta recipienda, sed etiam ad omnes Ecclesiæ leges, non convenit adultum sine propria voluntate talibus legibus subjacere.

R. II. Ad valide recipienda Sacramenta sufficit in adulto intentio habitualis, seu interpretativa. Observandum igitur est hanc intentionem habitualem non sufficere ad conficienda Sacramenta, quia conficiens Sacramenta moraliter agit; nemo autem intelligitur moraliter agere sine intentione saltem virtuali agendi, ut dixi *tract. 1. q. 2. cap. 1.* At qui recipit Sacramenta passive se habet, & cum minus requiratur ad recipiendum, quam ad agendum, consequens est satis esse, si habeat intentionem habitualem, seu interpretativam illa recipiendi; *Div. Thom. 2. part. quæst. 68. art. 3., Lugo d. 9. num. 115.* Ita videmus Ecclesiam administrare Sacramenta iis, qui præ subita infirmitate obmutescunt, si ea antea vel signo, vel verbis expostulaverint, & tamen difficile est intelligere remanere in iis intentionem virtualem, aliquem scilicet motum impressum in potentiis ab intentione actuali. Ita etiam administratur Extrema Unctio moribundis, qui eam non petierint, interpretatur enim Ecclesia illos velle, quod alii Christiani recipiunt in periculo mortis: *Lugo disp. 9. n. 122.*

Non per hoc tamen adhæreo iis, qui valide credunt conferri Sacramenta dormientibus, & ebriis, si antea habuerint intentionem ea recipiendi, & non retractaverint. Ratio est, quia præsumi non potest habuisse intentionem illa eo tempore recipiendi, sed solummodo more, & ritu christiano. Secus, ut dictum est, dicendum de infirmis, qui sensibus destituuntur, vel etiam de iis, qui in perpetuam amentiam inciderunt, hos etenim credere est in iis circumstantiis recipere voluisse Sacramenta. Neque etiam adhæreo iis, qui putant ad valide suscipienda Sacramenta satis esse non habere intentionem contrariam, seu etiam intentionem neutralem; nec velle etiam, nec nolle Sacramenta, reputari non potest aliquo modo continere intentionem ea recipiendi, quæ intentio, saltem habitualis, est omnino necessaria.

Q. III. Quæ requirantur ad licite recipienda Sacramenta.

R. In adulto volente recipere Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ requiritur Fides, & dolor supernaturalis. Si recipere velit cætera Sacramenta, requiritur status gra-

tiæ;

tiæ; & quamvis, dum vult recipere cætera Sacramenta, præter Eucharistiam, satis sit si eliciat actum contritionis, dum nihilominus vult recipere Eucharistiam præmittere debet Sacramentum Pœnitentiæ, si sit in peccato mortali. Sed de hisdispositionibus redibit sermo, dum agam in particulari de singulis Sacramentis.

Q. IV. An licite recipiantur Sacramenta ab impio Ministro.

R. Si malus Minister sit toleratus ab Ecclesia, stante aliqua necessitate, licite ab eo expostulantur Sacramenta, si teneatur ex officio, vel si paratus sit ad ea ministranda. Ita respondit Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum *respons.* 71. Ratio est, quia si talis Minister ex officio tenetur administrare Sacramenta, petens utitur jure suo, quo jure non abutitur, dum necessitatem aliquam habet Sacramenti. Si vero Minister non teneatur ex officio, sed aliunde sit paratus, cum petens exposcat id, quod sancte, & rite præstari potest, & aliunde Minister sit ad ministrandum paratus, non est refundendum in petente peccatum Ministri, quia petitio ratione necessitatis justificatur. Hinc *S. Thom.* docet 2. 2. *qu.* 78. *art.* 4. licitum esse petere a fœneratore pecuniam fœneratitiam. Videatur etiam 3. *p. q.* 64. *art.* 6. *ad* 1.

Quod tamen hucusque dictum est, solummodo intendo habere locum, quando commode alter Minister haberi non possit, neque puto sentiendum cum aliquibus contrarium opinantibus. Ratio est, quia, ut dixi in Tractatu de Charitate, ea nos obligat ad removendum peccatum proximi, quoties possumus jus nostrum prosequi, absque eo quod alter peccet; quod certe fieri potest, dum commode alium Ministrum habere possumus, qui nobis Sacramenta administret, ut communius docent Theologi, & in præsenti materia *S. Th. in* 4. *d.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 5. *ad* 3. Neque refert Ministrum impium esse paratum ad Sacramenta ministranda; nam adhuc illud particulare peccatum, quod hic, & nunc committeret, imputabile etiam esset illi, qui occasionem præberet, quando alium Ministrum idoneum commode habere potuisset. Quæ etiam supra dicta sunt, intelligi debent in casu, quo Minister sit toleratus; nam si non sit toleratus, vel quia est publicus Clerici percussor, vel quia fuit nominatim denunciatus excommunicatus, non possunt ab eo peti Sacramenta, nisi in extrema necessitate, non solum quia privatus est omni communione cum fidelibus, sed etiam quia caret omni jurisdictione. In extremis autem necessitate, non est repudiandum Ecclesiam illum jurisdictione expoliare, ut innuit Trid. *sess.* 14. *c.* 7., qua alias fideles periculo damnationis exponerentur, cum non tam facile sit, at sibi perfecta contritione provideant.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Quidam Ecclesiastici ita scrupulis quandoque vexantur, ut anxii etiam sint de valore suæ ordinationis, utpote quia ipsis videtur non habuisse intentionem, dum S. Ordines susceperunt. Moneat eos Confessarius, istos scrupulos futilissimos esse, quandoquidem impossibile est eo ipso quod Ordines susceperint, aliquando non habuisse actualem intentionem eos suscipiendi; ex actuali autem intentione non retractata semper remanet saltem habitualis, quæ sufficientissima est ad Ordines suscipiendos.

II. Quamvis verum sit illicite peti Sacramenta ab impio Ministro, nihilominus caveat, qui vult ea suscipere, ab indaganda vita S. Ministrorum, hoc etenim ad ipsum non pertinet, sed omnes debet credere bonos, nisi constet contrarium. Neque recedat a petendo Sacramenta a Ministro, maxime si sit paratus, quem scit peccasse; præsumere etenim debet peccatum confessione, vel contritione expiasse, nisi sit in statu habituali peccati, ut dicendum esset de Sacerdote Concubinario, vel palam graves inimicitias profitente; vel si fere immediate antea peccasse sciret, & credi non posset pœnituisse.

III. Jus quod quis habet exposcendi Sacramenta a Parocho, quamvis impio, non solum ex magna necessitate consurgit, sed etiam quia nollet quis in statu peccati mortalis permanere, vel diu nollet carere Sacramentis, cum non alter Minister esset, a quo expostulari possent, ut rare posset evenire. Hoc idem puto in tali casu fieri posse, quando expostulanda essent non a Parocho, sed ab alio impio Ministro, sed parato ea ministrare.

TRACTATUS XVII.

DE SACRAMENTIS BAPTISMI, ET CONFIRMATIONIS.

CAPUT I.

Quid sit Baptismus, quotuplex, & quæ ipsius accessitas.

Q. I. Uid sit Baptismus.

R. Baptismus ita definitur a Catechismo p. 2. cap. 2. *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Eo quod appellatur *Sacramentum*, denotatur fuisse a Christo Domino institutum, ut constat ex dictis in Superiori Tractatu. Dicitur Sacramentum *regenerationis* ad denotandam primam vitam spiritualem, quæ per ipsum confertur, qua ratione dicitur Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum, Dei*. Subditur *per aquam in verbo*, ad demonstrandam materiam, & formam hujus Sacramenti: ita etiam Apostolus ad Ephes. 5. loquens de Ecclesia ait: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Notandum tamen est ea verba *per aquam* significare ablutionem, sive infusionem aquæ, nam Baptismus est Sacramentum solummodo, dum actu confertur.

Quod si quæras, quandonam Christus Baptismum instituerit, dicendum est illum institutum ab eo fuisse ante Passionem; tum quia conveniens erat Apostolos fuisse baptizatos antequam baptizarent, nam prius constitui debebant membra Ecclesiæ per baptismum subrogatum circumcisioni, antequam illum aliis administrarent. Ut observat autem S. Augustinus *epist.* 265. *ad Seleucianum*; etiam ante passionem baptizarunt, ut explicatur *Jo.* 4. Tum quia, ut dicit idem Sanctus *epist.* 44. *ad Elusium*, non est verosimile Christum administrasse in ultima Cœna Eucharistiam Apostolis non baptizatis. Tum quia, cum possimus credere Apostolos ordinatos fuisse Sacerdotes in ultima cœna, ut etiam innuit Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 1., dicendum est jam accepisse baptismum, qui est janua aliorum Sacramentorum. Quamvis autem non pauci dixerint Christum instituisse Baptismum, dum in Jordane fuit a Joanne baptizatus, nihilominus dicendum est tunc solum figurate instituisse Baptismum, cum Baptismus Joannis non conferret gratiam, adeoque solummodo præparatio, & dispositio esset ad Sacramentum Baptismi. Melius ergo dicitur tunc Christum instituisse Baptismum, quando, ut dicitur *Jo.* 3. & 4., jam a Joanne baptizatus, collegit discipulos, eosque destinavit ad alios baptizandos.

Q. II. Quotuplex sit Baptismus.

R. Non alter datur Baptismus, quatenus est Sacramentum, nisi Baptismus fluminis, nempe aquæ, cum solum talis Baptismus institutus fuerit a Christo Domino, ut haberet rationem Sacramenti: *D. Th.* 3. *p. q.* 66. *ar.* 11. Nihilominus analogice appellantur Baptismata etiam Martyrium, & Baptismus flaminis, scilicet desiderium Baptismi, quatenus licet non conveniunt cum Baptismo aquæ in ratione signi Sacramentalis, conveniunt quoad effectum illius, cum supplere possint Sacramentum Baptismi quoad culpæ remissionem, & spiritualem renovationem. Id præstat martyrium ex *opere operato*, ut communiter docent Theologi, observando inter Innocentes ab Herode occisos plures esse potuisse non adhuc circumcisos,

ciſos, adeoque martyrium in iis ex opere operato deleviſſe peccatum originale. Non ſolum autem delet culpam, ſed etiam omnem pœnam deb tim peccatis, tribuendo inſuper quamdam excellentiam, qua Martyres digni ſint honore, & obſequio; & ita Eccleſia colit prædictos Innocentes. Baptiſmus flaminis, quo quis contritionem habet de peccatis una cum deſiderio ſaltem implicito Baptiſmi valet quidem juſtificare, at ordinarie loquendo non delet omnem pœnam; quapropter Eccleſia conſuevit effundere preces pro Cathecumenis, qui ante Baptiſmum obibant.

Q. III. An Baptiſmus ſit neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem; & quo tempore ſuſcipiendus ſit.

R. I. Certum eſt Baptiſmum non fuiſſe neceſſatium ad ſalutem ante Chriſti Domini murtem, & reſurrectionem; etenim cum homo per Baptiſmum configuretur paſſioni, & reſurrectioni Chriſti, quatenus moritur peccato, & incipit novam vitam: conſequens eſt debuiſſe iſta præcedere, antequam illius obligatio inciperet: *D.Th.3.p.q.66.a.2.* Item cum illius obligatio non potuerit incipere niſi poſt Evangelii promulgationem, quæ ſolummodo incœpit die Pentecoſtes, tunc etiam dicendum eſt illius obligationem incœpiſſe. Suppoſita autem promulgatione Evangelii, Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medii vel in re, vel in voto, ut habetur ex illo Joan, 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei.* Eſt etiam neceſſarius neceſſitate præcepti divini, cum unuſquiſque peccet non adhibendo medium ad ſalutem neceſſarium; *Gabr. a S.Vinc. d. 2. q.7. §. Sed poteſt*, & communiter. Dum aliquis ergo actu ſuſcipere poteſt Baptiſmum aquæ, illum ſuſcipere tenetur. Si vero actu quis non poſſet baptizari, ſatis eſt Baptiſmus in voto, ſive nempe explicito, ſicuti dum quis expreſſe deſiderat Baptiſmum, ſive implicito, ut dum quis vel ignoraret Baptiſmum, vel de illo non cogitaret, & nihilominus eliceret verum actum contritionis, aut amoris Dei; cum etenim tunc deſideraret omnia neceſſaria ad ſalutem, intelligeretur velle etiam implicite Baptiſmum; *c. Apoſtolicam de Præsb. non bapt. D.Th.3.p.q.67.art.2.*

R. II. Non eſt differendus Baptiſmus puerorum, nam ut docet *S.Th.3.p. q.68.a.9. ad 3.* non eſt neceſſe eos inſtruere; & aliunde cum non poſſint alio medio conſequi ſalutem, non eſt differendus baptiſmus, ne ſi illorum mors occurrat, in æternum beatitudine careant. Difficultas eſt inter Theologos in determinando quæ dilatio ſit culpa gravis, aliis affirmantibus ſolam dilationem ad quinque, vel plures dies eſſe culpam lethalem, etiamſi non videatur mors imminere: *Bon.d.2.q.2.p.2. n.4.* aliis vero opinantibus ſolam dilationem ultra decem, vel undecim dies eſſe peccatum mortale; & hæc opinio videtur communior, ut videre eſt apud *Dian.t. 3.tr.1.reſ.29.n.7.* Cæterum plura Concilia Provincialia decrevere infantes, quam cito fieri poteſt, eſſe baptizandos, ut videre eſt apud *Gonet de Bapt.c.4.q.9.*

R. III. Baptiſmus adultorum, ut docet S. Th. ſupra citatus, eſt aliquo tempore differendus, tum ad examinandum illorum fidem, & mores, tum ut ſufficienter inſtruantur, & exerceantur in iis, quæ pertinent ad vitam Chriſtianam. Ipſi vero non poſſunt ex ſua culpa notabiliter differre Baptiſmum, tum quia quodlibet præceptum, dum non conſtat de tempore, quo eſt adimplendum, obligat ne nimis illius adimpletio differatur. Tum quia, cum ſine Baptiſmo careat homo pluribus auxiliis ad vitanda peccata, neque poſſit cætera recipere Sacramenta, videtur graviter negligere æternam ſalutem, qui abſque cauſa notabiliter negligeret illum ſuſcipere: *Gabr. a S.Vinc. d.2. q.7.* & alii relati a Diana *t.1. tr.1. reſol.32.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

Non permittat Parochus differri Baptiſmum infantium ad expectandos Patrinos, vel ad aliam parandam ſolemnitatem; quis enim negabit, dum in tali expectatione, vel vana pompa paranda tempus teritur, accidere poſſe animam Chriſti Sanguine redemptam maximo amittendæ æternæ ſalutis periculo exponi? Neque dicatur ſufficienter hoc periculum præcaveri, dum puer domi baptizatur, poſtea deferendus ad Eccleſiam, ut ſolemnitates ſuppleantur. In hoc etenim adſunt duo inconvenientia, dum nempe ſine neceſſitate Baptiſmus extra Eccleſiam adminiſtratur; & dum adminiſtratur ſine aqua ad hoc Sacramentum conferendum benedicta.

CAPUT II.

De Materia, & Forma Batiſmi.

Q. I. QUid ſit materia remota Baptiſmi; & quæ ſit materia dubia.

R. Jam dixi in ſuperiori Tractatu, dum ſermo fuit de materia Sacramentorum, materiam remotam eſſe rem ſenſibilem a Chriſto Domino inſtitutam, ut ſit ſignum, & cauſa gratiæ, quæ producitur per Sacramentum. Hæc igitur materia in Sacramento Baptiſmi eſt aqua naturalis, dicitur enim *Joan.3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritus Sancto &c.* Hanc proinde veritatem, quam perpetuo docuerunt SS. PP. definitam habemus a Concilio Lateranen. *cap. Firmiter de Sum. Trinit.* a Concilio Florentino in Decreto unionis, & a *Trident. ſeſſ. 7. can.2. de Bapt.* Aptiſſima autem eſt aqua, ut ſit materia hujus Sacramenti; nam ſicut ea abluit ſordes, & temperat calorem, ita valet indicare quod elevata ad eſſe Sacramenti eluit maculas peccatorum, & refrænat ardorem concupiſcentiæ. Demonſtratur etiam per eam Divina Omnipotentia, quæ tam humili elemento effectus producit adeo mirabiles, ſicuti & Divina Miſericordia, quæ, ut obſervat *S.Th.3.p.q.67.art.3.*, voluit materiam Sacramenti tam neceſſarii eſſe aquam, quæ omnibus ſemper præſto eſt.

Dum dixi aquam naturalem eſſe materiam hujus Sacramenti, ſignificavi materiam hujus Sacramenti eſſe aquam, ſive maris lit., ſive fluvii, ſive paludis, ſive putei, ſive fontis, omnes enim hæ abſolute aquæ dicuntur: *D. Th.3. p. qu.66. art.4.* Idem dicendum de aqua, quæ hyemali tempore diffluit ex parietibus, vel quæ colligitur ex vaporibus manantibus ex aqua, quæ ebullit, nam vere dicitur aqua: *Gabr. a S. Vinc. d.3. q.1. Tambur. de Sac. Bapt. c.1. §.1. num.3.* Eadem ratione eſt materia ſufficiens Baptiſmi aqua ex glacie, vel nive reſoluta: *D. Anton. 3. p. tit.14. cap.13. §.1.* non vero glacies, aut nix; quamvis etiam ſubſtantialiter ſint aqua, non vero ſunt aqua ad abluendum. *Paſqual. q.11. n.1., Laym. de Bapt. c.3. n.1.* Advertere tamen debet miniſter, quod licet præfatis omnibus aquis valide conferatur Baptiſmus, non tamen licite; ut ſi extra neceſſitatem adminiſtret aqua fœda &c. vel etiam brodio, ita tenuiter decocto, ut aqua dici poſſit; quamvis enim Baptiſmus eſſet validus, ut docet *D.Th.3.p.qu. 66.art.4.* nihilominus ſi aquis præfatis Baptiſmus adminiſtretur, peccatur mortaliter ob gravem irreverentiam, quæ Sacramento irrogatur: *Bonac. diſp.2. q.2. p.3. n.7.*

Sicut omnis aqua naturalis eſt materia ſufficiens Baptiſmi, ita e contra dicendum non eſſe materiam ſufficientem aquam, quæ naturalis non ſit. Ita ſe habent omnes aquæ artificiales; *D.Th.3.p. q.66. art.4.*, aqua ex vite, aut alio arbore manans, lachrymæ, ſudor, aut alius humor defluens ex corpore: *Gabr. a S. Vinc. d.1. q.1., Bonac. de Sacr. d.2. q.2. p.3. n.4.* & alii paſſim. Ita etiam ſe habet aqua, quæ ita aliud corpus admixtum habeat, ut quoddam compoſitum magis ſit, quam aqua, uti ſe habet lutum &c. *D.Th.3. p. q.66. art.4.*

R. II. Nonnullæ aquæ ſunt materia dubia Baptiſmi. Ita ſe habet aqua reſoluta ex ſale, volentibus aliquibus eſſe materiam ſufficientem Baptiſmi, cum non putetur eſſe niſi veram aquam naturalem ſalſam reſolutam; aliis affirmantibus non eſſe niſi verum mixtum, ſeu ſal diſſolutum, in quo materia potior non ſit aqua: *Dian. t.1. tr.1. reſol.50* &, multo magis id affirmant de aqua reſoluta ex ſale montano. Alii ponunt inter materiam dubiam Baptiſmi lixivium, & juſculum, quæ tamen, meo videri, nullatenus reputanda eſſent materia Baptiſmi, cum non videantur amplius dici poſſe aquam naturalem. Item controvertitur an ſint materia ſufficiens Baptiſmi nix, vel glacies, ſi liqueſiant tangendo corpus, dum miniſtratur Baptiſmus, ut videre eſt apud Paſqualigum *qu.12.* Cum autem non certum ſit præfatas materias eſſe ſufficientes pro Baptiſmo, non ſine gravi culpa illis uteretur Miniſter extra caſum neceſſitatis ex dictis in Superiori Tractatu *cap.2. qu.6.*, itemque Sacramentum eſſet ſub conditione iterandum cum materia certo ſufficienti, ut dicam etiam infra.

Q. II. An Baptiſmus miniſtrandum ſit cum aqua benedicta.

R. Certum eſt aquam benedictam non eſſe de neceſſitate Baptiſmi; at omnino credo non poſſe Baptiſmum ſine gravi culpa, extra caſum neceſſitatis, conferti ſine

ne

ne aqua non benedicta. Ratio est, quia ita fert consuetudo, & praeceptum Ecclesiae, ut colligitur *ex Clement. unic. de Bapt.* Neque satis intelligo quomodo aliqui dicant materiam hujus praecepti esse de re levi, cum Ecclesia tanta solemnitate benedicat aquam ad religiosius administrandum Baptismum in Sabbatis Paschae, & Pentecostes: *Gabr. a S. Vinc. d. 1. q. 1. in fin Dian. tom. 1. tr. 1. resol.* 55.

Q. III. Quaenam sit materia proxima Baptismi; & quot modis possit administrari.

R. Cum materia proxima nil aliud sit, quam applicatio materiae remotae, sequitur *ablutionem*, quae fit in applicatione aquae, esse materiam proximam Baptismi: *D.Th.3.p.qu.66.art.1.* Porro cum non detur ablutio, nisi aqua aliquo modo diffluat, necesse est tantam adhibere aquam in administrando Baptismum, ut aqua diffluat per eam corporis partem, quae in Baptismo abluitur, ut etiam infra explicabo.

R. II. Baptismus valide confertur immersione; debet tamen immersio fieri a Baptizante, alias non verificaretur ab ipso ablui, ut denotant illa verba formae: *Ego te baptizo*. Hic ritus, quo immergendo baptizandum in aqua significabatur sepeliri veterem hominem, illumque educendo novum resurgere, jam in usu fuit etiam in Ecclesia Latina. Recessit autem ab hoc ritu, tum quia difficile reddebatur Ministris adultos immergere, & educere, tum quia immersione non parum praejudicii inferebatur parvulorum valetudini; tum quia erubescentia non exigua oriri poterat in Ministris, & baptizandis, praecipue si erant foeminae. Secundo, validus est Baptismus collatus per infusionem, cum verificetur Baptizandum ablui; & ulterius etiam hoc modo, licet non tam clare significetur sepultura Christi, quatenus aliqua pars corporis aquae supponitur, & ejusdem resurrectio, per spiritualem nempe regenerationem, quam recipit baptizatus. Tertio, validus est Baptismus collatus per aspersionem, si tanta adhibeatur aqua, ut diffluat supra aliquam partem corporis baptizati, ut vere dici possit ablutus. Secus si collatus per aspersionem aqua attingeret solos capillos; seu vestes baptizati, vel tanta non esset, ut sufficienter diffluerет; nam tunc Baptizatus non dici posset ablutus. Videatur *S.Th. 3. p. q. 66. art. 7.*

Quamvis praefatis modis valide conferri Baptismum. Caeterum non servare ritus propriae Ecclesiae in baptizando, communiter reputatur grave peccatum, cum tales ritus, qui non possunt judicari de re levi, ab Ecclesia praecipiantur. Hinc quamvis trina infusio non sit de necessitate Baptismi, validus enim esset si unica infusione conferretur, prolatis eodem tempore verbis formae, attamen peccatum grave esset, illum trina infusione non conferre: *D. Th. 3. p. q. 66. art. 8.* Ideo probare non possum de se hanc omissionem non esse nisi culpam venialem, ut dicunt aliqui, cum talis ritus non possit dici quid leve, utpote inductus ad significandum triduum sepulturae Christi, & Trinitatem Personarum.

Q. IV. In quibus casibus adhibeatur materia proxima dubia.

R. Si in baptizando adhibeantur duae, vel tres guttae aquae, putant aliqui esse invalidum Baptismum, quia de aqua tam modica non videtur ipsis verificari posse, quod abluat. Caeterum communior opinio est Baptismum ita collatum esse validum, si illae guttae non solum tangant, sed aliquo modo diffluendo, habeant contactum successivum, quia tunc videtur verificari, quod abluant: *Gabr. a S. V. d. 1. q. 1., Pasqual. q. 14. a. 3.* Item dubitatur de valore Baptismi, si minister projiceret in flumen, vel in puteum infantem, & formae verba proferret, quia illa actio non videtur ordinata ad abluendum, sed ad occidendum. Communior tamen est opinio contraria, quia Minister vere projiceret ad abluendum, & videtur dici posse ab eodem ablutus: *Filiuc. de Bapt. c. 2. n. 41. Anton. a Sp. S. d. 2. sect. 2. n. 48. Bonac. d. 2. q. 3. n. 56.* Immo aliqui apud *Dianam p. 1. tr. 1. res. 69. & 70.* censent id licite fieri, si puer esset proxime moriturus, & non alius esset modus illum baptizandi; nam minima acceleratio mortis postponenda videtur aeternae saluti exinde puero eventurae. Id tamen communiter reprobatur, cum Deus sibi ipsi jus nostram vitam reservaverit, & aliunde quamplura sequerentur inconvenientia, si admitteretur, licitum esse alicui accelerare mortem, ut illius aeternae saluti consuleretur. Sicuti communius docent DD. validum esse Baptismum modo dicto collatum, multo magis consentiunt, validum esse Baptismum, si quis infantem tunc descenderet in flumen, vel puteum, prolata verborum forma, & vivum extraheret; vel si submitteretur aquae defluenti e tecto &c. *Bonac. n. 27. & 28.* Semper tamen advertendum verificari debere, Baptizandum posse dici ablutum a Baptizante, unde per seipsum deberet illum immittere in flumen, vel aquae defluenti submittere; nam si hoc fiat ab alio, vel ab ipso etiam Baptizando, non verificatur ablui a Ministro sicuti significant verba formae. Quando vero dubitari possit de valore Baptismi ratione partis, quae abluitur, dicam infra, dum agam de Subjecto hujus Sacramenti.

Q. V. Quae sit forma Baptismi.

R. Forma Baptismi ita se habet: *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Haec autem forma probatur ex praxi, & consuetudine Ecclesiae, ex qua, ut docet Catechismus *p. 2. cap. 2.*, habetur datam fuisse a Christo, dum *Matth. 28.* ait Apostolis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Hinc praefata verba esse formam Baptismi, docuit Concilium Lateranense *cap. Firmiter de Sum. Trin.*, Florent. *in Decr. Eugen.* & Trident. *sess. 7. can. 4.* Debet ergo in forma Baptismi exprimi Minister Baptismi, quia, ut docet S. *Th. 3. p. quaest. 66. a. 5.* cum Deus conferat effectus Sacramentorum etiam per causas instrumentales, & Minister sit causa instrumentalis extrinseca, congruum erat, ut verbis formae exprimeretur. In praefata forma Minister exprimitur illius verbis; *Ego te Baptizo*. Quamvis autem pronomen *ego* non sine peccato omitteretur; non tamen est necessarium ad designandum Ministrum Baptizantem, cum sufficienter exprimatur per ly *Baptizo*. In forma, quam adhibent Graeci, Minister exprimitur his verbis: *Baptizetur Servus Dei N. in nomine &c.* & quamvis haec verba non ita clare exprimant Ministrum, de facto tamen exprimunt; nam dicitur baptizetur, denotatur actio alicujus, & ulterius cum fit nomine SS. Trinitatis, indicatur aliquis, qui sit Dei Minister. Ultra Personam Ministri, qui baptizat, debet etiam in forma Baptismi exprimi actio baptizandi, neque enim, ut ratiocinatur S. *Th. loc. cit. ad 2.* satis exprimeretur eo quod aliquis ablueretur in nomine Personarum Trinitatis, in tali enim nomine omnia facere deberemus; ut necesse est eam exprimere per ly *Baptizo*. Praeterea in eadem forma exprimi debet persona, quae baptizatur, quod fit per pronomen *Te*, alias non satis explicaretur actus baptizandi, cum debeat ordinari ad personam determinatam, & capacem Baptismi; & ulterius debet esse distincta a baptizante, ut definitur *c. Debitum de Bapt.*

Ex dictis invalidus erit Baptismus, si omittatur ly *Baptizo*, non subrogando aliud verbum omnino aequivalens, uti essent *abluo, aspergo &c.* Invalide item conferretur Baptismus, dicendo: *Baptizatus est, Baptizatus est in nomine &c.* qua forma utuntur Chaldaei. Ita communiter Theologi contra Nazarium, nam illis verbis nec exprimitur actio Ministri, nec exprimitur hic, & nunc baptizari, seu justificari persona, quae baptizatur: *Gabr. a S. Vinc. d. 5. qu. 3., Dian. t. 1. tr. 1. resol. 60.* & apud illum alii. Item invalidum omnino contra aliquos reputare est Baptismum sub hac forma collatum: *Baptizet te Christus*, etsi minister non intenderet excludere suam personam, quia praefata verba non exprimunt actionem Ministri, ut omnes fatentur esse necessarium, sicut etiam quia forma non proferri debet modo deprecativo, ut fit verbis praefatis, sed enunciativo, *Tambur. de Sacr. c. 1. §. 4. num. 28.* Idem dicendum de hac forma: *Intendo te Baptizare &c.* nam hujusmodi verba indicant intentionem baptizandi, non actum baptizandi. *Tamb. a. 31. Trull. c. 3. d. 4. n. 11. &c.* Demum communiter reputatur invalidus Baptismus, si omittatur pronomen *Te*, cum expresse non designetur persona, quae baptizatur. Secus si aequivalenter designetur, dicendo: *Baptizo Dominationem tuam &c.* Hic etiam venit adnotanda propositio 27. ex damnatis ab Alex. VIII. quae ita se habet: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus. In nomine Patris &c. praetermissis illis verbis, Ego te Baptizo.*

Expressa persona baptizante, illius actione, & persona, quae baptizatur, necesse est exprimere in forma Baptismi unitatem Divinitatis, alias non exprimeretur mysterium SS. Trinitatis: haec autem unitas exprimitur dicendo *in nomine*. Invalidus proinde esset Baptismus, si diceretur *in nominibus*, quia ita significaretur diversitas essentiae. Invalidus pariter esset, quidquid aliqui dicant in contrarium; Baptismus ita collatus: *Ego te Baptizo in Patre, Filio, & Spiritu S.* etenim significanda est invo-

catio,

catio, virtus, ac professio Dei unius, quod non fit, dum non dicitur *in nomine*: *Layman. de Bapt. c. 4. a. 3.*

Deinde exprimendæ sunt Personæ SS. Trinitatis, ut ex perpetua traditione docent SS. PP. hanc addendo congruentiam, quia cum Baptismus sit Sacramentum, quo homines facta fidei professione intrant in Ecclesiam, conveniens erat in eo accipiendo expressam fieri mentionem articuli Trinitatis, cujus Fides tam necessaria est omni credenti. Præterea dicendo *in nomine Patris &c.* designatur causa principalis, ex qua oritur nostra justificatio in Baptismo. Si ergo in conferendo Baptismo non exprimantur Personæ SS. Trinitatis nullus erit, ut si diceretur: *Ego te Baptizo in nomine Dei trini*; vel *in nomine Trinitatis*; vel *in nomine Primæ. Secundæ & Tertiæ Personæ*. Item si exprimerentur cum errore, ut si diceretur *in nomine Patris Majoris &c.* uti faciebant Arriani: vel si aliqua Persona omitteretur, aut ita ejus nomen mutaretur, ut nullatenus intelligi posset expressa eadem Persona. Quod si adderentur notiones Personarum, validus utique esset Baptismus: ut si diceretur. *In nomine Patris ingeniti, Filii generati, & Spiritus S. ab utroque procedentis*. Si vero adderetur nomen alicujus Sancti, v. g. B. Virginis ea intentione ut simul cum SS. Trinitate conferat gratiam Baptismi, utique esset invalidus. Si vero ad implorandum ipsius patrocinium erga Personam baptizatam, Baptismum esset validus: *D. Th. 3. p. q. 60. art. 8.* Semper tamen hujusmodi additiones, seu mutationes illicite ponuntur ex dictis in Tractatu Superiori.

Aliqui putant initio nascentis Ecclesiæ Baptismum collatum fuisse in nomine Jesu Christi, ut videtur innui *Act.* 2. atque id factum putat *D. Th. 3. p. q. 66. art. 6.* ex speciali Dei dispensatione, ut ita in honore esset illud nomen, quod tam in odio fuerat Judæis. Verum ego credo nunquam collatum fuisse Baptismum absque expressa mentione Personarum SS. Trinitatis, ut probavi *in Quæsitis Dogmaticis, & Moral. de Sacr. tr. 2. cap. 3.*

Q. VI. Quæ sint Formæ dubiæ Baptismi.

R. Hæ formæ dubiæ ad sequentes reducuntur. Ego te Baptizo *nomine Patris &c.* relicta particula *in*, aliis affirmantibus idem esse dicere *nomine Patris &c. ac in nomine*, aliis omnino negantibus, quia dicere *in nomine &c.* importat invocationem Trinitatis & professionem fidei, dicere vero tantum *nomine*, nullatenus invocatur Trinitas, sed solum designatur Baptismum fieri nomine, seu authoritate Trinitatis: *Pasqual. q. 25. n. 6. Comitol. l. 1. q. 9. num. 4.* qui alios citat. Eadem ratione saltem dubia est forma Baptismi, si dicatur: *Ego te Baptizo cum nomine Patris*, quia ly *cum nomine* non invocatur unitas essentiæ. *Coninc. q. 66. art. 6. d. unic. num. 60.*, *Salmant. de Bapt. c. 3. p. 4. n. 18.* & etiam videtur invalida Filiuccio *de Bapt. c. 3. q. 11. Vasquez &c.* Dubitatur etiam merito de valore Baptismi, si dicatur: *Baptizo te in virtute*, seu *fide*, seu *Majestate Patris &c.* nam ly *in nomine* non solum significat virtutem, sed etiam invocationem, quæ præfatis verbis non exprimitur: *Bonac. de Sacr. d. 2. q. 2. p. 4. n. 5.* Dubia est sequens forma: *Ego te Baptizo, in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Sp. S.* quamvis enim non pauci sustineant validam esse, quia non affirmatur esse plura nomina, sed repetitur idem nomen essentiale, & commune tribus Personis, nihilominus aliis videtur repetitione illius verbi dividi essentias, cum ly *in nomine* significet essentiam Divinam: *Bonac. cit. Coton. contr. 2. c. 1. a. 17.*

Dubia est sequens forma: *Ego te Baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*; quamvis enim aliquibus videatur valida, cum satis exprimi videantur Personæ SS. Trinitatis, nihilominus magis communiter negatur esse validam, quia non exprimuntur Personæ sub ea expressione, quam Christus instituit: *S. Th. 3. p. q. 66. a. 5. ad 7. D. Ant. 3. p. tit. 14. c. 3. §. 3.* & alii, quos sequitur Bonacina *de Sac. d. 2. qu. 2. p. 4. nu. 12.* Eadem ratione saltem dubia erit forma sequens: *Ego te baptizo in nomine Ingeniti, Geniti, & Spirati*, *Laym. de Bapt. c. 4. a. 4.* Dubia est forma, in qua mutatur ordo Personarum, ut si dicatur: *Ego te baptizo in nomine Filii, Patris, & Spiritus S.* quia ad plenam expressionem SS. Trinitatis videtur exprimendus ordo emanationis: *Laym. de Bapt. c. 4. n. 6.* Placuit has formas dubias adnotare, non solum quia eisdem illicite Baptismus administraretur, sed etiam ut sciat Minister talem Baptismum esse sub conditione iterandum.

Regulæ in praxi attendendæ:

I. Quia non sine irreverentia Sacramenti administraretur Baptismus aqua immunda, & non benedicta, ideo animadvertat Parochus quæ habet S. Carolus Act. p. 4. de Bapt. adm. *Aquam, ait, Baptismalem (quoniam puram illam quidem, mundam, nitidamque esse ob tanti Sacramenti dignitatem convenit) in ipso fonte per totum annum, quod ejus fieri potest, cum decore conservabit. Quam ob causam tum fontem pro Sacramenti majestate ex eo præscripto decenter extructam, ornatumque habebit: cum etiam totum ipsius fontis opus, undique ita contectum tenebit, ut nec pulvis, nec ullæ aliæ sordes intro penetrent, quibus aqua corrumpi, aut impura fieri possit. Quod si intra annum præ temporis diuturnitate, aliave causa, illam corrumpi contigerit, in Sacrarium prope fontem Parochus projiciet, statimque & fontem purgabit. Et vero, si in urbe est ad Metropolitanam, si in Diœcesi ad plebanam Ecclesiam veniet, unde proprio vasculo aquam baptismalem accipiat, in Parochialemque Ecclesiam secreto ferat: ubi quam primum in fontem effundat, baptismalique aquæ allatæ tantam etiam aquæ puræ, nitidæ, & recentis addet, quantam satis erit. Hoc ipsum quoque præstabit, si etiam aqua baptismalis per annum aliquo modo defecerit.*

II. Si in summa Hyeme aqua vi frigoris conglacies, vel ita sit gelida, ut nocere possit infanti, idem S. Presul dicit a Parocho miscendum esse aquæ benedictæ quid minus aquæ calidæ, nitidæ, naturalis, ut aqua benedicta liquefiat, & nocere non possit. Cæterum si ministretur Baptismus vasculo argenteo, vel ex alio metallo confecto, posset tale vasculum aqua vel congelata, vel gelida repletum prope ignem admoveri, ut ita sine nocumento baptizetur.

III. Diligens sit Parochus in instruendis Obstetricibus de modo administrandi Baptismum; non raro etenim accidit infantes ab eis esse baptizandos propter mortis periculum. Doceat igitur ter esse aquam infundendam, si tempus suppetat: eodem tempore ac aqua infunditur, proferendam esse formam: ab eadem persona, quæ profert formam, infundendam esse aquam. Doceat exactissime, qualis debeat esse forma proferenda, & consultius erit, si illas instruat, ut vulgari idiomate baptizent, nam justa causa suadet ut ita baptizent, ne errent scilicet in proferenda forma, ac præterea usus invaluit, ut istæ ita baptizent. Videat ne dicant: *Io ti battezzo col nome del Padre &c.* sed *nel nome del Padre*; & si adinveniat baptizasse dicendo *col nome*, ut quandoque accidit, iterandus est Baptismus sub conditione. Doceat quod si infundere debent aquam super aliam partem, quam in capite. Baptismus conferendus est sub conditione. Instruat quomodo sub conditione conferendus est Baptismus infanti existenti in utero Matris, vel filiis abortivis, de quibus omnibus dicam infra. Si deficiat Parochus in his instructionibus, graviter certe deficiet, ut ex se constat.

CAPUT III.

De Ministro Baptismi.

Q. I. Quis sit Minister Sacramenti Baptismi.

R. I. Minister ordinarius hujus Sacramenti est solus Parochus. Ratio est, quia ad regendos, & gubernandos fideles Sacramentorum administratione, ultra potestatem Ordinis, requiritur potestas Jurisdictionis; hanc autem non habet aliquis, eo quod sit Sacerdos, sed eo quod assumatur ad gubernandos fideles, quod fit, dum quis in Parochum eligitur. Hinc graviter peccaret, qui extra casum necessitatis, absque jurisdictione aliquem baptizaret, quia in re gravi faceret contra jus Parochi: *Tambur. de Sacr. c. 2. §. 1. a. 2.* & communiter. Eadem ratione graviter peccarent Parentes, si deferrent puerum extra Parochiam baptizandum, quando in Ecclesia Parochiali esset fons baptismalis: *Buss. d. 3. a. 1.* Idem denique dicendum de laico, qui extra casum necessitatis privatim Baptismum ministraret: *Magala V. Bapt. mat. n. 9.* & communiter. Solummodo ergo Sacerdotes, qui non sunt Parochi, possunt ex Parochi delegatione solemniter baptizare; sicut etiam Diaconus, cui id concedi posset etiam extra casum necessitatis, cum sit Minister extraordinarius Baptismi; *Can. Diaconos dist. 93. Gabr. a S. Vinc. de Bapt. d. 3. q. 2.*

R. II. In casu necessitatis quilibet Laicus potest Baptismum administrare; & cum semper viguerit hujusmodi

modi disciplina in Ecclesia, juste judicatur ex traditione apostolica derivasse. Ea hoc commendandam D. Misericordiam docet *S. Th. 3. p. q. 67. art. 3.* eum voluerit Sacramentum omnimode necessarium infantibus, sicut etiam adultis quoad omnimodam remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ, posse in necessitate a quocumque ministrari. Hinc *can. ad limina* 20. *q.* 1. laudatur Pater, qui in necessitate filium baptizavit, neque per hoc privatus dicitur, jure petendi debitum a sua Conjuge. Addendum in casu necessitatis administrari posse Baptismum a Laico non Baptizato, dummodo adhibeat convenientem formam, & materiam, & habeat, intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, *can. Romanus dist. 4. de consec. can. a quodam ibid.* Idemque asseritur de hæreticis: *can. ab antiquo ibid.*

Duo tamen sunt observanda. Primum est, quod dum in casu necessitatis ministrandus est Baptismus, ita ordo servandus est, ut Sacerdos præcedat Diaconum, Diaconus Clericum, Clericus Laicum, vir mulierem, fidelis infidelem: *S. Th. 3. p. q. 67. a. 4.* Certe si Laicus baptizaret præsente Parocho graviter peccaret, quia violaret illius jus in re gravi: sed & ego puto peccasurum graviter, si baptizaret præsente quocumque Sacerdote, quia videtur injuria inferri Ordini Sacro, & Sacramento, dum ministratur a Laico; quando ministrari poterat a Sacerdote, qui est proprius illius Minister: *Bonac. de Sacr. d. 2. q. 2. p. 6. num. 11. Gabr. a S. Vinc. d. 2. q. 2.* Immo S. Augustinus *l. cont. epist. Parmen. cap. 13.* docet non posse Sacerdotem, dum potest ipse baptizare, concedere laico hujusmodi facultatem, quia tale jus, dum aliud non suadeat necessitas, proprie convenit Ordini Sacerdotali. Si vero non adsit Sacerdos, & præfatus Ordo non servetur, solummodo erit peccatum veniale; sed neque aliqua culpa erit, si variretur cum aliqua causa, puta quia mulier melius sciat proferre formam, quam vir; vel quia ita exigat necessitas, ut si in necessitate baptizandus sit infans non plene editus, nam id pudoris gratia tunc fieri nullatenus debet a viro, vel etiam Sacerdote, si adsit, sed ab obstetrice, vel ab alia femina. Secundum est, quod quia dum ministratur Baptismus in necessitate, omitti solent solemnitates, immo omnino omittendæ sunt si laicus baptizet, quia pertinent ad sacrum ministerium, eædem solemnitates postea supplendæ sunt. Et quidem contra aliter sentientes, puto omitti non posse sine gravi culpa, quia non videntur judicari posse quid leve tot ceremoniæ, & ritus, quos ad plura tam sancta significanda instituit Ecclesia in conferendo Baptismo. *Passer. tom. 2. de Stat. homin. q. 187. a. 2. n. 86. Pasqual. q. 99. n. 3.*

Q. II. An possit unus Minister eodem tempore plures baptizare; vel plures Ministri eumdem infantem.

R. I. Certe extra casum necessitatis illicite plures eodem tempore ab eodem Ministro baptizarentur; & merito non pauci Theologi docent, id fieri non posse sine gravi culpa, quia non videtur immutari ritus Ecclesiæ in re levi: *Bonac. de Sacr. d. 2. q. 2. p. 4. nu. 21.* Verum in casu necessitatis, ait *S. Th. 3. p. q. 67. a. 6. ad 2.* unus potest plures simul baptizare sub hac forma: *Ego vos baptizo &c.* puta si immineret ruina, aut gladius, aut aliquid hujusmodi, quod omnino impediret singillatim omnes baptizare.

R. II. Utique illicite propter præfatam rationem plures Ministri eumdem baptizarent. Si vero unusquisque baptizare intelligeret independenter ab alio, validus esset Baptismus, quia adessent omnia ad Baptismum requisita: non tamen essent duo Baptismi, quia, ut ait *S. Th. art. 6. cit.* Christus, qui est unus interius baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret. Ibidem etiam notat, quod si unus ante alterum absolveret formam Baptismi, ille solus baptizaret, nullus etenim est Baptismus collatus jam baptizato. Quod si duo Ministri intenderent baptizare, sed unus dependenter ab alio, neuter baptizaret. Ratio est, quia vel dicerent *Ego te baptizo &c.* & tunc non verificaretur forma, cum neuter per se baptizaret, sed cum alio. Vel dicerent *Nos te baptizamus*, & tunc mutaretur forma, nam ly ego in forma significat unum Ministrum, sicut unus est Christus, quem repræsentat Minister; dum vero dicerent *nos*, significaretur multiplicitas Ministrorum, idem enim esset ac dicere: *Ego & iste te baptizamus &c.* Videatur S. Thomas loco citato. Multo minus validus esset Baptismus, si unus infunderet aquam, & alter formam proferret, quia, qui non infunderet aquam, *falso* formam proferret, cum non verificaretur ipsum baptizare: *S. Th. 3. p. q. 66. art. 6. ad 3.* Nihilominus non desunt qui dicant, in casu necessitatis posse ita sub conditione baptizari; ut si adesset mutus, qui posset infundere aquam, & alter qui nullatenus uti posset manibus, & sciret formam Baptismi: *Dian. t. 3. tr. 1. resol. 64.*

Q. III. Quo in loco administrandus sit Baptismus.

R. Extat preceptum Concilii Viennensis redatum *Clement. Unic. de Bapt.* quo extra necessitatem probibentur baptizari infantes extra Ecclesiam, exceptis dumtaxat filiis Regum, vel Principum, qui nempe in temporalibus nullum agnoscunt Superiorem; unde talis exceptio non est extendenda ad filios aliorum Principum inferiorum: *Coton. contr. 2. c. 4. n. 53.* Cum hujusmodi igitur præceptum sit de re gravi, non potest sine gravi culpa infringi; *Coton. cit. Tamb. c. 2. §. 3. n. 5.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cum extra casum necessitatis pertineat ad solos Sacerdotes Baptismum administrare, videat Parochus, ne nimis faciles sint sui Parochiani in conferendo domi Baptismum opera Obstetricis, vel alterius laici; adeoque si non videatur mors tam imminens, vocent Parochum, vel ipso absente, aut impedito, alium Sacerdotem. Insimul tamen monere debet, ut in hoc non sint nimis scrupulosi, ne eveniat infantem interim sine Baptismo perire.

II. Non facilis sit Parochus in administrando sine necessitate domi Baptismum, quæ necessitas certe non adest, si Parentes expostant infantem baptizari, ne forte decedat, & interim differri volunt solemnitates Baptismi, quia expectantur Patrini, & aliæ pompæ comparantur. Memor sit Parochus velle Ecclesiam, ut dum administratur Baptismus, simul administretur cum solemnitatibus, cum cæremoniis nempe, ac ritibus ab eadem præscriptis, & id totum præcipere fieri in Ecclesia, adeoque, nonnisi urgente necessitate, aliter fieri non potest, ut ex communi notat *Laym. lib. 5. tr. 2. c. 6. n 9.* Quin immo edoceat Parentes, convenientius esse deferre infantes ad Baptismum sine pompa, & vano ornatu, ne dum voce Patrini Sathanæ pompis abrenunciant, re ipsa videantur negare, quod dicunt. Ita etiam præcipiunt diversæ Synodales Constitutiones videndæ apud *Genet tr. 3. de 4. Decal. præc. c. 2. q. 8.*

CAPUT IV.

De Subjecto Baptismi, ubi de iis, qui tantum sub conditione sunt Baptizandi; & quando Baptismus sit sub conditione reiterandus.

Q. I. QUodnam sit Subjectum Sacramenti Baptismi.
R. Quilibet, qui vere nascatur anima rationali informatus, capax est Baptismi; cum etenim hoc Sacramentum sit omni homini ad salutem necessarium, nullus homo de se incapax est Baptismi. Hinc ex perpetua Traditione baptizantur Infantes; & congruum erat, ita Deum disposuisse, tum quia cum omnes ad salutem ordinaverit, nullum aliud medium aderat in præsenti Providentia, ut infantes salvarentur, ac proinde dicitur Baptismus esse loco Circumcisionis: *c. Majores de Bapt.* Tum quia, cum Infantes exclusi sint a Regno ex peccato non commisso propria voluntate, congruum erat, verbis Ministri ipsis conferentis Baptismum posse salvari, ut observat *S. Aug. Serm. 294 de Bapt.* Infantibus comparantur perpetuo Amentes, ut docet *S. Th. 3. p. q. 86. art. 12.* Quod si non fuerunt perpetuo Amentes, observandum est, an desideraverint Baptismum, quando habebant usum rationis; & tunc cum reputentur perseverare in eadem voluntate, Baptismus est illis conferendus, dummodo tamen non constet, lapsos fuisse in amentiam, dum erant in peccato mortali, tunc etenim indigno administraretur. Si vero dum habebant usum rationis nullum propositum habuerunt suscipiendi Baptismum, tunc non est illis administrandus, quia reputantur perseverare in eadem voluntate; *c. Majores de Bapt. S. Th. p. 3. q. 68. a. 12.* Eadem doctrina applicanda est iis, qui in letargum inciderunt; *can. ægrotantes d. 4. de consec.*

Q. II. An infantes Infidelium, & hæreticorum sint baptizandi invitis Parentibus.

R. I. Non desunt, qui doceant filios infidelium posse in-

invitis parentibus baptizari; at contrarium docet *S. Th. 2.2.q.10.a.12., & 3.p.q.68.a.10.* Id autem probatur, quia Ecclesia nunquam usa est hac potestate, qua si eam credidisset sibi competere, uti potuisset sub potentissimis Christianis Imperatoribus. Item quia jure naturali filii sunt sub Parentum Potestate, qua licet abutantur arcendo filios a Baptismo suscipiendo; nihilominus, cum non sint subditi Ecclesiæ, ab ea non possunt plecti, & emendari. Denique quia exponerentur manifesto periculo apostasiæ; nam facillime Parentes suaderent eis in fide Christiana non perseverare.

Hæc tamen doctrina primo exceptionem patitur, si alter Parentum fuerit aliquando baptizatus; nam tunc, utpote subditus Ecclesiæ, cogi posset ad consentiendum Baptismo proprii filii. Secundo, si unus tantum ex Parentibus consentiat; nam illius voluntas, quamvis sit Matris, prævalere debet in bonum filii: *can. Judæi 28. q. 1., cap. ex literis de convers. Infidel.* Tertio, si Parentes sint mancipia Fidelium; nam cum ipsorum filii ad Dominum pertineant, consequens est posse baptizari iisdem invitis. Quarto, si sint in periculo mortis, nam tunc extrema ipsorum necessitas prævalet cuicumque juri parentum; & aliunde cessat omne periculum subversionis. Idem dicitur de filiis infidelium perpetuo amentibus. Quinto, baptizari potest puer infidelium, si polleat usu rationis, & petat baptizari, quia tunc circa negotium suæ salutis omnino est sui juris: *D. Th. 3. p. q. 68. a. 10.* Quod si dubitetur, an iste puer petens Baptismum habeat usum rationis, tunc si compleverit septennium baptizari potest, quia completo septennio talis usus præsumitur: *Passer. de Stat. Hom. q. 187. n. 118.* At ergo puto posse etiam baptizari, si non compleverit septennium, & certo non constet non habere usum rationis; nam in dubio judicandum est in favorem Fidei, & infantis, qui petiit Baptismum: *Cand. art. 5. disp. 12., Pasqual. qu. 51. num. 5.* & alii apud ipsum.

R. II. Filii Hæreticorum possunt invitis Parentibus baptizari, quia hi ratione Baptismi subditi sunt Ecclesiæ, adeoque ab ea cogi possunt, ut permittant filios suos baptizari; sicut etiam eadem ratione possent ab illis filii auferri ad eos Catholice educandos, nisi Reipublicæ pax perturbaretur. Multo magis licet auferre filios ab eis, qui a Fide Catholica ad Hæreticos transierant, cum ob ipsorum delictum patria priventur potestate: *cap. 2. §. ult. de Hæret. in 6.* Cæterum dum baptizarentur filii hæreticorum, vel infidelium invitis Parentibus, ad vitandum apostasiæ periculum, ab illis essent removendi, ut de filiis Judæorum, qui baptizantur, habetur *can. Judæor. dist. 28. q. 1.*

Q. III. An monstra sint baptizanda.

R. Si monstrum conceptum sit ex muliere, sed ex consortio cum Bruto, tale monstrum non est baptizandum, non solum quia præsumi non potest esse hominem id, quod non est ex virili semine generatum; sed etiam quia non posset in eo apprehendi peccatum originale, quod contrahitur mediante humana generatione, per quam Adæ sumus descendentes: *Bonac. de Sacr. d. 2. qu. 2. p. 6. n. 3.*

Si vero monstrum fuerit ex viro, & mulier generatum, tunc sequentes regulæ observandæ sunt, quas tradit S. Carolus *Act. p. 4. Quæ Paroch. in Bapt. administr.* Si monstrum habeat caput humanum, quamvis in cæteris partibus bestiis assimilaretur, absolute esset baptizandum; nam si caput sit humanum, cum in ipso anima principaliter exerceat suas operationes, præsumere facit illud mostrum animari anima rationali. Quod si caput bestiis assimiletur, & nihilominus pectus, & cæteræ partes appareant humanæ, tunc, quia est locus hinc inde ratiocinandi, ac in eo præsumi possit anima rationalis, solummodo esset sub conditione baptizandum, dicendo: *Si tu es homo, ego te baptizo &c.* Dum vero caput, & pectus non appareant humana, quamvis cæteræ partes assimilentur iis, quas habent homines, nulla est ratio nec probabiliter judicandi, illud monstrum informari anima rationali; adeoque nullatenus esset baptizandum.

R. II. Si constet Monstrum vivere anima rationali, & solum dicatur monstrum, quia habet partes geminatas, tunc Minister ita se gerere debet. Si habeat duo capita, & duo pectora unde appareat esse duos homines unitos, tunc ambobus esset administrandus Baptismus, sed prius determinate uni, & postea determinate alteri, nam ex dictis capite superiori, non possunt plures eodem tempore baptizari. Urgente autem periculo mortis, ambo eodem tempore essent baptizandi, aquam super illos infundendo, & dicendo: *Ego vos baptizo &c.* Quod si non constet, sed dubitetur, an sint duo homines, quia licet sint duo capita, adest tamen solum unum pectus; tunc semel super unum caput baptismo absolute collato, alterum esset sub conditione baptizandum, dicendo: *Si non es baptizatus &c.* Quod si dubium oriatur, an sint duo homines, quia sub uno capite sint duo pectora, tunc censet S. Carolus supra citatus semel tantum conferendum esse Baptismum, quamvis non paucis Theologis placeat & tunc absolute primo administrandum Baptismum super caput; & deinde sub conditione super pectus a tergo correspondens: *Bonac. de Sacr. d. 2. p. 6 n. 4.* & alii apud ipsum.

Q. IV. An Filii adhuc existentes in utero Matris, vel non totaliter in lucem editi, vel si sint abortivi, sint baptizandi.

R. Quamvis multi doceant invalide baptizari puerum existentem in utero Matris, atque ita dicatur *can. qui in Matern. d. 4. de consecr.*, nihilominus placet omnino asserere esse saltem sub conditione baptizandum, si aliquo modo saltem mediante instrumento ablui aqua possit. Tunc igitur quia vere corpus illius ablueretur, verificari posset forma baptismi, ac proinde posset licite baptizari: *Laym. de Bapt. c. 3. n. 2., Pasqual. q. 20. nu. 4. Bonac. de Sacr. d. 2. q. 2. p. 3 n. 24.* Quia tamen quoad hoc lis est inter Theologos, ideo Minister in conferendo Baptismo duplicem debet adhibere conditionem, scilicet: *Si es capax Baptismi, & si non obstent Secundinæ* (quando secundinis sit involutus) *ego te baptizo.* Ratio hujus secundæ conditionis est, quia adhuc disputant DD. an infans secundinis involutus valide baptizetur, negantibus multis, quia dum secundinæ abluuntur, non verificatur ablui infantem; aliis vero affirmantibus, cum putent secundinas, quoadusque illis infans involvitur, esse veluti partem corporis infantis; *Dian. t. 1. tract. 4. res. 76., Palaus tract. 19. p. 4. num. 7.*

R. II. Si necessitas cogat baptizare infantem nondum perfecte in lucem editum, absolute baptizandum est, si possit baptizari in capite, vel etiam in scapulis, aut pectore; quia homo in his partibus principalibus ablutus, absolute dicitur ablutus. *S. Thom. in 4. d. 3. qu. 1. ar. 4. qu. 1. ad 2. & 3. p. q. 66. a. 7. ad 3. S. Anton. 3. p. tit. 14. c. 13. nu. 1.* Si vero in aliis partibus minus principalibus ablui possit, & maxime si in solo pede, manu, aut digito; tunc tantum sub conditione est baptizandus, putantibus multis invalide baptizari, quia non verificatur simpliciter dici posse ablutum. Alii nihilominus affirmant absolute dici posse baptizatum, quia sicut homo in qualibet corporis parte vulneratus, dicitur absolute vulneratus; ita si in qualibet corporis parte abluatur, simpliciter ablutus dicendus est: *Dian. res. 75. Pasq. q. 16. n. 5.*

R. III. Filii abortivi, si non constet mortuos esse, sunt sub conditione baptizandi. Quamvis igitur diu viguerit Aristotelica opinio masculos non animari anima rationali, nisi post quadraginta dies a conceptione, & fœmellas post octuaginta; jam ab aliquo tempore non sine plausu recepta est opinio, ab initio conceptionis fœtum anima rationali informari, & ex virili generatione statim concipi hominem, non brutum. Videatur P. Hieronymus Florentinius nostræ Congregationis non exiguum decus, in suo percelebri Opere, cui titulus: *De Baptismo abortivorum &c.* Ex hac igitur non sine fundamento a pluribus opinione recepta, sequens formatur ratiocinium. Probabile saltem est ab initio conceptionis fœtum anima rationali informari, si autem est probabile, fœtus est sub conditione baptizandus; cum Christus Sacramenta instituerit in remedium animæ, & aliunde apposita conditione consulatur reverentiæ Sacramenti. Triplicem autem accidere potest aliquando apponendam esse conditionem, nempe: *Si es capax Baptismi: si non obstent secundinæ* (dum secundinis esset involutus) *si es vivus*, (dum dubitetur, an fœtus sit vivus, vel mortuus) *ego te baptizo &c.*

Q. V. Quando Baptismus possit iterari.

R. I. Certum est Baptismum absolute iterari non posse, ut docent omnes Catholici, & sæpe ita definivit Ecclesia, ac novissime Tridentinum *sess. 7. can. 11.* Hujus autem veritatis plures congruentias affert *D. Th. 3. p. q. 66. a. 9.*, quia scilicet Baptismus est quædam spiritualis regeneratio, seu nativitas: sicut autem homo semel nascitur, ita semel spiritualiter nasci debebat. Item cum per Baptismum imprimatur character, quo Christo consignamur, & ad ejus corpus mysticum pertinemus, sicuti character indelebilis est, & repeti non potest, ita neque Baptismus. Denique quia Baptismus institutus est ad delen-

lendum peccatum originale, & sicut hoc peccatum semel ablatum iterum non contrahitur, ita nec ejus remedium est repetendum. Item certum est Baptismum nec esse sub conditione repetendum, si prudenter non dubitetur de ipsius invaliditate; convincitur etenim non curare de reverentia Sacramenti, qui illud absque rationabili repetit motivo, ut dixi in superiori Tractatu, & communiter docent Theologi, sicut etiam Catechismus *de Bapt. §. 57.*, & S. Carolus in *Instruct. Bapt.*

R. II. Semper cum prudenter dubitari potest de valore Baptismi collati, iterum est sub conditione iterandus, nam tunc ita faciendum est ob præcavendum periculum animarum; & alias non potest dici irreverenter se habere erga Sacramentum qui illud repetit, eo quia prudenter dubitat, an valide fuerit collatum. Hinc semper repetendus est sub conditione, si Baptismus collatus fuerit sub forma, de qua lis sit inter DD. an sit valida, sicut & in quocumque casu, in quo non conveniant DD. in affirmando Baptismum esse validum: ac demum dum prudenter dubitatur, an aliquis fuerit baptizatus.

Quoad hæc primo dubitatur quoad Baptismum collatum ab Obstetricibus. Et quidem magis communiter docent Theologi, quod si Obstetrices reperiantur convenienter instructæ, & sint probatæ vitæ, Baptismus non esset repetendus, si forte non reperiantur in aliquo errasse. Ita etiam vult Catechismus *de Bapt. §. 57.*, & S. Carolus *in Instruct. Baptism.* Nihilominus non desunt Theologi, quibus placet hos pueros esse sub conditione rebaptizandos, quia semper timeri potest subito casu perturbatas in forma errasse, ut sæpe accidit; tum quia cum lingua vulgari soleant baptizare, facillime pro ly *vel nome*, dicunt *col nome*. Pro iterando autem Sacramento tantæ necessitatis, qualis est Baptismus, non videntur exposci tantæ rationes de ejus valore dubitandi, sicuti pro iterandis cæteris Sacramentis; *Leander de Bapt. d. 3. q. 45.* & alii apud ipsum. Secundo, dubium oritur de filiis expositis, quamvis enim certum sit sub conditione esse baptizandos, si testimonium non habeant suscepti Baptismi: *can. parvulos, & can. placuit de consecr. d. 4.*; nihilominus communior opinio vult non esse baptizandos, si tale habeant testimonium. Nihilominus non desunt qui huic opinioni refragentur: cum etenim ignoretur an schedula sit personæ fide dignæ, semper remanet aliquale dubium an infans vere fuerit baptizatus, & si fuit baptizatus, an hoc factum fuerit modo, de quo dubitari non possit fuisse validum, cum tales infantes soleant a mulierculis baptizari; adeoque cum semper dubium aliquale remaneat, & agatur de Sacramento indispensabilis necessitatis quoad parvulos, videtur posse sub conditione iterari, dicendo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*: *Salmant. de Sacram. tract. 2. c. 6. p. 4. n. 64. Leander. cit. q. 44.*, & hanc opinionem ipse putat probabiliorem. Tertio, dubitatur quoad adultum, qui dubitat an fuerit baptizatus. At dicendum est, quod si dubium sit juris, quia scilicet lis est inter DD. an validus fuerit Baptismus illi collatus, utique est rebaptizandus, & interim antequam baptizetur, abstinere debet ab aliis Sacramentis: *Gabr. a S. Vinc. d. 2. q. 2.*

Si vero dubium sit facti, quia nempe dubitat, an vere fuerit baptizatus, tunc sub conditione est rebaptizandus, si in ipsum dubium prudentibus fundamentis nitatur; ut si non constet de Baptismo, & aliunde comperiat Parentes fuisse veneficos, vel infideles, quamvis externe se gesserint ut Christianos; seu si comperiat obstetricem, a qua dicitur baptizatus, fuisse veneficam: *can. solemnis 1. d. 1. de consecr.*, *can. parvulus*, *can. cum itaque d. 4. ibid.* Non vero est rebaptizandus, si natus sit de Christianis Parentibus, & inter Christianos fideliter conversatus; *cap. Veniens de Presbyt. non Bapriz.* Atque ita decisum credo quoad adultos, quia si forte non fuissent baptizati possunt sibi providere per Baptismum desiderii, & eliciendo actus perfectæ contritionis.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cum Parochus ex vi sui Officii edocere debeat Obstetrices modum baptizandi pueros instante necessitate, sicut etiam monet Catechismus *p. 2. cap. 2. §. 34.*, videat quantum deficiat in suo munere, si illas non instruat de obligatione baptizandi sub conditione pueros, quamvis in utero matris existentes, si aliquo modo ablui possint; de modo illos absolute, vel sub conditione baptizandi, si nondum perfecte sint nati; de obligatione baptizandi sub conditione fœtus abortivos, vel absolute, si transierint quadraginta dies a conceptione. Quot fœtus abortivos ex ignorantia Obstetricum, & Matrum excipit latrina, quorum anima, si Baptismate non fraudaretur, Deum in æternum videret, & corpus, licet informe, esset decentius tumulandum? Sed quibus potissimum sub gravi culpa competit hanc expellere ignorantiam? nonne Parochis? Meminisse quoque debet Parochus Obstetrices edocendas de Baptismo Monstris conferendo, juxta ea, quæ dixi supra; ne si forte accidat aliquod Monstrum nasci, & instet mors, ignorent omnino quid agere debeant.

II. S. Carolus *in Instruct. Baptis.* vult Parochum admonere debere Parentes, & ipsorum Domesticos de Deo assidue deprecando, ut fœtus incolumes ad Baptismi gratiam possint pervenire; atque id multo magis faciendum esse ab eadem muliere prægnante, dum instat tempus pariendi. Subdit Parochum curare debere, ut si forte mulier moriatur, omni cautione aperiatur illius uterus, ut extrahi possit infans, & baptizari, si mortuus non fuerit. Et quidem si in nulla re, in hac maxime diligentissimi esse deberent Parochi, cum agatur de succurrendo proximo extrema spirituali necessitate laboranti, adeoque nullis etiam parcere debent impensis, maxime si Parentes inopia laborent.

CAPUT V.

De Effectibus Baptismi; & de Dispositionibus, quæ requiruntur in subjecto hujus Sacramenti.

Q. I. Quot sint effectus Baptismi.

R. Fides Catholica docet per Sacramentum Baptismi rite susceptum, nedum remitti peccatum originale, sed etiam omnia peccata actualia, si quis adultus baptizetur, sicut omnem pœnam debitam iisdem peccatis. Ita ex perpetua traditione significant illa Scripturarum oracula, quibus dicimur baptizari in remissionem peccatorum, ablui, sanctificari, mundari ab omnibus inquinamentis &c. Quapropter hæc veritas definita fuit in Concilio Florentino. At quia non possumus dici justificati, & sanctificati, nisi in nobis sit aliquid, quo justificemur, sicuti paries non dicitur albus, nisi in eo sit albedo, hinc est hanc justificationem, & sanctificationem fieri per infusionem Gratiæ sanctificantis, quæ est habitus supernaturalis intrinsece inhærens animæ, quo expellitur peccatum. Hanc autem Gratiam comitantur Virtutes supernaturales, & Dona Spiritus Sancti: *Tridcnt. sess. 6. cap. 7.* Intuitu etiam hujus Sacramenti altera Gratia confertur, quæ, ut dixi Tractatu præcedenti *cap. 2.*, vocatur *Sacramentalis*, & consistit in auxiliis correspondentibus spirituali regenerationi, & adeptæ innocentiæ, quibus proinde homo adimplere possit omnia, ad quæ se obligavit ratione Baptismi. Quamvis autem Baptismus præstet omnes supradictos effectus, non tamen removet fomitem concupiscentiæ, aliaque pœnalitates, quæ ex peccato originali derivantur, sed removebuntur in resurrectione virtute hujus Sacramenti: *D. Th. 3. part. q. 69. art. 3.* Id autem docet S. Doctor putandum esse ex triplici causa Christum voluisse. Primo, quia cum per Baptismum fiat homo membrum Christi, conveniens erat ipsi assimilari, adeoque in eo perseverare corporis fragilitatem, & subjici doloribus, & morti. Secundo quia hæc patienter tolerando, & concupiscentiæ resistendo, quamplurimum possumus mereri. Tertio, quia si Baptismus nos liberasset a vitæ incommodis, fortasse homines potius accessissent ad Baptismum ob assequenda commoda temporalia, quam Vitam æternam. Addi potest ex his pœnalitaribus præberi occasionem respuendi terrena, & amandi cœlestia. Jam antea etiam notaverat *q. 68. art. 2. ad 2.* per solum Baptismum in voto non ita removeri pœnam debitam peccatis, ut decedens post talem Baptismum statim assequatur Vitam Æternam.

Alter Baptismi effectus est imprimere characterem, ut habetur *cap. majores de Bapt.*, *ex Florent. in decr. union.*, *& ex Trid. sess. 7. can. 9.* Hic character, ut dictum est etiam in præcedenti Tractatu, indelebiliter imprimitur in anima, reddit nos de Familia Christi, & facit capaces cæterorum Sacramentorum; quapropter Baptismus dicitur janua omnium Sacramentorum, ut observat *S. Th. 3. p. q. 63. art. 3.*

Q. II. Quæ dispositiones requirantur ad Baptismum suscipiendum.

R. De

R. De his diſpoſitionibus ſatis egi in ſuperiori Tractatu cap. 5. Breviter igitur dicam, in adulto ad valide Baptiſmum recipiendum, neceſſarium eſſe aliquando habuiſſe intentionem illum recipiendi, & nunquam retractaſſe. Ut vero recipiat Gratiam Baptiſmo correſpondentem, neceſſarius in eo eſt dolor ſupernaturalis de peccatis commiſſis, & bene obſervat *S.Th. 3.p. q.69. a.8.* adultum eo majorem conſequi gratiam, quo magis diſponitur ad illum ſuſcipiendum. Si vero ſine præfato dolore adultus, qui actualiter peccavit, baptizetur, ſolummodo recipit characterem, quamvis recedente fictione, obice nempe peccati, Baptiſmus ratione impreſſi characteris producat ſuos effectus.

CAPUT VI.

De Cæremoniis Baptiſmi.

Q. I. QUare Eccleſia requirat Patrinos, qui puerum in Baptiſmo ſuſcipiant; & quales eſſe debeant.

R. I. Ideo Eccleſia adhibet Patrinos, qui puerum in Baptiſmo ſuſcipiant, ut fidem illius nomine profiteantur, & promittant fideliter adimplere quas vice ipſius ſuſcipiunt obligationes: *can. vos ante de conſecr. d. 4.* Obſervat autem *S.Th. 4.p. q.67. art.7.* quod ſicut puer recenter natus indiget nutrice, & pædagogo; ita ſpiritualiter regeneratus indiget aliquo, qui fungatur vice nutricis, & pædagogi, informando, & inſtruendo eum, quaſi nutritium in Fide de his, quæ pertinent ad Fidem, & vitam chriſtianam. Tam autem aliqui putant neceſſarium eſſe in Baptiſmo ſolemni Patrinum adhibere, ut credant peccare mortaliter, qui id ommittit, cum videatur illis ommitti cæremonia gravis ab Eccleſia inſtituta: *Tamb. de Bapt. c.4. n.2.*

R. II. Nemo valide aſſumitur in Patrinum, ſi non attigerit uſum rationis, quia alias non poſſet habere intentionem ſe gerendi ut Patrem Spiritualem. Porro ſine hac intentione ſe gerendi ut Patrinum, nemo proprie dicitur Patrinus, ut docent communiter Theologi. Item nemo eſt Patrinus, ſi non tangat infantem, dum miniſtratur Baptiſmus, vel ſaltem ſi non ſtatim ac eſt baptizatus, illum de ſacro fonte ſuſcipiat. Item non eſt valide Patrinus, qui non eſt baptizatus; & idem non pauci DD. aſſerunt de non confirmato, & colligitur *ex can. in Bapt. de conſec. junct. Gloſſ.* Item non ſunt vere Patrini, qui non ſunt deſignati a Parentibus, iiſque non deſignantibus, a Parocho, ut colligunt DD. ex Tridentino *ſeſſ. 24. c.2.*

R. III. Illicite admittuntur ad Officium Patrini Hæretici publice excommunicati, aut interdicti; publici peccatores, aut infames; qui non ſunt ſanæ mentis; qui ignorant Fidei rudimenta, neque enim hi poſſunt propriam obligationem, ſi opus fuerit, adimplere, inſtruendi nempe Baptizatum; & juſte etiam præſumi poteſt alios non inſtructuros, qui fuerunt negligentes in addiſcendis, quæ ipſi pro ſua ſalute ſcire debebant: *Rit. de Sacram. Bapt.* Neque ad hoc munus admittendi ſunt peregrini, & hoſpites alibi habentes domicilium; iſti etenim, ſi neceſſitas expoſtularet, non poſſent infantem inſtruere: *S.Carol. Act. p. 2. in decr. 2. Syn. decr. 16.* Item illicite Monaci ad munus Patrini admittuntur: *can. licet de conſecr. diſp. 4.*, & quamvis ſub hac prohibitione doceant non pauci Theologi non eſſe comprehenſos alios Religioſos mendicantes; nihilominus a Rituali Romano ab hoc munere repelluntur *cujuſvis Ordinis Regulares a ſæculo ſegregati*. Atque id convenientiſſime factum eſt, ne ſcilicet occaſione cognationis ſpiritualis frequenter agant cum laicis, & præcipue mulieribus. Hac ratione, S. Carolus *Syn. 2. decr. 17.* prohibuit quoſcumque Clericos ſuæ Diœceſis Sacris Ordinibus initiatos, ab exercendo munere Patrini. Demum illicite admittuntur in Patrinos plures quam unus, vel ad ſummum unus, & una; ita etenim juſſit Tridentinum *ſeſſ. 24. de reform. Matr. c. 2.* Immo adhærerem illis Theologis, qui aſſerunt peccare graviter Parochum admittentem plures quam duos, quia non videtur frangere præceptum Tridentini in re levi; cum ita præſcripſerit, quia ex multiplicitate Patrinorum oriebantur plura inconvenientia ratione cognationis ſpiritualis, quæ contrahitur. De hac autem cognatione agam in Tractatu de Sacramento matrimonii.

Q. II. Quæ ſint Cæremoniæ præcedentes Baptiſmum.

R. Primo, offertur Baptizandus ante fores Eccleſiæ, ut cognoſcatur nondum eſſe dignum, ut more fidelium domum Dei ingrediatur, antequam Chriſto fuerit addictus: *S. Carol. in inſtruct. Bapt.* Secundo, imponitur nomen Baptizandi, ad ſignificandum addici divino ſervitio: & ita Adam demonſtravit dominium ſibi conceſſum, quando nomen impoſuit animantibus: *S.Carol. Act. p.4.* Tertio, interrogatur Baptizandus quid petat ab Eccleſia Dei, & inſtruitur circa myſteria Fidei, reſpondentibus Patrinis pro infante; Chriſtus etenim dixit Apoſtolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Quarto, adhibentur exorciſmi verbo, & trina exſufflatione, ad ſignificandum nondum Baptizatum ratione peccati eſſe Diaboli ſubditum: *can. ſicut noſtis de conſecr. d. 4.*, qui proinde pellitur exorciſmis, ejuſque contemptus in exſufflatione demonſtratur. Quinto, ſigno Crucis ſignatur Baptizandus in fronte, & in corde, *ut ab eo tempore ipſe apoſtata diabolus, in vaſe ſuo priſtino, ſuæ interemptionis cognoſcens ſignaculum, jam ſibi deinceps illud ſciat eſſe alienum*, ut dicitur *can. poſtea de conſecr. d. 4.* Addi poteſt his Crucis ſignis denotantibus Chriſti Paſſionem, Baptizandum veluti concipi a S. Matre Eccleſia, perfecte exinde per Baptiſmum naſciturum, ut obſervat *S. Aug. ſer. 2. de Simb. Fid. ad Cath. c. 1.* Sexto, Sacerdos fuſis orationibus imponit manum capiti Baptizandi, ad denotandum eum eſſe victimam per Baptiſmum Chriſto conſacrandam. Septimo porrigitur ſal benedictum a Baptizando guſtandum, ut ſciamus omnia noſtra opera conſpergenda eſſe Sale Sapientiæ Cœleſtis, ac a putredine peccatorum debere eſſe remota: *can. ex hinc, can. Sal. cœleſt. d.4 de conſecr.* Octavo, liniuntur ſaliva aures, & nares Baptizandi, ad ſignificandum virtute divina, quæ denotatur tactu, & ſaliva Sacerdotis, Baptizandum percipere debere odorem notitiæ Dei, & aures debere habere intentas ad audienda Dei mandata: *can. poſtea d. 4. de conſecr.*

Q. III. Quæ ſint cæremoniæ comitantes Baptiſmum.

R. Baptizandus ad fontem Baptiſmi perductus, primo ter interrogatus, an abrenunciet Satanæ, omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus; & ter reſpondetur *abrenuntio*. Hac autem abrenuntiatione, ut docent SS. PP. Chriſtianus non ſolum renuntiavit idololatriæ; ſed etiam omni ei, quod habet rationem mali. Secundo, obſignantur oleo Cathecumenorum pectus, & ſcapulæ Baptizandi. Hæc unctio denotat baptizatos, tanquam Chriſti athletas, debere contra inimicos ſalutis fortiter dimicare. Item cum oleum Dei gratiam, & miſericordiam ſignificet, innuitur dari Baptizatis gratiam ex ſolis Chriſti meritis, & gratuita Dei miſericordia. Præterea cum oleum ſit ſpecies medicamenti, hac unctione demonſtratur per Baptiſmum animæ noſtræ vulnera curari, debilitari ſomitem, & robur dari adverſus tentationes. Item unctio in pectore ſignificat, corroborari animam, & in ſcapulis vires dari ad jugum Chriſti portandum. Demum unctio ante, & retro facta deſignat undique baptizatum muniri, & confirmari ad præſtanda bona opera corde, & corpore, voluntate, & opere. Hæc omnia tradit S. Carolus *in Inſtruct. Bapt.* Tertio, Baptizandus interrogatus de Summis Fidei capitibus reſpondet *credo*: atque hic ritus ſignificat fidem eſſe diſpoſitionem neceſſariam ad recipiendum Baptiſmum. Quarto, interrogatur baptizandus, an velit baptizari; nam *Dominus neminem ad ſuorum numerum, niſi voluntarium militem adſcribi voluit*, ait Catechiſmus.

Q. IV. Quæ ſint cæremoniæ conſequentes Baptiſmum.

R. Abſoluto Baptiſmo, Sacerdos ungit chriſmate verticem Baptizati. Hic ritus, ut tradunt Catechiſmus, & S. Carolus *Act. p.4. de Cærem. Bapt.* ſignificat Baptizatum *Chriſto capiti tanquam membrum conjunctum eſſe, atque ejus corpori inſitum, & ea re Chriſtianum a Chriſto, Chriſtum a Chriſmate appellari*. Docet autem *S.Th. 3.p. q.72. a.3. ad 4.* hanc cæremoniam operari conſervationem gratiæ Baptiſmalis ex fide, & pietate Eccleſiæ. Deinde induitur Baptizatus veſte candida; ſeu aliquid candidum ſuper illum ponitur, ad deſignandum liberum eſſe ab involucris peccatorum, & induiſſe alba innocentiæ velamina; ut tradit S. Ambroſ. *lib. de initiand. c. 7.* Demum traditur Baptizato, ſeu Patrino cereus ardens, tum ad denotandum ipſi veræ Fidei lumen fuiſſe communicatum, tum ad ſignificandum debere ubique bonorum operum ſplendorem diffundere, ac in iis uſque ad mortem perſeverare; ut ita ardente Charitatis lucerna, Sponſo obviam ire poſſit. S. Carolus *Act. p.4. de cærem. Bapt.* conſiderat in hoc cereo tres virtutes Theologales; Fidem nempe in lumine, Charitatem in calore, & Spem, quæ ſurſum aſcendit, in cereo erecto.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Tam Catechismus *p. 1. in explic. Symb. n. 18.*, quam S. Carolus *p. 4.* optant Parochos diligentes esse in rememorando populis promissa, quæ in Baptismo fecerunt, & solemnem abrenunciationem factam in facie Ecclesiæ, qua Sathanæ, ejusque pompis omnibus renunciarunt. Sumere ex hoc debent argumentum contra peccatores, quia nempe si ex vi solius Baptismi, quo se Deo devoverunt, deberent tanquam illius mancipia ipsi in omnibus deservire, multo magis criminosum erit mundi, & Diaboli præceptis vivere, postquam Dei leges, ejusque voluntatem cognoverunt, ac Sacramentorum gratiam perceperunt. Iniquum omnino esse omnia, quæ Dei sunt, & quæ adimplere in Baptismo promiserunt, laboriosa reputare, quæ vero mundi, carnis, & Sathanæ, quibus omnino renunciarunt, facilia. Pessimum demum esse ita se gerere, quasi in Baptismo mundo, & diabolo, non Christo Domino, ac Redemptori nostro nomen dedissemus.

II. Deberet unusquisque Confessarius monere pœnitentem, ut specialibus devotionis operibus dies suscepti Baptismi quot annis recoleret, ac peculiariter promissa Deo in ipso suscipiendo facta renovaret. Et quidem quæ dies pro nobis magis fausta ea, qua ingressi sumus in Ecclesiam, ac in numero ovium ipsius, ac Supremi Cælestis Pastoris fuimus recensiti? Solemnis est apud Principes dies, qua regnum adepti sunt: nobis fortasse etiam ignorata est dies, qua per Gratiam Baptismi regenerati, jus ad Regnum æternum adepti sumus; nec tanti, ineffabilisque beneficii ullas supremo Largitori grates rependimus.

QUÆSTIO II.

De Sacramento Confirmationis.

Regeneratis per Baptismum; & non statim e mundo exeuntibus *inter invisibiles hostes, & pericula gradiendum est*, ut dicitur *can. Spir. S. de consecr. d. 5.* quapropter postquam in Baptismo regenerati sumus ad vitam, post Baptismum confirmari necesse habemus ad pugnam. Id autem fit Sacramento Confirmationis, quod etiam nuncupatur *manus impositio* ex modo, quo confertur; *Chrisma* ratione materiæ; ac denique *Confirmatio*, quia hujus Sacramenti virtute Deus in nobis id confirmat, quod Baptismum operari cœpit, nosque ad Christum soliditatis perfectione adducit, ait Cathechismus *de Sacr. Confirm. §. 18.*

CAPUT I.

Quid sit Confirmatio; quæ ipsius materia, & forma.

Q. I. An Confirmatio sit Sacramentum, & a quo fuerit institutum.

R. Cum plene constet Ecclesiam semper credidisse Confirmationem unum esse ex septem Sacramentis, hanc veritatem etiam definivit Tridentinum *sess. 7. can. 1.* & 2 Hoc autem Sacramentum potest ita definiri: *Confirmatio est Sacramentum, quo homo viator Baptizatus inungitur ab Episcopo cum chrismate sub præscripta forma verborum.*

Q. II. An Christus Dominus instituerit Sacramentum Confirmationis.

R. Omnino respuitur quorumdam Antiquorum opinio, qui putarunt Confirmationem post tempora Apostolorum initium habuisse; solius etenim Dei est dare rebus materialibus virtutem gratiæ producendæ. Ulterius, ut dictum est de Sacramentis in genere *cap. 2.*, cum Christus venerit ut nos a jugo peccati liberaret, idque præstare voluerit per Sacramentorum institutionem, non est verosimile aliis demandasse aliquod Sacramentum instituere; unde Tridentinum *sess. 7. can. 1.* definit Sacramenta Novæ Legis fuisse a Jesu Christo instituta. Quoad tempus autem institutionis, probabilius est post Resurrectionem perfecte instituisse; sicut enim perfecte creditur collata Apostolis potestas Sacerdotalis, & Episcopalis, quod ut dicitur *Jo. 20.*, & post resurrectionem illis contulit Christus potestatem dimittendi, & retinendi peccata, ita post collatam hanc plenam potestatem, & plene institutum Sacramentum Pœnitentiæ, credere est fuisse institutum Sacramentum Confirmationis per potestatem Episcopalem administrandum. Cæterum non erat administrandum ante Christi Ascensionem, ut enim ait *S. Th. 3. p. q. 72. art. 1.* in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus S., quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem.

Q. III. Quæ sit materia Confirmationis.

R. In Quæsitis dogmaticis de SS. Ecclesiæ Sacramentis *tr. 2. c. 2.* dixi ex impositione manuum, & chrismatione, tanquam ex duplici materia inadæquata constitui materiam totalem Sacramenti Confirmationis, ita ut dum Episcopus frontem inungit, non solum considerari debeat chrismatio tanquam materia hujus Sacramenti, sed etiam ipsa applicatio manus Episcopi, qua chrismate inungit frontem Confirmandi. Et quidem cum frequentes sint PP. in affirmando impositionem manus pertinere ad materiam hujus Sacramenti, pariterque mentionem faciant chrismationis, & quidem non tanquam ritus post Apostolos introducti, ex ibidem dictis necessarium duxi affirmare & manus impositionem, & chrismationem esse materiam hujus Sacramenti. Et quamvis *S. Th. 3 p. q. 72. art. 2. & 4.* putet Apostolos ex singulari privilegio manus impositione hoc contulisse Sacramentum, nihilominus non cogimur illi assentiri, cum manus impositio, qua dicuntur Apostoli contulisse Confirmationem, non excludat chrismationem. Neque contrarium affirmarunt Innoc. III. *c. cum venisset de Sacr. Unct.* & Eugenius IV. *in Decr. Armenor.* ubi dicunt loco manus impositionis dari in Ecclesia Confirmationem; dicendum etenim est cum Bellarmino l. 2. de Sacram. Confirm. c. 9. *Innocentium, & Eugenium non velle dicere chrisma esse loco impositionis manuum, quasi Apostoli non uterentur Chrismate, & nos non utamur impositione manus: sed velle dicere ad ipsum, quod Apostoli faciebant, cum dicebantur imponere manus, facere nunc Episcopos, cum dicuntur confirmare, vel chrismare: Distinguitur enim in his locis non ritus a ritu, sed modus loquendi a modo loquendi, & persona a personis; & denique illa particularis impositio manuum ab ista, quæ modo est; siquidem tunc communiter dicebatur hoc Sacramentum impositio manus, nunc dicitur Confirmatio.*

Q. IV. Ex quibus constare debeat chrisma, quo confertur Confirmatio; an debeat esse ab Episcopo benedictum; & in qua corporis parte fieri debeat chrismatio.

R. I. Chrisma constare debet ex oleo olivarum, & balsamo. Ita ex perpetua Ecclesiæ traditione communiter docent Theologi cum *S. Th. 3. p. q. 72. a. 2.* Item docent cum eodem S. Doctore *art. 3.* necessarium esse, ut chrisma sit ab Episcopo benedictum, quod & definivit Innoc. III. relatus *cap. Presbyteris de consecr. d. 4.*, & Eugenius IV. *in Decr. pro Instruct. Armenor.* Hujus autem necessariæ benedictionis congruentiam assignat S. Th. observando non benedici materiam Baptismi, & Eucharistiæ, quia hæ materiæ reputantur sanctificatæ ex Christi contactu, dum scilicet & ipse in Jordane aqua voluit baptizari, & accepit panem, dum Eucharistiam instituit. Cum vero nonquam usus fuerit visibilibus unctionibus, oportebat tam chrisma, quam oleum infirmorum benedici, antequam adhibeantur ad usum Sacramenti.

Placet autem hic etiam adnotare convenientiam, quæ est inter Confirmationem, ejusque materiam. Primo igitur manus impositione designatur tum Divina virtus, qua confirmatus donatur adversus Fidei hostes, tum descensus Sp. S. illum illuminantis; hæc etenim ex S. Scriptura significat manus impositio. Secundo, ut observat *S. Th. 3. p. q. 72. art. 2.* per oleum designatur gratia Sacramenti, & ita in S. Scriptura Christus dicitur unctus oleo letitiæ propter plenitudinem Spiritus S., quam habuit. Fragrantia vero odoris, quam diffundit balsamum, significat hominem, virtute hujus Sacramenti roboratum, debere diffundere odorem sanctorum operum in ædificationem fidelium.

R. II. Inunctio chrismatis facienda est in fronte, ut tradit S. August. *in Ps. 141.*, *S. Th. 3. p. q. 72. a. 9.*, *Eugenius IV. in Dec. union.* Frontis autem inunctione demonstratur, confirmatum tanquam militem Christi debere signum sui Ducis præferre, nec erubescere ipsius nomen confiteri, frons enim sedes est verecundiæ. Item unctio fieri debet in forma Crucis, alias non corresponderet formæ, qua dicitur, *Signo te signo Crucis*, atque ita communiter docent Theologi.

Q. V. Quando materia hujus Sacramenti sit dubia.

R. Solum oleum benedictum esset materia dubia hujus Sacramenti; nam quamvis magis communiter doceant Theologi non esse materiam sufficientem hujus Sacra-

menti,

menti, nihilominus non desunt qui asserant balsamum non esse materiam necessariam Confirmationis, sed solum de necessitate præcepti: *Cajet. 3. p. q. 72. art. 3. Gabr. a S. Vinc. disp. 2. q. 1.* & alii. Pariter esset materia dubia chrisma benedictum a simplici Sacerdote ex Summi Pontificis dispensatione; nam magis communiter docent Theologi in hoc dispensare non posse: *D. Anton. 3. p. tit. 14. c. 14. §. 1. Laym. l. 5. tr. 3. c. 2. n. 5. Barbos. de potest. Episc. p. 2. alleg. 30. num. 6.* Chrisma vetus illicite quidem ad Confirmationem conferendam adhiberetur, quia extat præceptum, ut chrismate illo anno consecrato conferatur: *can. si quis de consecr. d. 4.* at Sacramentum esset validum: *D. Anton. loc. cit. Bonac. de Sacr. d. 3. q. unic. p. 2.* Dubia esset materia hujus Sacramenti, si chrismatio non fieret immediate manu Episcopi, sed mediante aliquo instrumento, quia quampluribus videtur unctionem ipsa manu esse faciendam, aliis vero id non esse necessarium, sed satis verificari, si fiat aliquo instrumento: *Barbos. p. 2. de potest. Episc. alleg. 30. n. 25.* & alii apud ipsum. Quamvis autem communiter doceant Theologi validum esse hoc Sacramentum vel inunctio fiat pollice manus dexteræ Episcopi, vel alio digito; nam semper verificatur fieri per manus Episcopi, ut cum aliis observat Barbosa loco citato, nihilominus omnes asserunt quod id illicite fieret, quamvis aliqui in hoc non agnoscant, nisi culpam levem: *Gabr. a S. Vinc. d. 2. q. 3. Dian. t. 1. tr. 2. resol. 7.*

Q. VI. Quæ sit Forma Sacramenti Confirmationis; & quando sit dubia.

R. Forma Sacramenti Confirmationis traditur etiam ab Eugenio IV. *in Decreto pro Instruct. Armenor.* & constat his verbis: *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Convenientiam hujus formæ explicat *S. Th. 3. p. q. 72. art. 8.* observando illa verba: *Signo te signo. Crucis*, indicare signum, quod habere debet, qui Christianæ militiæ nomen dedit. Illis verbis, *confirmo te* demonstratur robur, quod est effectus hujus Sacramenti. Dum vero exprimitur SS. Trinitas, explicatur causa principalis, quæ in hoc Sacramento confert plenitudinem roboris spiritualis. Si in forma omittatur ly *signo te*, Sacramentum erit nullum, saltem quia non designaretur subjectum Sacramenti: *Palaus tr. 20. p. 5. n. 4. Salmant. hic c. 1. p. 3. a n. 38.* Quod si dicatur *signo te &c.* & omittatur *confirmo te*, Sacramentum erit dubium, volentibus aliquibus, non obstante tali omissione, Sacramentum esse validum, quia ly *signo te* sufficienter explicat effectum Sacramenti, ac determinat subjectum; *Gab. a S. Vinc. d. 2. q. 4. §. 2.* aliis communius negantibus, quia non videtur sufficienter exprimi effectus Sacramenti. Dubium pariter esset Sacramentum, si omittatur *chrismate salutis*, nam ex una parte reputatur validum, quia per ly *confirmo* videtur sufficienter exprimi effectus Sacramenti, qui est gratia dans robur ad nomen Christi fortiter confitendum: *Gab. a S. Vinc. cit.* E contra vero aliis non videtur sufficienter exprimi: *Salmant. cit. a. 42.* Fere autem communiter omnes docent expressionem SS. Trinitatis necessariam esse ad valorem hujus Sacramenti; nam cum conferatur ad fortiter Fidem profitendam, videtur necessarium exprimere primum credibile, & fidei principium, quod est Trinitas divinarum Personarum: *S. Th. 3. p. q. 72. art. 4. Salmant. tr. 3. c. 2. p. 3. n. 34.* Placuit autem adnotare, quando dubitari possit de valore materiæ, & formæ hujus Sacramenti, ut iteretur sub conditione, si aliquando accideret ejus valorem esse dubium.

Hæc dicta sint juxta communiter receptam opinionem Theologorum, & Canonistarum. Cæterum non desunt qui asserunt materiam, & formam essentialem hujus Sacramenti esse impositionem manuum Episcopi, & orationem, quæ additur huic manuum impositioni; formam vero verba explicatam esse tantummodo accidentalem. Quod fundamentum habeat præfata opinio innui in quæsitis Dogmaticis de SS. Eccl. Sacrament. *Tract. 3. c. 2. a. 9.* Et quidem si forma supra explicata, esset pure accidentalis, facilius conciliari posset, quare Græci formam a Latinis diversam adhibeant; nam apud ipsos in his solis verbis consistit: *Signaculum donationis Spiritus S.* Ecclesia autem, quamvis sæpe Græcorum ritus examinaverit, numquam hanc formam improbavit.

CAPUT II.

De Ministro Confirmationis, ejusque Subjecto; & de ipsius effectibus, ac cæremoniis, quibus confertur.

Q. I. QUis sit Minister Confirmationis.

R. I. Ordinarius Minister Confirmationis est solus Episcopus. Hanc veritatem definivit etiam Tridentinum *can. 3. de Confirm.* Congruenter autem id probat S. Th. *3. p. q. 72. a. 11.* observando quod sicut ultima consummatio operis fieri solet a Supremo Artefice, ita cum Sacramentum Confirmationis sit ultima consummatio Sacramenti Baptismi, homo etenim per Baptismum in Templum Spiritus S. ædificatus, per Confirmationem, ut ita dicamus, dedicatur, hinc est non per simplicem Sacerdotem, sed per Episcopum esse confirmandum.

Quia Episcopus est Minister ordinarius Confirmationis, graviter peccaret, si diu differret confirmare suos subditos, quia illos magno beneficio, ad quod ex officio tenetur, privaret: *Bon. de Sacr. d. 3. q. unic. p. a. n. a.* Ulterius animadvertere debet, quod cum ad ministrandum hoc Sacramentum necessaria sit jurisdictio, non potest Episcopus in propria Diœcesi alienos subditos sine licentia proprii Episcopi confirmare, & si id faciat, graviter peccat: *Barbos. de potest. Episc. p 2. alleg. 30. n. 15.* Videtur tamen ex eodem *n. 14.* semper posse præsumi, quod admitterem, semper cum ad ita præsumendum movere possit titulus amicitiæ, consuetudinis &c.

R. II. Minister extraordinarius Confirmationis potest esse simplex Sacerdos, dum nempe a Summo Pontifice Minister confirmationis constituatur. Id probatur, quia de facto aliquando Summi Pontifices constituerunt simplices Sacerdotes Confirmationis Ministros, ut dicit etiam Eugenius IV. *In Decr. pro Instruct. Armenor.* nec Ecclesia unquam improbavit Græcorum praxim, qua etiam simplicibus Sacerdotibus conceditur administrare Confirmationem.

Q. II. Quodnam sit subjectum Confirmationis, & quæ sit necessitas hujus Sacramenti.

R. I. Omnis homo Baptizatus capax est hujus Sacramenti. Oportet igitur hominem esse baptizatum; nam sine Baptismo non reciperetur valide, & ideo baptismus dicitur janua Sacramentorum. Præterea cum ratione Confirmationis homo in vita Christiana adolescat, consequens est debere supponere in subjecto eamdem vitam jam habitam per Baptismum. Cæterum quamvis antiquitus confirmarentur infantes statim post baptismum, sicut adhuc fit apud Orientales; nihilominus apud nos hæc praxis non amplius est in usu. Immutata ergo fuit, & solum confirmantur adulti, tum quia accedente ipsorum Fide, & recta dispositione majorem ex Confirmatione possint recipere gratiam; tum quia ita minus est periculi, ut hoc Sacramentum iteretur. Non expedit tamen illud longo tempore differre, quia dignius recipitur, dum adhuc Baptismi gratia conservatur, sicut etiam quia virtute illius homo a peccatis præservatur. Cæterum puero in extremis degente (idem dicas de stulto a nativitate) conferri posset hoc Sacramentum: aucta etenim illius virtute gratia in baptismo assequuta, majorem etiam gloriam consequeretur: S. Th. *3. p. q. 72. art 8. ad 2.* Conferendum etiam adulto moribundo, & non confirmato, si id commodum esset Episcopo, ut monet etiam *Conc. Mediol. V. sub S. Carolo* p. 1. ubi agit de hoc Sacramento.

R. II. Communiter docent Theologi non extare modo præceptum recipiendi hoc Sacramentum; & S. Th. *3. p. q. 72. art. 1. ad 3.* docet sine Confirmatione posse esse salutem, dum ex contemptu non prætermittatur. Cæterum valde dubitari posset contemnere hoc Sacramentum illos, qui data opportunitate illud suscipiendi, omnino id facere negligerent, cum detur tunc locus suspicandi non ex mero torpore, sed quia parvi æstimant, omittere. Potest etiam committi grave peccatum ratione scandali, dum alii viderent aliquem, data opportunitate, de hoc Sacramento non curare: *Laym. l. 5. tract. 3. c. 5. n. 4.*

Q. III. Qui sint effectus Confirmationis; & quæ dispositiones requirantur in ipsius subjecto.

R. Confirmatio imprimit characterem, quo designatur confirmatum Christi militem factum esse. Ita semper tenuit, ac docuit Ecclesia, & docet S. Th. *3. p. q. 72. art. 5.* ac proinde hoc Sacramentum iterari non potest. Auget gratiam sanctificantem; ejusque gratia peculiaris,

ris, sive Sacramentalis est conferre robur adversus Fidei hostes, quam gratiam explicans Eugenius IV. *in Decret. union.* ita ait : *Effectus hujus Sacramenti est, quod in eo datur Spiritus S. ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut scilicet Christianus audacter confiteatur nomen Christi.*

R. II. Cum hoc Sacramentum sit unum ex Sacramentis vivorum, qui vult illud recipera debet esse in Gratia, alias augmentum hujus Sacramenti virtute non consequeretur. Verum tamen est, quod sublato obice, effectus Sacramenti consequeretur in vi falscm characteris, qui imprimitur, quamvis in peccato mortali suscipiatur, dummodo suscipiens habuerit saltem intentionem habitualem illud suscipiendi. Modo autem non amplius in usu ast Confirmationem recipi a jejunis, ut præcipiebatur *caa. ut jejua. de consecr. d. 5.*

Q. IV. Quæ cæremoniæ adhibendæ sint in conferenda Confirmatione.

R. Constat ex S. Canonibus Ecclesiam voluisse adhibendos esse Patrinos in conferenda Confirmatione : *can. si quis filiastrum, can. de his, can. si quis ex uno 30. q. 1.* adeoque non posse id sine gravi culpa omitti, Hujus cæremoniæ congruentias assignat *S. Thom. 3. p. q. 72. art.* 10. quia nempe convenians erat confirmatum habere a quo de modo pugnandi adversus spirituales hostes instrueretur : sicut etiam quod demonstraret ante Confirmationem non ita esse roboratum, nt adsistentia non indigeret. Circa Patrinos autem Confirmationis attendenda sunt aa omnia, quæ dixi de Patrino Baptismi. Insuper Patrinus Confirmationis alius debet esse a Patrino Baptismi : *can. in Catechismo de consecr. d. 5.* Quampluribus tamen non videtur id ita stricte prohiberi, ut sit peccatum grava, si Patrinus Baptismi sit etiam Patrinus Confirmationis; & nullum utique erit peccatum si ita exposcat necessitas. Item in Confirmatione unus tantum Patrinus debet admitti : *caa. non plures de consecr. dist. 5., & si. fin. de cogaat. Spirit.* Sed & hoc præceptum frangere, non pauci putant esse solummodo peccatum leve, cum non videatur esse de ra gravi, vel nullum; si quidem Ecclesia admittit in Baptismo duos Patrinos diversi sexus: *Sanch. de matr. l. 7. d. 57. aum. 9.* Demum ex Pontificali Romano habetur nec masculos fœminis, nec fœminas masculis gerere debere munus Patrini, neque unum debere esse Patriuum plurium, quorum tamen transgressio putant Theologi non esse grave peccatum. De cognatione Spirituali, quæ contrahitur ratione hujus Sacramenti, agam suo loco in Tractatu Sacramenti Matrimonii.

Insuper Episcopus impingit alapam confirmato, ut sciat victoriam militis Christi alucere in patiendis injuriis; at hanc cærcmoniam omittere non esset peccatum : *Anton. a Sp. S. d. 1. sect. 7. num. 40. Tambar. hic c. 3. §. 2.* Impertitur etiam pacem confirmato, ut intelligat assequutum esse plenitudinem Gratiæ cœlestis, & pacem, quæ exuperat omnem hominem, ait Catechismus. Addi potest addiscere debere ex tolerantia malorum derivare æternam pacem in cœlesti Beatitudine. Demum vitta linea circumligatur frons confirmati, ne profanetur Sacrum Chrisma; & ad innuendum diligenter esse conservandam adeptam Gratiam. Post aliquas vero horas eadem fascia est comburenda, vel diligenter asservanda ob contactum Chrismatis, ne ullatenus profanetur : *Laym. l. 5. tr. 3. cap. 7. a. 2.* Expedit etiam aliquando mutare nomen confirmato, tunc nempe quando in Baptismo illi non fuit impositum nomen alicujus Sancti, ex cujus recordatione ad sancte vivendum incitaretur. Hæc autem nominis mutatio deberet illi deservire ad novam vitam instituendam, si antea non ut Christianum decebat, vixit; vel ad perfectius vivendum, ut notat Concilium Mediolanense V.

Regula in praxi observanda.

S. Carolus *Act. p. 1. tit. quæ pertineat ad Sacram. Confirm.* monet Parochoa, ut quoad fieri potest, inducant populum ad condignam hujus Sacramenti æstimationem, ipsisque observare faciant ipsius Ordinarium Ministrum esse solum Episcupum. Incitent subinde negligentes ut ad illud suscipiendum accedant, & confessione peccatorum digni reddantur uberiori gratia hujus Sacramenti. Optat insuper *Act. p. 4 de præpar. ante miaistr. Sacram. Confirm.* Parochos hortari confirmandos, ut ad hoc Sacramentum jejuniis, eleemosyna, aliisque pietatis operibus se parent; & præcipue orationis studio, exemplo Apostolorum, qui erant perseverantes in oratione, dum Spiritum S. expectabant : & sicut loco supra citato suadet, ut a jejunis recipiatur, si conferendum est in mane, ita hic desiderat, ut saltem pridie jejunent, qui die sequenti confirmandi sunt, Monet denique *in Instruct. ad hoc Sacram. recip.* ut tam confirmandi sive mares sint, sive fœminæ; quam Patrini, & Matrinæ adhibeant vestitum simplicem, & modestiæ Christianæ omnino consonum, omni vano corporis, & capitis ornatu deposito. Et revera incongruum esset, ot qui in Baptismo omnibus Sathanæ pompis solemniter renunciarunt, iisdem pompis ad Sacramentum accederent, quod est veluti baptismi complementum. E contra vero redarguit, qui ad Confirmatinnem accedit capillis incompositis, quibus pene frons tegatur. Ex his tanti Præsulis monitu dignoscet Patochus quomodo disponere debeat suos Parochianos ad Confirmationem recipiendam; at præcipue nullo parcat labori, ut bene instructi sint de effectibus hujus Sacramenti, de dispositionibus ad illud suscipiendum necessariis, explicando pariter quid significent cæremoniæ, quibus administratur, ut majori religione, & pietate illud suscipiant. Memores etiam sint expedire, ut habentes nomen profanum illud deponant, & assumant nomen alicujus Sancti, ut vel ipso nomine agnoscant se esse Christianos, & Sanctorum vestigiis esse inhærendum.

TRACTATUS XVIII.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ, ET DE MISSÆ SACRIFICIO.

Maximum omnium Sacramentorum est Eucharistiæ Sacramentum, cum non solum in se contineat instrumentalem virtutem ad Gratiam causandam, sed ipsummet Gratiæ Authorem, quapropter quoad essentiam omuia alia supereminet, Secundum vero quoldam alios respectus, quædam Sacramenta hoc Sacramento majora reputaotur, quod explicatur in illis versibus:

Major in effectu Baptismus, Corpus in esse.
Conjugium signo majus, sed Chrisma Ministro.

At quia Eucharistia non solum rationem habet Sacramenti, sed etiam Sacrificii, idao in hac prima quæstione de eo, ut est Sacramentum, in sequenti de eodem, ut est Sacrificium, differemus.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Eucharistia, ut est Sacramentum.

CAPUT I.

De Existentia, Essentia, & Unitate Sacramenti Eucharistiæ, & de Christi præsentia in eodem Sacramento.

Q.I. AN Eucharistia sit proprie Sacramentum; & ex quibus hoc Sacramentum constituatur.

R.I. Ex perpetua Ecclesiæ traditione constat Eucharistiam unum esse ex septem Sacramentis, unde ita definitum fuit in Concilio Lateranensi *c. Firmiter de Sum. Trinit.*, & in Florentino ac in Tridentino *sess. 13., & sess. 21.* Item compertum est apud omnes Catholicos institutum fuisse a Christo Domino in ultima Cœna, finita nempe cœna legali, & figurativa; in qua comedebatur Agnus Paschalis: Hoc autem Sacramentum solet ita definiri: *Eucharistia est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini ad spiritualem animæ refectionem divinitus institutum.* Cùm igitur de ratione Sacramenti sit, esse signum rei sacræ a Deo institutum ad homines sanctificandos, hoc totum habetur in allata definitione; nam Eucharistia dicitur a Christo instituta, & species panis, & vini sunt signa Corporis, & Sanguinis Christi, quæ sub ipsis continentur ad animam spiritualiter nutriendam, unde *Jo. 6.* ait Christus Dominus: *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.*

Q.II. Quid proprie in Eucharistia habet rationem Sacramenti.

R. Primo, certum est Eucharistiam non consistere in aliqua re transeunte, sicut alia Sacramenta, quæ consistunt in actione transeunte, qua applicantur forma, & materia, & solum existunt dum conferuntur. Ita Baptismus solum existit, quando fit ablutio, simulque ipsius forma pronunciatur. Sacramentum igitur Eucharistiæ est Sacramentum permanens, adeoque in re permanenti consistens; ac proinde Tridentinum *sess. 13. can. 4.* damnat hæreticos asserentes extra usum Sacramenti non amplius perseverare in Eucharistia Corpus, & Sanguinem Christi.

Meo autem videri bene dicitur Sacramentum Eucharistiæ importare & species Sacramentales, & Corpus, & Sanguinem Christi, quæ sub iis continentur. Ratio est, quia, hoc Sacramentum est sensibile signum refectionis spiritualis; necesse proinde primo est, illud ex speciebus constitui, alias non esset in eo aliquod signum immediate sensibile. At quia solæ species satis indicare non possunt refectionem spiritualem, ideo dicendum est una cum speciebus Eucharistiam constitui ex Corpore, & Sanguine Christi; per hæc etenim indicatur spiritualis refectio, cum Christus *Jo. 6.* dixerit: *Caro mea vere est cibus &c.* Neque refert Corpus, & Sanguinem Christi non esse per se signum sensibile; nam sicut in Sacramento Pœnitentiæ contritio, quæ, est pars ipsius, non est per se sensibilis, sed fit sensibilis per confessionem peccatorum, ita potest esse in Eucharistia aliqua Sacramenti pars, quæ per aliam sensibilis reddatur, nempe per species. *Laym. de Sacr. Euch. cap. 1.*, & alii apud ipsum.

Eo ipso, quod dicatur Corpus, & Sanguinem Christi una cum speciebus constituere Eucharistiæ Sacramentum, bene explicatur quod dicitur: *cap. cum Marthæ de celebr. Miss.*, nempe in Eucharistia aliquid esse, quod est Sacramentum tantum, scilicet species Eucharisticas, hæ etenim sunt pars hujus Sacramenti, & dicuntur Sacramentum tantum, quia sunt tantum signum Corporis, & Sanguinis Christi, nullo modo autem sunt res, quæ hoc Sacramento significantur. Aliud vero est in Eucharistia, quod est simul *Sacramentum, & res*, nempe Corpus & Sanguis Christi Domini. Dicuntur Sacramentum, quatenus, ut substant speciebus, significant spiritualem animæ refectionem; atque ideo cum secundum hanc considerationem habeant rationem signi, sunt altera pars hujus Sacramenti: quatenus vero significantur per species; sunt *res* Sacramenti. Demum in Eucharistia aliquid est, quod est *res, & non Sacramentum*, nempe ipsa Gratia, sive spiritualis refectio, quam habet anima ratione hujus Sacramenti.

Addendum quod dum asseritur Eucharistiæ Sacramentum constare etiam ex Corpore, & Sanguine Christi, statim intelligitur adorandum esse Latria, ut definit Tridentinum *sess. 13. can. 6.*

Q. III. An Sacramentum Eucharistiæ sit unum Sacramentum.

R. Si loquamur de unitate non materiali, sed formalis hujus Sacramenti, dicendum est etiam ut consideratum, quatenus constat ex utraque specie, panis scilicet, & vini, esse unum Sacramentum. Ratio est, quia unitas formalis, & specifica hujus Sacramenti desumi debet ex unitate significationis, quæ formaliter est una; tum quia unicam spiritualem refectionem animæ significat; tum quia denotat unicum spirituale convivium, de cujus ratione non est solus cibus, sed etiam potus: *D. Th. 3. p. q. 73. a. 1.* Hac ratione plures Hostiæ, si simul sumantur, sunt unum Sacramentum, siquidem omnes habent rationem unius spiritualis convivii. Si vero divisim sumantur, bene dici potest esse diversa Sacramenta quia verificatur fieri diversa spiritualia convivia.

Q. IV. An Christus Dominus sit in Eucharistia; qua ratione, & quousque in ea perseveret.

R.I. Ex perpetuo Ecclesiæ consensu definivit Tridentinum *sess. 13. can. 1.* in Eucharistia non contineri tantummodo Christum ut in signo, vel figura, aut virtute, sed in ea contineri vere realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem, una cum Anima, & Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum. Idem Concilium *can. 3.* damnat eos, qui asserebant totum Christum non contineri sub unaquaque specie, & singulis cujusque speciei partibus, *separatione facta*. Addita sunt ea verba, *separatione facta*, quia variabant opiniones Theologorum circa hanc quæstionem, an Christus esset sub qualibet specie Hostiæ integræ. Fatendum tamen est fere omnes Theologos docere Christum in Eucharistia esse sub qualibet parte Hostiæ etiam non divisæ, ut docet *S. Th. 3. p. q. 76. a. 3.* Id autem explicat Catechismus ex doctrina S. Thomæ dicendo. Christum non esse in Eucharistia neque ut parvum, neque ut magnum, seu per modum quantitatis dimensivæ, sed per modum substantiæ, quia substantia panis in Christi substantiam vertitur. Sicut ergo substantia æque in parvo, ac magno spatio reputatur; ita Christus in Sacramento bene concipi potest sub qualibet Hostiæ parte: *p. 2. de Euch. Sacr. n. 42.*

R.II. Actio qua Corpus Christi est in Eucharistia dicitur, *Transubstantiatio*, quæ significat *per consecrationem panis, & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus*, ut habet Tridentinum *sess. 13. c. 4.* Eadem proinde virtute, qua substantiæ panis, & vini desinunt esse substituuntur substantiæ Corporis, & Sanguinis Domini, adeoque idem Tridentinum *can. 2.* anathema dicit asserentibus in Eucharistia una cum Corpore, & Sanguine Christi Domini substantiam panis, & vini remanere. Quamvis autem de Fide certum sit non amplius perseverare in Eucharistia substantiam panis, & vini, non est negandum remanere panis, & vini species, sua accidentia, figuram nempe, colorem, odorem, saporem &c., atque, ut ait *S. Thomas opusc. 75.* *Accidentia sine subjecto in Sacramento existunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur sub aliena specie occultatum, & sensus a deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus judicant sibi notis.* Ex his igitur accidentibus Fides nostra excitatur, qua docemur Christi Corpus vere sub his accidentibus contineri.

R.II. Communiter omnes docent tandiu Christum in Eucharistia perseverare, quandiu non sit in ipsis speciebus tanta mutatio, ut fieret corruptio, si substantia panis, & vini ibi adesset: *D. Th. 3. p. q. 77. a. 4.* Hinc magis, & minus Christus perseverat in iis, qui recipiunt Eucharistiam; nam juxta majorem, vel minorem stomachi calorem acceleratur, vel retardatur prædicta mutatio. Dignoscitur pariter non amplius esse sub speciebus Corpus Christi, si ex illis vermes generentur, nam dignoscitur intervenisse corruptionem. Idem dicas, si vinum consecratum in acetum transierit. Quod si cum illo aliud vinum non consecratum, sed ejusdem qualitatis admisceatur, tunc non desinit Sanguis Christi sub speciebus consecratis, quia in eo non intervenit substantialis mutatio. Non tamen Sanguis Christi cum vino non consecrato admiscetur, quia licet in Sacramento retineat quantitatem, non tamen est in illo per modum quantitatis, seu dimensionis, sed per modum substantiæ. Si vero admiscea-

tur vinum alterius qualitatis, ut vinum rubrum vino albo, quia tunc non intelligeretur perseverare idem numero vinum, quod fuit consecratum; fieret enim veluti unius tertii productio, ideo non amplius Sanguis Christi sub vini speciebus perseveraret. Si vero in tam modica esset quantitate, ita ut non omnes species vini consecrati corrumperentur, sed solum aliquæ, tunc desineret esse Sanguis Christi sub illis speciebus, quæ modicæ quantitati vini alterius qualitatis admiscerentur, non vero sub aliis *S. Th. 3. p. q. 77. ar. 8.*

Regula in praxi observanda.

Cum Eucharistiæ Sacramentum sit omnium excellentissimum, utpote quod ipsum Christum Gratiæ Authorem continet, videat primo Parochus, qua decentia ornare debeat Tabernaculum, ubi SS. Christi Corpus asservatur, & quam vigilare debeat, ne unquam lampas extinguatur, quæ debet coram illo semper ardere. Nec desunt asserentes peccare graviter Parochum, dum ex ipsius negligentia per integrum diem, aut noctem lumen ante Venerabile Sacramentum non ardeat. Item quia frequentia causare solet minorem reverentiam, attendant quam maxime Parochus, aliique Ecclesiastici, ne ita se gerant in Ecclesia, ut vel nimis loquendo, vel etiam ad risum verba incitantia proferendo, videantur non considerasse esse in loco, ubi Christus vere, & realiter præsens est in Eucharistia: & si semper ab his debent abstinere, multo magis coram Laicis, ne pravo suo exemplo ipsis scandalum præbeant. Videant etiam, ne ommittant religiosam genuflexionem, dum ante Tabernaculum, in quo Eucharistia asservatur, pertranseunt; nec contenti fiot aliquantisper genuflectere, sed usque ad terram, ut ita etiam externe demonstrent eam, quam in corde retinent, erga tantum Sacramentum reverentiam.

CAPUT II.

De Materia Eucharistiæ.

Q. I. QUæ sit materia Eucharistiæ; & qua ratione dicatur materia hujus Sacramenti.

R. I. Materia necessaria pro conficienda Eucharistia est panis triticeus, & vinum ex vite. Constat id ex Scriptura, & satis est legere S. Matthæum *c. 26.*; ubi agens de Eucharistiæ institutione hæc habet: *Cænantibus autem eis accepit Jesus panem &c.* Porro nomine panis absolute sumpti intelligitur communiter panis triticeus, unde ex perpetua traditione talem panem necessarium esse pro conficienda Euchsristia semper docuit Ecclesia, ut videre est ex Concilio Lateranensi *cap. Firmiter*, & ex Florentino in Decreto Eugenii § *Tertium est Sacramentum*. Et quia non datur panis usualis, nisi farinæ triticeæ aqua elementaris misceatur, & deinde calore ignis coctus evadat, hinc est omnia hæc requiri ad materiam necessariam pro Eucharistia conficienda. Demum Christus demonstravit alteram materiam pro Eucharistia conficienda esse vinum ex vite; nam, ut dicitur loco citato, postquam, accepit calicem, illumque dixit esse suum sanguinem, subdit: *Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum &c.* Id propterea semper docuit Ecclesia, ut constat ex Conciliis Lateranensi, & Florentino supra citatis.

R. II. Panis, & Vinum sunt materia, ex qua conficitur Eucharistia, at non sunt pars componens hoc Sacramentum. Cum igitur cætera Sacramenta in usu consistant, materia, & forma ipsorum sunt partes essentiales ipsorum, adeoque ordinantur ad conferandam Gratiam sanctificantem. Cum vero Eucharistia sit Sacramentum permanens, non potest constare ex pane, & vino, & forma consecrationis, quia hæc omnia desinunt postquam factum est hoc Sacramentum; adeoque nec possunt esse causæ effectrices Gratiæ Sanctificantis. Remanet proinde panem, & vinum dici materiam Eucharistiæ, non quia ex iis constet, sed quia ex eis conficitur.

Multas autem congruentias afferunt SS. PP. hujus institutionis panis, & vini pro materia Eucharistiæ. Primo ita melius adimplebantur ipsius figuræ, cum adumbratum fuerit hoc Sacramentum in oblatione panis, & vini facta a Melchisedech, ut dicitur *Gen. 4.* Secundo, sicut pane, & vino aluntur homines, ita bene ex eis designatur spiritualis alimonia, quam anima percipit ab hoc Sacramento. Tertio, cum hoc Sacramentum sit commemorativum Passionis Christi; ea designatur dum vinum seorsim a pane consecratur; per hoc enim innuitur Sanguinem Christi in ejus Passione fuisse a Corpore separatum. Quarto, sicut panis Eucharistiæ constat ex multis granis, & vinum ex multis racemis, ita significatur Ecclesiam ex multis hominibus constare. Alias ommitto gruentias videndas apud Authores.

Q. II. Quis sit panis, & vinum, ex quibus valide, quamvis illicite, fiat Eucharistia.

R. Valide conficitur Eucharistia sive in pane azimo, sive fermentato, ut constat ex literis unionis Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ in ultima sessione Concilii Florentini. Et ratio est, quia uterque proprie dicitur panis: *D. Th. 3. p. q. 74. a. 4.* Nihilominus peccaret graviter Sacerdos Latinus conficiens Eucharistiam in pane fermentato, & Græcus in pane azimo, quia non solum in Concilio Florentino dicitur unumquemque conficere debere Corpus Domini *juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem*, sed expresse etiam id præcepit S. Pius V. in sua Const. incip. *Providentia &c.* revocans omnes licentias concessas Græcis celebrandi more Latino, & Latinis more Græco. Tam grave autem reputatur hoc præceptum, ut neque in necessitate administrandi Viaticum liceat Sacerdoti Latino in fermentato consecrare, cum etenim ad Ecclesiæ majestatem, & majorem Sacrificii reverentiam valde conducat uniformiter observare ritus Ecclesiæ, id prævalere debet obligationi subministrandi, vel recipiendi Viaticum, cum alias hoc sacramentum non sit absolutæ necessitatis: *Laym. de Euch. c. 2. n. 4.* & communiter. Non desunt tamen qui putant Sacerdotem Latinum peregrinantem apud Græcos (idem e contra dicatur de Sacerdote Græco) posse in fermentato consecrare, si ibi non adsit Ecclesia Latinorum, ea ducti ratione, quod licet Peregrinis uti privilegiis locorum, in quibus versantur: Alii vero negant, tum quia id videtur prohibitum in Constitutione citata S. Pii V.; tum quia privilegium consecrandi in fermentato videtur personale Græcorum, unde eo uti non potest Sacerdos Latinus, qui apud ipsos peregrinatur. Bene tamen illo uti posset, si apud eos figeret domicilium & non haberet propriam Ecclesiam, cum tunc non videatur præsumendum illi ab Ecclesia prohibitum. *Averſ. de Euch. q. 2. sect. 4.*

Item valide conficitur Eucharistia, si farinæ triticeæ misceatur in parva quantitate farina alterius speciei; cum etenim non tanta esset, ut proprie dici posset illum non esse panem triticeum, semper adhuc verificaretur adesse materiam Eucharistiæ: *D. Th. 3. c. q. 74. a. 3. ad 3. D. Anton. 3. p. tit. 3. c. 6.* Semper tamen hæc mixtio illicite fit, & si non sit tam exigua, ut fere nulla dici possit, excusari non poterit ex communi DD. a gravi culpa.

R. II. Valide, sed illicite conficitur Eucharistia vino impuro, seu fœculento, si adhuc perseveret in esse vini; qualiter se habet mustum, seu vinum in fundo Dolii. Cæterum si id fiat extra gravem necessitatem, concipiunt in hoc DD. gravem irreverentiam, adeoque non excusant a peccato gravi ita consecrantem: *Dian tom. 2. tr. 1. resol. 290.* Idem dicas de vino valde acescente; nam si modice tantum acescat, non erit nisi peccatum veniale: *Gabr. a S. Vinc. de Euch. d. 5. q. 3.* Ubi notat quod si vinum fœculentum consecraretur, fœces non remanent consecratæ, cum non verificetur esse vinum.

Q. III. Qua materia omnino invalide conficiatur Eucharistia, vel quando saltem dubitari possit de ipsius validitate.

R. I. Si excipiatur siligo, vulgo *segala*, omnia alia, ex quibus ob defectum frumenti panis conficitur, absolute dici potest non esse materiam idoneam pro conficienda Eucharistia. Ita se habent Avena, milium, hordeum, panicum, & similia. His addi potest Spelta, Far, Alica &c. quamvis enim quidam opinentur Speltam, Far, & Alicam posse esse materiam sufficientem pro conficienda Eucharistia, nihilominus id magis communiter negant Theologi. Ratio est, quia ut communiter docent Theologi cum S. Thoma *3. p. q. 74. art. 3.* Christus pro materia hujus Sacramenti non determinavit frumentum, ut genus est comprehendens omne granum, quod habet aristas, & spicas, sed solum triticum, quod est specie nobilissima generis frumenti; cum proinde de nullo ex supradictis verificetur esse triticum, debet omnino dici non esse materiam sufficientem pro conficienda Eucharistia.

Dubium esse potest de siligine, quia videtur quampluribus pertinere ad speciem tritici, & huic sententiæ videtur adhærere *S. Th. loc. cit. ad 2.* eamque sequitur

Layman

Layman. lib. 5. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 2. *Passer. de Euch. q.* 64. *art.* 3. *comm.* 6. *art.* 1. *n.* 8. & plures alii. Nihilominus negari non potest merito dubitari, an siligo sit materia sufficiens pro Eucharistia conficienda, cum a pluribus species frumenti a tritico diversa judicetur, quapropter illicite ex siligine conficeretur Eucharistia, quia nullitatis periculo exponeretur: *Tambur. de Euch. c.* 1. *n.* 13. Cæterum omnes conveniunt consecrantem panem siligeneum etiam graviter peccaturum, quia adhiberet materiam indigniorem, quæ dedeceret dignitatem hujus Sacramenti: *Layman. de Euch. c.* 2. *n.* 2.

Non est materia sufficiens pro conficienda Eucharistia massa triticea, cruda, frixa, vel elixa, quia non verificatur esse panem usualem, adeoque saltem moraliter ab eo differt: *Aversf. de Sacr. Euch. q.* 2. *sect.* 3. *§. Quarta*, & communiter. Idem dicendum propter eamdem rationem de pane ex amydo: *D. Th.* 3. *p. q.* 74. *a.* 3. *ad* 4. *Lugo de Euch. d.* 4. *n.* 6. licet aliqui in contrarium opinentur. Idem esto judicium de pane subacto aqua artificiali, vel lacte, oleo, ovis, alioque liquore: *D. Th. loc. cit. a.* 7. *Lugo n.* 3. Eodem modo sentiendum crederem, si aqua artificialis misceatur ad æqualem quantitatem cum aqua naturali, nam adhuc juxta communem acceptionem dici non posset panis usualis. Cæterum non refragarer dicentibus panem subactum aqua maris esse materiam sufficientem Eucharistiæ, utpote quia est aqua naturalis: *Dian. t.* 2. *tr.* 1. *resol.* 597. *§.* 2.

Q. IV. Quæ materia pertinens ad vinum sit insufficiens pro conficienda Eucharistia.

R. Agresta nullatenus valide consecraretur, quia non verificatur esse vinum. Idem dicas cum *S. Th.* 3. *p. q.* 74. *a.* 5. *ad* 2. *&* 3. de aceto, quia est vinum corruptum, & putrefactum; unde communiter Theologi rejiciunt *Gloss. in c.* 2. *d.* 2. *de consecr.* aliter sentientem. Neque pariter judicandum materiam sufficientem pro Eucharistia conficienda quod exprimitur ex uvis multum passis; nam neque proprie est vinum, neque mustum, sed potius quid tertium, quod ad Sapam accedit: *Tamb. de Euch. l.* 4. *c.* 1. *n.* 8. Rejicitur etiam a materia apta pro Eucharistia conficienda vinum, pane imbibitum, quia tunc potius habet rationem cibi, non vero potus: *Lugo de Euch. d.* 4. *n.* 12. *Anton. a Sp. S. de Euch. d.* 5. *sect.* 3. *n.* 54. Denique si vino tantum aquæ misceatur, ut non amplius absolute dici possit vinum, ex eo confici non potest Eucharistia, ut communiter docent DD.

Quæ hucusque dicta sunt, magis communiter docent Theologi; at non exigua est inter eos discrepantia, an vinum congelatum sit materia sufficiens. Magis communiter affirmant Theologi, tum quia videtur vinum congelatum proprie dici esse vinum; tum quia cum Sacramentum Eucharistię consistat in esse permanente, non vero in sumptione, aut potatione, non videtur obstare ipsius essentię vinum esse congelatum: *Lugo de Euch d.* 4. *n.* 13. *Aver. de Euch. q.* 2. *sect.* 5. *Layman. l.* 5. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 6. & plures alii. Ego nihilominus reputarem vinum congelatum saltem esse materiam dubiam pro Eucharistia conficienda; etenim Christus Dominus consecravit vinum ad sumptionem ordinatum; unde *Matth* 26. dicitur de Christo calicem consecraturo: *Accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes.* Cum ergo vinum congelatum aptum non sit ad sumptionem, saltem dubitari potest, an sit materia sufficiens: *Nugn.* 3. *p. q.* 74. *n.* 5. *Jo. n. S. Th.* 3. *p. q.* 73. *d.* 26. *a.* 2. Eo ipso autem quod dubitari possit, an sit materia sufficiens pro Eucharistia conficienda, non sine gravi culpa adhiberetur.

Q. V. An vino aqua sit miscenda; & in qua quantitate.

R. I. Non ex necessitate Sacramenti, sed ex pręcepto Ecclesiæ miscenda est aqua vino consecrando. Vetustissima ast hæc cæremonia, adeoque Concilium Florentinum in Decreto Eugenii *§. Tertium autem Sacramentum*, hæc habet: *Ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet.* Aqua autem ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia SS. Patrum, creditur Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum. Id nihilominus ex Ecclesię pręcepto derivari innuit Trident. *sess.* 22. *c.* 7. ubi ait: *Monet S. Synodus ab Ecclesia præceptum esse Sacerdotibus &c.* quamvis bene judicari possit ab ipsis Apostolis, ut Ecclesię Pastoribus, originem habuisse. Quia tamen hoc præceptum grave ab omnibus reputatur, saltem quoad significationem, adeoque transgredi non possit sine gravi culpa, ut monet etiam Catechismus *par.* 2. *de Euch. c.* 17. hinc est quod si Sacerdos non apposuerit aquam ante Offertorium, & id advertat ante consecrationem, debet eam apponere, non vero si post consecrationem, ut præscribunt Rubricæ Missalis *cap. de Defect. Vin. n.* 7. Ideo autem post consecrationem aqua non est admiscenda, quia id, ut dixi, non est de necessitate Sacramenti. Hoc autem probatur a *S. Thom.* 3. *p. q.* 74. *art.* 7. quia quod significatur per hanc admixtionem, est quid extrinsecum & posterius Sacramento, significatur etenim per eam plena ablutio nostrorum peccatorum per merita Christi, quod significavit sanguis, & aqua, quæ ex Christi latere manarunt. Item aqua vino admixta significat unionem populi cum Christo; nam aquarum nomine populi significantur *Apoc.* 17. & vino vittus, & Divinitas Christi denotatur. Cum igitur hæ significationes sint quid extrinsecum Sacramento, & eo posteriores, cum sint effectus illius, consequens est mixtionem aquæ hujusmodi significantem non esse de necessitate hujus Sacramenti. Cæterum advertendum hanc mixtionem faciendam esse, dum Sacerdos est ad altare, alias careret præfatis significationibus: *D. Thom.* 3. *p. q.* 74. *a.* 8. *ad* 3.

R. II. Aqua valde modica est vino miscenda; ut innuit Florentinum supra citatum. Verum tamen est, quod si non tanta infundatur, ut non amplius dici possit vinum, semper valida est consecratio, ut supra adnotavi. Hic autem abstineo ab illa Scholasticorum quęstione, an aqua prius transmutetur in vinum, ac deinde per consecrationem in sanguinem; multis opinantibus in Sanguinem non transmutari, nisi prius in vinum transmutetur. Cęterum pro certo puto tenendum in sanguinem transmutari; tum quia cum plures SS. PP. asserant Christum consecrasse vinum aquam mixtum, si hæc in sanguinem non converteretur, diceretur dum esset una cum semetipso obtulisse Patri in Sacrificium aliquam creaturam. Tum quia communiter SS. PP. & Concilia in Calice post consecrationem nonnisi Sanguinem Christi agnoscunt. Hinc Cardinalis Baronius ad an. 1188. prope finem asserit Romanam Ecclesiam semper credidisse aquam simul, & vinum in sanguinem transubstantiari. Et ad an. 1192. in fine, quodam narrato miraculo, subjungit eo voluisse Deum confutare *hæresim negantium aquam vino mixtam mutari in sanguinem.* Denique *S. Th. q.* 74. *a.* 8. dicit opinionem negantium aquam in sanguinem mutari, non posse stare. Quod si pro certo credendum est, aquam in sanguinem converti, non tam facile verificari potest opinio affirmans necesse esse ad hanc conversionem aquam prius in vinum converti; nam & ipsum Christum paulo ante consecrationem dicendum est aquam miscuisse, quod & potest facere Sacerdos, si in Offertorio hujus admixtionis oblitus sit; quis autem credere potest tam exiguo tempore vinum in se aquam transmutare?

Q. VI. In qua quantitate debeat esse materia consecranda.

R. I. Certum est Sacerdotem quamlibet magnam quantitatem materiæ valide consecrare; cum etenim Dei virtute operetur, nulla tam magna quantitas dari potest, quæ non sit consecrabilis: *D. Thom.* 3. *p. q.* 74. *art.* 2. Cæterum graviter peccaret, si tam magnam quantitatem consecraret, ut tempore opportuno sumi non posset, vel quia, ipsam exponeret periculo putrefactionis; vel quia cum hostiæ consecrentur ad usum fidelium, si excedentem quantitatem consecraret, faceret contra ritum ab Ecclesia præscriptum.

R. II. Materia consecranda tanta saltem esse debet, ut aliquo sensu visua, vel tactus &c. percipi valeat; si etenim non ita se habeat, non est designabilis per particulas *hoc*, vel *hic*, quæ sunt in forma consecrationis, adeoque non valida esset ipsius consecratio: *Lugo de Euch. d.* 4. *n.* 115. *Aversf. de Euch. q.* 2. *sect.* 1. Bene nihilominus verificari potest sub particula ab Hostia separata nullo sensu perceptibili, esse Corpus Christi; nam facta consecratione, non est necesse demonstrari per particulam *hoc*, sicut necesse est per eam determinari, dum consecratur. Quod si materia non sit sensibilis consecranti, sed alteri habenti e. g. sensum visus valde acutum, tunc materia est dubia; nam quamvis non pauci affirment esse consecrabilem, alii negant, cum non valeat demonstrari ab ipso consecrante per particulam: *Hoc*: *Leun. de Euch. d.* 8. *q.* 82.

R. III. Sacerdos debet consecrare hostiam majorem particulis, quæ distribuuntur Laicis, eaque debet esse figuræ rotundæ. Ratio desumitur ex ritu, & consuetudine Ecclesiæ, quam aliqui putant obligare sub gravi,

At secluso scandalo, non videtur dari præceptum tam stricte obligans; ut docet Quarti *in Rubr. Miss. q. fundam. sect. 5. p. 4. d. 3.* Hinc si Sacerdos deberet Infirmo Viaticum præbere, consecrare teneretur in Hostia minori, si consuetas non haberet; & ad removendam populi admirationem posset illum commonefacere in ea circumstantia licitum omnino esse minorem hostiam consecrare.

Q. VII. An materia consecranda debeat esse presens.

R. Omnes consentiunt materiam consecrandam debere esse presentem, nam ly *hoc*, & *hic*, quibus incipit forma consecrationis, designat rem præsentem. Hac ratione omnes conveniunt non consecrari valide hostiam positam a tergo, si illam Sacerdos manibus non teneat; vel positam post parietem, vel in aliquo cubiculo, quia verificari non potest pronomen demonstrativum *hoc*. Eadem ratione, quamvis refragentur, non dicerem consecratam hostiam existentem sub mappa, vel alio modo latentem, quia quod latet, non videtur demonstrari posse pronomine *hoc*: *Palaus tr. 21. p. 6. n. 6. Laym. de Euch. tr. 4. c. 2. n.* 10. Difficultas autem est inter DD. an valide consecrarentur hostiæ in Tabernaculo clauso. Et multi quidem affirmative respondent, dicendo quod sicut verificatur pronomen *hoc*, consecrando particulas in Pixide clausas, adeoque valide consecrantur, quia per presentiam continentis intelligitur etiam præsens, quod continetur, immo per continentem intelligi solet, quod continetur; eodem modo ipsis discurrendum videtur de particulis contentis in Tabernaculo clauso, cum per eot æquiparetur vasi grandiori. Ego nihilominus adhærerem contrariæ opinioni; nam demonstrato Tabernaculo clauso, non videntur sufficianter demonstrari hostiæ in eo clausæ per pronomen *hoc*: *Averso. q. 2. sect. 2. Anton. a Sp. S. de Euch. d. 2. sect. 5. n.* 73. Saltem ergo dubia esset talis consecratio, adeoque semper illicita, sicut & graviter illicita esset, quia non servaretur Ecclesiæ ritus, quo hostia consecranda debet esse in manibus Sacerdotis, aliæque particulæ super aram lapideam. Hac ratione peccaret etiam Sacerdos, si consecraret particulas existentes in Tabernaculo apertu: *Tambur. de Euch. lib. 4. c. 2. n. 6. & 7.*

Differunt etiam DD. in assignanda distantia, in qua judicio prudentis verificari possit pronomen *hoc*. Non pauci asserunt verificari, etiamsi proferatur super hostiam distantem viginti passibus, ut videre est apud *Gabriel. a S. Vinc. disp. 6.* Ego vero ægre adhærerem illis DD. qui dicunt, valide consecrari hostiam distantem decem passibus; nam si velim demonstrare meum pallium a me decem passibus distans, non dico: *hoc* est meum pallium, sed illud est meum pallium.

Q. VIII. An materia consecranda debeat esse in individuo determinata in mente Sacerdotis.

R. Omnes ita affirmant, nam pronomen *hoc*, vel *hic* designat materiam determinatam. Præterea actio practica, seu aliquid conficiens debet habera objectum determinatum; atque ita se habet actio consecrationis, qua transubstantiatur materiam in Corpus, & Sanguinem Christi. Si igitur ex pluribus hostiir Sacerdos velit tantum aliquas, quas ipse determinavit, consecrare, hæ tantum erunt consecratæ. Dixi, quas ipse determinavit; nam si e. g. ex decem hostiis, quas habet præsentes, intendat tantum novem consecrare, & non excludat, determinate illam unam, quam non vult consecrara, nulla erit consecrata; quia de nulla determinata dixisset: *Hoc est corpus &c. Rubr. Mis. c. de defect. intent. n. 9.* Neque hic veritati obstat, quod communiter dicitur, nempe Sacerdotem putantem hostias esse octo, valide omnes consecrare, etiamsi sint decem. Id dicitur, quia intentio Sacerdotis debet esse de consecranda tota materia sibi præsente, ut habetur loco citato *n. 4. & 5.* unde per hanc intentionem satis determinatur ad consecrandas decem hostias, etsi erret in numero.

Ad judicandum vero, an consecratæ remaneant hostiæ positæ super altare, si illarum Sacerdos non recordetur, dum consecrat, sed solum illius, quam manu tenet, sequentia sunt observanda. Si ponantur aliquæ hostiæ super altare sejunctæ a cumulo consecrando, inscio Sacerdota tunc non remanent consecratæ, intentio etenim Sacerdotis cum non feratur in incognitum, non potuit ad illas se extendere: *Laym. de Euch. c. 2. n.* 14. Si vero detulit ipse ad altare, seu alteri commisit deferre, tunc etsi earum obliviscatur, remanent consecratæ, quia virtualiter remanet ea intentio, qua intendit eas consecrare. At bene limitatur hęc doctrina si dicatur non remanere consecratas, dum ponantur extra aram, & corporale; nam cum illicitum sit aliquid extra ea consecrare, non potest præsumi Sacerdotem habere intentionem consecrandi, quod extra aram, & corporale continetur; *Tamb. de Sacr. Miss. l. 2. c. 1. §. 3. n.* 15. Nec obstat dicere remanere consecratam hostiam factam cum fermento, quamvis, si Sacerdos advertisset, noluisset consecrare. Lata igitur est disparitas, quia principaliter intendit Sacerdos velle integre sacrificare, adeoque nolle omittere hostię, vel vini consecrationem ob aliquem defectum ignoratum. Dum vero intelligitur nolle consecrare particulas, nisi modo licito, non destruitur hęc intentio ab alia validiori intentione de ponenda essentia Sacrificii, quia datur integrum Sacrificium sina illarum consecratione.

Quia tamen dantur Theologi sustinentes eas esse valide consecratas, inter quos est Bordonius *com. 29. a. 30.* ideo illæ particulæ vel essent in alia Missa sub conditione consecrandæ, vel a Sacerdote consumandæ post assumptum Calicem.

Quoad guttes adhærentes Calici, vel extra, vel intra illum, variant pariter Theologi in judicando an sint consecratæ. Magis communiter asserunt guttas externe adhærentes non esse consecratas; sicut enim illicita consecrarentur, ita non dicendum est, Sacerdotem intendere illas consecrare. Quam plures etiam dicunt non remanere consecratas guttas interne adhærentes, a vino in fundo Calicis discontinuatas; unde ad removendos scrupulos bene facit Sacerdos si solom intendat consecrare quod per modum continui in Calice continetur.

Q. IX. Quid agendam, si particulis consecratis non consecratæ misceantur.

R. Melius, meo videri, dicitur omnes iterum consecrandas esse sub conditione, si nempe non sint consecratæ. Ratio est, quia cum Sacerdos non valeat discernere non consecratas, non videtur satis posse eas determinare, & demonstrare per ly *hoc*, adeoque tutius erit proferre verba consecrationis super totum cumulum hostiarum apposita præfata conditione: *Lugo dis. 4. n. 236. Avers. q. 2. sect. 2.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Advertant Parochi hostias consecrandas conveniens esse fieri ex tritico perfectissimo seminibus alterius speciei omnino segregato; candidissimas item esse debere ut ita etiam in ipsarum præparatione erga tantum Sacramentum reverentia ostendatur. Apud aliquos etiam fuit in usu, ut a personis non laicis fierant; adeoque Concilium Mediolanense IV. noluit hostias consecrandas confici ab homine laico, aut fęmina. Item omnino observandum ne vinum consecrandum aliquas fæces admixtas habeat, nec incipiat acescere, val corrumpi, quia in re posset leviter, vel graviter Sacerdos peccare, juxta dicta capite superiori.

II. Dantur aliqui scrupulosiores Sacerdotes, qui si aliquid parum ultra duas, aut tres guttaa aquæ in calicem fortuito infundant, statim novum vinum infundunt, quasi quod prius infuderunt, non amplius aptum sit pro consecratione. Ita se gerunt ex ignorantia; si etenim tantum aquæ non admisceatur, ut vinum non amplius absolute dici possit vinum, sicut certe dici potest, quamvis non solum tres, sed etiam sex, seu octo guttæ eidem misceantur, utique est aptum pro consecratione. Improbanda ergo est illa sollicitudo duas, vel tres tantum guttulas infundendi, quamvis etenim aliquæ de plus infundantur, non ideo non verificatur modicam aquam infundi, ut præscribit Ecclesia. Immo ex illa solicitudine unas, aut duas tantum guttulas infundendi, ita perturbari potest phantasia, ut aliquando nihil infundatur.

III. Cum certum sit validum esse consecrationem etsi per aliquos passus Sacerdos distet a materia consecranda, hinc dignoscendum quam improprie se gerant illi Sacerdotes, qui dum consecrant, ita ore hostiæ approximantur, quasi in aure alicujus vellent secretissime loqui. Idem faciunt in consecratione Calicis, quasi pertimescant aliquod verbum ex illo egredi. In hoc agendi modo ego aliquam etiam indecentiam agnosco, nam halitu hostia ipsa & calix quodammodo madefiunt.

IV. Ne Sacerdos scrupulis agitetur, habeat semper intentionem consecrandi quidquid super Corporale est licite consecrabile. Si nihilominus inveniat post consecrationem aliquam hostiam, val partem ipsius in altari de qua dubitet an fuerit consecrata, illam consummet post receptionem Sanguinis. Idem faciat Sacerdos, si dum pergit ad altare ut Missam celebret, adinveniat super eo hostiam, quam scire non possit, an fuerit consecrata, necne.

CAPUT III.

De Forma Sacramenti Eucharistiæ.

Q. I. QUænam sit forma consecrationis.

R. I. Forma consecrationis panis in his solis verbis consistit: *Hoc est corpus meum*. Ita clare ex Evangelistis colligitur. Id etiam probat Concilii Catechismus *p. 2. de Sacr. Euch. §. 19.* dicendo: *Forma est, qua illud significatur, quod in hoc Sacramento efficitur: cum autem hæc verba id, quod fit, significent, ac declarent, hoc est, panis conversionem in verum Domini nostri Corpus, sequitur formam in illis ipsis verbis constituendam esse*. Ut melius intelligatur significatio illius particulæ *hoc*, advertendum eam non posse significare panem, quia de ipso non verificatur esse Corpus Christi, quamvis in illud sit transubstantiandus. Item nec species, quia de illis dici non potest esse Corpus Christi. Neque pariter solum Christi Corpus, nam tunc Forma redderet hunc sensum; Corpus Christi est Corpus Christi. Remanet ergo quod designet species, & Corpus Christi, ita ut reddat hunc sensum: Contentum sub his speciebus est Corpus meum: *S. Tho. 3. p. q. 78. art. 5.*

Ex his habes semper validam esse consecrationem, quoties non ita mutentur verba, ut non possint designare, contentum sub speciebus panis esse Corpus Christi. Hinc communiter valida reputatur consecratio, si Sacerdos diceret, vel: *Illud est corpus meum*, vel: *Hic est corpus meum*, dum ly *hic* non sumatur adverbialiter, sed loco pronominis; nam conservaretur sensus, & solum intercederet error grammaticalis. Idem dicendum, si diceret. *Hoc est corpus meu*, vel *meum*, vel: *Est hoc meum Corpus*. Ratio horum omnium est, quia, omnibus præfatis modis satis explicetur conversio panis in Corpus Christi, quam conversionem debet forma consecrationis explicare.

Q. II. Quando forma consecrationis nulla sit, vel dubia.

R. I. Cum ex dictis forma consecrationis explicare debeat conversionem panis in Corpus Christi, consequens est nullam judicandam illam formam, in qua constat talem conversionem non explicari. Invalida proinde erit consecratio si dicatur: *Hic panis est Corpus meum*, nam videtur dici panem perseverare, & non transubstantiari; unde dixi supra ly *hoc* in forma consecrationis non designare panem. Item invalida est, si dicatur. *Hoc fit corpus meum*, seu, *hoc fit corpus meum*: nam transubstantiatio explicatur in fieri, adeoque variatur sensus formæ. Invalida pariter est, si dicatur: *Illud est corpus meum*, nam non designatur materia præsens, sicut designatur per ly *hoc*. Invalida etiam reputanda consecratio, qua diceretur: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis non traditur*, nam verba formæ essentialiter determinantur ad designandum corpus quod fuit traditum; unde essentialiter variantur, si usurpentur ad designandum Corpus pro nobis non traditum. Demum idem dicendum, si Sacerdos dicat: *Hoc est Corpus Christi*; nam ita proferret formam in Persona propria non vero in Persone Christi: & aliunde Sacerdos non solum debet eam pronunciare ut Minister Christi, sed etiam in Persona Christi, quasi ipse Christus diceret: *Hoc est &c. S. Tb. in 4 dist. 8. q. 2. a. 1. & 3. p. q. 78. a. 2.*

R. II. Dubia est consecratio, si dicatur: *Ecce Corpus meum*; nam aliquibus videtur non explicite significari ly *hoc est*, aliis tamen affirmantibus, ut videre est apud Leandrum *d. 9. q. 9.* Dubia est, si Sacerdos dicat: *Hoc Corpus meum*, non paucis affirmantibus destrui significationem formæ, omittendo ly *est*, aliis negantibus, quia videtur subintelligi; eo magis quia familiare est non solum Latinis, sed etiam Hebræis, & Syris illud subtinere, adeoque non constat Christum Hebraice, aut Syriace loquentem illud addidisse. Observant pariter in Græco non esse expressum *Luc. 22.* in consecratione Calicis: *Silv. in 3. p. q. 78. a. 2. q. 3.* Dubia est consecratio, si dicatur: *Hæc est caro mea*, nam caro videtur significare partem, non vero totum corpus. Aliis vero apud Dianam *to. 2. tr. 1. resol. 227* videtur valida, quia aliquando pars accipitur pro toto. Si vero dicatur: *Hoc corpus meum est*, seu, *meum est hoc corpus*, ex supradictis dicenda esset hujusmodi consecratio non dubia, sed invalida, nam ly *hoc* in præfata forma explicat solum corpus, non vero diximus ly *hoc* non significare solum Corpus, sed etiam species, sub quibus continetur.

Q. III. Quale peccatum sit aliquid in forma mutare, seu omittere.

R. Omnes concedunt, quod si talis sit mutatio, seu omissio, ut consecratio nulla sit, vel dubia, gravissimum committitur sacrilegium, quia vel nullum est Sacramentum, vel periculo exponitur nullitatis. Si vero mutatio sit solummodo accidentalis, ita ut consecratio certo valida foret, non desunt qui affirment id ex natura sua esse tantum peccatum veniale, cum non videatur ipsis intercedere gravis irreverentia: *Faustus l. 1. q. 108. Avers. qu. 6. sect. 7.* At pace istorum dixerim, ego concipio ingentem temeritatem in re tam gravi, & Sacrosancta aliquam, vel minimam mutationem in ea facere; unde difficillime ita facientem a gravi culpa excusarem. Idem dico de omittente particulam *enim*, quamvis certum sit non pertinere ad essentiam formæ; ut ex pluribus docet Gavantus *p. 3. tit. 11. n. 12.* Neque hic tamen desunt asserentes, præciso contemptu, in tali omissione nonnisi levem culpam intervenire: *Tamb. de Euch. c. 2. n. 15.* & alii.

Q. IV. Quæ sit forma consecrationis Vini; & an omnia verba ad ipsius essentiam pertineant.

R. I. Forma consecrationis vini sunt hæc verba: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, Novi, & Æterni Testamenti, Mysterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Dicitur *Calix* ad significandum continentem pro re contenta: ideo autem, ait *S. Th. in 4 d. 8. q. 2. a. 2. q. 2.* talis modus locutionis congruus est huic formæ, quia sanguis de sua ratione non dicit aliquid potabile, immo magis aliquid quod natura abhorret a potu. Et quia in hoc Sacramento Sanguis Christi consecratur a potu, ideo oportuit aliquid addi, quod ad potum pertineret, scilicet Calicem. Addi potest illam vocem *Calix* adhiberi ad commemorandam Christi Passionem, eam nempe appellavit Calicem, dum *Matt. 26.* ait; *Transeat a me calix iste*. Illa verba *Novi Testamenti*, significant Sanguinem Christi vere nobis tradi, & non tantum in figura, ut in Veteri Testamento. Dicas etiam illis verbis *Novi, & Æterni Testamenti* significari in Novo Testamento promitti æterna, non temporalia, ut in veteri. Ly *Novi* significare etiam potest novissimum, & ultimum Testamentum, quod dicitur æternum, quia nunquam est variandum. Demum *Testamentum* significat etiam promissionem, unde ea verba *Novi & Æterni Testamenti*, idem significare possunt, ac *novæ, & æternæ promissionis*, æternæ nempe hæreditatis, quæ jure ad nos pervenit ex morte Christi Testatoris, & virtute Eucharistiæ. Hæc omnia tradit Innocentius III. *ca. cum Marthæ de celebr. Miss.* Illa verba: *Mysterium Fidei* denotant sola fide, quidquid difficultatis humana ratio experiatur, sub speciebus vini Sanguinem Christi latere, & Christum Deum simul & hominem mortuum esse, quæ quid mors expressius denotatur in consecratione vini, quam in panis consecratione. Demum ea apponuntur verba: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Dum dicitur *pro multis effundetur*, significatur Christum quoad efficaciam solummodo pro multis, hoc est, pro Electis sanguinem fudisse, ut docent communiter DD. Cæterum quoad sufficientiam pro omnibus Sanguinem fudit, nam Deus vult omnes homines salvos fieri, & ex Christi meritis omnibus dat gratias sufficientes pro salute assequenda; quamvis non pauci ex defectu propriæ cooperationis impediant fructum Passionis Christi.

R. II. Jam etiam ex dictis constat ly *enim* non pertinere ad formam consecrationis panis, & vini; & ut observat *S. Th. q. 78. a. 3. ad 1.* apponitur solummodo *propter continuationem ad verba præcedentia*. Item pro certo tenendum est non pertinere ad essentiam consecrationis ea verba: *Et æterni ..... Mysterium Fidei* nam hæc non reperiuntur in Liturgiis Græcorum, & Mozarabum & tamen constat valida consecrasse. E contra omnes fatentur ea verba: *Hic est calix Sanguinis mei*, esse de essentia formæ. Non pauci addunt ea sola esse de essentia formæ, cum quod pertinet ad formam, efficiat quod significat, alitunde ea solum verba: *Hic est Calix Sanguinis mei*, significant conversionem vini in Sanguinem. Sed hæc sententia non est certa, cum multi asserant omnia verba, quæ proferuntur in forma (excipe quæ notavi initio hujus responsionis) esse de essentia formæ. Ratio hujus sententiæ est, tum quia a Christo Domino omnia prolata fuere; tum quia ea habentur in omnibus Liturgiis, si excipiatur Liturgia S. Petro falso adscripta; tum quia sicut nondabatur Vetus Sacrificium sine sanguinis effusione per victimæ materialis occisionem, ita videtur pertinere ad essentiam Sacrificii incruenti, ut verbis exprimatur mystica sanguinis effusio. Ex his constat merito dubitari posse de validitate consecrationis, si verba, de quibus controversia est, omittantur, adeoque sine gravi sacrilegio omitti non posse. Hinc non debet Sacerdos limitare suam intentionem per ea solum verba consecrandi: *Hic est Calix Sanguinis mei*. Quod si accedet Sacerdotem subito morbo post pronunciate præfata verba correptum,

cate-

cætera prosequi non posse, hostia, super quam prolata essent, religiosa veneratione esset a Sacerdore sumenda; itsin majus periculum est in parvipendentia speciai consecratæ, quam in veneratione non consecratæ, dum bona fide consecrata posset ex plurium opininne judicari, ut notat. S. *Bonav. in 4. dist. 8. q. 3.*

Non hic immorabor in examinandn, quandn ex aliqua mutatione, vel nmissione consecratio nulla esset, aut dubia, quia id facile dignosci potest ex dictis supra de consecratione panis.

Q. V. An Sacerdos proferat verba consecrationis solum recitative, vel etiam formaliter, & siguificative, & in cujus nomine ea debeat proferre.

R. I. Non videtur negandum Sacerdotem proferre verba consecrationis etiam recitative, cum narret, quę Christus fecit dicendn; *accipite, & manducate*, & ad continuandam hsnc narrationem ponatur particula *enim* in forma consecrationis. Dicendum pariter est ea proferre formaliter, & significative, intendendo scilicet exercere id, quod significant, cum practice intendat efficere Corpus, & Sanguinem Christi Domini sub speciebus panis, & vini: *D. Th. 3. p. q. 78. ar. 5.*

R. II. Sacerdos proferre verba consecrationis in nomine, seu Persuna Christi Domini. In aliis igitur Sacrsmentis Sacerdos profert verba formæ ex Persona Ministri, nam designat actum, quem exercet, sicut cum dicit. *Ego te baptizo*. At cum verba Eucharistiæ consecrationem materiæ significent, qua in Christi Corpus eransubstantiarur, oportet Sacerdotem in Christi Persona ea pruferre, ut intelligatur nil aliud præstare, qusm verba Christi proferre, quæ sola hsbent vim fsciendi hanc conversionem. *S. Th. 3. p. q. 78. art. 4.* Unde Eugenius IV. in Decreto pro Armenis ait: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in Persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum.* Præterea si Sacerdos in propria Persona loqueretur, non verificaretur forma, dum dicit: *Hoc est Corpus meum.*

Q. IV. Quomodo verificentur verba formæ consecrationis; nam dum proferuntur, nondum est Corpus, & Sanguis Christi sub speciebus panis, & vini.

R. Propositiones speculativæ, quæ nihil efficiunt, sed solum affirmant aliquid esse, vel non esse, supponunt jam existere rem, quam enunciant, ut dum dico: *Sol lucet*. Propositiones vern practicæ, & efficientes rem quam enunciant, satis est, si verificentur in instanti ultimo suæ prolationis; nam cum causa sint veritatis, quam enunciant, necesse est prioritate naturæ antecedere suum siguificatum, seu effectum. Ita autem se babent verba consecrationis efficientia transubstantiationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi: *D. Th. 3. p. q. 78. art. 5.* Sunt etiam qui substinent verba consecrationis vera etiam esse veritate speculativa, cum satis videatur esse ad veritatam propositionis speculativæ si verificetur statim post prolationem ipsius propositionis: *Gabr. a S. Vinc. de Euch. d. 12. q. ult.*

Q. VII. Quid sit vis verburum in Eucharistia; & quid per concomitantiam.

R. I. Illud dicitur esse ex vi verborum in Eucharistia, quod expresse per verba consecrstionis significatur, nam dumtsxst efficiunt, quod significant. Cum igitur verba consecrationis panis solum Corpus significent, ac solum Sanguinem verba consecrationis vini, consequens est, ex vi verborum solum corpus humanum physice nrganizatum, & solum Sanguinem esse in Eucharistia: *D. Th. 3. p. q. 76. art. 1.*

R. II. Illud dicitur esse per concomitantiam in Eucharistia, quod non ibi est ex vi verborum, sed ratione connexionis, aut concomitsntiæ. Cum igitur Corpori Christi immediate annexa sit quantitas, cæteraque accidentia; hæc erunt in Eucharistia per immediatam concomitantiam: *D. Th. 3. p. q. 76. art. 4.* Hae eadem concomitancia sunt in Eucharistia Anima Christi, unio hypostatica, & Verbum Divinum, quatenus terminat Humanitatem Christi Domini; omnia enim hęc immediate connectuntur cum Corpore, & Sanguine Domini. Per concomitantiam vero mediatam sunt in Eucharistia etiam Personæ Patris, & Spiritus S. quatenus nempe cum habeant eamdem naturam Divinam cum Verbo, sunt in Eucharistia mediante Verbo.

Regula in praxi observanda.

Non bene se gerunt illi Sacerdotes, qui subtiliter timentes non rite consecrare, tali vi proferant verba, ut etiam capitis motu quodcumque verbum velint associare: quod certe non reverentiam in adstantibm, sed admirationem, & quandoque etiam risum potest excitare. Alii tanta expressione proferunt verba, ut pro ly *hoc*, clare dicant *hocche*, pro ly *meum* dicunt *meumme*, pro ly *calix*, dicunt *calixe &c.* Alii incepto aliquo verbo, iterum ab initio resumunt, dicendn e. g. *me meum*. Illi excusari quidem possunt ratione scrupulorum, quibus agitantur: cæterum non ut convenit, sed modo utique increpandn proferunt verba consecrationis. Cogitent illi, quæso, an credendnm sit Christum Dominum proferentem in ultims Cœns verba consecrationis, tam caput agitasse, & sn verbs præter naturalem loquendi modum prununtiaverit. At exemplum Christi Domini considerent etiam, qui nullsm animi pietatem, ac reverentiam in sacrosanctis verbis pronunciandis exprimunt; & dum nomine Christi loquuntur, non majorem ostenduat reverentiam, ac si de prophann aliquo negocio loquerentur. Ex alio etiam espite non pauci Sacerdotes deficiunt, dum consecrationis verba elata fere voce exprimunt contra ritum Ecclesiæ.

II. Si forte accidat Sacerdotem non meminisse, se pronuntisse verba consecrationis, ordinarie loquendo credere non repetenda; nam difficillime aderit dubium prudens omissa fuisse, cum bene possit accidere nos non recordari eorum, quæ diximus, dum super ea non reflectimus. Dixi, ordinarie loquendo, nam si detur Sacerdos, qui sciat aliquando ita distrahi aliis cogitationibus, ut vel in Officio recitsndo, vel in Missa celebranda facile erret, & aliqua omittat, iste si non recordetur prolatæ consecrationis, non imprudenter timebit illam omisisse. Ego scio aliquem fuisse Sacerdotem, vitæ aliss satis probatæ, qui a precibus Primæ non difficiliter transibat ad preces Completorii, & in Missa a Memento Vivorum ad Memento Mortuorum. Dum ergo detur dubium prudens vel omissam fuisse formam consecrationis, vel aliquod verborum formæ essentialium, vel de quibus dubium est an sint essentialia, Consecratio est repetenda, ac deinde prosequenda reliqua, ne immutetur Ordo Sacrificii: *S. Th. 3. p. q. 83. art. 6. ad 5.* Quid vero dicendum de iis, qui sine dubio rationabili repetunt formam, vide in Tractatu de Sacramentis in genere *cap. 4. q. 6. resp. 3.*

CAPUT IV.

De Ministro tum conficiendæ, tum administrandæ Eucharistiæ, & quæ ab eo servanda sint.

Q. I. QUis sit Minister conficiendæ, seu consecrandæ Eucharistiæ.

R. Catholica Ecclesia ita semper intellexit ea verba a Christo Domino *Luc. 22.* Apostolis dicta: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut solum ipsis, eorumque in Sacerdotio successoribus, facta sit potestas consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi: adeoque hæc veritas patet ex pluribus Conciliis, & specialiter ex Lateranensi *c. Firmiter de Sum. Trin. & Fid. Cathol. §. Una vero;* & ex Tredentinu *sess. 22. c. 1. & can. 2.* Id autem probat S. Th. *3. p. quæ. 82. art. 1.* quia cum Eucharistia in Christi Persona conficiatur, non satis est ipsius Ministrum Christo unitum esse unione spirituali per Fidem, & Charitatem; nam hæc communis esse potest Laicis; sed ulterius ipsi uniri debebat per Sacramentalem potestatem, quæ ratione sacræ Ordinationis obtineretur; cum per ipsam habeatur Sacerdotium proprie dictum, & hierarchicum. Et quia quantumvis Sacerdos sit improbus, adhuc ejus actio sancta est, in quantum fit in Persona Domini, hinc etiam improbus Sacerdos consecrandi retinet potestatem, ut observat idem S. Doctor *art. 5. ad 3.*

Q. II. Quis sit Minister Eucharistiæ dispensandæ; & qui jurisdictionem habeant ad eam disponendam.

R. I. Minister ordinarius Eucharistiæ dispensandæ est solus Sacerdos, nam ipsius consecratio etiam ad dispensationem ordinatur; unde cum Sacerdoti competat consecrare, & ad ipsum pertinebit eam dispensare: *D. Thom. 3. p. quæst. 82. art. 3.* Et quidem solos Sacerdotes alloquutus est Apostolus, dum *1. ad Cor. 4.* ait: *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei.* Nemo autem diffitetur tam in Ecclesia Græca, quam

La-

Latina olim etiam Diaconos fuisse Ministros Eucharistiæ dispensandæ, maxime jubente Sacerdote, ut constat ex *can.* 38. Concilii IV. Carthaginen. quamvis, ut observat *S. Th. cit. ad* 1. magis ipsis fuerit concessum Sanguinem dispensare, quando in usu erat apud Fideles Communio sub utraque specie. Idem S. Doctor, cui communiter subscribunt Theologi, vult etiam modo in urgente necessitate, puta in articulo mortis, posse Diaconum hoc Sacramentum administrare. Non desunt Theologi, qui in tali casu id etiam concedant inferioribus Clericis, vel etiam Laicis, ut scilicet possint communicare seipsos, seu aliis Eucharistiam administrare, tum quia id olim factum esse compertum est; tum quia urgeret præceptum Viaticum sumendi: *Lay. de Euch. c.7. n.5.* Verum, cum id concedant, si fieri possit sine scandalo, dicendum est in praxi non licere: semper enim scandalum adesset, & admiratio, atque omnes dicerent non sine gravi indecentia factum esse. Porro non urget præceptum sumendi Viaticum, dum communiter judicaretur indecenter administrari.

R. II. Ut minister licite Eucharistiam administret, debet esse Pastor ordinarius, ut sunt Episcopi, & Parochi, vel eam dispensare ex istorum commissione. Ratio est, quia dispensatio Sacramentorum, & præcipue Eucharistiæ, qua fideles spiritualiter aluntur, est proprium munus Pastoris: *Laym. c.7. n.3. Passer. t.2. q.187. a.3. n.934.* Verum tamen est intelligi concessam licentiam Eucharistiæ administrandæ per hoc solum, quod alicui Sacerdoti detur facultas celebrandi in aliena Ecclesia; ita enim fert consuetudo, ut communiter DD. docent.

Regulares ex variis Privilegiis videndis apud Passerinum *t.2. q.187. a.2. nu.748.* habent facultatem administrandi Eucharistiam Fidelibus in propria Ecclesia, vel etiam in aliena, dum ibi celebrant, & ita fert consuetudo, quæ dat jurisdictionem. Non possunt tamen administrare Eucharistiæ Sacramentum pro satisfaciendo præcepto Paschali; & quamvis adesset aliquod privilegium continens hanc exceptionem, nihilominus esset subintelligenda; nam in generali concessione non veniunt ea, quæ communi usu sunt excepta, uti se habet Communio pro satisfaciendo præcepto Paschali; sicut neque ea, quæ in specie quis concessurus non esset: *arg. & reg. 81. juris in 6.* Ita proinde sensit S. Congregatio apud Passerinum *num.* 968. Non tamen adhæreo eidem Passerino affirmanti *n.* 972. & Fagnano *in cap. omnis n.43.* qui asserunt non licere Regularibus administrare Eucharistiam in die Paschæ ex devotione communicantibus; nam quæcumque afferatur declaratio in favorem talis sententiæ, consuetudo nunquam interrupta est in contrarium, & consuetudo dat jurisdictionem. Satis proinde erit, si sæculares accedant ad propriam Ecclesiam communicaturi intra tempus præscriptum pro satisfaciendo præcepto Communionis Paschalis, *Lugo disp.18. n.50. Fagund. in 3. præcep. Eccl. c.5. n.8.* Cæterum Laici familiares Regularium habitantes in Monasteriis possunt in ipsorum Ecclesia Communioni Paschali satisfacere, ut *ex Clement. 1. Religiosi §. Sane de privil.* docet cum pluribus Passerin. *t.2. q.197. n.2. n.976.* An vero Regulares possint administrare Advenis, & Peregrinis Communionem Paschalem in propriis Ecclesiis, lis est apud DD. affirmative cum pluribus aliis respondet *Lugo d.18. n.50. Dian. t.2. tr.2. resol.21.* Ego tamen adhærerem contrariæ opinioni; nam dum Advenæ, & Peregrini præcepto Communionis adstringuntur, verificari debet quantum fieri potest illam a proprio Pastore recipere, nec tunc melius alter dici potest ipsorum Pastor, quam Parochus, in cujus Parochia habitant: *Passer. n.978. Barbos. de Offic. Paroch. p.2. c.19. n.16.*

Hic etiam advertendum Religiosos scienter administrantes Eucharistiam Laicis, vel etiam Clericis in casibus sibi non permissis, non solum graviter peccare ex violatione alterius juris in materia gravi, sed etiam incurrere excommunicationem Summo Pontifici reservatam, *ex Clement. 1. Religio de privil.* unde nec possunt Sæcularibus administrari Eucharistiam, etiam in articulo mortis constitutis. Quamvis autem non desint qui dicant id etiam ipsis non licere in absentia Parochi, etsi periculum sit in mora, ego nihilominus nunquam in praxi hujusmodi opinioni adhærerem. Ratio est, quia cum ad administrandam Eucharistiam sufficiat licentia rationabiliter præsumpta ipsius Parochi, oporteret judicare Parochum esse impiissimum, si quis vellet credere licentiam non concessurum instante necessitate administrandi Viaticum. *Lugo d.18. n.43.* & plures alii.

Q. III. Quæ servare debeat Minister pro licita Eucharistiæ dispensatione.

R. Minister dum Eucharistiam administrat, debet esse in Gratia; & quia major pars Theologorum censet ita administrantem Eucharistiam, non præmissa saltem contritione, reum esse gravis irreverentiæ, ideo illum damnant peccati mortalis, ut videre est apud Passerinum *t.2. q.187. a.2. n.962. & Bonac. de Euch. q.5. p.2.* Hic addit toties graviter peccare, quot personas communicat. Bene tamen dici potest unicum tantum committere peccatum; nam pluribus continuate dare Eucharistiam, est una indigna administratio: *Dian. t.1. tr.7. resol.44.* aliique apud ipsum. Cæterum non desunt Theologi, qui, secluso contemptu, credant Sacerdotem in peccato mortali Eucharistiam administrantem, non graviter peccare, quia non conficit Sacramentum, sed solum velut illud movet de loco ad locum: *Lugo d.18. n.17.* & in hanc opinionem inclinat Barbosa *de Offic. Paroch. c.20. n.17.*

R. II. Ut Minister licite administret Eucharistiam, debet id reverenter facere, & servare ritus, & cæremonias Ecclesiæ. Hinc *cap. sane de celeb. Miss.* dicitur Sacerdotem ferre debere cum habitu decenti Sacramentum ad infirmos: *& canon. Ecclesiastica d.23.* debere cum orario, seu stola offerre, & suscipere Eucharistiam. Communiter autem reputatur grave peccatum administrare Eucharistiam sine stola, & superpelliceo, quia tunc ex defectu abitus decentis pro hac administratione, & grave scandalum, & gravis irreverentia erga Sacramentum conciperetur. Præterea communiter reputant DD. consuetudinem Ecclesiæ administrandi Eucharistiam cum superpelliceo, & stola obligare sub gravi, quia est de re gravi. Verum si administraret sine stola, pluribus non videtur gravis culpa, quia ratione superpellicei salvatur Sacerdotem habere habitum decentem: *Gabr. a S. Vinc. d.15. q.2. §. Quæres 7.* Dicunt pariter solum peccare venialiter Sacerdotem suscipientem Eucharistiam sine stola, quia consuetudo illam cum stola suscipiendi, non videtur introducta nisi ad servandam Rubricam, quam non reputant esse de gravi: *Tambur. de Sacr. comm. c.2. §.4. num.10.* & alii apud Dianam *tom.2. tr.2. resol.42.* Eodem modo discurrit Bordonius de Sacerdote deferente sine stola Eucharistiam da uno loco ad alium, quia de hoc nullum extat præceptum, & consuetudo ea utendi non videtur esse de re gravi.

Inter ritus autem administrandi Eucharistiam, ille etiam accensendus est, ut nulli tradantur plures Eucharistiæ particulæ, vel hostiæ grandiores, ut ex Decreto S. Congr. sub die 12. Februar. 1679. At quidem ut ait *S. Th. 3. p. q.79. art.7. Ex hoc, quod Sacerdos plures hostias consecrat in una missa, non multiplicatur effectus hujus Sacramenti, quia non est nisi unum Sacrificium: nihil enim plus est virtutis in multis hostiis, quam in una, cum sub omnibus, & sub una non sit nisi totus Christus. Unde nec si aliquis simul in una Missa multas Hostias consecratas sumat, participabit majorem effectum Sacramenti.*

Alter ritus pro reverenti Eucharistiæ administratione est, ut non solum administretur lumine, cujus tamen defectus, secluso scandalo, reputatur culpa venialis: *Gobat. tr.13. c.10. n.294. Quart. p.2. tit.10. dub.3. diff.3.* contra Leandrum *tr.7. d.4. qu.30.*, qui censet in hoc intercedere gravem irreverentiam. Pertinet pariter ad ritum præscriptum ab Ecclesia præmittere administrationi Eucharistiæ generalem confessionem, & absolutionem, & quia *cap. san. cit.* id præcipitur dum Eucharistia ad Infirmos defertur, non censetur gravis culpa hæc omittere, si in Ecclesia administretur: *Dian. t.2. tr.2. ref.3.* Item Eucharistia indice, & pollice est administranda, ita enim fert tutius Ecclesiæ consuetudo. Ego nihilominus non contradicerem illis DD. qui dicunt in casu necessitatis posse aliis digitis administrari, puta si Sacerdos ob chiragram indice, & pollice impediatur. Et ratio est, quia ex una parte tota manus Sacerdotis est consecrata; & ex alia consuetudo administrandi Eucharistiam indice, & pollice, non videtur tanti momenti, ut omittendum sit præceptum Viaticum administrandi. Multo magis non crederem peccaturum, qui stante tali necessitate, administraret Viaticum manu sinistra, nec reputarur nisi leve peccatum id sine justa causa facere, quia esset violatio Rubricæ in re levi: *Tancr. in qq. moral. tr.3. q.67.*

Controversia etiam est inter Theologos; an tempore pestis ad præservandum Parochum, licitum sit administrare Eucharistiam aliquo decenti instrumento, e.g. cochleari. Ego autem responderem affirmative, quia ritus eam administrandi indice, & pollice bene videtur tunc dispensandus, ob prælervandos Pastores in tanta ovium necessitate: *Avers. de Euch. q.10. sect.2. S. Leander. tr.7. d.4.*

d. 4. q. 20. ex Suarez, & aliis. Dixi tempore pestis, nam alio tempore omnino est prohibitum. Vide *Barbos. de Offic. Paroch. p. 2. cap. 20. n. 46.*

Q. IV. An Sacerdos licite extra Sacrificium possit communicare seipsum.

R. Id negat *Lugo d. 18. num. 30.* & alii, quia cum Sacerdos extra Missam, ut Persona privata communicet, videtur desumere debere Eucharistiam a proprio Parocho, vel alio Sacerdote. Nihilominus, si absit scandalum, & nullus alius sit Sacerdos, non esset damnandus, etsi ex sola devotione vellet Eucharistiam recipere, quia quod potest facere erga alios, & videtur facere posse erga seipsum; cum nullibi id prohibeatur, & nulla intercedat irreverentia. *Bonac. de Euch. q. 5. p. 1. num. 12. Dian. r. 2. tr. 1. resol. 40.* & alii apud ipsum.

Q. V. An Sacerdos possit alium communicare, dando illi partem suæ Hostiæ.

R. Consuetudo Ecclesiæ est, ut dum Sacerdos administrat Eucharistiam, non det partem suæ Hostiæ, sed formulam distinctam, adeoque, si diversimode faciat, ob non servatum talem ritum, peccaret venialiter. Secus si id faciat ex aliqua justa causa, puta ob communicandum infirmum vel etiam personam gravem, & nobilem, quæ ægre posset diutius expectare: *Avers. q. 10. sect. 5.* Cæterum hic observandum congruentius Eucharistiam administrari post communionem Sacerdotis; unde Rituale Romanum sub titulo de Sacramento Eucharistiæ hæc habet: *Communio autem populi intra Missam statim post Communionem Sacerdotis fieri debet) nisi quando ex rationabili causa post Missam sit facienda) cum orationes; quæ in Missa post communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.*

Q. VI. Quando Sacerdos possit, seu teneatur Eucharistiam administrare; & quibus negare teneatur.

R. Quamvis adsit tempus determinatum pro Missa celebranda, hoc non fuit determinatum pro administranda Eucharistia, unde quamvis transierit tempus celebrationis Missarum, adhuc potest Eucharistia administrari: *Salmant. de Euch. c. 8. p. 3. n. 38. Bonac. q. 5. p. 2. num. 14.* Servandæ tamen sunt Ecclesiæ consuetudines, quibus non solet administrari in Missa Nativitatis Domini; quæ media nocte celebratur, nec in die Parasceves, & Sabbati Sancti; nec unquam sub vesperam.

R. II. Certum est Parochum teneri sub gravi administrare Eucharistiam morituris. Quid vero facere debeat tempore pestis; seu si adsit periculum vitæ, jam dixi in quartum Decalogi Præceptum, ubi de Parochi obligationibus actum est. Ibidem pariter explicavi, quando aliis temporibus teneatur Eucharistiam administrare.

R. III. Jam in Tractatu de Sacramentis in genere *cap. 4. qu. 7.* explicavi quibus Parochus debeat Sacramenta denegare; unde ad ibidem dicta Lectorem remitto.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Quamvis ex Theologorum opinione possint sine gravi culpa ommitti quidam ritus pro Eucharistia administranda præscripti, nihilominus diligentissimus sit Sacerdos in iis observandis, difficillime etenim quemcumque ritum sine scandalo ommittet. Hic etiam advertere debeo, non sine scandalo administrari Eucharistiam ab illis Sacerdotibus, qui tam festinanter; & oculis huc illucque vagantibus administrant, ut possent interrogari, an vere credant in Hostiis, quas dispensant, esse Christum Dominum. Tanta etenim est illorum irreligio, ut hoc non credere videantur.

II. Si necessitas cogat, ut Parochus valde festinanter procedat ad Infirmum communicandum, puto id posse facere, quia cessabit omne scandalum; unusquisque etenim opinabitur id fieri, quia ita exposcit periculum, in quo est infirmus. Quoad Parochos Rurales, qui debent deferre Eucharistiam in loca longinqua, & per vias difficiles, observat *Barbos. de Offic. Paroch. c. 20. n. 33.* ommittere posse umbellam, si de facili non possit deferri, & portare debere pyxidem unam tantum Hostiam continentem, eamque reponere in bursa serica decenter ornata, & collo appensam gestare, ne si contingat cadere in via, oriri possit irreverentia, & scandalum. Ita etiam præscripsit S. Carolus in *Act. Eccles. Mediol. p. 4. f. 684.* Concedit etiam sub num. 51. ut eat equo mansueto, si locus valde distans sit, & ita ferat consuetudo. Semper tamen habere debet habitum decentem, scilicet superpelliceum, & stolam, & curare debet habere Socios aliqua lumina deferentes.

CAPUT II.

De Subjecto Eucharistiæ; & de Dispositionibus in eo Sacramento.

Q. I. QUI sint capaces Eucharistiæ suscipiendæ, & quotuplex sit Communio.

R. I. Certum est solos Baptizatos esse capaces Eucharistiæ, nam Baptismus Janua est cæterorum Sacramentorum. Hinc quandoque etiam pueris baptizatis Eucharistia administrabatur, maxime dum nondum Ecclesia usum Calicis ex convenientibus rationibus prohibuerat. Hi autem percipiebant effectum Sacramenti ex opere operato: sicut enim pueri sunt capaces generationis spiritualis, ita & nutritionis. *Aver. de Euch. q. 8. sect. 1. Lugo disp. 33. n. 10.* Nihilominus bene invaluit usus in Ecclesia, ut Eucharistia non administretur nisi iis; qui talem usum habent rationis, ut eam, qua par est reverentia, & devotione, possint suscipere; ita enim exposcit reverentia tanto Sacramento debita. Hinc *S. Th. in 4. d. 9. a. 5.* ait pueris carentibus usu rationis, qui non possunt distinguere inter cibum spiritualem, & corporalem, non dandam esse Eucharistiam, quia ad Eucharistiæ sumptionem exigitur actualis devotio, quam tales pueri habere non possunt. Idem quod de pueris, dicit de Amentibus *3. p. qu. 70. a. 9.* Quod si nihilominus lucida habeant intervalla, itaut valeant dignoscere excellentiam hujus Sacramenti, & sese ad illud suscipiendum convenienter disponere, tunc posset illis administrari. Eodem modo loquitur de Energumenis baptizatis; unde, si aliud non obstet, poterit illis administrari Eucharistia dum a Dœmone non vexantur.

Difficultas est de surdis, & mutis a nativitate, quos non pauci Theologi judicant capaces hujus Sacramenti, quia solent esse perspicacioris ingenii, & facillime plura addiscere per nutus, & signa: *Dian. p. 5. tr. 6. resol. 6. & 7.* & alii apud ipsum. Apud me tamen non tanti ponderis sunt ipsorum rationes, ut in contrariam non inclinem opinionem. Considero igitur ex una parte tam excellens esse Eucharistiæ mysterium, ut non solum nutibus non possit edoceri, sed neque ullatenus humana ratiocinatione comprehendi; ex alia vero parte cum cognoscere, & recipere Eucharistiæ Sacramentum non sit necessarium necessitate medii ad salutem, non cogimur dicere Deum interiori illustratione surdos, & mutos a nativitate instructurum, ut docet *S. Th. p. 14. de ver. a. 11. ad 1.* de eo, qui in silvis esset nutritus, & secundum naturæ legem viveret. Cum autem aliunde Ecclesiæ consuetudo sit, ut saltem extra articulum mortis non administrent hoc Sacramentum ignoranti illud a simplici pane discernere, nescio videre, quare administrandum sit surdo, & muto a nativitate, in quo talem esse notitiam non sufficienter probatur.

R. II. Triplex est genus Communionis Sacramentalis tantum, & hæc est Peccatorum, qui corpus quidem Christi in hoc Sacramento recipiunt; non vero illius effectus. Spiritualis tantum, illorum nempe qui sunt in Gratia; ac non actu, sed desiderio, & fide viva cœlestem hunc panem edunt. Sacramentalis, & spiritualis simul, & est illorum, ut ait Tridentinum *sess. 13. cap. 8.* qui ita se prius probant, & instruunt, ut veste nuptiali induti ad Divinam hanc mensam accedant. Illi igitur sacramentaliter, & spiritualiter Eucharistiam recipiunt, qui ad ipsam in statu Gratiæ accedunt; unde recipiunt Corpus Christi, & effectus etiam Sacramenti.

Q. II. An ad suscipiendam Eucharistiam status Gratiæ requiratur; & an necesse sit existenti in peccato mortali præmittere confessionem.

R. I. Cum Eucharistia instituta sit per modum cibi, quapropter ait Christus Jo: 6. *Caro mea vere est cibus*, consequens est quod sicut cibus corporalis supponit vitam naturalem in suscipiente, ita & cibus spiritualis supponat vitam spiritualem in anima, mediante Gratia. Non sunt tamen arcendi a Sacra Communione ii, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers, ut dicebat propositio 23. ex damnatis ab Alexandro VIII. nam semper docuit Ecclesia statum Gratiæ sufficere; alias dicendum esset Christum Dominum pro sanctissimis, adeoque rarissimis Personis tantum hoc Sacramentum instituisse.

R. II. Habens conscientiam peccati mortalis, si vult recipere Eucharistiam, non satis est, si eliciat actum contritionis, sed premittere debet Confessionem, ut ha-

bet

bet Tridentinum *sess.* 13. *c.* 7. Ita etiam semper docuit Ecclesia propter ea verba Apostoli 1. ad Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* At quia antea dixerat Apostolus: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis*, hinc magis communiter docent Theologi præceptom pręmittendi Confessionem Communioni, respectu illius, qui est io peccato mortali, esse Divinum: *Lugo de Euchar. disp.* 14. *a n.* 69. *Palaus tr.* 21. *p.* 12. *n.* 3. *Aversf. q.* 8. *sect.* 3.

Q. III. Quando conscius peccati mortalis possit recipere Eucharistiam non præmissa Confessione, sed sola Contritione.

R. Tridentinum loco citato id dicit posse fieri, si desit Confessarius, & urgeat necessitas. Primo ergo necesse est non habere copiam Confessarii; & tunc deesse judicatur, quando valde grave est Sacerdoti illom accersere. Sed quia quod valde grave est Sacerdoti e. g. seni, seu valetudinario, leve judicari potest respectu alterius Sacerdotis, ideo communiter docent Theologi circa hoc standum esse judicio viri prudentis. Secundo, debet intervenire necessita, communicandi, cujus varii casus adducuntur a Theologis. Primo, si moriatur Sacerdos post consecrationem, tunc alter Sacerdos, qui esset in peccato mortali, & non haberet Confessarium, elicita contritione posset perficere Sacrificium, & communicare, ne istud imperfectum remaneret: *Suar.* 3. *p. d.* 66. *sect.* 6. & alii quos sequitur *Diana tom* 1. *tr.* 3. *ref.* 156. Secundo, si non possit omitti Sacrificium sine scandalo proximi: *Candid. art.* 22. *dub.* 17. & passim Theologi: Idemque dicendum de eo, qui non potest omittere Saerificium, seu Communionem sine infamia: *D. Antonin.* 4. *part. tit.* 14. *cap.* 19. *§.* 6. Tertio, si adsit necessitas communicandi moribundum: *Candid. art.* 22. *dub.* 26. Quarto si Parochus celebrare debeat die festo, ut Parochiani Missam audiant: *Cand. cit. dub.* 31. *Salmant. de Euch. c.* 7. *p.* 3. *n.* 52. *Aversf. q.* 8. *sect.* 6. Id tamen non extendendum ad Sacerdotem non Parochum, quia non tenetur ex officio celebrare; adeoque respectu illius non reputatur necessitas gravis, si aliunde non esset periculum infamiæ: *Lugo disp.* 14. *n.* 11. *Salam. n.* 53. Neque refert, quod si ipse non celebraret, noo posset populus die festo Missam audire; nam præceptum præmittendi Confessionem ante Communionem fortius reputatur, utpote divinum, præcepto ecclesiastico audiendi Missam, sicut & præcepto satisfaciendi annuæ commuoioni: *Salmant. cit n.* 54. & 55.

Quinto, non pauci afferunt Sacerdotem posse cum sola contritione communicare, si incepta Missa incidat in mortale, vel peccati mortalis recorderut, & hanc opinionem in praxi puto esse sequendam. Ideo autem in praxi puto sequendam, non solum, quia videtur non posse Sacrificium sine irreverentia interrumpi, dum fieret Confessio; sed multo magis quia non esset sine populi scandalo. Et quidem si tunc intervenit scandalum, ut docet *Lugo disp.* 14. *n.* 118. quando datur occasio graviter peccandi, ut temere judicandi, obmurmurandi &c. quis non videat quam graviter judicaret populus, simulque de Sacerdote detraheret, si videret Celebrantem advocare Confessarium ad altare? Præterea non levis infamia ipsi immineret, si aliunde notum non esset etiam Lippis, & Tonsoribus valde esse scrupulosum. Hanc sententiam docet Sotus *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *art.* 7. *Laym. de Euch. c.* 6. *n.* 5. & alii. Difficiliter nihilominus excusari posset Sacerdos celebrans solemniter, si facile posset sine scandalo, & admiratione absolutionem ab eo, qui faceret officium Diaconi, recipere.

Item difficiliter excusari posset ratione scandali, & admirationis ille, qui recordatur peccati mortalis, dum est in scamno Communicantium, & recipit Cummunionem non præmissa Confessione. Compertum est non paucos recedere a loco, ubi administratur Eucharistia, etiam ratione peccati venialis, vel etiam meri scrupuli. Item non raro ibi adsunt etiam ii, qui oolunt recipere Eucharistiam. Demum non solent Adstantes considerare, an aliquis recedat a Scamno Communicaotium, ut iterum peccata confiteatur; & si forte videant ad Confessarium redire, illum judicant scrupulosum. Hanc ergo communiorem opinionem puto omnino in praxi esse sequendam.

Q. IV. Quando eliciendus sit actus contritionis, dum juxta supradicta recipienda est Eucharistia sine Confessione.

R. Omnes conveniunt, Laicum, qui in tali circumstantia sit, ut nun possit sine scandalo, aut infamia omittere Communionem, satis esse, si eliciat Cuntritionem ante Communionem. Difficultas ergo est respectu Sacerdotis, qui incidit in mortale, vel rec rdatur mortalis incœpta Missa. Et quidem, si antea confessus fuerat, & postea recordetur peccati mortalis obliti in Confessione, non improbabiliter dicitur non teneri ad eliciendum actum contritionis, cum jam per Confessionem indirectam etiam illius absolutionem obtinuerit, & sit in statu Gratiæ: *Aversf. q.* 8. *sect.* 7. *Tamb. de exped. Comm. c.* 1 *§* 8. *n.* 63.

Quod si antea non fuerat confessus, non desunt qui velint teneri statim confiteri, ac committit peccatom grave, vel illius recordatur. Ego autem observo non semper peccare mortaliter exercentem in peccato mortali actus, ad quos est consecratus, ut patet de Sacerdote benedicente aquam, vel de Episcopo consecranre in peccato mortali Ecclesiam, seu Calices. Hinc non puto peccare mortaliter Sacerdotem, qui recordatur peccati mortalis incœpta Missa, & non eliciat contritione recitat e. g. Evangelium &c. Status ergo gratiæ videtur sub gravi requiri in ordioe ad cunsecrationem, aut sumptionem; unde, si Sacerdos committat, vel recordetur peccati mortalis incæpta Missa, satis erit si elicita actum contritionis ante Consecrationem, & cummodius id facere poterit in *Memento*. Si vero recorderur post consecrationem, satis est si conteratur ante sumptionem. Addendum quod si elicere deberet contritionem ante Offertorium, dum ante illum recordetur peccati mortalis, deberet cum admiratione Missam interrumpere: *Lugo de Euch. d.* 14. *n.* 134. *Quarti p.* 3. *t.* 8 *sect.* 3. *d.* 5. Hic autem Author cum aliis ab eo citatis *ib. sect.* 2. *d.* 5. addit, quod si Sacerdos prædictus faciat quantum potest ad eliciendum actum contritinnis, & nihilominus non ipsi videatur suus dolor ad contritionem pertingera, potest prosequi Sacrificium cum eo dolore, quem tunc elicere potest, quia ipsi videtur præceptum de perficiendo Sacrificio prævalere præcepto de communicando in Gratia. Idem asserit de Laico jam jam communicaturo, ita ut descendere non possit sine gravi admiratione, dummodo doleat quantum patitur temporis angustia. Vult tamen conteri debere antequam particulam deglutiat; nam Sacramentum non habet causare Gratiam, dum est in ore, sed dum transmittirur in stomachum. Ipsi consentit *Aversa q.* 8. *sect.* 5. *§.* 2. Eaistimat demum cum aliis ab eo citatis præceptum impediendi formalem irreverentiam Sacramenti prævalere præcepto de communicando in statu Gratiæ, unde excusat qui in statu peccati sumeret particulas consecratas, ne ab Infidelibus, seu Hæreticis conculcarentur.

Q. V. Quos Sacerdotes comprehendat Tridentinum, dum præcipit Sacerdoti celebranti non præmissa confessione, ut *quamprimum* confiteatur; & quando adimplendum, sit hoc præceptum.

R. I. Tridentinum *sess.* 13. *c.* 7. ubi imponit præfatum præceptum, loquitur de Sacerdote non habente copiam Confessarii, adeoque celebrante præmissa contritione. Bene autem dicitur hoc præceptum comprehendere etiam Sacerdotem celebrantem in die Parasceves: *Lugo disp.* 14. *n.* 139. *Filiuc. de Euch. c.* 8. *n.* 223. sicut & Sacerdotem, qui perficit Sacrificium, quod alter non potuit absolvere: *Cand. art.* 22. *d.* 61. Et ratio est, quia in his casibus Sacerdos dicitur communicare more Sacerdotali, & vestibus Sacerdotalibus indutus celebrare.

R. II. Cum Tridentinum loquatur de Sacerdote in necessitate cum contritione celebrante, quia deest Confessarius, videtur non ligari præcepto Tridentini Sacerdos, qui dum est ad altare recordatur peccati mortalis, & quamvis habeat copiam Confessarii, nihilominus ratione scandali Confessionem omittit: *Lugo de Euch. d.* 14. *n.* 146. *Leander disp.* 7. *q.* 50. *Dian. tit.* 1. *tract.* 3. *resol.* 179. Item præceptum Tridentini non videtur comprehendere Sacerdotem celebrantem ex malitia in peccato mortali; nam Tridentinum loquitur de Sacerdotibus celebrantibus ex necessitare, præmissa sola contritione ob defectum Confessarii, & aliunde in lege pœnali non valet argumentum a minori ad majus: *Lugo citat. n.* 170. *Anton. a Sp. S. de Euch. d.* 4. *sect.* 2. *n.* 120. *Bonac. de Euch. q.* 6. *p.* 1. *nu.* 38. Dicendum pariter non teneri confiteri ex vi Tridentini, qui recordatur peccati mortalis post Missam, nam Concilium loquitur de Sacerdote, qui tenebatur ante Missam confiteri, si adfuisset Confessarius, *Dian. tom.* 1. *tr.* 3. *resol.* 80. Demum bene dici potest non obligari præcepro Tridentioi Sacerdotem communicantem more laicorum; sicuti optime sustinetur illud præceptum oon respicere Laicos, cum loquitur expresse de Sacerdotibus: *Cand. art.* 22. *d.* 57. *Aversf. q.* 8. *sect.* 7. *Dian. tom.* 1. *tr.* 3. *resol.* 185.

R. III. Postquam Alexander VII. sub n. 38. damnavit propositionem asserentem Tridentinum oon impofuisse

suisse præceptum, sed consilium dedisse, sub num. 29. hanc aliam propositionem damnavit: *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. Optime autem statim dignoscitur damnatam fuisse præfatam propositionem, cum per eam omnino eludi potuisset præceptum Tridentini, si etenim satisfieri potuisset præcepto de confitendo *quam primum* per confessionem suo tempore faciendam, verificaretur illum satisfecisse huic præcepto, qui post tres menses confiteretur. Quia tamen ly *quam primum* moraliter sumendum est; ideo nimis rigida mihi apparet illorum opinio, qui volunt Sacerdotem statim post Missam teneri ad Confessionem. Ego igitur credo non solum ad diem sequentem posse Confessionem differre, sed solum ex præcepto Tridentini teneri intra triduum confiteri; quod enim fit intra triduum, ni aliud exposcat natura rei, quæ præstanda est, dicitur fieri quamprimum, & continuo: *leg. fin. C. de Judic. & l. fin. Cod. de error. Advocat.*; atque ita sentiunt *Candid. art. 22. dub. 56. Dian. tom. 1. tr. 3. resol.* 171. aliique apud ipsum.

Q. VI. An jejunium naturale necessarium sit ad Eucharistiam suscipiendam; & quando violari intelligatur.

R. I. Antiquissima est Ecclesiæ consuetudo præmittendi jejunium naturale sumptioni Eucharistiæ, ita ut ante ipsius sumptionem nihil transmissum sit in stomachum per actionem manducandi, & bibendi; unde præceptum de hoc jejunio servando confirmavit Concilium Costantiense *sess. 13.* Hujus autem jejunii congruentias affert S. Thom. *3. part. qu. 89. art. 8.* tum scilicet ob reverentiam tanti Sacramenti, quod minus decet recipi in ore cibo, vel potu infecto: tum ut dignosceremus ante omnia in cordibus nostris locum dandum esse Christo, ejusque Charitati: tum ad removendum periculum vomitus ex in ordinato cibo, & potu.

Porro ego adhærendum semper putavi illis Theologis, qui asseruerunt communicaturum debere certum esse de observantia jejunii naturalis, atque a Communione abstinere, si illud violasse dubitet. Ratio mihi est, quia licet legi certæ, ut alias dixi, satisfactum intelligatur satisfactione vere probabili, excepta tamen materia Justitiæ, id tamen non puto locum habere in præsenti casu. Tunc igitur satisfactione vere probabili satisfit obligationi legis, quando cum incommodo subditi iterum ponendum esset opus injunctum, quia tunc bene præsumitur talem esse mentem Legislatoris. Ita qui habet rationem vere probabilem recitasse Horas Canonicas, non tenetur iterum eas recitare, quia non præsumitur Ecclesiam velle ipsum iterum subire tale incommodum, dum prudenter judicari potest obligationi ab ea injunctæ satisfactum fuisse. At cum nullum opus iterum ponendum sit, sed solum abstinendum ab aliqua re facienda, si ipsius lex non fuit observata, tunc non puto præsumi posse velle dubitantem de tali observantia non abstinere a re, quæ licite fieri non potest, nisi præsupposita observantia legis, cum nullum sit incommodum ab ea re, scilicet in casu nostro a Communione abstinere. Hic proinde bene subintrat illa regula, quod legi certæ non satisfit per incertam satisfactionem.

R. II. Non frangitur jejunium naturale, eo quod deglutiantur saliva, & alii humores ex capite defluentes, quia non sumuntur ab extrinseco per modum cibi, & potus, *Lugo disp. 25. n. 23.* Ita nec si deglutiantur reliquiæ ex præterita cœna dentibus adhærentes: *D. Th. 3. p. q. 80. a. 8. ad 4.* Secus ex eo, aliisque dicendum, si ex proposito deglutiantur; quamvis neque per hoc frangi jejunium naturale doceat *Quarti p. 3. tit. 9. d. 2. diff.* 1. aliique apud ipsum. Nullatenus tamen adhærerem opinantibus non frangi jejunium naturale ab eo, qui imponeret aliquid in ore ante mediam noctem, si paulatim liquefiat, & post mediam noctem in stomachum descendat, nam vere per modum cibi sumptum est, & perseverat illius manducatio usque ad tempus, quo jejunium naturale frangitur: *Lugo de Euch. d. 15. nu. 37. Cand. art. 25. dub. 13.* & magis communiter.

Si Musca, vel culix voluntarie attrahantur, & deglutiantur, certum est frangere jejunium naturale quia possunt habere rationem cibi. Secus dicendum, si involuntarie attrahantur per respirationem; cum jejunium naturale solvatur per actionem comestivam, vel potativam: *Cand. art. 25. d. 8. Pasqual. decis.* 423.

Q. VII. An Tabaccum frangat jejunium naturale.

R. Quoad Tabbacum per nares attractum certum est non frangere jejunium naturale; idemque dicunt, si per nares aliqua pars trajiciatur per accidens in stomachum, quia non sumitur per modum cibi: *Pasqual. dec.* 416. *Dian. tom. 1. tract. 1. res.* 120. Idem dicunt de eo, qui prægustando Tabaccum in folio, aliquid illius salivæ admixtum præter intentionem trajiceret in stomachum, quia tunc sumeretur per modum salivæ. *Pasqual. dec.* 429. aliique ab eo citati. Item ex communi DD. non frangit jejunium naturale, qui visum alubendo, sive per os, sive per nares aliquam aquę guttam salivæ admixtam præter intentionem deglutiret. *Quod dictum* est de degustante Tabaccum, extendit Pasqualigus *dec.* 439. ad eum, qui aliquid fumi Tabacci in stomachum trajiceret, eo magis quia fumus cibus non est, quamvis non desinant apud eum in contrarium opinantes. Quidquid tamen sit de hoc, certum est apud me non posse sine aliqua indecentia ante Eucharistiæ sumptionem Tabaccum degustari, vel illius fumum.

Q. VIII. An frangatur jejunium naturale, si ante Eucharistiam aliquid non nutriens deglutiatur.

R. Si deglutiatur lapis &c. ante Eucharistiæ sumptionem, violari jejunium naturale affirmat *S. Th. 3. p. q. 80. art. 8. ad 4.* & cum eo plures Theologi; ipsis etenim videtur frangi jejunium naturale per id omne, quod sumitur per modum cibi, sive nutriat, sive non. Ego etiam alias huic opinioni adhæsi, observando jejunium naturale non imponi Eucharistiam suscipientibus solummodo ex motivo Temperantiæ, sed etiam ob reverentiam tanti Sacramenti; cui motivo opponitur etiam, quod non habet rationem cibi. Multi tamen negativæ adhærent opinioni, ut videre est apud Pasqualigum *dec. 149. Dian. tom. 2. tr. resol.* 119.

Q. IX. In quibus casibus liceat non jejunis recipere Eucharistiam.

R. I. Semper cum sumendum est Viaticum, administrari potest etiam non jejunis, ut constat ex Concilio Constantiensi *sess. 13.* Quamvis autem magis communiter doceant DD. servandum esse jejunium ab Infirmo, qui commode potest jejunare, non desunt tamen qui asserant, quod semper cum sumitur Eucharistia per modum Viatici, sumi possit etiam a non jejunis, quamvis commode possint jejunare; nam dum Constantiense dicit præceptum jejunii naturalis non obligare in ordine ad Viaticum, non distinguit inter eos, qui commode, vel cum gravi incommodo jejunarent: *Leand. disp. 5. q. 38. Pasqual. in Oper. posth. q.* 249.

R. II. Licite a non jejuno recipitur Eucharistia, dum id necessarium est ad integritatem, vel id exposcit reverentia Sacrificii, seu Sacramenti. Si igitur necessarium sit recipere Eucharistiam sine jejunio, ut perficiatur Sacrificium id omnino fieri debet, cum strictius obliget præceptum de perficiendo Sacrificio, quam præceptum jejune sumendi Eucharistiam. Si proinde Sacerdos recordetur post consecrationem non esse jejunum, tenetur Missam prosequi: *D. Th. 3. p. q. 83. art. 6. ad 2.* Idem dicendum, si Celebrans non possit post consecrationem Missam prosequi, & non adsit, nisi Sacerdos non jejunus, qui perficere possit Sacrificium. Eadem ratione, qui sumendo Calicem advertit aquam loco vini, vel vinum non aptum consecrationi appositum fuisse, debet eam deglutire ratione fragmenti hostiæ consecratæ, & item consecrare, ut suo loco dicetur, & ita sine jejunio calicem consecratum sumere: *Lugo disp. 15. n. 75.* Demum quia pertinet ad complementum Sacrificii quidquid Sacerdos pro Sacrificio consecravit, hinc Sacerdotem, etiam sumpta ablutione, posse sumere reliquias, seu fragmenta, quæ cognoscit omisisse, habetur etiam in Rubricis *de defect. intent. n. 2.* Id etiam extendunt quamplures ad totum tempus, quo Sacerdos est ad altare, quia usque dum ibi est, non intelligitur absolute completum Sacrificium. Eo vero peracto in Sacristia, quamvis sacris vestibus indutus, non potest fragmenta sumere; ni forte sine irreverentia non possent asservari: *Laym. de Euch. c. 6. n. 21.* & plures alii. Videndus etiam Leander *disp. 4. q. 31.*

Dixi Sacerdotem sumpta ablutione, seu nondum peracto sacrificio, sumere posse *quidquid pro sacrificio consecravit*; nam quæstio est, an Sacerdos post ablutionem sumere etiam possit integras particulas pro communione fidelium consecratas, & sententiam affirmativam tenet Lugo *disp. 15. n. 81.* ea ductus ratione, quia & ipsæ spectant ad idem Sacrificium, quod perficere debet Sacerdos. Verum contrarium habetur ex Rubricis *loc. cit. n. 7.* & idem docet cum aliis: *Quarti p. 2. tit. 10. sect. 2. dub. 3.* Cum igitur illæ particulæ consecratæ fuerint pro usu fidelium, non pertinere videntur ad integritatem Sacrificii.

ficii. Solum ergo id liceret, dum non possent sine debita reverentia asservari, ut si non esset Tabernaculum, in quo asservatur SS. Sacramentum.

Dixi etiam in responsione posse sumi Eucharistiam a non jejunis, dum id exposcit reverentia Sacramenti. Et quidem constat præceptum naturale vel reverenter tractandi hoc Sacramentum, vel impediendi ipsius prophanationem, prævalere præcepto positivo de observando jejunio. Ob reverentiam igitur debitam Sacramento, si particula hostiæ Calici adhæreat, vel etiam palato, sumi debet cum nova ablutione; & si ista non sufficit, ut hostia deglutiri possit, nova ablutio adhibenda est, ita enim major reverentia demonstratur Sacramento, quam si digito removeatur. Vide Rubr. *de defec. in ministr. n. 8.* Idem dicendum, dum Sacerdos purificat pixidem, nam potest seitatatis ablutionibus sumere fragmenta, quæ in ea sunt: *Quart. p. 3. tit. 10. sect. 2. d. 2.* Ubi advertendum, quod quamvis magis communiter dicatur non posse Sacerdotem sumere post ablutionem reliquias, seu fragmenta alterius Sacrificii, siquidem non pertinent ad integritatem sui Sacrificii: *Lugo disp. 15. n. 80. Dian. t. tr. 1. resol. 250.* nihilominus sumi possunt etiam post ablutionem; dum decenter non possint conservari; unde, ut dixi, iteratis ablutionibus sumi possunt, dum necesse est pixidem purificare.

Ob impediendam etiam profanationem Sacramenti, ne male e. g. tractetur ad Infidelibus, vel Hæreticis, sumi potest a non jejuno, ut passim docent Theologi: *Lugo disp. 15. n. 87.* Idem dicendum esset, si pedibus esset conculcandam propter aliquam imminentem ruinam, vel incendio absumendum, *Laym. de Euch. c. 6. n. 22.*

R. III. Tamquam indubitatum reputat Layman posse aliquem non jejunum Eucharistiam recipere, vel celebrare, si ex eo quod non communicet, vel celebret, gravo scandalum sit oriturum. Ratio est, quia tunc præceptum naturale de removendo scandalo prævalet positivo de obligatione jejunii pro Eucharistia recipienda: ultraquamquod leges positivæ non intelliguntor tam severe obligare. Exemplificant id Theologi in Sacerdote, qui ante consecrationem recordaretur se non esse jejunum, & si ab Altari recederet, prævideret temere de eo esse judicandum, graviter detrahendum &c. *Tamb. in Meth. exp. Comm. cap. 2. §. 8. n. 33.*

R. IV. Sunt qui asserunt licere Sacerdoti non jejunio celebrare, si necessitas sit Viaticum administrandi, quando non adsint aliæ particolæ consecratæ, putantes Ecclesiam non tam rigide imposuisse præceptum jejunii pro Eucharistia recipienda, ut velit ob ipsius observantiam Infirmum Viatico carere. At opinio contraria amplectenda videtur; nam Concilium Constantiense concedit quidem infirmo non jejuno recipere posse Eucharistiam per modum Viatici, at hoc privilegium non favet Sacerdoti pro infirmo communicando; & aliunde non tenetur infirmus recipere Eucharistiam quoties ipsi administrari non possit, non servando quæ præscribit Ecclesia. Videatur Lugo *de Euch. d. 15. sect. 3. n. 67.*

Q. V. An qui sumpsit Eucharistiam, debeat per aliquod tempus a cibo, & potu abstinere.

R. Ut notat Layman *de Euch. c. 6. n. 23.* nullum extat præceptum de abstinendo a cibo, & potu post sumptionem Eucharistiæ. Observant nihilominus communiter DD. esse aliquam indecentiam statim comedere, vel bibere, & ob reverentiam Sacramenti esse abstinendum, quousque species corrumpantur, si commode fieri possit. Eadem ratione monet indecens esse statim post Communionem expuere quamvis particula descenderit omnino in stomachum; & maxime si sputum ex pectore ascendat, nam hoc plus periculi; & irreverentiæ continet.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Non sit nimis facilis Confessarius in admittendis quibusdam rationibus, quibus Sacerdotes, habentes conscientiam peccati mortalis, putant cum sola contritione potuisse Sacrificium celebrare. Dum e. g. adducant absentiam confessarii, si bene interrogentur, constabit etiam longius ituros, quando aliquid lucri percipere potuissent pro aliqua Ecclesiastica functione peragenda. Cur ergo & id præstare non debebant pro divino præcepto adimplendo? Si dicant celebrasse, ne populo scandalum præberent, cum sciat alias solere quotidie celebrare, Confessarius interrogando fortasse cognoscet hunc scandali timorem non habuisse, dum ommisit Missam pro venatione vel altero sæculari negotio, quod illi valde cordi erat. Præterea omne sandalum removeretur, si allo migrarent ad sua peccata expianda, quis etenim tunc sciret an Missam ommiserint, nec ne? Addendum tunc intervenire tale scandalum, ut celebrari possit Missa, sola præmissa contritione, quando prævideretur grave peccatum sequuturum, e. g. gravis detractionis. Hoc autem solummodo intervenire posset, si Parochus die festo non celebraret, vel ad summum valde frequenter aliis diebus. Si proinde in aliis casibus habens conscientiam peccati mortalis celebret cum sola contritione, ordinarie loquando, vera ratio Missam non ommittendi, erit velle non deperdere consuetam eleemosinam.

II. Quamvis per se, & serio non impediatur a celebrando, seu a Communione percipienda, qui pridie, vel eodem dia graviter peccavit, si Confessione peccatum deleverit, nihilominus consulendum illi est a celebrando, vel a Communione abstinere, maxime si peccatum carnis commiserit; tum propter corporalem immunditiam; tum propter mentis evagationem, quæ post talia peccata solet remanere: *S. Th. in 4. dist. 9. q. 1. art. 4. 2. ad 2.* Immo bene est ita peccantibus Confessarium aliquando præcipere, ne tam cito ad Communionem accedant, ut ita majorem sui peccati horrorem concipiant. Bene etiam est iis suadere, ut antequam accedant ad Communionem, curent operibus satisfactoriis delere reatum etiam pœnæ debitæ commissis peccatis; at id non est necessarium, quapropter Alexander VIII. sub num. 22. sequentem damnavit propositionem; *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.*

III. Quoad eum, qui passus est involuntariam pollutionem, seqoentes regulas dat S. Thomas *3. p. q. 80. a. 7.* Videtur igitur debere ex quadam congruitata a Communione abstinere propter corporis immonditiam, maximo si evenerit ex turpi cognitione, unda mentis evagatio perseveret. Id tamen non attendendum, si ratione alicujus diei festivi conveniens sit Communionem accipere; vel si non sit alius Sacerdos, qui Missam celebret. Vult etiam S. Doctor discretum Confessarium animadvertere quandoque involuntarias pollutiones ex Dæmonis nequitia causari, ut impediat hominem a sumptione hujus Sacramenti; & in hoc casu neque ex quadam congruentia abstinendum essa a Communione.

IV. Quoad exercentes actum conjugalem dicit ibidem S. Th. in responsione ad primum, quod si illum exerceant causa voluptatis, videntur a Communione arcendi, sed quia non peccarunt nisi venialiter, certe non tenentur abstinere sub gravi culpa. Si vero exercuerunt actum conjugalem ex solo fine habendi sobolem, vel reddendi debitum, quamvis videatur ipsi ex quadam congruentia, propter fœditatem scilicet corporis, maxime si mentis evagatio perseveret, abstinendum esse a communione, nihilominus concludit relinquendos esse suo judicio: *Quia a nobis probiberi non debe accipere, qui in igne positus, nescit ardere*, ait S. Gregorius *can. Vir cum propria 33. q. 4.* Audiatur etiam S. Franciscus Salesius Introduct. ad Vir. Devot. p. 2. cap 20. *Per render questa debito non deve alcuno esser privato dalla Comunione, se per altro la sua divozione la spinge a desiderarla. Certo nella primitiva Chiesa i Cristiani si communicavano ogni giorno, ancorchè fossero maritati, e avessero la benedizione della generazione de' figli. Per questo ho detto, che la frequente comunione non recava scomodità alcuna nè a Padri, nè a Mogli, nè, a Maritati purchè l'anima, che si comunica sia prudente, e discreta.* Cęterum semper consulendum est iis, qui volunt recipere Eucharistiam, ut per aliquod tempus, vel saltem pridia abstineant ab actu conjugali, ut habetur *can. Omnis homo dist. 2. de consecr.* & monet Catechismus *p. 2. n. 57.*

V. Abstineant omnino Ministri Ecclesiæ a reprehendenda frequenti Communione; & meminisse debent, quæ respondit S. Catherina Senensis illi, qui ipsam ob frequentem Communionem objurgabat, ea ratione quod S. Augustinus non reprehendit quidem frequantem Communionem, sed nec laudat. *Quæso ergo*, ait illa Sancta Virgo, *nec tu vituperes si non vis laudare.* Sciant igitur isti non laudabiles Criminatores frequentiæ Communionis communiter SS. P. frequentiam Communionis commendare, propter magnam, quam affert hoc Sacramentum utilitatem, *& ideo utile est quotidie illud sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat*, ait S. Th. *p. q. 80. a. 10.* Et Sacrosancta Tridentina Synodus *sess. 22 c. 6.* hæc habet: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramen-*

cramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos hujus Sacramenti fructus uberior proveniret.

Satagant potius Confessarii, ut frequenter communicantes ad Eucharistiam ea, qua par est, devotione, & fructu accedant, ut monet S. Congregatio in suo decreto edito circa frequentem Communionem an. *1679.* 15. Febr. Debitæ autem dispositiones ad frequenter communicandum ad sequentes reducuntur. Prima est, ut frequenter ad Eucharistiam accedens immunis sit ab affectu etiam peccatorum venialium; quamvis enim non sit, qui ab iis peccatis omnino immunis esse possit, bene tamen carere potest affectu erga eadem peccata. Videatur S. Franciscus Salesius loco supra citato. Secunda est, ut frequenter communicans habeat vehemens desiderium recipiendi Eucharistiam, quod tamen oriri non debet ex quadam vitiosa habitudine, ut notat S. Franciscus Salesius, sed ex ardore Charitatis: illius autem originem dignoscet Confessarius ex fructu, qui ex frequenti Communione percipitur. Nihilominus perpendere debet prudens Confessarius, quandoque Dæmonem ad arcendas pias animas a Communione reddere illis valde molestum Eucharistiam recipere; unde si videat has ex communione fructum recipere, non debet permittere ea abstinere. Tertia est, ut ex frequenti Communione reverentia erga tantum Sacramentum non minuatur; unde *si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem magis augeri, & reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare*, ait, *S. Th. in 4. d. 12. q. 2. a. 1. q. 1.* Quarta est, ut ex frequenti Communione dignoscatur Communicantem crescere de virtute in virtutem qua de re legendus Jo: Avila *p. p. ep. 65.* Optat pariter S. Franciscus Salesius, ut quotidie volens Eucharistiam recipere, pravas inclinationes fere omnes superaverit. Ultima dispositio, quam omnes, & præcipue Salesius vult in iis, qui frequenter ad Eucharistiam accedunt, ea est, ut omnino pendeant a judicio Confessarii; adeoque Decretum S. Congregationis supra citatum hæc habet: *Frequens Communio Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquenda &c.*

VI. Videat demum Confessarius, ut accedentes ad Eucharistiam etiam vestium decentia, & humilitate internam animi pietatem ostendant. En quomodo S. Carolus *Act. p. 4.* vult ad Eucharistiam accedendum: *Pallio*, ait, *quantum fieri potest, adhibito, non biretis, pileisve pluma inaniter ornatis; armis depositis; toto denique corporis habitu decenti, humili, modesto, non sordido. Mulieres non sumptuosis, non caudatis vestibus, non crinibus inaniter intortis; non fuco, aut pigmentis vultu illito, non pectore nudo, aut tenui velo obtecto; sed ita vestitæ, ut ne præter faciem quidquam nudum cernatur: velo denso bene super faciem demisso.*

CAPUT VI.

De Obligatione sumendi Eucharistiam.

Q. I. AN extet præceptum de Eucharistia percipienda.

R. I. Suppono Eucharistiam non esse ad salutem necessariam necessitate medii; nam dogma fidei est, hominem statim post Baptismum e vita exeuntem, vel ad Deum sincere conversum, Æternam Vitam consequi, dicente Christo Domino Matth. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ex quod Eucharistia non sit necessaria necessitate medii ad salutem, Ecclesia convenientius judicavit mutare disciplinam, quia parvulis statim post Baptismum Eucharistia administrabatur, ut habetur etiam ex Tridentino *sess. 21. c. 4.* Et *can. 4.* anathema dicit dicentibus Eucharistiam necessariam esse parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint. Respectu vero Adultorum, qui non possent Eucharistiam recipere, dicendum est necessarium esse ad salutem necessitate medii votum saltem implicitum illam recipiendi, ut statim ex S: Thoma constabit.

R. II. Extat præceptum tum divinum, tum Ecclesiasticum de Eucharistia percipienda. *Duplex est modus*, ait S.Th. 3. p. q. 80 art. 11. *percipiendi hoc Sacramentum, scilicet spiritualis, & Sacramentalis. Manifestum est autem, quod omnes tenentur saltem spiritualiter mandacare, quia hoc est Christo incorporari. Spiritualis autem manducatio includit votum, seu desiderium percipiendi hoc Sacramentum. Et ideo sine voto percipiendi hoc Sacramentum, non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est, quod homo teneatur hoc Sacramentum sumere; non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis* Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ex statuto autem Ecclesiæ sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum.

Q. II. Quando obliget Præceptum Divinum de Eucaristia percipienda.

R. I. Cum constet aliquando Eucharistiam necessariam quodammodo esse ad salutem, unde Christus Dominus *Jo: 6.* ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, consequens est obligationem præcepti illam sumendi explicandam esse juxta efficaciam, & naturam hujus Sacramenti. Cum igitur institutum sit per modum cibi, & potus ad reficiendas vires spirituales animæ, non videtur satisfieri divino præcepto de Eucharistia sumenda, si aliquoties in vita recipiatur, nam crebrius videtur sumendum, quod habet rationem cibi spiritualis. Puto tamen præceptum divinum de Eucharistia sumenda non obligare ut pluries intra annum recipiatur; nam si semel recipiendo divino præcepto non satisfieret, Ecclesia non semel recipiendum præciperet, ut postea dicam. E contra non satis mihi arridet ea opinio, quæ dicit satisfieri divino præcepto de Communione recipienda, si semel intra duos, vel etiam tres annos recipiatur; nam ita nimis late explicatur præceptum de recipiendo Sacramento instituto pro spirituali alimonia ad animæ vires reparandas. Dixi supra, hoc præceptum *per se* non obligare, nisi semel in anno; nam *per accidens* potest esse obligatio crebro Eucharistiam recipiendi, tunc nempe quando quis frequentem Eucharistiæ sumptionem expertus esset omnino necessariam ad peccatum præcavendum.

R. II. Præceptum Divinum de Eucharistia recipienda obligat in periculo mortis, ut magis communiter docent Theologi, ratio est, quia semper viguit in Ecclesia praxis administrandi Eucharistiam in articulo mortis constitutis, ut in Decreto *caus. 26. q. 6.* reputatur autem maximum indicium aliquid ex divino jure derivare, si semper adfuit de illa re preceptum, & illius initii non extet memoria. Addendum quod cum præceptum de Eucharistia percipienda aliquo tempore obliget, nullum tempus magis aptum pro ipsius obligatione potest concipi, quam mortis articulus, cum tunc summa sit necessitas hoc supersubstantiali cibo animæ vires reparandi. *Salmant. Scholast. de Euch. disp. 11. dub. 4. §. 1.*

Q. III. Quinam intelligantur constituti in articulo mortis; & an omnibus in eodem articulo constitutis ministranda sit Eucharistia.

R. I. In quolibet mortis periculo urget præceptum Eucharistiam recipiendi, propter necessitatem scilicet reparandi animæ vires contra Dæmonis tentationes. Dixi, in quolibet mortis periculo, ad innuendum hanc obligationem adesse, sive periculum oriatur ex infirmitate, sive ex violentia, sive ex bello, sive ex periculosa navigatione &c. *Tambur. in Meth. expedit. Comm. c. 5. §. 1. n. 2.* & communiter. Hinc S. Pius V. ut legitur in ipsius vita, improbavit consuetudinem non administrandi Eucharistiam damnatis ultimo supplicio; ac proinde dicendum est Judicem tempus concedere debere, ut isti Eucharistiam percipiant, si aliqua specialis circumstantia contrarium non suadeat: *Fagun. in 3. præcep. Eccl. l. 1. c. 4. nu. 4.*

R. II. Cum constet omnes adultos constitutos in articulo mortis obstringi præceptio Eucharistiæ recipiendæ, solum dari potest excepto quoad observantiam hujus præcepti, ratione alicujus circumstantiæ. Præcipua est rationabilis timor irreverentiæ; ut si periculum esset, ne infirmus particulam posset deglutire, seu quod illam evomeret, expueret &c. Hac ratione quamvis ex D. Thoma *in 4. d. 9. q. 1. art. 5.* dicatur Eucharistiam administrandam esse ei, qui post usum rationis incidit in amentiam, si non constet amisisse usum rationis in statu peccati mortalis, nihilominus valde cautus debet esse Parochus, & bene consideret, an addita amentiæ morbi incommoditate, possit esse periculum irreverentiæ. Idem observet, dum administraret Viaticum non habenti, ratione morbi, usum rationis.

Mihi autem omnino certum est Eucharistiam administrandam pueris doli capacibus constitutis in articulo mortis, adeoque ordinarie loquendo, statim post septennium. Ratio mihi est, quia cum non constet extra talem articulum: quando obliget præceptum de Eucharistia percipienda, bene hoc relictum est judicio Ecclesiæ, ut ipsa consideret quando expediens sit pueros ad Eucharistiam

stiam admittere, ut eam debita cum reverentia suscipiant. At habemus præceptum divinum de Eucharistia percipienda in periculo mortis, & necessaria est pueris doli capacibus, ut adversus Diaboli tentationes roborentur; quapropter sicut ipsi tali præcepto obligantur, ita tenentur Parochi illis administrare: *Salmant. Scolastic. de Euch. disp. 11. dub. 4. §. 1.* Immo non desunt, qui dicant administrandam Eucharistiam pueris, de quorum usu rationis dubitatur, si sint in periculo mortis, cum ex una parte illis consulatur, ex alia vero nulla fiat injuria Sacramento: *Lugo de Euch. d. 13. n. 38. Leand. d. 3. q. 8.* Denique qui dicunt Surdis, & mutis a Nativitate ministrari posse etiam in vita hoc Sacramentum, multo magis adstruunt obligationem illis administrandi in periculo mortis. Hac tamen in re Parochum aliorum judicio relinquo: nam si verum sit præceptum divinum de Eucharistia percipienda non obligare eos, qui nunquam potuerunt inter panem cœlestem, & terrestrem discernere, mihi non constat respectu surdi, & muti a nativitate esse posse talem discretionem, ut dixi etiam capite superiori.

Q. IV. An intelligatur satisfecisse huic præcepto, qui suscepit Eucharistiam aliquo tempore, antequam incideret in periculo mortis; & quando iterum quis debeat, vel possit recipere Viaticum.

R. I. Cum finis præcepti Viaticum suscipiendi sit reficere animæ vires contra Dæmonis luctam, ego puto hoc præceptum admittere moralem latitudinem; adeoque non teneri ad suscipiendum Viaticum, qui tres, aut quatuor dies ante periculum mortis communicaverit, quia obtinuit finem præcepti, & ex tali fine intelligitur præceptum hoc modo esse intelligendum: *Salm. Schol. de Euch. disp. 11. dub. 4. §. 1. Lugo de Euch. disp. 16. sect. 2.* Secus si e.g. finxeriat octo, vel decem dies a communione peracta, nam intra tale tempus quia multa committuntur peccata saltem venialia, animæ vires debilitantur, adeoque indigent nova reparatione. Ex supradictis etiam pro certo habeo, quod qui a die, qua recipit Eucharistiam, incidit in periculum mortis, non teneatur sumere Viaticum. Non nego aliquos non solum dicere posse, sed etiam debere illud sumere, quia quando communicavit, nondum urgebat præceptum sumendi Viaticum, adeoque ipsis videtur non satisfecisse. At ego ex dictis certe puto satisfecisse. Cæterum non damnarem qui ex præsumpta mente piæ matris Ecclesiæ huic moribundo Viaticum administraret; quamvis Salmanticenses, loco citato, absurdam reputent bis eadem die Eucharistiam recipere.

R. II. Qui post sumptum Viaticum incidit in mortale, valde probabile est debere illum iterum recipere, si fieri possit sine admiratione &c. Ratio est, quia hoc præceptum ideo obligat, ut Moribundus acquirat vires ad fortiter resistendum Dæmoni; unde cum ratione talis finis fuerit impositum, bene credi potest urgere, quoties datur talis necessitas, & hæc utique datur quoties quis post receptum Viaticum peccavit mortaliter: *Sot. in 4. d. 12. q. 1. a. 11.* & alii. Scio non paucos huic assertioni refragari, quamvis & ipsi consulant iterum sumere Viaticum: *Lugo de Euch. disp. 16. sect. 2. n. 46.*

R. III. Quam maxime variant DD. in determinando tempus, quo moribundus possit iterum Viaticum suscipere. Aliqui dixerunt debere triginta dies inter unam & aliam sumptionem intercedere; alii vero dicunt, quod qui hodie non jejunus per modum Viatici communicavit, potest iterum sequenti die non jejunus eodem modo communicare: *Laym. l. 5. t. 4. c. 6. n. 20. Hurtad. de Sacr. disp. 9. diff. 1.* Ego ex una parte considerans Christum instituisse Sacramenta ob auxilium Animarum, & ex alia præsumendum esse piam Matrem Ecclesiam velle Moribundis, quantum fieri potest, opitulari, præfatam opinionem absque scrupulo ad praxim redigerem, quoties prudens ratio id mihi suaderet. Primo ergo non refugerem ita agere, quoties magna esset pietas moribundi, unde non parum solatii, & auxilii ex Communione reciperet, vel ægre ferret ea carere. Secundo, id egi in casu, quo quædam nobilis mulier subita apoplesia correpta illi primo administratum fuit Viaticum signis non omnino certis contritionis. Dum igitur die sequenti viderim in ea nova aliqualia signa absolutionis, & Eucharistiæ desiderandæ; putavi non esse redarguendum, si iterum non jejunam per modum Viatici communicandam duxerim. Non erat omnimoda certitudo vel absolutionem, vel Eucharistiam cum supernaturali dolore accepisse, unde, ut quo fieri posset, ipsius saluti consulere, iterum duxi communicandam; nam si in illo lucido intervallo actum doloris elicere illi a Deo datum esset, ex Eucharistiæ sumptione remansisset justificata, quando non fuisset in statu Gratiæ: & quamvis in tali statu fuisse crediderim, quis tamen, nisi Deus cordis secreta novit.

Cæterum omnes conveniunt, quod si cesset periculum in quo infirmus sumpsit Viaticum, ac deinde reincidat in novum periculum, possit, & debeat iterum illud sumere. Verum tamen est, non judicandum esse cessasse primum periculum per hoc, quod post sumptum Viaticum per duos e.g. vel tres dies melius se habuerit.

Q. V. Quando ex vi Præcepti Ecclesiastici teneamur recipere Eucharistiam; & quomodo sit adimplendum.

R. I. Concilium Lateranense sub Innocentio III. *cap. Omnis utriusque sexus*, obligat omnes fideles, postquam pervenerunt ad usum rationis, saltem semel in anno peccata confiteri, & ad suscipiendum *ad minus in Pasch. Euchar. Sacramentum*. Ego autem primum considero præceptum de recipienda Eucharistia saltem intra annum esse etiam divinum, ex dictis supra. Secundo considero præceptum Ecclesiæ duo continere, nempe quod non prætereat annus, absque eo quod Fideles Eucharistiam recipiant; id enim credere est principaliter voluisse Ecclesiam; & quod recipiatur in Paschate ad recolendam memoriam Institutionis tanti Sacramenti.

Hinc certum est omnes non impeditos debere ex vi præcepti Ecclesiæ sumere Eucharistiam intra tempus paschale, nempe intra illos quindecim dies, qui intercedunt a Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusive, ut declaravit Eugenius IV. in sua Bull. incipienta *Fide digna &c.* Deinde apud me certum est impeditos, seu qui culpabiliter ommisere recipere Eucharistiam intra tempus Paschale, adhuc debere illam recipere; tum quia ex divino præcepto obstringuntur ne ultra annum differant, & obligationem talis præcepti non potest dici in Paschate cessare; tum quia & ipsa Ecclesia principaliter intendit, ne Communio ultra annum differatur; unde nec intendere potuit post tempus Paschale non amplius urgere obligationem præcepti sed determinasse tempus Paschale, non ut postea cessaret obligatio, sed ne ultra differatur satisfactio: *Lugo de Euch. disp. 16. n. 66. Avers. q. 8. sect. 3. Palaus tr. 21 p. 15. n. 7.* Demum ego omnino credo, quod qui prævidet impedimentum futurum tempore Paschali, debeat communionem anticipare, quamvis non pauci id negent. Ratio constat ex dictis, nam tam præceptum divinum, quam Ecclesiasticum præcipue intendunt, ut ultra annum Eucharistia non differatur; unde non considerandum est solum tempus Paschale pro tempore, quo hæc præcepta sunt adimplenda, sed integer anni cursus & quod ultra hunc non differatur. Sicut igitur qui integrum annum haberet pro solutione facienda, cum obligatione illam non propagandi, deberet solvere ante finem anni, si prævideret in fine illius non esse soluturum, ita in casu nostro.

E contra qui intra annum percepit Eucharistiam, non teneretur ante tempus Paschale communicare, etsi prævideret eo tempore impediendum, quia quod præcipuum est in præcepto adimplevit. Idem dicendum de eo, qui quamvis prævideret impediendum ab Eucharistia recipienda tempore Paschali, nihilominus videt paulo post sibi commodum futurum communicare; nam stante justo impedimento, bene dici potest tam præceptum divinum, quam Ecclesiasticum aliquam moralem latitudinem admittere: & intra tempus limitatum non urgere. Quod si aliquis communicavit ante tempus Paschale, quia credidit eo tempore se fore impediendum, si præter opinionem cesset impedimentum ego credo iterum debere communicare, quia præceptum Ecclesiasticum duo continet, nempe de recipienda Eucharistia intra annum, & de ea recipienda in Paschate: unde non plene satisfecit præcepto, qui ante tempus Paschale communicavit: *Laym. de Euch. cap. 5. n. 9. Lugo disp. 13. n. 78.*

R. II. Ut fiat satis præcepto de Communione Paschali, sumenda est Eucharistia in statu Gratiæ. Et quidem si consideretur etiam ex divino præcepto saltem intra annum esse communicandum, statim patet id faciendum esse in statu Gratiæ; sed & id faciendum est ex vi præcepti Ecclesiæ, quia potestatem habet præcipiendi actus internus, quando necessarii sunt ad bene exercendos actus externos; ut dixi *tr. 3. qu. 1. c. 5. q. 2. resp. 2.* Contrariam opinionem damnat Innocent. XI. *sub n. 55.*

Q. VI. An aliqui sint, qui excusantur ab Eucharistia recipienda in Paschate.

R. In capite citato *Omnis utriusque sexus* permittitur de consilio proprii Sacerdotis differri communionem ultra tempus Paschale. Interim tamen qui ex hoc capite eam differt, debet facere quantum potest, ut rite disponatur ad Eucharistiam suscipiendam.

Quamvis autem in eodem capite præcipiatur, ut in Paschate suscipiant Eucharistiam omnes, *qui ad annos discretionis pervenerint*; nihilominus ex praxi Ecclesiæ, id cum aliqua latitudine intelligendum est quoad pueros, itaut nempe ipsis non concedenda sit Eucharistia, nisi in eis talis usus rationis appareat, ut actuali devotione valeant illam recipere; id enim exposcit, extra casus necessitatis, reverentia tanto Sacramento debita. Talem usum rationis putat *S. Th. in 4. d. 9. a. 5.* esse in pueris decem, vel undecim annorum; at in praxi dignoscitur, ut alias dixi, quosdam citius, multos etiam tardius talem rationis discretionem habere, ut cum debita reverentia, & devotione recipere possint Eucharistiam.

Q. VII. Qua in Ecclesia satisfaciendum sit præcepto de Communione Paschali.

R. Communis opinio est unumquemque debere recipere in Paschate Eucharistiam a proprio Parocho, si ab eo licentiam non habeat illam alibi recipiendi, quam licentiam putant sufficere, si sit tacita, vel præsumpta: *Tambur. de Sacr. Com. c. 4. §. 4. n. 43. Bonac. de Euchar. q. 7. p. 2. n. 7.* An vero sufficiat illam recipere in Ecclesia Cathedrali, variant DD. Ego puto attendendam consuetudinem locorum, nam si consuetudo vigeat, ut unusquisque pro suo arbitrio etiam in Ecclesia Cathedrali communicet in Paschate, utique satisfaciet præcepto, utpote quia Episcopus, qui est Parochus universalis, censetur consentire. Secus dicendum, ubi non est talis consuetudo; nam tunc de Parochiano alterius Parochiæ non verificatur Eucharistiam suscipere a proprio Parocho, uti extat præceptum: *Dian. tit. 2. tr. 2. resol. 15. Anton. a Sp. S. dis. 10. n. 270.* quamvis aliqui refragentur.

Difficultas est quoad Peregrinos, quos aliqui volunt satisfacere præcepto de Communione recipienda, si illam pro suo libito in quacumque Ecclesia recipiant. At melius dicuntur debere eam recipere a Parocho Parochiæ, in qua versantur; nam quoad Communionem recipiendam fiunt incolæ Parochiæ, in qua morantur, ex declaratione Eugenii IV. apud Passerinum *to. 2. q. 187. art. 1. n. 978.*

Demum Sacerdotes, ubivis celebrent, satisfaciunt præcepto Paschali, nam talis videtur esse consuetudo: *Bonac. de Euch. q. 7. p. 2. n. 7.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Nunquam satis redargui possent, si aliqui essent Parochi, qui ob timorem perterefaciendi infirmos vel ob quamdam non laudabilem erga Personas Nobiles reverentiam, tamdiu differrent illis administrare SS. Viaticum, ut ex gravitate morbi vix agnoscere possent quid faciant. Sciant non solum eos privare illo majori fructu, quem ex virtute Sacramenti obtinerent, si possent melius se ad illud disponere, sed ulterius fortasse ex hoc illos in æternum damnandos. Quis etenim scire potest an ratione Confessionis in Gratiam redierint? ratione etenim morbi carere potuerunt necessaria dispositione. Si ergo nondum morbo nimis oppressis Eucharistiam administraretur, admonendo illos, ut præmittant dolorem suorum peccatorum, justificari potuissent mediante Eucharistia, adeoque & æternam consequi salutem.

II. Nunquam pariter satis redarguendi, si qui sint ita segnes Parochi, ut dum Viaticum rudibus Personis debent administrare, non prius cum Infirmo aliquo tempore agant de pietate, devotione, ac dolore suorum peccatorum, quo tantum Sacramentum debet recipere; & post acceptum Viaticum, si possibile sit, non redeant ad rudem Infirmum, ut illum adjuvent, & instruant de gratiis agendis Divino Hospiti, aliisque virtutum actibus exercendis. Non raro videntur rudes infirmi ita SS. Viaticum accipere, ut nec antea, nec postea aliquod pietatis signum demonstrent.

III. Non abstineant Parochi ab administranda Eucharistia pueris post usum rationis in periculo mortis constitutis. Universaliter etiam ipsis suadeo, ut dum adest opinio vere probabilis pro iterum administranda Eucharistia infirmo, non renuant, si possint, eam in praxi amplecti; nam cum Christus Dominus in favorem animarum Sacramenta instituerit, videtur dicendum præcipue in periculo mortis nobis opitulari voluisse. Dixi, si possint, nam bene, scio non facile esse Parochis Eucharistiam frequenter a propria Ecclesia ad eumdem infirmum deferre; hoc tamen facillimum redditur, si in domo Infirmi Oratorium sit, in quo possit Missa celebrari.

IV. Diligentissimus debet esse Parochus in investigando, an sui Parochiani satisfecerint præceptis de annua Confessione, & Communione; si etenim negari non possit munus proprium spiritualis Pastoris esse æternæ saluti ovium sibi commissarum invigilare, certa valde deficiet in suo munere, si de observantia talium præceptorum non certioretur. Sed quia in omnibus præcedere debet prudentia, advertat viros, ac mulieres probatæ vitæ non sine injuria in Schedula Confessionis peractæ exhibenda posse interrogari. Si vero tales sint aliquorum mores, ut merito de Confessione peracta dubitet, videat ita Schedulam Confessionis expostulare, ut sibi injuriam fieri non putent, sed dicat id facere, ne proprio Officio deficiat; itaque non coram aliis de hoc interroget, nam statim occasio daretur de mala ipsarum vita saltem, suspicandi.

Commodius exposcet Parochus Schedulam Communionis ab omnibus indifferenter, cum id respectu omnium sit in usu. Nihilominus & in hoc agnovi quosdam Parochos nimis diligentes; quosdam scilicet, qui jure sibi exhiberi volebant Schedulam Communionis ab iis, qui rure, sed intra Diœcesim, per aliquod tempus commorati fuerant, unde satisfecerant præcepto Communionis Paschalis ubi morabantur. Credidi non posse eam jure exigere, nam ipsorum Parochus quoad Communionem Paschalem erat Parochus loci, ubi morabantur, unde si huic præcepto non satisfecissent, ad ipsum pertinebat Episcopum monere; adeoque si non monuit, signum erat propriæ satisfecisse obligationi. Accedebat, eos, a quibus exigebant Schedulam Communionis, quam frequenter etiam intra annum solitos fuisse Eucharistiam percipere; & per consequens oriri non poterat in Parocho Civitatis dubium rationabilem eam in Paschate ommisisse, adeoque non conveniens fuisse sollicitum esse de Schedula sibi exhibenda. Aliter discurrendum de Parochianis, qui tempore Paschatis extra Diœcesim morabantur, nam si hi in Paschate non communicaverint, innotescere haud potest proprio Parocho; quapropter conveniens est eis Schedulam Communionis exigere, maxime si non sint vitæ probatæ.

V. Non bene se gerunt illi Parochi, qui indiscriminatim non admittunt ad Communionem pueros, nisi postquam ad certam ætatem pervenerint, puta nisi attigerint annum duodecimum. Cum teneantur Eucharistiam suscipere statim ac tale lumen rationis illuxescit, ut possint ad eam debita cum devotione accedere, & si illud in aliquibus etiam ante talem ætatem appareat, isti arceri non possunt ab Eucharistia, & munus est Parochi illos diligentissime instruere, ut possint tantum Sacramentum recipere.

CAPUT VII.

De Effectibus Eucharistiæ.

Q. I. Quales sint effectus Eucharistiæ.

R. I. Primus Eucharistiæ effectus est augere Gratiam Sanctificantem, quam supponit in eo, qui illam recipit, cum sit Sacramentum vivorum. Sicut igitur Christus venit in mundum, ut mundo gratiam conferret, idem præstat, dum venit in hominem Sacramentaliter: & sicut Sacramentum Eucharistiæ repræsentat Christi Passionem, ratione cujus nobis Gratia confertur, ita & mediante hoc Sacramento. *D. Th. 3. p. q. 79. a. 1.* Quandoque per accidens habet primam Gratiam conferre, ut dixi de Sacramentis in Genere *cap. 2. quæst. 3.* Secundus Eucharistiæ effectus est dare jus ad auxilia actualia, quibus vita spiritualis augetur, & conservatur; ut enim cibus materialis auget, & conservat vitam naturalem, ita dicendum est de hoc Sacramento respectu vitæ spiritualis, cum detur nobis per modum cibi, & potus. Ex hoc alter hujus Sacramenti effectus quandoque consurgit, quædam nempe spiritualis dulcedo, ad similitudinem cibi materialis, qui delectat comedentem.

Cum autem de effectibus hujus Sacramenti loquendum sit cum quadam proportione ad effectus cibi corporalis, ut etiam dicit Eugenius IV. *in Decreto Unionis*, hinc est quod sicut cibus naturalis habet restaurare, quod vi caloris deperditur; ita & Eucharistia quod ardore concupiscentiæ per leves culpas deperditur. Hoc autem habet præstare, tum quia dicendum est ratione Eucharistiæ con-

concedi actualia auxilia ad eliciendos actus contritionis & charitatis, quibus deleantur peccata venialia; tum quia, cum ipsa Gratia Sacramenti debeat esse reparativa ruinæ illatæ per talia peccata, videtur debere ex opere operato specialem vim ad eadem delenda. Expiari tamen non possunt, si perseveret effectus erga eadem, & ni aliquo modo displiceant; Deus etenim non remittit culpas, quas aliquo modo non retractamus. Habet demum Eucharistia præservare etiam a peccatis mortalibus; unde Tridentinum *sess.* 13. *c.* 2. ait esse *Antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis; & a peccatis mortalibus præservamur*. Hoc autem prestat, quia addit vires spirituales, quibus Fideles se præservent adversus interiorem concupiscentiam, & adversus externos animæ hostes. Dicendum etiam est Deum minus permittere Dæmoni aggredi devote communicantes, ac ab iisdem externas peccandi occasiones removere.

Quosdam effectus præstat Eucharistia respectu corporis, illud nempe quodammodo, santificando, dum mediantibus speciebus Christi Corpori unitur; debilitando ardorem concupiscentiæ per hoc, quod augeat fervorem Charitatis, & dando illi jus ad futuram resurrectionem unde etiam ex hoc titulo resurgere deberet, qui digne recipit Eucharistiam: quapropter *Jo*: 6. ait Christus Dominus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die*.

Q. II. An ratione peccati venialis impediantur effectus Eucharistiæ.

R. Quantum ad peccata venialia præterita *S. Th.* 3. *p. q.* 79. *art.* 7. hæc habet: *Nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti, potest enim contingere, quod aliquis post multa peccata venialia commissa, devote accedat ad hoc Sacramentum, & plenarie hujus Sacramenti consequatur effectum*. Puto tamen tali devotione debere accedere, ut aliquo modo peccata venialia præterita debeant displicere; nam difficile esset, ut non impedirent uberiores effectus hujus Sacramenti, si erga illa affectus conservaretur, cum talis affectus videatur etiam continere quamdam irreverentiam erga SS. Eucharistiam. Quantum vero ad peccata venialia, quæ actu committuntur, dum quis suscipit Eucharistiam, ita subdit S. Doctor *Non ex toto impediunt hujus Sacramenti effectum, sed ex parte. Dictum est enim quod effectus hujus Sacramenti, non solum est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis. Quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus: non autem tollitur augmentum gratiæ, vel charitatis*. Illud tamen advertendum, Eucharistiam eo uberiores producere effectus quo major est in suscipiente dispositio; nam Sacramenta magis, & minus juxta subjecti dispositionem operantur. Cum proinde qui actu peccat venialiter, dum vult recipere Eucharistiam, alterum etiam committat, cujusdam nempe irreverentiæ erga Sacramentum, consequens est & mediocre augmentum Gratiæ, & charitatis acquirere ratione suæ indispositionis.

Q. III. Quo tempore Eucharistia suos effectus producat.

R. Dicendum videtur Eucharistiam producere suos effectus eo instanti, quo ab ore in stomachum trajicitur etenim Sacramenta producunt suos effectus, dum quis illis utitur. Cum proinde usus Eucharistiæ in comestione consistat dicente Christo Domino Jo. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*, hinc est in supradicto instanti suos effectus producere, tunc enim proprie datur comestio Corporis Christi. Ex hoc autem sequitur non obtenturum effectus hujus Sacramenti, qui illud in peccato mortali reciperet, quamvis dum adhuc in stomacho esset, eliceret actum contritionis; sicut neque ille, cui, eo quod non posset Eucharistiam deglutire, species in ore corrumperentur.

Q. IV. An Eucharistia aliis prosit, si pro ipsis sumatur.

R. Eucharistia, ut est Sacramentum, non potest aliis prodesse; tum quia proprium est omnium Sacramentorum, ut illis tantum prosint qui eadem percipiunt, tum quia, cum Eucharistia per modum cibi, & potus sumatur, sicut cibus materialis prodest tantum manducanti, ita de Eucharistia dicendum est. Ita etiam docet *S. Th.* 3. *p. q.* 70. *art.* 7. ubi ait: *Sumptio pertinet ad rationem Sacramenti, sed oblatio pertinet ad rationem Sacrificii, & ideo ex hoc, quod aliquis sumit Corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit aliis aliquod juvamentum*. Possunt ergo solummodo prodesse aliis bona opera, quæ præcedunt, comitantur, & subsequuntur Sacramenti

Theol. Roncaglia Tom.

sumptionem, & quidem eo magis, quo virtute Sacramenti majori charitatis fervore exercentur.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Non desinat Confessarius demonstrare suis Pœnitentibus uberes gratias, quas Anima recipere potest a Sacramento Eucharistiæ; ita enim fiet, ut non sint negligentes in ea suscipienda, & non omittant se diligenter disponere, ut majores ex ea fructus recipiant. Dum vero videt ex sumptione tanti Sacramenti saltem non minui gravia peccata, licet illi suspicari de sufficienti Pœnitentis dispositione, si etenim ex dispositionis defectu hujus Sacramenti effectibus non privaretur, videtur acquisiturus vires saltem ad peccata minuenda.

II. Cum nullo solido fundamento ea innitatur quarumdam mulierum praxis pro aliis Communionem recipiendi, moneat illas Confessarius ipsis tantum prodesse Eucharistiam, ut est Sacramentum, & solummodo aliis applicare posse ea bona opera, quæ occasione hujus Sacramenti suscipiendi exercent.

QUÆSTIO II.

De Sacrificio Missæ.

CAPUT I.

De Essentia Missæ, ejusque Effectibus, & Valore.

Q. I. QUid sit Sacrificium, & an Missa habeat veram rationem Sacrificii.

R. I. Sacrificium generaliter sumptum bene potest ita definiri: *Oblatio externa soli Deo facta, qua in recognitionem ipsius supremi dominii, e legitimo Ministro aliqua res sensibilis, permanens, & peculiariter consecrata immutatur, & destruitur*. Primo ergo oportet, ut a legitimo Ministro fiat Deo aliqua oblatio externa, cum etenim Sacrificium importet publicum, & solemnem honorem, Deo exhibitum, utique fieri debet per externam actionem Ministri. Secundo Sacrificium soli Deo offerendum est, institutum etenim est in recognitionem ipsius supremi dominii, & ut Dei indigere profiteamur: ita etiam lumen naturæ dictat, ut quicumque subditus aliqua offerat Domino in ipsius dominii, & propriæ indigentiæ recognitionem. Tertio, quia ratione Sacrificii profitemur recognoscere Dei dominium, maxime in ordine ad nostram vitam, & mortem, ideo res, quæ offerebatur in sacrificio, immutabatur, & destruebatur, & ita occidebantur victimæ: ad significandum Dei dominium supra nostram vitam, & mortem. Oportet tamen ea, quæ offeruntur in sacrificio, esse res permanentes; & ideo non dicuntur proprie Sacrificia orationes, genuflexiones, adorationes &c. Itemque oportet res, quæ offeruntur in Sacrificio, esse peculiariter consecratas, ne quid prophanum Deo sacrificetur; unde in Lege Veteri pluribus cæremoniis victima offerenda prius consecrabatur.

R. II. Missa habet veram rationem Sacrificii. Adest ergo Minister, ipse nempe Sacerdos per Ordinis Sacramentum ad hoc ministerium deputatus. At quia Sacerdos agit ut Christi delegatus, ideo principalis Minister hujus Sacrificii est Christus Dominus. Et quamvis satis sit, si intelligatur Christus offerre moraliter, quatenus per Sacerdotem offerentem nomine Christi, offert seipsum, ut dicunt *Lugo disp.* 19. *sect.* 7. *n.* 92. *Pass. quæst.* 187. *a n.* 410. *Avers. q.* 11. *sect.* 8. nihilominus non desunt, qui velint in quacumque Missa Christum physice offerre seipsum, sicut physice se obtulit in ara Crucis *Gabr. a S. Vinc. d.* 2. *q.* 2. *Palaus tr.* 22. *disp. un. p.* 4. *n.* 4. Dantur alii offerentes, at non per actionem sacerdotalem, nempe Ecclesia, quæ per Ministrum a se deputatum offert Deo hoc Sacrificium; Ministri Missæ inservientes; dantes eleemosynam pro Missa celebranda, qui omnes offerunt Deo Missam deprecative, ac demum omnes Missæ assistentes, qui dum assistunt, & consentiunt Sacerdoti sacrificanti, censentur moraliter Deo sacrificium offerre: *D. Thom.* 3. *p. q.* 79. *art.* 7. *Passer. tom.* 2. *q.* 187. *art.* 4. *n.* 713.

In hoc autem Sacrificio offertur res sensibilis, ipsum nempe Corpus, & Sanguis Christi sub speciebus sensibilibus panis, & vini; itemque panis & vinum in Offertorio ad hoc Sacrificium peculiariter deputantur. Item

Sacrificium Missæ soli Deo offertur, ac proinde Tridentinum *sess. 22. c. 3. ait: Quamvis in honorem, & memoriam SS. nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed soli Deo, qui illos coronavit: unde nec Sacerdos dicere solet, offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.* Dicuntur igitur celebrari missæ Sanctorum ad agendas Deo gratias pro illorum glorificatione, & ut semper magis a Fidelibus honorentur. Fiunt etiam in Missa Commemorationes Apostolorum &c. ut pro nobis apud Deum intercedant, ut dicit idem Tridentinum *can.* 5.

Demum, ut appareat intervenire in Sacrificio Missæ sufficientem Victimæ mutationem, quæ est necessaria ad essentiam Sacrificii, sequentia sunt observanda. Verum igitur est ad Sacrificium cruentum expostulari realem victimæ mutationem, & immolationem, & ita in Sacrificio cruento Crucis vere Christus Dominus occisus fuit; at ad veram rationem Sacrificii incruenti, & commemorativi non requiritur actualis Victimæ mactatio, immo hoc illi repugnat, sed solum de sua natura exigit mysticam Victimæ immolationem. Hæc autem in Missæ Sacrificio intercedit, dum etenim vi verborum solum Corpus ponitur sub panis speciebus, & solum Sanguis sub speciebus vini, jam satis commemoratur mors Victimæ, cum in Christi morte Sanguis fuerit a Corpore separatus. Hic modus dicendi mihi videtur aptior ad exprimendam Victimæ mutationem, & inter alios tenet Vasquez *3. p. 222. cap. 7. 8. & 9.* idemque insinuat S. Thomas *3. p. qu. 83 a. 1.* Neque per hoc tamen Missæ Sacrificium est nuda Passionis Christi commemoratio nam realiter sub speciebus adsunt Corpus, & Sanguis Christi, quæ divinæ Majestati offeruntur.

Q. II. Quæ sint partes essentiales Sacrificii Missæ.

R. Varia sunt quoad hoc Theologorum placita, aliis asserentibus Missæ essentiam consistere in consecratione, simulque sumptione, alii in sola sumptione, alius vero in sola consecratione, Ideo autem non pauci etiam sumptionem ponunt inter partes essentiales Missæ, quia per eam videtur dari destructio Victimæ, ut requiritur ad essentiam Sacrificii; eamque destructionem in hoc considerant, quod, cum per modum cibi sumatur, sicut cibus dum manducatur intelligitur destrui, ita dicunt intervenire Victimæ destructionem, dum a Sacerdote accipitur Eucaristia per modum cibi.

Mihi autem arridet ea opinio, quam sequutus sum in Quæsitis dogmaticis &c. de SS. Eccles. Sacram. *tr. 5. c. 2. n. 6.* scilicet essentiam Missæ consistere in consecratione utriusque speciei, quatenus simul habet rationem oblationis. Ratio mihi est, quia Sacrificium Novæ Legis consistit in actione, quæ fit in Persona, & nomine Christi, ita autem se habet sola utriusque speciei consecratio. Deinde tunc datur completa ratio Sacrificii quoad essentiam, quando intervenit oblatio, & immutatio Victimæ: hæ autem interveniunt in sola utriusque speciei consecratione. Intervenit oblatio: quia licet Sacerdos consecrans nomine Christi, non dicat expresse offerre ipsius Corpus, & Sanguinem, nihilominus de facto datur oblatio, ut dici solet in actu signato, quatenus per consecrationem sistuntur super Altare æterno Patri Corpus, & Sanguis Christi. Ad eum modum, quo, non solum dicitur offerre cibum qui expresse offert, sed etiam qui ante alium apponit ad manducandum, etsi verbis non offerat. Quomodo autem intercedat mutatio victimæ, quæ sufficiens sit ad Sacrificium, incruentum, & commemorativum Sacrificii Crucis, jam explicatum est in quæsito superiore. Addi potest ratione consecrationis valde immutari Corpus, & Sanguinem Christi quoad modum essendi in loco. Videantur Salmant. *tr. 5. cap. 1. n. 4.* & alii apud ipsos.

Quamvis autem ex dictis sumptio non pertineat ad essentiam Sacrificii, nihilominus ex jure divino pertinet ad ipsius integritatem, perfectionem, cum etenim per consecrationem ponantur Corpus, & Sanguis Christi sub specie cibi, & potus, consequens est ad sumptionem ordinari. Hinc *can. relatum d. 2. de cons.* reprehenduntur quidam Sacerdotes, qui cum eamdem Missam pluries celebraverint, solum in ultima sumpserant Corpus, & Sanguinem Christi. Et in Rubricis Missalis dicitur, quod si moriatur Sacerdos peracta consecratione, alter perficere debet Sacrificium; & Hostiam & Calicem sustinere.

Q. III. Quot sint effectus Sacrificii Missæ, seu quotuplex fructus.

R. I. Effectus, seu fructus Sacrificii Missæ, si considerentur quatenus proveniunt *ex opere operato*, sunt esse propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium. Cum igitur valor, seu efficacia Sacrificii Missæ *ex opere operato* consurgat ratione rei oblatæ: & cum in Missa ipse Christus, ejusque merita offerantur, jam hoc Sacrificium habet esse propitiatorium, quatenus ex oblatione ipsius Christi Deus placatur, & juxta nostras culpas nos non punit. Habet esse satisfactorium, dum illi, mediante hoc Sacrificio, offerimus satisfactionem, quam Patri exhibuit ipse Christus. Habet esse impetratorium, nil enim esse potest efficacius ad impetrandum aliquid a Divina Clementia, quam offerre ipsum Redemptorem, ut ejus intuitu consequamur quod petimus.

Non habet autem Sacrificium Missæ immediate justificare ex opere operato, quia non institutum est, ut immediate conferat gratiam, vel illius augmentum, sed hoc solum præstare potest mediate, quatenus scilicet ratione hujus Sacrificii impetramus auxilia, ad ita dolendum de peccatis, ut consequamur justificationem, vel etiam ad bona opera præstanda, quibus Gratia augeatur: *D. Th. in 4. dist 32. q. 2. a. 3. q. 2. ad. 4.* Eodem modo dicendum per Missæ Sacrificium deleri peccata venialia, quatenus scilicet per illud impetramus auxilia ad ea retractanda, & ita infunditur Gratia deletiva ipsorum: *Lug. disp. 19. sect. 9. n. 152. Az. p. 1. l. 10. c. 20. q. 6.*

R. II. Cum diversi sint qui operentur in Sacrificio Missæ, varius est fructus ex eo derivans *ex opere operantis* h. e. si consideretur ex parte Offerentium. Respectu igitur Christi qui est principalis offerens, non habet Sacrificium Missæ esse meritorium, cum non amplius sit viator, sed ipsius actio habet fructum impetrationis: *Lugo disp. 19. num. 96.* Si vero consideretur Sacrificium Missæ, quatenus a Sacerdote offertur; dum iste sit in gratia, habet ex opere operantis esse meritorium, satisfactorium, & impetratorium, hæc etenim omnia habet opus bonum in gratia exercitum: Si vero Sacerdos non sit in statu Gratiæ, quatenus offert Sacrificium nomine proprio, & prout consideratur ipsius operatio, nil boni habet, sed potius excitat Divinam Vindictam. Sed ut melius hæc percipiantur.

Observare est Missam mali Sacerdotis, nil deperdere de suo valore, quatenus consideratur *ex opere operato* derivari, hac etenim ratione ipsius valor oritur ex meritis Christi; qui offertur; ex meritis Ecclesiæ, quæ habent suum effectum independenter a bonitate, vel malitia Sacerdotis: *S. Th. 3. p. q. 82. a. 6.* Quantum vero ad partes accidentales Missæ, nempe quantum ad orationes, & preces, non sine probabilitate asseritur etiam *ex opere operato* minus valere, si dicantur a malo Sacerdote, quamvis iste fructus sit certus, nihilominus augeri videtur, & minui juxta majorem, vel minorem bonitatem Celebrantis, aliorumque offerentium: *Sotus in 4. dist. 13. q. 1. ibique S. Bon. q. 4. Fag. de Pr. Eccl. l. 3. c. 6. n. 20.* Quod si consideretur Sacerdos quatenus offert Missam in Persona Ecclesiæ, hoc modo bene sustineri potest ex opere operantis æqualem esse fructum Missæ etiam quoad preces, & orationes, vel dicantur a bono, vel a malo Sacerdote, nam Ecclesia semper est Deo grata *Laym. l. 5. tr. c. 1. n. 12. Bon. d. 4. q. ult. p. 6. n. 4.* & innuere videtur S. Th. loc. cit. Excipe, nisi Sacerdos sit excommunicatus non toleratus; nam Ecclesia non intendit per ipsum orare: *D. Th. 3. p. q. 82. a. 7 ad 3.* Remanet ergo Missam mali Sacerdoti esse omnino infructuosam ex opere operantis, quatenus eam offert nomine proprio, & posse reddere ex propria indispositione minus fructuosas partes accidentales Missæ quoad fructum, quem & ipsæ habent ex opere operato. Redeundo modo ad explicandos effectus, seu fructus Missæ ratione offerentium.

Post Christum & Sacerdotem, etiam Ecclesia offert Missæ Sacrificium, quatenus designavit Sacerdotes, ut nomine suo offerrent. Hæc autem Ecclesiæ oblatio non habet rationem meriti, nam ad opus meritorium videtur debere perseverare saltem voluntas virtualis illud faciendi; at respectu Ecclesiæ non perseverat nisi habitualis, in eo scilicet quod designaverit Sacerdotes, ut suo nomine offerant: *Lugo d. 19. sect. 9. nu. 122.* Bene vero oblationem Ecclesiæ dici potest habere rationem impetrationis, quia Deus exaudit eam deprecationem, mediante, suo Ministro; at quia non intelligitur Ecclesia petere nisi bona communia, ad ea se extenditur ipsius impetratio, non vero ad privata, & particularia, quæ conveniunt singulis, ut singulia:

gulis: *Passer. de Sacr. Miss. q.197. a.4. n.741. Laym. l.5. tr.5. c.1. n.8.* Qui etiam advertit oblationem Missæ, nomine Ecclesiæ factam, dici posse etiam propitiatoriam; nam propitiatio nil aliud est, quam veniæ impetratio. Cæterum eo magis est impetratoria oblatio Ecclesiæ, quo plures in ea sunt justi, & sanctior est minister; & ita quo magis quis est gratus alicui Principi, & sicut est ejus Legatus, & facilius, & majora impetrat: *Laym. l.5. tr.5. c.1. n.10.* Demum oblatio Ecclesiæ potest dici satisfactoria, quamvis enim ab Ecclesia universali offerente hoc Sacrificium, non videatur fieri opus pœnale, in quo fundari solet satisfactio, nihilominus ipsius oblatio dici potest satisfactoria, quatenus per eam applicatur satisfactio Christi: *Passer. de Sacr. q.187. n.743.*

Ultimi offerentes sunt Ministri, dantes eleemosynam pro missa celebranda; & alii assistentes, qui omnes, si sint in statu Gratiæ, faciunt opus meritorium, satisfactorium, & impetratorium, ut de se patet.

Q.IV. Quotuplex sit fructus Sacrifici, quatenus correspondet personis offerentibus, vel iis, pro quibus offertur.

R. I. Juste hanc considerationem valor, seu fructus Sacrificii dividitur in medium, seu specialem, generalissimum, specialissimum. Fructus medius, seu specialis ille est, qui correspondet Christo ut principali offerenti, qui dedit facultatem Sacerdori illum alteri applicandi; & ita applicat e.g. offerenti eleemosynam. Quamvis autem hic fructus medius de se sit satisfactorius, propitiatorius, & impetratorius, nihilominus ex incapacitate subjecti non semper habet omnia hæc præstare; & ita respectu justi non est propitiatorius, cum respectu illius non habet impetrare remissionem peccati; sicut nec respectu peccatoris est satisfactorius, quia non deletur pœna peccati, non remissa culpa; adeoque erit solummodo impetratorius.

Multi autem quos sequitur Passerinus *de Sacr. Miss. q.187. art.4. n.759.* dicunt non posse Sacerdotem pro sua voluntate uni applicare hunc fructum quoad impetrationem alteri quoad satisfactionem. Nihilominus bene contrarium potest sustineri, quia cum voluerit Christus Dominus hunc fructum medium illi correspondentem applicari posse a libera Sacerdotis voluntate, nil obstat quin Sacerdos possit uni applicare quoad unam partem, alteri quoad aliam: & ita si celebret pro animabus Purgatorii non indigentibus propitiatione, seu impetratione, poterit illis applicare quoad satisfactionem, alteri quoad impetrationem, seu propitiationem: *Pasqual. de Sacr. Miss. q.100. n.4 Avers. q.11. sect.10. Bonac. disp.4 q.ult. p.8. n.15.*

Fructus generalissimus est ille, qui competit omnibus Fidelibus, & hoc non habet Missa ex sola institutione Ecclesiæ, quæ vult Sacerdotem generaliter offerre pro omnibus fidelibus, sed etiam ex ipsius Christi institutione; nam cum voluerit per hoc Sacrificium suam Passionem repræsentari, consequens est etiam voluisse ad communem Ecclesiæ utilitatem deservire: *Pasqual. de Sacr. Mis. q.89. n.5. Pass. q.187. art.4. n.740.* Quamvis autem Sacerdos debeat quoad hoc applicare Missam juxta intentionem Ecclesiæ, nihilominus si non applicet, adhuc resultat iste fructus generalissimus, quia ex Christi institutione est oblatio pro tota Ecclesia: *Pass. n. 749.* Non desunt tamen qui velint, quod si Sacerdos aliquem excluderet ab isto fructu generalissimo, eo privaretur, quia cum ipse sit immediatus offerens, illius intentio videtur prævalere intentioni Ecclesiæ: *Lugo disp.19 sect.9. n.224.* quamvis omnes concedant graviter peccaturum, quia illius jus violaret in re gravi, sicut & in re gravi præceptum Ecclesiæ. At ergo puto per contrariam intentionem Sacerdotis illum non privandum isto fructu generalissimo, quia ipsius contraria intentio non potest prævalere institutioni Christi, qui voluit ex Missæ Sacrificio derivari fructum pro totius Ecclesiæ utilitate: *Pasqual. q.138. n.7.*

Fructus specialissimus est ille, qui correspondet ipsi Sacerdoti celebranti, nam cum sit Minister Christi ex genere peccatrice assumptus, conveniens erat illi ratione Sacrificii aliquem fructum correspondere. Alii addunt non solum illi competere aliquem fructum Sacrificii, ut est Christi Minister, & Persona publica, sed etiam ut est Persona privata: atque ita illi assignant duplicem fructum Sacrificii: *Filiuc. tr.5. c.2. n.7.* Aliqui pariter putant Sacerdotem non recipere hunc fructum, quatenus offerens est, cum sub hac ratione potius aliis conferat, sed solum in quantum etiam pro se offert, ut videre est apud Passerinum *q.187. a. n.735.*

Q. V. An Sacerdos possit aliis applicare fructum specialissimum sibi provenientem ex opere operato.

R. Omnes conveniunt posse aliis applicare fructum sibi proprium ex opere operantis, excepta solum ea parte, qua est meritorium, nam merito correspondet gloria ex propria, non ex aliorum operatione assequenda: *D.Th. in 4. d.4. q.2. art.1. q.2.* Quod vero non possit aliis applicare fructum specialissimum sibi ex opere operato provenientem, non pauci docent, quia videtur quoad hunc fructum assequendum ipse Christus Personam Sacerdotis determinasse: *Passer. q. 187. nu.756. Laym. l.5. tr.5. c.2. n.18.* Verum aliis hæc opinio non arridet, quia non constat ita Christum determinasse Personam Sacerdotis quoad hunc fructum, ut non possit cedere juri suo, aliisque applicare: *Filiuc. tr.5. c.2. nu.181. Azor. p.1. l.10. c.20. Avers. q.11. sect.9.*

Q. VI. Quæ dispositiones requirantur ad assequendum fructum Sacrificii.

R. I. Qui omnino sunt in termino non sunt capaces fructus Sacrificii, nam vel jam assequuti sunt gloriam, & opus non habent satisfactione; aut impetratione; vel damnati sunt ad æterna supplicia, & eorum pœna non potest auferri, vel minui. Dixi, qui omnino sunt in termino; nam cum animæ Purgatorii non adhuc sint in ultimo termino, & indigeant nostris auxiliis, hinc est quod cum aliunde sint membra viva Ecclesiæ, ac Ecclesiæ militanti unita ratione Charitatis, bene possunt per Sacrificia, quæ in ea fiunt, suffragari. Talis fuit perpetua praxis Ecclesiæ, & contrarios errores proscripsit Tridentinum *sess.6. can.3. & sess.25. in Decr. de Purgator.*

R. II. Ad recipiendum fructum satisfactionis requiritur status gratiæ, & eo major fructus recipitur, quo major est gratia illorum, pro quibus offertur. Qod requiratur status gratiæ ex eo probatur, quia deputati ad pœnas æternas non merentur sibi relaxari pœnas temporales: ulterius non est intelligibile remitti pœnam, culpa perseverante: *D.Th. 3. p. q.79. a.7. ad 2. Passer. q.187. n.775.* & communiter Theologi, quibusdam tantummodo affirmantibus, posse Missam esse satisfactoriam etiam respectu peccatoris, quoad peccata alias dimissa quantum ad culpam. Dum vero aliquis sit in gratia habet majorem fructum ex opere operato, quo majorem habet gratiam; nam quamvis talis fructus si veluti quædam donatio, nihilominus eo magis crescit liberalitas in Donante, quo major est dispositio recipienti, ut constat etiam in effectibus Sacramentorum *D.Th. 3. p. q.72. a.1. & 7. Lugo disp.19. n.200. Passer. q.167. n.827.* Major est etiam fructus, quo major est devotio recipientis, quæ importat actum internum voluntatis, quo quis se offert Deo ad omnia, quæ sunt cultus divini. Ratio est, quia in ea consistit internum, & principale Sacrificium exhibitum Deo, ut docet *S.Th. 2. 2. q.85. a.3. ad 2.* unde ei præcipue correspondere debet effectus Sacrificii externi; & ita dici potest devotionem formaliter disponere ad effectum Sacrifici externi percipiendum, actus vero cæterarum virtutum comparative ad actus devotionis materialiter: *D. Th. 3. p. q.78. a.5. Passer. q.187. nu.796.* Unde bene credi potest, quod qui caret devotione, quamvis sit in statu gratiæ exiguum ex hoc Sacrificio fructum recipiat, vel sit offerens, vel sit ille, pro quo offertur: *Gabr. a S.Vinc. disp.2. q.5.* An vero ad recipiendum fructum Sacrificii requiratur intentio illum recipiendi, puto esse quæstionem de nomine, nam omnes conveniunt sufficere intentionem interpretativam, & quis est, qui non optet a pœna liberari? Immo sunt qui dicunt justum etiam nolentem, adhuc fructum satisfactionis recipere; sicut enim non est in manu sua impedire effectum Sacramenti, si sit dispositus, ita nec effectum Sacrificii: *Lugo disp.19. n.196. Passer. q.186. n.782.*

Q. VII. An valor, seu fructus Sacrificii Missæ sit infinitus.

R. I. Fructus generalissimus, qui correspondet Ecclesiæ, sicut specialissimus, qui correspondet Celebranti, est intensive finitus, extensive vero infinitus. Tunc esset intensive infinitus, quando de se esset sufficiens ad producendum effectum infinitum, si dari posset: ita autem se habere non potest prædictus fructus generalissimus, tam si consideretur ex opere operato, quam ex opere operantis, quia cum sit personalis ipsorum offerentium, necesse est esse limitatum. Bene autem dici potest infinitus extensive, quatenus scilicet prodesse potest aliis, & aliis usque in infinitum; nam se extendere potest ad plures, & plures fideles usque in infinitum, & omnes participarent fructus Sacrificii juxta ipsorum capacitatem: *Pas-*

*ser.q.*187.*n.*830. Item potest dici extensive infinitus, quatenus talis fructus non limitatur; quamtumvis magnus esset numerus Sacerdotum offerentium cum Episcopo ordinante; unusquisque enim tantum fructum percipit, quantum si solus offerret, cum multiplicentur juxta numerum offerentium oblationes, quia omnes ut causæ totales in solidum eamdem offerunt victimam: *Passer. nu.* 827. *Pasqual. de Sacr. q.* 120. Eodem modo dicendum de offerentibus mediate, de iis scilicet, qui deserviunt, seu assistunt Missæ, unusquisque etenim eorum suo modo offert eamdem victimam, scilicet Christum; unde cum idem agat, ac si solus Missæ cooperaretur, non diminuitur ejus fructus, quamvis sint plures alii inservientes, seu Assistentes. Accedit, quod quo major est numerus offerentium, eo magis Deo placet oblatio Sacrificii; adeoque eo quod plures concurrant ad recipiendam ipsius fructum, non fit quod in unoquoque sit minor. Cum ergo non limitetur fructus generalissimus, eo quod semper major esset numerus fidelium, seu numerus immediate, vel mediate offerentium, consequens est hujusmodi fructum tam ex opere operato, quam ex opere operantis esse extensive infinitum: *Passer. n.* 829. *Filiuc. tr.* 5. *c.* 2. *n.* 89. *Laym. lib.* 5. *tr.* 5. *c.* 1. *n* 11.

R. II. Fructus medius Sacrificii est finitus in ordine ad satisfactionem, tam quoad intentionem, quam quoad extensionem. Quod sit finitus quoad intensionem, exinde probo, quia, licet Sacrificium dici possit valoris infiniti, tam si consideretur principalis offerens, quam res oblata, cum sit Christus Dominus, ut observat *S. Th* 3. *p. q.* 76. *a.* 5. nihilominus observare est in Sacrificio Missæ Christum non facere actionem nec denuo meritoriam, nec denuo satisfactoriam, cum non sit amplius viator, sed solum per eum velle nobis applicare satisfactionem, quæ correspondet suæ vitæ, & passioni. Si autem voluisset vel Sacrificii infinitam suam satisfactionem applicare, saltem pro eadem re ex ipsius præscripto, & institutione, non essent multiplicanda Sacrificia. Ad eum modum quo, quia in Passione, quantum fuit ex parte Christi, voluit nobis prodesse infinita sua merita, & satisfactionem, non fuit necesse Sacrificium Crucis iterari. Cum igitur Christus voluerit pro eadem re Missas iterari, consequens est ex ipsius institutione nobis ratione Missæ solummodo applicari finitam portionem suæ satisfactionis. Hoc idem videtur docuisse *S. Th. in* 4. *d.* 45. *q.* 2. *d.* 4. *q.* 2. *ad* 2. ubi dicit effectum Missæ esse terminatum, eo quod scilicet ad determinatum effectum ordinetur; & cum improprie diceretur ordinari ad determinatum, seu limitatum effectum ab ipso suscipiente, dicendum est hanc ordinationem ab ipso Christo habuisse. Non per hoc tamen nego limitari effectum satisfactionis etiam a dispositione offerentium, & eorum, pro quibus offerunt, ut docet idem S. Doctor 3. *p. q.* 79. *a.* 5. Fructum igitur medium Missæ esse intensive finitum, non paucis contradicentibus, docent quamplures Theologi, ut videre est apud Barbosam *de potest. Episc. alleg.* 24. *n.* 7.

Ex dictis sequitur fructum medium Sacrificii, quatenus ab Offerente applicatur, neque esse extensive infinitum, itaut eodem modo prosit, si pluribus applicetur, ac paucioribus. Ratio est, quia si sit intensive finitus, consequens est minus de eo participari ab iis, quibus applicatur, quo sunt numerosiores. Demus e. g. fructum hunc medium esse ut decem, si uni totus applicetur, decem partes fructus participabit; & si applicetur decem Personis, singulæ unam fructus partem participabunt. Et de facto, si una Missa æque prodesset applicata pluribus, ac uni soli, non deberet Ecclesia permittere uni soli applicari; nam tunc irrationabiliter excluderentur cæteri a participatione talis fructus: *D. Th. in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 4 *q.* 1. *Lugo disp.* 10. *sect.* 12. *num.* 246. *Laym. l.* 5. *tract.* 5. *c.* 1. *n.* 9. *Passer. q.* 187. *num.* 844. Cæterum ad participandum hunc fructum medium meo videri, nil refert, si a Sacerdote aliquibus applicetur nominatim, & specialiter, vel solum generaliter, & in confuso, ut pro iis, qui magis eo indigerent; nam ex una parte ita sufficienter intelligitur a Sacerdote applicari, & ex alia quod magis, vel minus recipiatur fructus medius ex opere operato, pendet a dispositione, & devotione recipientis. Ita contra aliquos *Passer. n.* 850.

Semper tamen advertere est hucusque dicta valere respectu illorum, quibus a Sacerdote applicatur fructus medius Sacrificii. Nam si sermo sit de fructu medio, qui potest correspondere immediate offerentibus, ut sunt concelebrantes cum Episcopo, non minus de illo participant ex opere operato, ac si soli offerrent. Idem dicendum de mediate offerentibus, ut sunt ii, qui assistunt Missæ, vel faciunt eam celebrare, qui eodem modo participant de fructu medio, ac si singuli offerent mediate. Ratio est, quia ut dixi supra, cum unusquisque suam faciat oblationem, eodem modo, ac si esset solus, non est cur ex consortio aliorum ipsius fructus sit minuendus. *Passer. nu.* 844.

R. III Fructus medius bene dici potest infinitus quoad impetrationem. Ratio est, quia impetratio non innititur pacto, aut promissioni sicuti satisfactio, sed divinæ Misericordiæ, & Liberalitati, quæ per se non habent a quo limitentur. Advertendum etiam quod dum magis augetur Religio, & Dignitas Sacrificii ob plures orationes, & Ministros, ut in Missa Cantata, etiam augetur vis impetrandi; sicut & augeri potest ratione rituum, qui ad Dei cultum ordinantur: *Avers. q.* 11. *sect.* 7. *Passer. q.* 187. *n.* 861.

Q. VII. An valor, seu fructus Missæ sit infallibilis.

R. I. Si non obstet indispositio recipientis, dici potest fructum Missæ quoad satisfactionem esse infallibilem, cum Deus, qui non potest deficere in suis promissis, promiserit illum acceptare: *Lugo disq.* 19. *sect.* 9. *n.* 153. *Azor. p.* 1. *l.* 10. *c.* 21. *q.* 4.

R. II. Fructus Missæ quoad impetrationem, non mihi videtur de sua natura infallibilis; cum etenim præcipue Divinæ Misericordiæ, & Liberalitati innitatur, pendet a puro beneplacitu Divinæ voluntatis concedere, quod postulatur: *Pass q.* 187. *n.* 851. *Palaus tr.* 22. *disp. unic. p.* 6. *n.* 6. Nihilominus credere est a Deo esse impetranda, quæ mediante Sacrificio postulamus, si adsint omnes conditiones, quas exigit impetratio: *Lugo n.* 143.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cum ex pietate, & devotione Sacerdotis celebrantis, crescat ex opere operantis fructus Sacrificii, semper suadendum est, ut qui vult Missas pro se celebrari, non tribuat stipendium Sacerdoti indevoto, ludis addicto, tempus in Apothecis terenti, temperantiam in bibendo non servati, facillime cum Mulieribus colloquenti &c.

II. Moneat Confessarius suum Pœnitentem fructum Missæ valde a sua dispositione, & devotione pendere; adeoque non debere audire Missam vel uno tantum genu aliqualiter inclinato, nec oculis huc, illacque per Ecclesiam vagantibus, vel etiam cum Adstantibus colloquendo. Si hoc modo etiam quotidie unam, vel plures Missas audiat, potius sua irreverentia Dei iram contra se excitabit. Deberet igitur considerare quæ pro nobis egit tempore Passionis Christus Dominus, nam Sacrificium Missæ est commemorativum Sacrificii in Cruce peracti; ac ita excitare in se devotionem, qua ad omnia divini famulatus se promptum exhibeat, hoc etenim interno Sacrificio peracti, uberrimos fructus ex Sacrificio Missæ percipiet.

III. Quam maxime suadeat Confessarius suo Pœnitenti, ut quas vult pro se Missas celebrari, si commodum illi est, curret, ut dum adhuc vivit celebrentur. Primo ergo, si ita agat, faciet opus meritorium elargiendo eleemosynam, quam si jubet dari post mortem, facit opus valde minus Deo gratum; jubet enim dare, quod cogitur dimittere. Deinde Missæ Sacrificium post mortem ipsi tantum erit satisfactorium, at in vita celebratum simul est impetratorium; adeoque ratione illius obtinere potest auxilia ad non peccandum, ac plura bona opera peragenda. Demum Hæres fortasse negligens erit in ipsius voluntate adimplenda; atque ita ipse necessaria satisfactione carebit, & hæres gravi propriam animam culpa maculabit. Quam maxime proinde dum vivit Missarum Sacrificia pro se celebrari durabit; præscribat etiam, quæ convenienter reputabit celebranda post mortem, sed videat ne nimis hæres gravetur. Audiat quæ habet S. Gregorius l. 4. Dialog. c. 58. *Tutior est via, quod quisque post mortem sperat agi per alios, agat ipse dum vivit per se: beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere.*

CAPUT II.

De applicatione Sacrificii, & quando Parochus teneatur pro suis ovibus illud applicare.

Q. I. Quibus possit Missæ Sacrificium applicari.

R. I. Si sermo sit de iis, qui jam decesserunt; Sacrificii fructus solum applicari potest pro Animabus Purgatorii. Et quidem si Sacerdos applicaret Sacrifi-

crificium Missæ pro Damnatis, peccaret mortaliter, utpote quia applicaretur pro Dei inimicis ejusdem fructus omnino incapacibus. Applicari pariter non potest Sacrificium Missæ quoad satisfactionem, & impetrationem pro Beatis, quia & ipsi, ut de se constat, hujusmodi effectuum sunt incapaces. Bene tamen celebrari potest ad agendas Deo gratias pro ipsorum glorificatione; sicut etiam cedit in magnum ipsorum honorem in ipsorum Festo Missam in Sanctorum memoriam offerre. Remanet ergo, ut quoad satisfactionem offerri possit pro Animabus Purgatorii, quæ cum sint cum Ecclesia militante ratione Charitatis cunjunctæ; æquum est ut pro ipsis, hoc Sacrificio mediante, offerat satisfactionem, cujus indigent. Hæc semper fuit Ecclesiæ praxis, quam novissime, ut dixi etiam capite superiori, etiam confirmavit Tridentinum *sess. 22. cap. 2.*

R. II. Si sermo fit de personis, quæ sunt inter vivos, constat licite, & valide tam quoad impetrationem, quam quoad satisfactionem applicari fidelibus baptizatis. Fidelibus peccatoribus applicari potest quoad impetrationem, non quoad satisfactionem ex dictis capite præcedenti. Eodem modo dicendum contra aliquos applicari posse Infidelibus, ad impetrandam e. g. ipsis fidem, at præcipue conversionem. Ratio est, quia, cum Missæ Sacrificium repræsentet Sacrificium jam in Cruce oblatum, sicut istud oblatum fuit etiam pro infidelibus, ita & dicendum de Sacrificio Missæ.

Quid vero dicendum de applicatione Sacrificii in ordine ad Excommunicatos, dixi in *Tr. de cens. qu. 2. c. un. q. 4.* quamvis ibidem dictis multi refragentur quoad excommunicatos toleratos, ut videre est apud *Lugod. 19. n. 187. Tamb. c. 2. l. 2. §. 4. n. 8.* At semper apud me viget illa ratio, quod Concilium Constantiense in nihilu intellexerit relevare excommunicatos etiam toleratos.

Q. II. Quænam intentio requiratur in Sacerdote ad Sacrificium applicandum.

R. Cum certum sit intentionem actualem, & virtualem sufficere, quæstio solummodo potest esse de intentione habituali. Quamvis autem non pauci negent intentionem habitualem, quæ de sui natura non amplius perseverat, sufficere ad applicandum fructum Sacrificii, mihi tamen sufficiens videtur. Ratio est, quia ideo intentio habitualis non sufficit ad conficiendum Sacrificium, quia cum debeat humano modo fieri, oportet verificari Sacerdotem vere velle celebrare, & sua intentione influere ad illud conficiendum; at id non fit nisi per intentionem vel actualem, vel virtualem, ut sæpe dictum est. At intentio celebrantis non respicit valorem Sacrificii, tamquam sua intentione conficiendum, semper etenim ac subsistit Sacrificium, illius valor resultat, sed tamquam rem, seu objectum alteri applicandum, seu donandum: sicut ergo semper cum quis habuit animum donandi, valet donatio usque dum non retractetur; ita semel habita intentione pro aliquo applicandi Sacrificium, talis applicatio habebit suum effectum, si non fuerit retractata: *Lugo disp. 8. sect. 6. n. 93. Aversa quæst. 11. sect. 10. Pasqual. de Sacrif. q. 162. num. 6.*

Q. III. Quid dicendum, si dum quis semel alicui applicaverit Sacrificium, oblitus postea talis applicationis, alteri applicet.

R. Si prima intentio ita fuit ampla, & universalis, ut Sacerdos intellexerit per eam applicare Sacrificium, quamvis illius intentionis oblitus, novam faceret applicationem, tunc videtur omnino applicatio fieri juxta primam intentionem, nam tunc habet vim retractationis subsequentis intentionis: Si vero prima applicatione solummodo habuit intentionem pro aliquo celebrandi, nec voluit esse nullam quamcumque subsequentem applicationem, tunc Sacrificium valeret juxta novam applicationem, nam cum foret primæ æqualis, & cum priore incompossibilis, haberet vim retractationis: *Lug. d. 8. n. 124.*

Q. IV. An sufficiat applicare Missæ Sacrificium referendo suam intentionem ad intentionem alterius; & an Sacerdos Regularis teneatur applicare juxta intentionem sui Prælati.

R. I. Aliud est committere alteri applicationem, itaut ipse Sacerdos per se omnino omittat applicare, & velit Sacrificium applicari ab altero, & aliud est applicationem fieri a Sacerdote, & alteri solum committere designationem Personæ, quæ percipere debet fructum Sacrificii. Hoc utique fieri potest, nam verificatur ipsum Sacerdotem applicare, & alterum solummodo designare Personam. Nullo vero modo potest ipse omittere applicationem, siquidem Christus Dominus soli Sacerdoti dedit facultatem applicandi Sacrificium, non vero alteri talem facultatem communicandi.

R. II. Ex dictis non bene se gereret Regularis, si relinqueret applicationem Sacrificii suo Prælato. Immo, quidquid dicant aliqui, puto Regularem valide applicare Sacrificium contra voluntatem sui Prælati, illius etenim liberæ voluntati concessum est a Christo Domino Missæ Sacrificium applicare, & cum hæc potestas ab Ordine derivet, non videtur posse a Prælato impediri: *Leand. hic tr. 8. d. 3. q. 18. 27. Pasq. de Sacrif. Miss. q. 183. Salm. hic c. 3. p. 3. n. 25.* Peccaret tamen graviter, si Sacrificium esset applicandum juxta voluntatem sui Superioris, ex stipendio accepto; nam Monasterium habet gravem obligationem talibus oneribus satisfaciendi, & obligationibus Monasterii tenentur ipsi Subditi satisfacere: *Donat. t. 4. tr. 7. q. 85.* Si vero Missæ sint liberaliter, & gratis applicandæ, tunc non puto graviter peccare Regalarem contra sui Prælati voluntatem Missam applicantem. Ratio est, quia quidquid sit an Prælatus possit præcipere actum internum applicationis, nihilominus videtur injuste sub gravi præcipere, quod gratis tantum est exhibendum, præceptum autem injustum non inducit obligationem. Secus si præciperet Missam applicandam pro insigni Benefactore, vel ob arcendam publicam calamitatem; nam tunc ratione obligationis antidoralis, vel charitatis adest justa causa ut Superior possit sub gravi præcipere.

Q. V. An valide applicetur Missa sub conditione contingente de futuro.

R. Id neutiquam licet, nam quamvis Sacerdoti datum sit posse Sacrificium applicare, non tamen illi concessum est posse velle illud suspensum, usquedum adveniat conditio, cum non sit sub illius dominio. Hinc reprobata fuit quorumdam praxis, qui applicabant Sacrificium pro eo, qui primus daturus erat eleemosynam, ut videre est apud Barbosam *de Offic. & Potest. Episc. p. 2. alleg. 24. a nu. 12.* Neque refert dicere in hoc casu fructum non remansurum suspensum, quia Deus videt qui primum daturus sit eleemosynam. Contra etenim est, quia sicut Deus non solet punire, neque remunerari ob futura opera, ita & dicendum videtur non applicare fructum Sacrificii pro eo, qui primo collaturus est eleemosynam. Præterea fieret contra voluntatem dantis eleemosynam; nam dum dat eleemosynam intendit velle Missam, cujus valorem certus sit posse percipere, adeoque Missam celebrandam, non celebratam. Demum quis scit, dum celebraretur Missa pro primo, qui daturus est eleemosynam, istum tunc non esse in statu peccati mortalis? Quod si non sit in tali statu, dum postea eleemosynam tribuet, non solum capax erit fructus Sacrificii quoad impetrationem, sed etiam quoad satisfactionem: *Palaus tr. 22. disp. unic. p. 6. num. 15. Laym. l. 5. tr. 3. c. 2. n. 18. Passer. q. 187. art. 4. n. 1163.*

Q. VI. Quando facienda sit applicatio Missæ.

R. Juxta opinionem illorum, qui dicunt essentiam Missæ in sola Communione consistere, certum est sufficere illam applicare etiam post consecrationem. At hanc opinionem capite superiori rejeci; & cum crediderim in sola consecratione ipsius essentiam consistere, puto applicationem ante consecrationem esse faciendam. Id autem omnino observandum est, dum applicandum est Sacrificium ratione habitæ eleemosynæ; nam tunc debetur Sacrificium, quod certo possit prodesse, valde autem dubitari potest, an prosit Sacrificium, quod post consecrationem applicetur.

Q. VIII. Cujus sit fructus Sacrificii, si nulli applicetur, vel incapaci, puta Beato, vel Damnato.

R. Multi putant in utroque casu in Ecclesiæ thesauro remanere, quia Christus fructum Sacrificii non applicat nisi mediante applicatione Sacerdotis. Sed bene etiam dici potest Missam applicatam incapaci, aliis a Christo dispensari juxta interpretativam voluntatem offerentium, vel Sacerdotis: *D. Th. in 4. d. 45. q. 1. art. 4. q. 2. ad 2. Passer. qu. 187. art. 4. n. 785.* Potest etiam dici Missam nulli, vel incapaci applicatam in ipsum Sacerdotem reverti, quia saltem interpretative præsumitur velle sibi prodesse: *Gabr. a S. Vinc. disp. 2. q. 5.*

Q. VIII. Quando Parochus teneatur Missam pro suis ovibus applicare?

R. Parochi tenentur omnibus diebus festis Sacrificium pro populo applicare, itaut si redditus sint pingues teneantur singulis diebus, si vero tenues saltem diebus festis. Ita S. Congregatio pro Diœcesi Lucana 10. Maii 1681. In Melitensi 7. Junii ejusdem anni; in Cremon 20. De-

30. Dec. 1692. in Pampilon. 18. Novem. 1702. & 31. Maii 1704. in Camerinens. 28. Junii 1704. Neque credidit S. Congregatio excusandos ab hoc onere etiam Parochos congruam non habentes *in nullius Nonantulæ 30. Aug. 1698. in Pistoriensi 14. Febr. 1699.* Et cum de mense Julii 1711, quidam Parochi Diœcesis Narniensis exposuissent non habere nisi tenuissimam congruam viginti quinque scutorum, quam nullatenus miserabiles Parochiani poterant augere, nihilominus rescriptum fuit servandum decretum emanatum in citata Nonantulana. Et ratio est, quia Parochus eo quod sit Parochus tenetur ratione officii Sacrificiam pro ovibus suis applicare, & id etiam ex divino præcepto, ut innuit Trid. *sess. 13. c. 1. de refor.* Quapropter idem onus habent Parochi amovibiles, usquedum enim exercent curam animarum, tenentur præcepto pro eis orandi, & Sacrificium applicandi.

Advertendum etiam non satisfieri huic præcepto, si applicetur pro populo Missa Conventualis; nam cum hæc ut pars Officii consideretur, applicanda est pro Benefactoribus juxta text. in *c. cum Creatura de celebr. Miss.* & tradit inter alios Pignatellus *t. 1. consul. 32.* Porro per unicam Missam non potest duplici obligationi satisfieri. *Passer. de stat. homin. t. 2. a. 4. q. 187. num. 991.* & dicam etiam infra.

Quod si Parochi tenentur orare, & pro populo Sacrificium offerre ex divino præcepto, multo magis hac adstringentur obligatione Papa, qui est Pastor universalis, Episcopi, qui sunt Parochi totius Diœcesis, ac demum Prælati Regulares, qui habent curam animarum suorum subditorum cum jurisdictione in utroque foro. Videatur Tambur. *de Jure Abb. tom. 2. disput. 5. q. 5. n. 5.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Si Sacerdos velit, ut par est, Sacrificium applicare, consideret quæ præstare habeat Sacrificium, & juxta ea illud applicet. Quia ergo est Latreuticum intendat illud offerre ad deferendum Deo supremum cultum, & honorem, offerendo maxime SS. Trinitati ipsius Christi Domini humiliationes, & adorationes. Quia est Eucharisticum, intendat illud offerre in gratiarum actionem pro tot beneficiis nobis collatis; & præcipue pro beneficio Incarnationis, & Passionis Christi, cujus memoria ex ipsius præcepto in hoc Sacrificio specialiter recolitur. Quia est impetratorium, offerat ad impetrandam a Deo veniam pro nostris culpis, & ut hoc Sacrificio placatus sit nobis non iratus, sed propitius, tribuatque auxilia, ut ex animo nos peccatorum pœniteat. Intendat pariter impetrare ea beneficia spiritualia, & temporalia, quorum indigemus, conformando præcipue suam intentionem Christi, & Ecclesiæ intentioni, cum sit ipsorum Minister. Quia demum est satisfactorium, intendat offerre pro delenda pœna, debita suis peccatis, vel peccatis illius, pro quo debet celebrare, cui semper debet applicare eam portionem satisfactionum Christi, cujus applicationem voluit ex ipsius voluntate pendere.

II. Alia etiam vellem observare Sacerdotem in Sacrificii applicatione. Primum, quod dum tenetur pro aliqua persona determinata Sacrificium applicare; non applicet aliis, e.g. Patri, Matri nisi sub conditione; licet enim verum sit quod pluribus applicatum minus prodest, quam si uni applicetur, jam si absolute pluribus applicetur, minorem fructus portionem habebit ille, pro quo Sacerdos tenetur celebrare; unde pro aliis solum applicare debet sub hac conditione, si id non noceat illi, pro quo tenetur celebrare. Secundum, quod si celebrandum est Sacrificium pro persona, quæ vivat, habeat intentionem applicandi satisfactionem Sacrificii sibi, vel alteri, si forte illa Persona, quia esset in peccato mortali, non esset capax obtinendæ satisfactionis. Tertium, si celebret pro Persona defuncta, applicet alteri, vel sibi Sacrificium, si forte illius ea persona non sit capax, quia nempe vel assecuta sit æternam Gloriam, vel sit in Inferno. Quod si adhuc degat in Purgatorio, dum non sit capax fructus Sacrificii nisi quoad satisfactionem, potest sibi, vel alteri applicare quoad propitiationem, & impetrationem.

III. Optimum est Sacerdotem vel actualiter, vel virtuali intentione applicare Sacrificium pro iis, pro quibus tenetur celebrare. Nihilominus, si Sacerdos semel habuit intentionem suo tempore celebrandi, e. g. quando habuit eleemosinam, puto non debere anxium esse an satisfecerit, si postea talis obligationis oblitus celebraverit, nam usquedum non retractetur, videtur omnino vigere applicatio, seu donatio jam facta fructus Sacrificii.

CAPUT III.

De necessaria dispositione Sacerdotis ad rite Missam celebrandam; de obligatione servandi Rubricas in celebrando; & de obligatione in Missa nihil omittendi.

Q. I. QUÆ dispositio debeat esse in Sacerdote, qui vult celebrare: & quæ servare debeat antequam accedat ad Altare.

R. I. Sacerdos, qui vult celebrare, debet esse in Gratia, & jejunus. At cum de his dispositionibus satis sermonem habuerim quæstione superiori, ideo modo illuc Lectorem remitto. Denique aliqui putant peccaturum mortaliter, si absque justa causa celebret, non recitato Matutino cum Laudibus. At quamvis id in Rubricis præcipiatur, puto quoad hoc eas non servare non esse peccatum mortale; neque enim tanta connexio inter Missam & Horas Canonicas apparet, ut sit quid grave Missam, non recitatis Horis Canonicis, celebrare: *Laym. l. 5. tr. 5. c. 4. assert. 4. Less. de Just. l. 2. c. 37. dub. 12. n. 81.* & quamplures alii, quos allegat Barbosa *de Offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 24.* Magis censeo hanc Rubricam obligare quoad Missam solemnem in Choro cantandam post Matutinum.

R. II. Sacerdos ante Missæ celebrationem deberet recitare solitas orationes pro præparatione Missæ, at quia notantur recitandæ pro Sacerdotis opportunitate, ideo puto eas non cadere sub præcepto: *Tambur. c. 7. §. 1.* Item debet Sacerdos ante Missam manus abluere, in quo tamen certe graviter non peccaret, nisi manus ita essent sordidæ, ut reputarentur inducere notabilem, & gravem irreverentiam. Si vero ommittantur solitæ orationes, dum Sacerdos Sacris vestibus se induit, putant aliqui esse grave peccatum; alii vero dicunt Rubricam quoad eas esse solum directivam: *Pasqual. de Sacrif. qu. 818.* Id tamen mihi non probatur, quamvis putem ex ipsius transgressione solummodo culpam levem consurgere, cum non videatur esse de re gravi; *Palaus tr. 21. disp. unic. p. 10. n. 8.*

Q. I. Quomodo peccet Sacerdos, qui voce satis depressa, vel nimis festine, vel distractus Missam celebrat.

R. I. Quamvis aliqui putent leviter peccare Sacerdotem, qui Missam celebret voce ita depressa, ut difficiliter adstantes possint audire, ego puto nullatenus peccare, nam semper cum ita recitet, ut egrediatur terminos secretæ recitationis, oratio publica evadit, & aliunde adstantes non tenentur audire, sed solum esse moraliter præsentes: *Pasqual. de Sacrif. q. 239. n. 4.*

R. II. Cavere debent Sacerdotes a Missa nimis prolixa, quod observabat etiam S. Philippus Nerius, ut consuleret adstantium imbecillitati, & ne tædio eos afficeret. At nemo credat Missam esse prolixam, si mediam horam non excedat; & nimis brevem reputare debet, si saltem tertiam horæ partem non compleat, ut communiter docent DD. Quod si quis festine Missam celebret, sed nihil prætermittat, aut cæremonias confundat; non peccabit nisi venialiter. Quia tamen, qui intra quadrantem Missam absolvit, necesse est valde indevote celebrare, plura confundere, truncare, vel saltem sincopare, ideo communiter dicitur peccare mortaliter. Ex hoc autem oritur in Episcopis, & Prælatis Regularibus obligatio sub gravi turpem hanc, & scandalosam celeritatem extirpare: *Quarti p. 1. tit. 16 punc. 6. diff. 3. Pasqual. de Sacrif. q. 229. n. 7.*

R. III. Scio aliquos docere Sacerdotem celebrantem voluntarie distractum non peccare mortaliter, quamvis communiter in eo venialem culpam agnoscant. Ego nihilominus unice veram puto sententiam, qua dicitur Sacerdos graviter peccaturus, qui per tempus notabile Missam celebrat voluntarie distractus; nam eo ipso quod velit Missam celebrare, ejus recitatio debet habere rationem orationis, & etiam quantum ex ipso est facere actionem, qua Deus colatur, atque in his omnibus graviter deficit, dum per tempus notabile voluntarie distractus Missam celebrat. Hinc cum voluntaria distractione neque satisfieri obligationi recitandi Divinum Officium, dixi *tr. 3. q. 1. cap. 5. q. 2.* Multo magis autem necesse est removere voluntarias distractiones tempore Canonis, nam ista pars non tantum continet alloqui Deum, sed continet Sacrificium, actum nempe excellentissimum Religionis, adeoque peculiariter exposcit attentionem Celebrantis. Addendum ex voluntaria distractio-

ne

ne consurgere posse periculum quid grave omittendi, vel minus recte operandi: *Tamb. de Sacrif. Miss. l. 2. c. 3. n. 6.*

Q. III. Quomodo peccet Sacerdos celebrando capite cooperto, vel sine calceis.

R. I. Inter ea, quæ servanda sunt in celebratione Missæ, primo advertere debet Sacerdos non licere sibi sine licentia Papæ celebrare capite cooperto, ut ex declaratione S. Congregationis notat Gavant. *p. 2. tit. 12. liter. F.* Quamvis autem aliqui afferant id esse peccatum grave, nihilominus alii distinguunt dicendo esse peccatum leve celebrare usque ad canonem exclusive capite cooperto, quia non reputatur nisi levis irreverentia, grave vero deinde prosequi usque ad sumptionem capite cooperto, nam tunc gravis irreverentia consurgit: *Pasqual. de Sacrif. q. 826. Quarti p. 2. tit. 2. d. 3.* Si vero celebret nudis pedibus sine calceis reputatur levis irreverentia: *Pasqual. q. 824. Quarti dub. 9.*

Q. IV. Quænam omissio in celebratione Missæ sit grave, vel leve peccatum.

R. I. Quænam sunt, quæ reputantur omitti non posse in Missa sine gravi culpa, quia ex earum omissione Missa videtur reddi valde mutila, eique deficere aliqua pars non leviter conducens ad ejus integritatem. Ita se habet omissio Epistolæ, & Evangelii: *Pasqual. de Sacrif. q. 201. Quarti in Rubr. Miss. quæst. fundament. sect. 3. p. 3.* Idem dicendum de omissione plurium Prophetiarum, quando in Missa leguntur quamvis solum esset peccatum veniale unam omittere: *Pasqual. cit.* Si vero Sacerdos solemniter celebrans omittat legere Epistolam, vel Evangelium, vel leviter tantum peccabit, ut vult Pasqualigus *qu. 192.*, vel nullum committet peccatum, cum rubrica id insinuans tantummodo directiva videatur, quia Sacerdos ea audiendo a Ministris videtur satisfacere, *Lugo disp. 20. n. 107.* Quoad Evangelium Sancti Joannis, vel aliud Evangelium dicendum in fine Missæ, volunt aliqui ipsius omissionem esse solummodo peccatum veniale, quia cum dicatur post *Ite Missa est*, non apparet pertinere ad Missæ integritatem: *Tamb. l. 2. cap. 5. §. 2. nu. 5.* At non adhærendum credo huic opinioni, tum quia quamvis ex rubricis dicendum sit post *Ite Missa est*, ne antiquus ordo invertatur, non ideo credendum est ad integritatem Missæ non spectare: tum quia rubricæ præcipiunt numquam illud esse omittendum, & tale præceptum non respicit rem levem.

Item reputatur quid grave omittere oblationem Hostiæ, ubi advertendum, quod licet leve quid dici possit omittere Offertorium, quod dicitur post Evangelium, vel Credo, quia pars non gravis, sed exigua reputatur: *Pasqual. de Sacrif. q. 201.*; ipsa tamen oblatio hostiæ, & calicis est quid grave, valde conducens ad integritatem Missæ, adeoque communiter docent DD. omitti non posse sine gravi culpa. Idem dicunt de omissione Præfationis. Quoad omissiones factas in Canone, quidam putant non esse peccatum grave omittere etiam octo nomina Sanctorum: *Pasqual. de Sacrif. qu. 202.* Hanc tamen opinionem alii merito communiter rejiciunt, nam quo pars Missæ sacratior est, eo crescit gravitas omissionis, quamvis extra illam notabilis non videretur; ut ad summam excusandus a gravi culpa, qui tantum tria, vel quatuor nomina omitteret. *Quarti in Rubric Miss. q. fundam. sect. 3. p. 3.* Sed quia omissiones factæ in Canone facile ad gravem culpam possunt pertingere, ideo bene esset Sacerdotem scire quando incipiat, & quando desinat.

At in hoc valde discrepant Theologi, aliis dicentibus incipere ab illa clausula: *Communicantes*, aliis ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur*. Aliis asserentibus definere ad Orationem Dominicam; aliis *ad Agnus Dei*. At, meo videri, melius dicitur incipere ab aliis verbis *Te igitur*, ubi est titulus, & docent *Pasqual. de Sacrif. qu. 202., Fagund. l. 3. c. 28., Gavant. p. 2. tit. 7. c. 8. num. 15.* aliique, desinere vero cum Communione, alias cogeremur dicere partem tam præcipuam Sacrificii esse extra Canonem.

R. II. Si aliqua alia omittantur, non datur nisi culpa levis; ut si omittantur Kyrie eleison, vel Tractus, nam hæc non sunt partes tantæ dignitatis, ut ex earum omissione Missa censeatur graviter deformata. Item si omittantur *Gloria in Excelsis Deo*; vel *Credo*, vel quæ tempore Paschali, & quibusdam aliis Festis interponenda sunt in *Communicantes*, vel in *Hanc igitur*. Advertendum hic igitur est omissionem in Missa posse esse grave peccatum, vel quia omittatur notabilis quantitas, vel quia id, quod in quantitate modicum videtur, est moraliter quid magnum, ut dixi de Epistola, Evangelio, Oblatione. Omittere igitur *Kirie eleison* vel Tractum, non erit peccatum grave, quia talis omissio non est gravis in ordine ad quantitatem: & ulterius tales partes, quamvis pertineant ad integritatem Missæ, non talis reputantur dignitatis, ut sint quid grave in morali æstimatione: *Pasqual. de Sacrif. q. 201.* Item omittere *Gloria*, vel *Credo* non est quid grave respectu quantitatis, neque videtur esse quid magnum moraliter, quia adhuc Missa sine iis, non est mutila, ut constat in Missa feriali: *Diana par. 2. tr. 14. resol. 59.* Eodem modo loquendum de omittente unam vel alteram orationem. Secus esset, si etiam pauca verba omitterentur, ex quorum omissione destrui videretur aliqua pars notabilis Missæ, ut si in oblatione ita aliqua verba mutentur, quod non amplius intelligatur Sacerdos offerre; *Quarti in Rubr. q. fundam sect. 3. p. 3.*

R. III. In omissione cæremoniarum datur gravis, vel levis culpa, secundum quod illæ cæremoniæ reputantur graviores, & continere specialem significationem. Hinc non omitteretur sine culpa gravi mixtio aquæ cum vino, fractio hostiæ, illiusque mixtio, vel omnia, seu pars signorum, quæ fiunt super oblata &c. Nun esset vero gravis culpa unam vel alteram Crucem omittere, elevationem manuum, tunsionem pectoris &c. *Diana p. 3. tr. 5. resol. 45.* Cæterum non excusandus videtur a gravi culpa, qui majorem partem cæremoniarum, exceptis etiam gravioribus, omitteret, nam ex quantitate earum videtur consurgere transgressio in materia gravi.

Q. V. Quid facere debeat Sacerdos, si afferantur particulæ pro Communione Laicorum post oblationem & quousque retinendæ sint super Altare.

R. I. Cum Rubrica de Offertorio *§. 7. n. 3.* velit hujusmodi particulas esse cum hostia offerendas, nec videatur dici posse levis cæremonia hujusmodi oblatio, hinc hujusmodi oblationem omittere, vel variare, quidam putant esse peccatum grave: *Passer. to. 2. q. 187. art. 1. n. 963. Bonac. de Sacr. Miss. q. ult. p. 2. n. 6.* Alii vero dicunt solummodo esse gravem obligationem offerendi, & cæremonias servare quoad hostiam grandiorem, non vero quoad particulas, quæ ad illam se habent accessorie, adeoque posse mentaliter offerri, maxime si paulo ante facta sit oblatio hostiæ grandioris: *Gavant. in Rubr. Missal. p. 3. tit. 10. n. 19.* Vel etiamsi afferantur post Præfationem: *Tambur. in Meth. celebr. Miss. l. 2. c. 5. §. 2. n. 9. 10. & 11.*, addens aliquam justam causam excusare posse a culpa levi, si in hoc esset, puta commoditas populi communicaturi.

R. II. Particulæ pro communicandis laicis permanere debent super Altare usque ad Communionem Sacerdotis, non solum quia æquum non est Laicos ante Sacerdotem participare debere de Sacrificio, sed multo magis quia oblationes, & benedictiones etiam ad has particulas spectant: *Lugo disp. 20. nu. 69. Dian. to. 2. tr. 1. resol. 233.* Verum id non servare putant aliqui non peccatum grave, vel etiam nullum, si e. g. conveniens esset non amplius differre Communionem Laicorum.

Q. VI. Quæ servare debeat Sacerdos pro purificatione.

R. Sacerdos, sumpto Sanguine, ad Calicem purificandum debet vinum adhibere in ea quantitate, qua fuerunt species Sanguinis, & si tantam quantitatem habere non possit, saltem vinum intra Calicem circumagat; ut sufficienter absumantur dictæ species. Sumat deinde purificationem per eam partem Calicis, per quam Sanguis haustus est. Vide Gavantum *p. 2. t. 10. nu. 5. l. 10.* Porro extat præceptum ut prima purificatio fiat ex vino: *c. ex parte de celebr. Miss.* quod tamen censent non obligare sub gravi, cum sit levis variatio si fiat aqua: *Pasqual. de Sacrif. q. 209. n. 4. Tambur. l. 3. c. 9 nu. 1.* Alteram vero digitorum ablationem sola aqua fieri posse concedunt ipsæ Rubricæ.

CAPUT V.

De obligatione nihil addendi, vel variandi in Missa celebranda, de qualitate Missæ observanda; de canone interrumpenda; & de supplendis iis, quæ omissa sunt.

Q. I. Quale peccatum sit addere aliquid in Missa, vel illius ordinem Invertere.

R. I. Addere aliquid in Missa per se est peccatum grave, nam hoc prohibitum fuit a S. Pio V. ut patet ex

Ru-

Rubricis, quæ prohibitio dici non potest de re levi. Nihilominus si quid leve addatur non ad mutandum ritum, sed ex quadam, quamvis non rationabili, devotione ipsius Sacerdotis, ex parvitate materiæ esset peccatum leve, si absit scandalum, quod quidem adesset, si e. g. Sacerdos alta voce novum adderet: *Pater noster: Tambur. cit. l. 2. c. 5. §. 3. n. 2.* Idem ex eodem Tamburino *n. 7.* dicendum esset, si Regularis adderet in Missa nomen sui Generalis &c. quamvis etenim id prohibuerit S. Congregatio, nihilominus prohibitio videtur de re levi. Ubi obiter advertendum Regulares, & quoscumque Sacerdotes celebrantes debere nominare non proprium Episcopum si e. g. sint itinerantes, sed Episcopum loci, in quo celebrant: *Gavant. p. 2. tit. 8. n. 1. l.* ℞. Inter novas cæremonias Missæ additas annumeratur etiam meditari ante sumptionem Corporis, & post sumptionem Sanguinis; nam Rubricæ solummodo tria tempora quiescendi, seu meditandi assignant; nempe in duplici Memento, & post sumptionem Corporis.

R. II. Invertere ordinem circa partes integrantes dissimiles, quæ de se sint quid grave, est culpa gravis, ut si fiat oblatio ante Evangelium, quia violatur præscriptum ab Ecclesia in re gravi. Si vero invertatur in partibus similibus, erit tantum culpa levis, ut si non servetur debitus ordo inter Orationes, quia variatio tunc est in re levi: *Pasqual. de Sacrif. q. 223.*

Q. II. An qualitas Missæ sit observanda; & quale peccatum sit illam non observare.

R. I. Ex Rubricis habetur Missas concordare debere Rubricis. Nihilominus non videtur peccare, qui celebrat Missas votivas extra diem Dominicæ, vel quando Officium non est duplex, vel quando non sunt Feriæ privilegiatæ: *Gavant. in Rubr. Miss. p. 1. tit. 4. l. 10.* Quod si aliquis celebret in Ecclesia, ubi Missa alia a currente celebratur, ut facile accidere potest in Ecclesia Regularium, poterit Missam festo conformem celebrare, sed juxta Missale Romanum, non juxta Missale proprium Regularium, ut ex decreto S. Congregationis apud la Croix *l. 6. p. 2. n. 263.* in Catalogo Decretorum S. Congregationis.

R. II. Qui diebus impeditis celebrat aliam Missam a currente, si id non fiat cum scandalo, vel animo introducendi novum ritum; ordinarie loquendo, solum peccabit venialiter; nam non constat latum esse præceptum obligans sub gravi de celebrandis Missis, quæ tunc præscribuntur: *Lugo disp. 21. n. 105. Quarti p. 1. tit. 4. dub. 3.* Dixi, regulariter loquendo; nam e. gr. in Missa solemni major rigor est observandus, ut Missa cum Officio concordet, ut notat Tambur. *l. 3. c. 6. §. 1. n. 6.* Item videretur esse non levis incongruentia in die magnæ Solemnitatis Missam valde disparatam celebrare; ut si in Paschæ Solemnitate celebretur Missa de Passione. Quid dicendum de Missis Defunctorum dicam paulo post.

Si vero adsit justa causa, nullum erit peccatum celebrare aliam Missam a currente etiam diebus impeditis, justa enim causa tollit eam incongruentiam, quæ tunc videtur intervenire. Hujusmodi causæ ad sequentes reducuntur. Prima, si Sacerdos volens Missam omittere, non habeat Missale; in quo sit Missa, quam debet celebrare. Secunda, si adsit aliquod impedimentum ex parte ipsius Sacerdotis; ut si non possit celebrare Missas currentes in diebus Hebdomadæ Sanctæ; adeoque celebret Missam breviorem de Passione. Tertia, si celebret in Ecclesia, ubi sit particulare Festum; nam tunc debet celebrare Missam conformem Festivitati. Quarta, si adsit publica gravis necessitas, poterit in Festis non Majoribus unica Missa votiva celebrari. Quoad alias causas videndus Tamburinus citatus, aliique Authores.

R. III. Esset peccatum grave celebrare Missas de Defunctis in iis diebus, quibus alias non licet illas celebrare; nam datur præceptum S. Congregationis id districte prohibens, ut videre est apud Passerinum *to. 3. q. 187. art. 4. n. 1204.* Ubi eadem S. Congregatio addidit, quod si Missæ Defunctorum a Benefactoribus præscriptæ incidant in Festum duplex, non sunt, differendæ ne Animarum suffragia differantur, sed applicandæ juxta mentem Benefactorum. At observare est Alexandrum VII. sub die 22. Januarii 1667. ut videre est in Bullario, declarasse Decretum S. Congregationis non comprehendere Anniversaria, & Missas Cantatas de Requiem, relictas ex dispositione Testatorum, quotannis in die ipsorum obitus celebrandas. Addidit etiam Missas currentes celebratas in duplicibus in Altaribus privilegiatis, eodem modo illis suffragare, ac si fuissent de requiem.

Q. III. Quandonam liceat Missam interrumpere.

R. I. Si interruptio sit accidentalis, nempe quoad preces præscriptas ab Ecclesia, plures sunt causæ, quibus licet Missam interrumpere. Missa igitur licite juxta communem praxim interrumpitur ante, vel post symbolum Nicænum pro Concione habenda. Non bene vero ex hujusmodi causa interrumpitur post primam oblationem panis, & vini; nam cum hæc speciali modo ordinem dicat ad consecrationem, non est sine aliqua irreverentia tunc Missam interrumpere. Secundo, aliqui volunt licite Missam interrumpi in adventu Prælati, Principis, Populi, maxime si id accidat in die festo, & recitatum sit Evangelium, concedentes iterum Missam posse incohari, si non facta sit oblatio, & non adsit alius Sacerdos, qui possit Missam celebrare: *Gavant. p. 3. tit. 10. n. 17.* Tertio, licite interrumpitur accidentaliter ex metu gravi, ex superveniente corporali necessitate, ex superveniente proximi spirituali necessitate, ex superveniente violatione Ecclesiæ, vel Altaris, de quibus omnibus casibus agit Tambur. de Sacr. Miss. *c. 7. §. 2. & seqq. usque ad §. 9. l. 2.* Quid facere debeat Sacerdos, si superveniat excommunicatus vitandus, dixi *Tr. 4. q. 2. c. un. quæst. 5.* Quid si dum est ad Altare, recordetur se esse in peccato mortali, dixi quæst. antecedenti *c. 5. quæst. 3.*, & quid si recordetur non esse jejunum, dixi *ibid. quæst. 9. resp. 3.* Cæterum advertendum non posse sine gravi culpa Missam absque justa causa etiam quoad partes accidentales notabiliter interrumpi, & qui *temere id præsumpserit* excommunicationem ferendam incurrit: *c. nihil caus. 7. q. 1.*

R. II. Si interruptio debeat esse essentialis, ut si post consecrationem hostiæ omittenda esset vini consecratio, vel facta utriusque speciei consecratione, Missa non posset continuari usque ad sumptionem, quæ si non sit pars essentialis Sacrificii, certe pertinet ad ipsius perfectionem integralem, tunc talis interruptio non est licita, nisi interveniat præceptum magis obligans, quam præceptum divinum affirmativum de integritate Sacrificii. Hinc poterit essentialiter interrumpi Missa, si superveniat hostis, qui velit interficere celebrantem, vel hoc periculum repente consurgat ex incendio, terræ motu &c. nam præceptum naturale conservandi vitam, strictius obligat præcepto de non interrumpendo essentialiter Sacrificio. Idem dicas, si superveniant Hæretici illaturi injuriam Sacramento: *Laym. l. 5. tr. 5. c. 7. a n. 2., Gabr. a S. Vinc. disp. 1. q. 6.* Item licebit essentialiter interrumpere Missam ob gravem spiritualem proximi necessitatem; ut si Sacerdos, facta consecratione, advocetur ad confessionem Moribundi sine ulla mora excipiendam, nam magis urget præceptum naturale succurrendi proximo in extrema spirituali necessitate constituto. In tali igitur casu, si alius non sit Sacerdos, Celebrans debet Missam interrumpere, & deferendo secum particulam hostiæ consecratæ, & Extremam Unctionem, ad Moribundum pergere, illiusque audita Confessione, cætera Sacramenta administrare.

Quod si Confessio futura esset ita diuturna, ut semihoram excederet, non videtur tunc obligare præceptum de materiali integritate Confessionis; unde poterit illum absolvere etiam tali materiali integritate non servata. Redeat deinde ad perficiendum Sacrificium, quod semper facere debet, si potest, quando illud essentialiter interrumpit; eoque peracto iterum audiat Moribundum, & absolvat; si adhuc sit superstes, ut ita servetur etiam integritas materialis Confessionis; cæteraque de more persolvat: *Dian. p. 5. tr. 3. resol. 70.*

Alter casus, in quo licet interrumpere essentialiter Sacrificium est, si perfici non possit sine gravi adstantium scandalo, nam tunc magis urget præceptum illud removendi: ut si dum sumit calicem agnoscat aquam, seu vinum lymphatum consecrasse, & non possit vinum haberi sine gravi scandalo: *Azor. p. 1. l. 10. c. 33. q. 6. Fagund. l. 3. c. 5. n. 10. Bonac. de Sacrif. Miss. q. ult. p. 10. n. 3.* Mea tamen videri, hoc scandalum facile removeri potest, si dum sine quadam admiratione vinum haberi non possit, admoneantur adstantes non allatum esse ex errore vinum pro consecratione, adeoque novum vinum esse consecrandum. Licite demum essentialiter Missa interrumpitur, dum superveniat morbus, unde Sacerdos non possit Missam perficere; vel talis corporalis necessitas, ut non possit Missam sine gravi indecentia prosequi.

Q. I. An, & quomodo supplenda sint omissa in Missa.

R. I. Quod omissum est in Missa dum Sacerdos nondum

facere

secrete orat, si post pauca verba non advertatur, non est repetendum, quia non fieret sine admiratione adstantium, & Missæ ordo turbaretur. Idem dicas, dum secrete orat si omisit quid accidentale, & advertat omissionem postquam multum progressus ast; nam tunc reassumendo quod omisit, notabiliter Ordinem immutaret: *D. Thom. 3. p. q. 83. art. 6. ad 5.* Non tamen debet Sacerdos in progressu Missæ sibi facile persuadere aliquid omisisse; nam in iis, quæ sæpe recitamus, propter verborum cohærentiam difficiliter aliquid omittitur: *Coninch. de Euch. q. 83. art. 7. num. 281.* Si vero Sacerdos advertat omisisse aliquid Missæ necessarium, vel id probabiliter credat, omnino est supplendum, ut de se patet.

R. II. Si Sacerdos post consecrationem utriusque speciei advertat hostiam aptam non fuisse consecrationi, quia e. g. erat corrupta, volunt aliqui, qui putant ordinem consecrationis esse essentialem, debere iterum aliam hostiam, & aliud vinum consecrare; at alii putant talem ordinem non esse essentialem, adeoque sufficere solam hostiam consecrare: *Dian. tom. 2. tract. 1. resol. 230.* Si vero Sacerdos ante sumptionem hostiæ advertat non consecrasse vinum, quia e. g. erat aqua, tunc satis est novum vinum consecrare. Quod si id advertat, sumpta hostia, tunc docet *S. Thom. 3. part. quæst. 83. art. 6.* etiam novam hostiam esse consecrandam, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur &c.* & juxta *S. Thom.* docent Rubricæ Missalis *cap. de def. vin. n. 5.* Alii vero quoad hoc nullum Præceptum agnoscunt, quia etsi solum vinum consecretur, illius consecratio videtur moraliter uniri cum consecratione hostiæ suo loco facta; & ulterius aptius suppleri potest defectus sine scandalo, si solum tempore ablutionis novum vinum consecretur, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo &c. Dian. resol. 236.* & alii apud ipsum.

Si vero supplendum sit Sacrificium ab alio Sacerdote omissum, tunc puto quod licet possit alter prosequi, si omissum fuit incepto canone, nihilominus ad id non teneatur; immo volunt aliqui, quorum opinio non est magis communiter recepta, nec teneri saltem sub mortali, etsi omissum fuerit post consecrationem, quia *can. nihil. 7. qu. 1.* id liberum relinquitur Sacerdoti: *Caton. de Sacrif. contr. 5. cap. 1. num. 16.* Quod si velit illud perficere, statim ac fieri potest, est perficiendum; si enim pertranseat tempus notabile antequam perficiatur, non esset moralis continuatio Sacrificii omissi: *Quarti part. 3. tit. 10. n. 3. sect. 1. d. 5.* Deinde si deficiat Sacerdos post consecrationem hostiæ, & certo sciatur illam consecrasse, tunc prosequendum est Sacrificium a consecratione vini, incipiendo ab illis verbis: *simili modo &c.* Si vero dubitetur, an Sacerdos, qui deficit, vere hostiam consecraverit, tunc inter varias Theologorum opiniones, credo Sacerdotem, qui debet prosequi Sacrificium, debere ita se gerere. Si iste Sacerdos ea die nondum celebraverit, debet aliam hostiam assumere, illamque absolute consecrare, hostiam vero relictam, tantum sub conditione; atque ita fiet, quod si primus Sacerdos non consecraverit, ille secundus integre sacrificet, quod ei licitum est, si vero prima hostia fuerat consecrata, verificabitur ab isto Sacerdote solummodo prosequi omissum Sacrificium. Si vero Sacerdos, qui debet illud prosequi, ea die celebraverit, cum tunc non habeat jus ad novum Sacrificium, sed solum ad prosequendum omissum, non puto posse novam hostiam consecrare, sed solum debere sub conditione consecrare hostiam, de qua dubitatur, an fuerit consecrata, & ita prosequi Sacrificium. Demum si contingat Sacerdotem mori post sumptum Corpus Christi, *ex D. Thom. 3. p. q. 83. art. 6. ad 4.* & aliis, deberet alter novum panem, & vinum consecrare, simulque sumere cum vino consecrato a Defuncto; aliis e contra asserentibus sufficere, si sumat sanguinem, cum ita sufficienter intelligatur perfici Sacrificium: *Dian. tom. 2. tract. 1. resol. 240.*

Quoad alios defectus in Missa occurrentes, remitto Lectorem ad ea, quæ habentur in Rubricis, sub titulo, de Defectibus in Missa occurrentibus.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Bene animadvertat Confessarius, quod quamvis Theologi distinguant Ritus, seu Rubricas Missæ in præceptivas, & directivas, atque alias dicant solum obligare sub levi, alias sub gravi culpa; nihilominus semper durre increpare debet Sacerdotem suum Pœnitentem, qui negligens est in iis addiscendis, adeoque eas non servat, ut pat est. Moneat, Ecclesiam a Divino Spiritu gubernatam, nullum ritum induxisse, quo vel non designetur aliquod mysterium vitæ, seu Passionis Christi Domini; vel saltem deservire non debeat ad excitandam in populo devotionem. Conveniens ne ergo est, ut ipse Sacerdos, dum ipsius Christi Personam gerit, aliqua veluti parvi faciat, omittat &c.? At præterea notet Confessarius hujusmodi Sacerdotem sibi a Confessionibus facillime peccare mortaliter. Primo, quia non unum, aut alterum, sed quamplures ritus non observando, ejus transgressio non dici potest esse in materia levi. Secundo, ratione contemptus. Pro quo observandum non solum peccare mortaliter, qui vere omitteret quemcumque sacrum ritum, quia parvi penderet, sed etiam qui ita se gerit, ut se parvi pendere demonstret ipsos ritus, & cæremonias; quod certe evenit, si frequenter, & multas non observet: sicut injuriam alteri irrogaret non solum qui illum corde contemneret, sed etsi solum ita se gereret, ut ipsis operationibus demonstraret ipsum parvi facere. Tertio, peccare potest gravissime Sacerdos ratione scandali. Et quidem excuset, qui potest, a gravi scandalo illum Sacerdotem, qui antequam celebret, per aliquod tempus in Sacristia confabulatur, non solum de rebus indifferentibus colloquendo, sed etiam de iis, quæ non parum dedecent Sacerdotem. Accedit deinde ad sacras vestes induendas, & tunc vel omittit sacras preces, quarum sola omissio in opinione aliquorum est gravis culpa, vel si recitet, variis sermonibus interrumpit. Procedit inde ad altare cum magna festinatione, huc, illucque oculis devagando; ac Missam ita festinanter celebrat, ut in ipsius initio jam ad finem anhelare demonstret, quæ acceleratio potest de se, ut dixi supra, esse grave peccatum. Accedit ad augendum scandalum, dari aliquando Sacerdotes, qui dum se ad populum convertunt, oculis procacibus adstantes, & fortasse fœminas intuentur. Si nimis verum est, juxta vulgatum dictum, ut Sacerdos, *qui Missam præcipitat, in Infernum præcipitat*, quid dicendum de Sacerdote ex tot capitibus gravis scandali culpabili?

II. Etiam, atque etiam obtestor Confessarium, ut non permittat suo Pœnitenti illi opinioni adhærere, qua dicitur non esse grave peccatum Missam celebrare voluntarie, & notabiliter distractum. Si coram Deo semper credendus est aliqua saltem levi culpa inquinatus ille, qui voluntarie distractus quamcumque aliam recitat orationem, quid dicendum de celebratione tam Sacrosancti, ac tremendi Sacrificii, si cum voluntaria notabili distractione celebretur? Ego in hoc ex duplici capite grave agnosco peccatum, quia nempe in hoc gravem irreverentiam considero, & grave periculum etiam in re non levi errandi.

E contra si Confessarius habeat Pœnitentem, qui in celebrando, ex timore aliqua omisisse, sæpe repetat, & maxime dum recitat, quæ secreta sunt, illum omnino ab hac angustia removeat, tum quia volunt Theologi credere non debere se aliqua omisisse; & quidem hoc difficiliter evenit in Scrupulosioribus; tum quia docent quod si de hoc dubitet, postquam jam aliqua recitaverit, non debet ordinem invertere, & retro redire.

III. Sacerdos non debet ignorare quid agere debeat, si contingat vel vinum, vel hostiam non aptam esse consecrationi, maxime quando id adverteret tempore sumptionis: quod etiam præstandum, si contingat alterum Sacerdotem non posse Missam prosequi &c. Hi casus re vera raro accidunt, at accidere possunt; & cum multi Sacerdotes ignorent quid tunc præstandum sit, facillime eveniet vel Sacrificium mutilum remanere, vel non compleri, sicuti conveniens est. Interim moneo, quod si Sacerdos post sumptionem animadvertat aquam loco vini fuisse appositam, vel acetum, bene agere putarem, si accedendo ad cornu Altaris, curet novum vinum aptum afferri, ibique eodem in Calice posito cum pauxillo aquæ dissimulanter offerat, & consecret; & bene, ex dictis, incipere potest ab illis verbis: *Simili modo &c.*

IV. Demus casum Parochum Ruralem celebrantem, peracta consecratione, ad moribundum quam cito advocari. Quid tunc præstandum est? Ut dixi, communiter Theologi docent interrumpere debere Sacrificium, aliquibus relictis, ut reverenter hostia, & calix consecratus custodiantur, & postquam Sacramenta Infirmo ministraverit, redire debere ad Sacrificium perficiendum. Hæc doctrina optima est, & forte facile reduci potest ad praxim, si Infirmus non longe absit. At demus multum abesse; demus Parochum esse senem, & non sine magna difficultate iterum jejunum rediturum ad perficiendum Sacrificium, quid tunc præstandum? Salvo semper meliori judicio, in casu quo difficillimum esset redire ad Sacrificium perficiendum, ego crederem

debe-

debere statim hostiam ; & calicem sumere , & deinde ad Infirmum procedere ; Ita satisfit præcepto naturali de succurrendo proximo in extrema spirituali necessitate constituto ; satisfit præcepto da non relinquendo Sacrificium imperfectum ; & solummodo omittitur præceptum Ecclesiasticum de conficiendo Sacrificio atiam illis ritibus, & cæremoniis , quæ sunt inter consecrationem, & sumptionem, quod præceptum in talibus circumstantiis non videtur obligare.

CAPUT V.

An, & quo loco debeat Sacerdos celebrare; ubi & de Oratoriis privatis. Item de pollutione Ecclesiæ, & execratione Altaris, & de tempore, quo est celebrandum.

Q. I. AN Sacerdos quandoque teneatue celebrare.

R. I. Quamvis non pauci eefragentur, mibi videtur dicendum simplicem Sacerdotem saltem quater in anno, diebus præsertim solemnioribus, sacrificare debere. Ratio est, tum quia vi suæ ordinationis assumpsit officium, & munus sacrificandi, non videretur autem vere tali officio satisfacere val numquam , vel semel tantum celebrando. Tum quia, ut habet Tridantinum *sess. 22. cap.* 1. Christus Dominus *Luc.* 21. illis varbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepit Apostolis, & eorum in Sacerdotio Successoribus offerre, cui præcepto per unicam celebrationem non videtur satisfieri. Neque refert per unicam Communionem satisfieri præcepto de Eucharistia percipienda, quia hoc præceptum respicit indigentiam sumentis, quæ suppleri potest per unicam communionem, cum aliis actibus supernaturalis vita Christiani conservari possit, & augeri. At præceptum celebrandi primo respicit cultum Dei, & commemorationem Christi Passionis; non videtur autem sufficienter explicari tale præceptum, si dicatur solummodo voluisse Christum unica vice intra annum Deum coli mediante Sacrificio, ac ipsius Passionem semel tantum commemorari: *Laym. l.* 5. *cap.* 3. *num.* 1. *D. Thom.* 3. *part. qu.* 82. *art.* 10.

R. II. Per accidens etiam crederem teneri simplicem Sacerdotem ad celebrandum, si nempe alter non esset, qui posset die festo celebrare , ut populus Missam audiat. Quamvis igitue tunc non teneatur celebrare ad impediendum peccatum populi , populus etenim non peccat , si non habeat Sacerdotem, qui celebret ; bene tamen dici potest debere celebrare , quia cum sit publicus Ecclesiæ minister in ordine ad Sacrificium offerendum, aliis deficientibus, obligatio ad illum devolvitur : *Pasqual. de Sacrif. q.* 842., quamvis alii eefragentur. Accedit non sine gravi scandalo tunc Missam posse ab eo omitti. Item puto per accidens simplicem Sacerdotem teneri ad celebrandum die festo , quoties non posset Missam audire. Ratio est , quia Ecclesia vult satisfaciendum præcepto de audienda Missa modo saltem consueto; iste autem modus in ordine ad Sacerdotes est illam celebrare, nam solent satisfacere tali præcepto pee Missæ celebrationem: *Pasqual. q.* 843.

R. III. Parochus vel per se, vel per substitutum tenetur omnibus diebus festis celebrare ; nam ex vi sui Officii debet præbere populo commoditatem satisfaciendi omnibus Ecclesiæ præceptis. Ita passim Authores. Ego autem, salvo meliori judicio, putarem Parochum ruralem teneri ad celebrandum etiam aliquoties intra hebdomadam. Ratio mihi est, quia ex vi sui Officii tenetur facere quod valde conducere potest ad salutem suarum ovium, maxime quando id non afferat extraordinarium incommodum : multum autem conducit ad popalum christiane instituendum, si possit sæpe Missam audire, & id rute non potest facere populus , si Parochus non celebret. Illud saltem apud me contra aliquos certum est, die Natalis Domini debere tres Missas celebrare; nam videtur mens esse Ecclesiæ, ut ea die possit populus, si illi placuerit, tres Missas audire : *Pasqual. de Sacrif. q.* 853. De obligatione celebrandi eatione stipendii, vel Capellaniæ dicam infra.

Q. II. An liceat extra Ecclesiam, vel loca consecrata, seu legitima authoritate benedicta, vel ad divinum cultum deputata, Missam celebrare.

R. I. Id, ordinarie loquendo, non licet , ut habetue: *ex can.* 1. 11. 12. *& aliis de consecr.*, & ex Tridentin. *sess.* 22. *in Decret. de observ. in celebr. Miss.* Neque ipsi Episcopi possunt extra suum Palatium, in aliis locis non consecratis , aut benedictis , atque ad divinum cultum deputatis celebrare, ut patet ex pluribus Decretis , & Declarationibus apud Barbosam *in Concil. Trid. sess.* 22. *in Decr. citat.* Ac denique quamcumque circa hoc habereni facultatem, omnino abstulit Clemen. XI. in suo Decreto quoad celebrationem in Oratoriis privatis, edito sub die 15. Decemb. 1703., quo expresse adimit Episcopis, & etiam Cardinalibus quamcumque facultatam celebrandi extra proprium palatium in Domibus laicis. Item in eodem Decreto declarat, a Tridentino *sess.* 22. *in Decr. &c.* sublatum esse Regularibus quodcumque habuerint privilegium celebrandi in altari portatili in locis, quibus degunt.

R. II. In magna necessitate licitum est celebrare extra loca supradicta : *argum. cap.* 1. *&* 11. *de consecr. distinct.* 1., quia quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, ut dicitur *cap. quod non de reg. jur. in* 6. Hujusmodi autem necessitas oriri potest ratione belli, pestis, persecutionum, Ecclesiæ diruræ , aut combustæ; si Ecclesia capere non possit audientes , ut si celebranda sit Missa in bello pro exercitu ; ac idem dicendum in longa peregrinationa per loca Infidelium : *Laym. lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 3., *Gutier. can. qq. lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 25. *Navar. in Man. cap.* 25. *num.* 81. Ratio omnium horum est, quia in talibus casibus celebrare extra Ecclesiam, vel ab ipso jure , vel per epickejam omnino conceditur. Denique maxime de licentia Papæ licet celebrare in longa navigatione , v. g. ad Indias ; atque dari hujusmodi privilegium pro omnibus Regularibus docet *Anton. a Spir. S. in Direct. Regul. p.* 1. *tract.* 2. *d.* 2. *sect.* 4. §. 2. Oportet autem navem esse magnam, tempus serenum, & mare tranquillum : *De Lug. de Euch. disp.* 20. *sect.* 3. *a num.* 8.

R. III. Potest ex privilegio Papæ celebrari in loco non consecrato, seu benedicto, ut in Oratorio Domus privatæ; nam cum sit supra omne jus positivum, potest in eo dispensare : *cap.* 4. *de concess. Præl.* Regulares habent facultatem deputandi Oratoria privata in suis Monasteriis : quæ tamen deputatio fieri deberet a Generali , seu Provinciali: *Dian. p.* 9. *tract.* 1. *resol.* 32. Item in suis Grangiis: *Rodrig. tom.* 2. *qq. Regul. quæst.* 75. *art.* 1., *Lezan. Sum. tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 15., ubi & posse Missam celebrare Sacerdotes Sæculares, docet *Henriq. in qq. pr. sect.* 22. *quæst.* 26. aliique; itemque posse ibi libere sæculares Missam audire, notat *Dian. p.* 9. *tract.* 2. *resol.* 31., & insuper posse Regulares designare Oratoria in villis, ubi recreationis causa degunt. Aliud privilegium habetue pro Regularibus infirmis , nam in ipsorum cella potest Missa super Altari portatili celebrari , ut illam audiant . Ita ex privilegio Pii IV. ut videre est apud *Dian. p.* 9. *tract.* 1. *resol.* 34., *Lezana tom.* 3. *v. altare num.* 15. *&* 16., *Peirin. tom.* 1. *prov. Min. in Constit. Pyrrhi num.* 34. Præterea cum hoc privilegium sit personale, adeoque sequatur personam : *cap. privilegium de regul. jur. in* 6., *& l. privilegia quædam*, *l. in omnibus ff. de reg. jur.* eodem frui potest Regularis, qui infirmetur in domo sæculari. Quod si alicui contingat dubitare de iis privilegiis, meminisse debet in dubio privilegia Regularium semper esse in favorem ipsorum interpretanda, ex dictis *tract.* 3. *qu. ult. cap.* 3. *qu.* 3.

Q. III. Quæ notanda sint circa privilegia concedi solita celebrandi in Oratoriis domesticis.

R. Primo, eodem gaudere non potest qui non est de nobili genere procreatus, ut constat ex verbis privilegii. Putat tamen Pignattelus *tom.* 6. *consf.* 98. sufficere nobilitatem ex parte Matris , vel etiam ex privilegio, dicendo, ly ex nobili genere procreato , poni demonstrative , non taxative. Dein debet prius visitari ab Ordinario, vel ab aliquo de ipsius mandato, ut videat si decentee extructum sit, & ornatum , & liberum ab omnibus usibus domesticis, ut præscribit Breve; neque etenim potest ad executionem demandari , ni prius Ordinarius illud approbet, & concedat licentiam celebrandi, eam tamen , si nil obstet , non potest denegare. Tunc autem sufficientee intelligitur ab usibus domesticis liberum, quando intra tres muros est clausum, & in pertinentiis ad ipsum cubiculum , seu Oratorium, nil domesticum exerceatur. Convenit etiam ut supra ipsum Oratorium non retineatur lectum ad dormiendum, vel alia res prophana , quod putat Pignattellus absolute non prohiberi , sed faciendum esse ob majorem decentiam.

Tertio, vi talis indulti unica tantum Missa in domesticis Oratoriis celebeari potest, ut etiam declarat Decretum supra cit. Clem. XI. Nec unica vero Missa potest ibidem

dem celebrari in Festis Natalis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Annunciationis, Assumptionis B. M. V., SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium SS., ut declaravit S. Rituum Congregatio apud Barbosam *de jr. Eccl. l.2. c.8. num. 6.* Nomine tamen Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, bene intelliguntur solum primi dies hujusmodi Festivitatum: *Lezan. in Sum. tom. 4. v. Oratorium n. 3.*

Quarto, notandum hujusmodi privilegia esse personalia, adeoque cessare morte personæ privilegiatæ: *cap. privilegium de reg. jur. in 6.* Quia tamen privilegium personale sequitur personam, ideo si mutet domicilium, transeundo etiam ad aliam Civitatem, potest ibi eo frui. Nec refert, si explicetur in Brevi concedi facultatem Missam celebrandi in domo Civitatis Lucensis, nam ea verba demonstrative tantum ponuntur, ad designandam scilicet habitationem, non vero taxative, aut limitative, cum privilegium consideret personam, non vero locum, *Tamb. in Opusc. de Sacrif. Miss. l. 1. c. 3. §. 4. nu. 2.* Ex ea ratione quod privilegium personale sequitur Personam, censet Pasqualigus *in qq. canonic. cen. 1. q. 84. n. 3.*, privilegio habendi Oratorium privatum in Domicilio Civitatis aliquem posse etiam dum rure est, & Pasqualigo consentit Pignatellus. Verum cum in Brevi exprimi soleat Oratorium erigendum in domo habitationis, videtur hoc privilegium respicere personam non solitarie sumptam, sed ut habentem domicilium in loco, in quo construendum est Oratorium; si ergo sit in aliquo loco per transitum, sive per breve tempus, cum non dicatur esse in loco, sive ibi domicilium habere, ut probat *Sanc. de Matr. l. 2. disp.* 18. ibi illi præfatum privilegium non suffragari videtur.

Quinto, notandum concedi Missam celebrari *in præsentia Domini, & familiæ, nec non Hospitum Nobilium.* Ex hoc aliqui inferunt, non posse Missam celebrari, aliis præfatis adstantibus, nisi Dominus etiam intersit. At bene sustinetur, etiam absente Domino, celebrari posse Missam in præsentia familiæ, quia particula & ratione subjectæ materiæ explicari potest idem significare ac *vel: Barb. de Diction. diction.* 110. *n. 37.* Id igitur autem verificatur in præsenti, nam si particula & sumeretur copulative, sequeretur non posse Missam celebrari nisi simul cum Domino etiam familia adesset, quod nemo dicit: intelligendum proinde est posse celebrari Missam, præsente Domino, vel præsente familia, *Palaus t. 4. tr. 25. disp. unic. p. 6. Pignat. t. 6. cons. 98.*

Sexto notandum nomine familiæ venire uxorem, Nurum & omnes Agnatos, sicut etiam Cognatos; dummodo habitent in domo Indnltarii, atque ejus expensis vivant. Nec desunt qui extendunt privilegium audiendi Missam in Oratorio privato ad Fratrem, & uxorem ipsius, habitantes in eadem domo eum habente tale privilegium; quamvis habeant propriam mensam, proprios redditus, & proprios famulos: *Cassian. a S. Elia V. Oratorium n. 35.* Item nomine familiæ venire possunt omnes famuli in servitio Domini existentes, ac ejus expensis viventes: *Barb. de Appell. appell. 95. n. 1. Pignattel. 6. cons. 98.* His tamen contradicit Monacellus *in Formul. 13. a n. 32.* qui vult dictum privilegium non suffragari famulis, qui tempore Missæ non essent pro famulatu Domini necessarii, quia ita dicitut in hujusmodi privilegiis; unde ex eodem famuli, vel famulæ superfluæ alibi debent Missam audire. Concedit tamen *t. 4. Supplem. ad 2. tom. n.* 480., quibuscumque famulis Domini privilegiati suffragari indultum, si dum rure sunt, Ecclesia distet ultra medium milliare: *n.* 488.

Septimo, eum dicatur in iisdem Oratoriis posse Missam audire etiam Hospites Domini Indultarii, aliqui censent nomine Hospitum non venire habitantes in eodem loco, si invitentur ad prandium, vel commorentur ad breve tempus cum Domino. Verum cum commode nomine hospitis intelligatur quicumque extraneus, qui ad alium divertit, ut cum eo eibum sumat, non improprie dici potest etiam Hospites unius diei, dummodo sint nobiles, satisfacere præcepto, si audiant Missam in Oratoriis privatis domus, in qua sunt: *Tamb. Opusc. de Sacrif. Miss. l. 1. c. 4. §. 4. n. 33.* *Pignatel. cit.*

Demum notare est personas non comprehensas in Brevi nullatenus satisfacere præcepto de Missa die festo audienda; nam ita exprimitur in consuetis facultatibus pro celebrandis Missis in Oratoriis privatis; & innuitur in citata Decreto Clem. XI., ubi declarat non satisfacere præcepto interessentes Missæ in his Oratoriis, si jam alia ibi fuerat celebrata. Contraria aliquorum opinio non videtur in praxi tuta: *Ricc. in prax. tom. 1. resol. 467. n. 23., Bonac. de Sac. d. 4. q. ult. p. 22. n. 41* Accedit, Indultum audiendi Missam extra Ecclesiam, utpote juri communi præjudiciale, non admittere latam interpretationem: *Fagn. in c. licet n. 13. & 14. de Preb.*

Q. IV. An liceat celebrare in Ecclesia violata, seu polluta; & quando censeatur polluta.

R. I. In Ecclesia polluta non licet Missæ Sacrificium, aut divina Officia celebrare, ut constat ex variis Canonibus, & ex *c. fin. de consec. Eccl.* quapropter si contingat violari Ecclesiam ante Canonem, Missa est dimittenda, secus si post canonem: *Rub. t. de defect. in Minist. occurr.* Ubi obiter advertas, quod licet polluto Cæmeterio, non intelligatur polluta Ecclesia, bene tamen polluta Ecclesia, intelligitur pollutum Cæmeterium, si ipsi contiguum sit; *c. unic. de consec. Eccles. in 6.*, adeoque non possent in eo mortui sepeliri, ut ibidem dicitur.

R. II. Primo, violatur Ecclesia per sanguinis effusionem: *arg. c. proposuisti, & c. fin. de consecr. Eccles. junct. cit. c. unic. in 6.* Oportet tamen esse voluntariam; unde non violaretur per effusionem sanguinis casu factam, vel causatam ab Amente; *Gloss. in cit. c. unic. V. sanguinis.* Deinde oportet esse injuriosam; unde non violaretur Ecclesia per effusionem sanguinis causatam ex inculpata defensione. Pariter causari debet per actionem graviter externe peccaminosam, qualis non reputatur percussio facta a Magistro, etsi leviter modum excesserit; vel percussiones factæ inter pueros, quamvis e naribus, vel ex levi vulnere copiose sanguis effundatur: *Barbos. de Off. & Pot. Epis. all. 28. n. 36., Laym. de Sacrif. Miss. c. 5. n.* 8. Secus ex eodem Barbosa dicendum de copiosa sanguinia effusione e naribus causata. ex pugnis intergrandevos. Item ut polluatur ex hoc capite Ecclesia, non sufficit percussionem, & vulnus esse grave; sed necesse est sequi copiosam sanguinis effusionem: *Barbos. cit. num. 35. Navar. in Man. c. 27. n. 256. Laym. cit.* Debet pariter effusio sequi ex vulnere recepto in ipsa Ecclesia, non vero in atrio &c. unde postea quis effugiat in Ecclesiam, ibique copiosum sanguinem effundat. E contra ad violationem Ecclesiæ satis est, si quis recipiat tale vulnus in ea, ut vulneratus ex ea egrediens extra illam copiosum sanguinem effundat ex Glossa communiter recepta *in c. un. de consecr. Eccl. in 6. V. Sanguinis.* Sicut etiam violatur eadem Ecclesia, si vulnerans sit extra Ecclesiam, nam adhuc violat ipsius sanctitatem vulnerando existentem intra eam: *Laym. cit. n. 7.*

Secundo, polluitur Ecclesia ratione homicidii sui ipsius, vel alterius, quamvis sine Sanguinis effusione: *can. si motum 19. de Consec. dist. 1., & cap. 4. de consec. Eccles.* Oportet tamen homicidium esse voluntarium, quale non est homicidium factum ab amente, vel penitus ebrio: itemque injuriosum, quale non est homicidium factum in justam sui defensionem: *Barb. de Offic. & Potest. Episc. alleg. 28. n. 4. & 5.* Sufficit autem si sit injuriosum ipsi Ecclesiæ, uti se haberet homicidium ubi factum ex sententia Judicis; *c. 2. de homic. in 6.* Ita se etiam habet homicidium factum in Ecclesia ob fidem, cum re vera ipsa actio sit sacrilega, & homicidium sit injuriosum. *Gloss. in c. un. de cons. Eccles. in 6. v. sanguinis, Barb n. 29. Azor. p. 2. l. 9. c. 5. q. 1.* Ut autem dixi supra de effusione sanguinis, ad polluendam Ecclesiam satis est si ipsa causa mortis in ea ponatur, quamvis extra ipsam sequatur; sicut e contra non polluitur, si causa mortis ponatur extra & mors deinde in Ecclesia sequatur: *Gl. cit. Barb. n. 16. & c.*

Tertio, violatur Ecclesia per seminis effusionem; *cap. un. de cons. in 6.* quocumque modo contingat, nempe per pollutionem, fornicationem, &c. ut ex jure ostendit Barbosa *alleg. 28. num. 42.* Oportet tamen esse voluntariam qualis non est si contingat in somno: *Gloss. in can. Eccl. 20. de consecr. d. 1. v. semine,* quamvis quis illi causam dederit, quia non est voluntaria in se, sed solum in causa: *Barb. n. 43.* Item oportet esse illicitum, nec sufficit, si quis invitus illam patitur. Reputatur tamen illicita copula conjugalis extra casum necessitatis, quatenus tunc est illicita respectu loci: *arg. c. 1. de Imm. Eccl. & c. 2. eod. tit. in 6.* unde magis communiter docent DD. per eam Ecclesiam violari: *Barb. num. 47., Navar. in Man. c. 27. num. 257., Sanch. de Matr. l. 9. d. 15. num. 7.* Secus dicendum de copula conjugali habita in casu necessitatis, dum e. g. urgeret periculum incontinentiæ. Ita contingere solet, si Conjugati ex aliqua causa cogantur diu in Ecclesia permanere.

Quarto, violatur Ecclesia, si in ea sepeliatur excommunicatus vitandus: *cap. consuluisti de consec. Eccl.*, si-

ve

ve infidelis, sive non baptizatus: *can. Ecclesiam* 1. *&* 2. *de consecr. d.* 1. Si tamen infans moriatur in utero Matris, simul cum ea potest sepeliri, nam usquedum est in ejus utero, censetur unum corpus cum illa: *l.* 1. *ff. de ventr. inspic.* Non vero polluitur Ecclesia per sepulturam cujuscumque alterius ea indigni, quia odiosa non sunt sine textu juris extendenda: *arg. c. is qui* 18. *de sent. excom. in* 6. adeoque non violaretur per sepulturam Hæretici nominatim non denunciati: *Laym. de Sacr. Miss. c.* 5. *n.* 8. Advertere tamen est per sepulturam præfatorum violari Eccl. etsi sine culpa in ea sepeliantur: *Laym. cit.*

Cæterum semper præ oculis habendum est in præfatis casibus Ecclesiam non violari, si non sint notorii notorietate facti, vel juris; nam usquedum sunt occulti, ultraquamquod Ecclesia, ut ita dicamus, retineat bonam famam, non videntur de eis SS. Canones sententiam protulisse: *arg. can. erubescunt* 11. *d.* 32., *Azor. p.* 2. *l.* 9. *c.* 5. *q.* 2., Barb. *de Offic. & pot. Ep. all.* 28. *n.* 37. aliique cum Glossa communiter recepta: *c. un. de cons. Eccl. in* 6. Sic tamen est, ut Ecclesia dicatur polluta, si deinde prædicta fiant notoria: *Barb. n.* 40.

Q. V. In quibus casibus Ecclesia reædificata indigeat nova benedictione, vel consecratione, ut possit in ea Missa celebrari.

R. Si Ecclesia de novo tota, vel majori ex parte simul construatur, indiget nova benedictione, vel consecratione, nam non amplius est eadem Ecclesia. Quia tamen moraliter censetur eadem Ecclesia, si paulatim per partes reficiatur, & reparetur; sicut moraliter censetur eadem domus, quæ paulatim per partes reficitur: *l. quod in rerum* 24. *§. fin. de leg.* 2., *l. proponebatur* 76. *ff. de judiciis*, ideo non indiget nova consecratione. Idem dicendum, si reficiatur totum tectum, parietibus illæsis. Quod si etiam parietes interiores, e. gr. ex incendio totæ decrustentur, tunc videtur aliquibus renovanda consecratio, quia cum in illis Cruces fiant & inunctiones, ex earum decrustatione amittitur consecratio: *can. Ecclesia* 20. *de consecr. d.* 1., *Barb. de offic. Episc. alleg.* 7. *n.* 18., *Azor. p.* 2. *l.* 9. *c.* 4. *q.* 5. Alii nihilominus putant non indigere nova consecratione, quia adhuc perseverat eadem Ecclesia, quæ fuit consecrata. Item nova facienda est benedictio, seu consecratio, si ita amplificetur Ecclesia, ut nova pars major sit veteri, quia major pars trahit ad se minorem: *arg. c. quod in dubiis* 3. *de consecr.*, *& c. un. eod. tit. in* 6. Secus si nova pars sit minor veteri remanente, & sufficit si aqua benedicta aspergatur: *Barb. cit. Azor. q.* 6.

Q. VI. Cui competat iterum consecrare Ecclesiam, quæ amisit consecrationem, vel benedicere, seu reconciliare, si fuit polluta.

Q. I. Sicuti soli Episcopo licet consecrare Ecclesiam; *can. interdicimus* 10. *caus.* 16. *q.* 1., *can. nemo* 9., *& can. nullus* 15. *de consecr. d.* 1., ita volunt S. Canones Ecclesiam consecratam a solo Episcopo posse reconciliari, si fuit polluta: *c. aqua* 9. *de consecr. Eccl.* Et quia, ut ibidem dicitur, non potest Episcopus demandare Clerico inferiori, quæ spectant ad Ordinem Episcopalem; ideo talis reconciliatio fieri solum debet vel ab Episcopo loci, cui de jure competit, vel ab altero Episcopo de ipsius commissione.

Quia tamen potestas reconciliandi Ecclesiam dumtaxat de jure humano annexa est Ordini Episcopali; Leo X. concessit Superioribus Ordinis S. Francisci, adeoque omnibus communicantibus ipsorum privilegiis, non solum benedicere solemniter proprias Ecclesias, Cæmeteria &c. sed etiam ipsas reconciliare, quomodocumque fuerint violatæ, aqua ab Episcopo benedicta, vel a seipsis, si distet Episcopus duabus dietis, vel etiam Sede vacante. Videantur *Barbosa de Off. & pot. Episc. alleg.* 27. *&* 28. *n.* 94. *Rodrig. t.* 1. *qq. reg. q.* 19. *a.* 6.

R. II. Si polluatur Ecclesia non consecrata; sed solum simpliciter benedicta, vel Episcopi authoritate ad divinum cultum deputata, potest, & debet protinus a quocumque simplici Sacerdote, cui addicta sit eadem Ecclesia, aqua benedicta reconciliari: *c. fin. de consec. Eccl.*

Q. VII. An Missa celebranda sit super altare; & quando intelligatur pollutum, aut execratum, ita ut, in ipso non possit Missa celebrari.

R. Missa celebranda est super altare, quod debet esse lapideum, sive sit fixum, sive portatile: *can. altaria* 31. *de consecr. d.* 1., idem tamen intelligendum quoad eam partem, super quam fit consecratio, & reponuntur Sanguis, & corpus Domini: *Tamb. in Meth. celebr. Miss. l.* 1. *c.* 5. *§.* 1. *n.* 4. Item Altare debet esse ab Episcopo consecratum: *can. nullus Presbyter.* 2., *& can. concedimus de consecr. d.* 1. Ita autem dicendum est id ad Episcopum pertinere, ut a nullo alio ratione cujuscumque consuetudinis possit consecrari. Unde advertendum quod vere ex privilegio S. Pontificis id fieri posset ea dictis quæsito superiori de consecratione Ecclesiæ, quia, cum sit supra jus commune, potest concedere alteri ab Episcopo, quod jure tantum humano annexum est Ordini Episcopali. At consuetudo non potest conferre possessionem potestatis illi, qui illius est incapax; & taliter se habet Inferior Episcopo respectu illorum, quæ annexa sunt Ordini Episcopali: *c. quanto* 4. *de consuet.*, sine possessione autem non currit præscriptio: *c.* 3. *de reg. jur. in* 6., *Barbos. de Offic. & pot. Episc. p.* 2. *alleg.* 27., *n.* 23. *Azorius p.* 1. *l.* 10. *c.* 26. *q.* 5. & communiter, paucis exceptis. Privilegium consecrandi calices, Altaria &c. competebat Abbatibus, ut videri potest apud Barbosam *de pot. Episc. p.* 3. *alleg.* 27. *nu.* 46., sed dicitur revocatum ex Decreto S. Congregationis 13. Martii 1636.

R. II. Polluta Ecclesia ratione alicujus casus ex dictis quæsito superiori, censentur polluta etiam Altaria in ea fixa, nam pollutio totam Ecclesiam afficit, adeoque etiam Altaria. Hinc reconciliata Ecclesia, etiam Altaria reconciliata intelliguntur; & ita post talem reconciliationem potest in eis celebrari. Ita communiter DD.

R. III. Si consecrata fuerit tota mensa superior Altaris, affixa columnis, seu basi inferiori, execratur per hoc quod ab eis amoveatur, nam dum consecratur mensa fixa basi inferiori consecratio afficit totum, unde per remotionem deperditur: *c.* 1. *&* 2. *& c. ligneis* 6. *de consec. Eccl. Barb. cum commu. de Offic. & Pot. Ep. alleg.* 27. *n.* 26. Secus si superior tabula non sit immobiliter affixa inferiori structuræ, quia tunc induit naturam Altaris portatilis.

Altare mobile, hoc est, ille lapis, qui continet sigillum, execratur, si ita frangatur, vel diminuatur, ut non amplius Calix cum Patena possit in eo secundum majorem sui partem stare: *cap.* 1. *de consecr. Eccl.* Quod si possit Calicem cum patena sustinere, nil refert, si fracta sint cornua lapidis, quæ chrismate inunguntur, nam per talem inunctionem totus lapis remanet consecratus, unde sufficit, si pars prædicta perseveret; *Lugo de Euch. disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 75., *Tamb. in Met. celebr. Miss. l.* 1. *cap.* 5. *§.* 1. *n.* 14. Item non censeo execrari altare per remotionem, seu fractionem loculi, in quo reliquiæ continentur; nullo etenim jure sufficienter probatur necessarias esse reliquias ad Altaris consecrationem: *Laym. de Sacrif. Miss. tr.* 5. *c.* 6. *n.* 9., *Lez. in Sum. tom.* 3. *v. Altare num.* 20. Porro observandum, execrata Ecclesia, non execrari Altare, quia consecratio utriusque est diversa.

Q. VIII. Quo tempore possit Missa celebrari; & an dentur aliqui dies, quibus non liceat celebrari.

R. I. Hora concessa pro celebrando, ordinarie loquendo, incipit ab Aurora, & extenditur usque ad meridiem. Tempus autem Auroræ intelligitur hora cum dimidio antequam corpus solare appareat: *Tamb. in Met. celebr. Miss. l.* 1. *c.* 6. *§.* 4. *n.* 1. Puto autem contra aliquos tale tempus assignatum esse non pro terminanda, sed pro inchoanda Missa; nam dum in Rubricis assignatur tempus pro Missa celebranda *ab Aurora usque ad meridiem*, sicut assignatur meridies pro tempore, quo debet terminare, ita aurora pro tempore, quo debet incipere. Hinc credo peccaturum mortaliter, qui per horam ante dictum tempus Missam anticiparet, quia esset anticipatio notabilis. Tempus meridiei etiam sumi potest moraliter, ita ut ad vitandam culpam satis sit inchoare Missam paulo ante meridiem, vel in ipso meridie: *Tamb. in meth. celebr. Miss. l.* 1. *c.* 6. *§.* 4. *n.* 19. Aliqui putant celebrare integra hora post meridiem non esse mortale, ut videre est apud *Salm. de Sacr. Miss. c.* 4. *p.* 1. *n.* 34. At cum judicare de notabili dilatione pertineat ad viros prudentes; & cum aliunde reperiam aliquos judicare esse gravem culpam sine causa celebrare post tertiam partem Horæ a meridie; *Azor. instit. moral. p.* 1. *l.* 10. *c.* 25. *q.* 5., alios post mediam horam: *Laym. de Sacrif. Miss. c.* 4. *n.* 4., mihi videtur dilatio unius horæ esse culpam gravem.

Dantur autem aliqui casus, quibus prædictum tempus licite non observatur. Et primo, immediate post mediam noctem celebratur Missa in die Natalis Domini. Hoc tamen intelligendum est de sola prima Missa, nam reliquas duas non posse celebrari, nec Fidelibus Communionem exhiberi declaravit S. Congregatio *die* 9. *Aug.* 1653., *in una Pisauren.*, *&* 20. *April.* 1664., *& iterum* 15. *Novembr.* 1178. Secundo, potest statim post mediam noctem celebrari pro administrando Viatico, si non sint

par-

particulæ consecratæ; *Laym. de Sacrif. Miss. c. 4. num. 5. Dian. p. 2. tr. 14. resol. 33.* Ex hoc motivo sunt qui asserant apud Tamburinum *in Meth. celebrat. Miss. l. 1. cap. 6. §. 4. num. 21.* celebrari posse usque ad horam tertiam post meridiem. Tertio, potest postponi post meridiem celebratio Missæ, in magna solemnitate, & si Concio, vel funus Principis, vel Ordinatio &c. tardius absolvatur. Ita DD. apud Tamburinum *nu. 29.*

R. II. Regulares possunt ex privilegio celebrare in Ecclesia duabus horis post mediam noctem, ut videre est apud *Lugo de Euchar. disp. 20. sect. 1. nu. 27.*, & quia nomine Ecclesiæ veniunt etiam Claustra Religiosorum: *can. Abbas §. Hoc autem dist. 54. cap. Alma Mater de sent. excom. in 6. junct. Gloss. v. Monasteriis*, ideo tali tempore poterunt celebrare etiam intra Claustra, *Peyrin. t. 1. Constitut. Pyrrhi n. 31.* Item ex justa causa, non quidem modica, sed quam tamen non est necesse esse satis gravem, poterunt celebrare usque ad horam nonam inclusive; nempe usque ad tres horas post meridiem. *Tambur. in Meth. celebr. Miss. l. 1. c. 6. § 4. n. 25. Dian. p. 10. tr. 15. Miscell. 1. resol. 27.* Scio a pluribus sustineri hujusmodi privilegia censenda esse a Tridentino revocata: *Barbos. de potest. Episc. alleg. 23. n. 4. Passer t. 2. q. 189. art. 10. n. 980. & alii.* At cum non desint, qui non improbabiliter sustineant non esse revocata, ut videre est apud Lugo, Dianam, Tamburinum locis citatis, Pasqual *q. 174. n. 6.*, & plures alios, ideo tuto possunt Regulares uti præfatis privilegiis, nam in dubio ipsorum privilegia semper sunt sustinenda ex dictis *tract. 3. q. ult. c. 3. quæst. 3.*

R. III. Olim non improbabiliter dicebatur, quilibet Sacerdos Missam privatim celebrare potuisse etiam feria quinta in Cœna Domini, & in die Sabbati Sancti. Verum celebrationem talis Missæ in Cœna Domini omnibus prohibuit S. Congregatio apud la *Croix l. 6. p. 2. n. 237.* in Catalogo Decretorum S. Congregationis.

Etiam in Sabbato Sancto Missam privatim celebrare prohibitum fuit ex Decreto S. Congregationis tt. *Martii 1690.* approbante Pontifice, ut videre est apud Monacellum *tit. 15. form. 3. num. 17.*

CAPUT VI.

De Vestibus, aliisque requisitis ad celebrandum, & de ornamento Altaris.

Q. I. QUæ vestes requirantur ad celebrandum; & quando interveniat peccatum ratione talium vestium, vel ex ommissione illarum.

R. I. Primo, requiruntur Amictus, & Alba, quæ vestes possunt fieri ex Gossipio, vulgo Bambace, lino, & canape, dummodo sint decentes. Præterea requiritur Cingulum, Manipulum, Stola, & Casula, quæ fieri possunt ex quacumque materia, dummodo adsit decentia: *Quar. p. 1. tit. 19. dub. 15.*

R. II. Potest peccari mortaliter, si adhibeantur vestes ita attritæ, & sordidæ, ut vere sint indecentes, nam tunc non adhiberentur sine gravi irreverentia. Item potest esse mortale non servare colorem, quando interveniret scandalum, quod facile interveniret, si Missa festiva nigris vestibus celebraretur. Cæterum variare colores, cessante scandalo, aliqui censent nullum esse peccatum, cum putent Rubricas quoad hoc esse tantum directivas: *Dian p. 2. tract. 14. resol. 57.* vel solummodo veniale, si circumstantia temporis non faceret judicare talem variationem esse gravem: ut si in die Paschatis paramentis nigris celebraretur: *Quarti p. 1. tit. 18. d. 1.*

R. III. Celebrare absque præfatis vestibus reputatur mortale, utpote quia violatur ritus Ecclesiæ in re gravi; & solummodo ab aliquibus a gravi culpa excusatur, qui sine cingulo celebraret, ob parvitatem materiæ: *Tambur. in Meth. celebr. Miss. l. 1. c. 5. §. 1. nu 3.* Neque puto celebrari posse sine aliqua saltem ex majoribus vestibus, ratione satisfaciendi præcepto de Missa audienda, vel pro populo die festo celebrandi; nam cessat tale præceptum, quando Missa celebrari non potest juxta præscriptos ritus: *Tamburin. numer. 5.* Si vero necesse esset celebrare ad vitandum damnum valde grave, puta si incutiatur metus gravis damni Sacerdoti, si non celebret, ut aliqui Missam audiant, liceret quidem tunc celebrare sine aliqua ex sacris vestibus, quia præceptum humanum eas adhibendi, non obligat cum gravi incommodo, at puto neutiquam licitum esse celebrare sine omnibus sacris vestibus; nam cum id non fieri possit sine indecentia, subintrat præceptum naturale in quocumque casu obligans, non celebrandi cum gravi irreverentia: *Tamb n. 6.* Cæterum nec minimam ex sacris vestibus liceret ommittere, si metus in contemptu Religionis incuteretur, ut de se patet.

Q. II. An supradictæ vestes debeant esse benedictæ, & a quo; & quando amittant benedictionem.

R. I. Certum est vestes præfatas debere esse benedictas, ita enim communiter docent DD. apud Barbosam *de offic. Episc. alleg. 27. nu. 42.* ac qualiter benedicantur videre est in rituali Romano. Item certum est de jure ordinario solum competere Episcopis eas benedicere, neque ab eis esse simplici Sacerdoti talem facultatem delegabilem vult Tamburinus *in Meth. celebr. Miss. c. 3. §. 2. num. 4.* ex declaratione S. Congregationis, cum talis benedictio ad potestatem Ordinis reducatur. Ex privilegio pro usu suarum Ecclesiarum possunt quicumque Superiores Regulares, quocumque nomine appellentur, benedicere vestes Sacerdotales, Corporalia, & alia ornamenta Altaris, pro quibus sacra unctio non adhibetur: *Passer. t. 3. q. 189. a. 10. nu. 926.* & communiter, quod tamen numero sequenti negat licere Subprioribus, Vicariis &c. in absentia Superioris Majoris, quia talis facultas videtur concessa Superioribus, quatenus Prælati sunt, quæ ratio non competit Subprioribus. Item censet *num 928.* non eis licere præfata benedicere pro usu aliarum Ecclesiarum; ac afferuntur quoad hoc etiam variæ declarationes S. Congregationis, ut videre est etiam apud Gavantum *p. 4. tit. 19. num. 22.* At multi putant superiores Regulares adhuc habere privilegium sacras vestes benedicendi pro usu aliarum Ecclesiarum: *Tambur. de Jur. Abb. d. 22. q. 2. n. 1. Pasqual. de Sacif. q. 803. Anton. a Sp. S. t. 3. de privil. Regul. tr. 2. d. 1. n 134.*

Quamplures addunt remanere benedictas sacras vestes, per hoc solum, quod Sacerdos cum illis non benedictis celebret; sicut etiam remanere consecratum Calicem & Altare, si in eis non consecratis celebretur. Et ratio illorum est, tum quia per talem usum immediate, vel mediate tanguntur a Corpore Christi, qui est fons omnis consecrationis, & benedictionis: tum quia per talem usum hujusmodi cessant esse prophana, & intelliguntur deputata ad Sacras functiones: *Pasqual. de sacrif. q. 776. Dian. t. 2. tr. 1. resol. 117.*, & plures alii. Verum non desunt qui contradicant, quorum ratio est, quia cum consecratio, & benedictio sint de jure requisitæ, & fieri debeant juxta præscriptum ritum, his non videtur satisfieri per hoc, quod rebus præfatis non benedictis, vel consecratis, aliquis utatur ad Missam celebrandam: *Lugo de Euchar. d. 20. n. 91. Fagan. l. 3. cap. 21. n. 15. &c.*

R. II. Si vestes Sacræ, & alia ad divinum cultum destinata ita destruantur, vel mutentur, ut proprium usum deperdant, quia perdunt figuram sub qua fuerunt benedictæ, amittunt benedictionem, & consecrationem: Ratio est, quia tunc non amplius est illa vestis quæ fuit benedicta, & ille calix, qui fuit consecratus. Hinc non amplius benedicta remanet Alba, a qua separetur manica illi assuta, quamvis iterum eadem assuatur. Secus esset si non esset assuta, sed funiculis illi annexa: nam tunc benedicitur sub illo modo partium separabilium, & iterum conjungibilium. Idem dicunt de Planeta, cujus pars anterior funiculis annecteretur cum posteriori: *Card. de Lugo de Euch. disp. 20. sect. 4. num 93. & 99.* Amittit benedictionem Cingulum, si ita frangatur, ut neutra pars apta sit ad cingendum. Si vero saltem una pars apta remaneat ad cingendum; ea benedicta perseverat, eique annecti potest altera pars non apta; sicuti vestes attritæ aliqua parte non benedicta reparantur. Et ratio in utroque casu est, quia accessorium sequitur naturam principalis: *Dian. to. 2. tr. 1. resol. 167. Azor. p. 1. l. 10. c. 28. qu. 10.* & communiter. Pariter non amittit benedictionem Planeta duplicata facile separabilis, si de facto separetur, quia adhuc utraque retinet suum usum *Dian. resol. 165. Tamb. in Meth. celebr. Miss. l. 1. c. 3. §. 3. n. 5.*

Si de planeta fiat stola, iterum hæc est benedicenda, nam dum planeta mutat formam, desinit esse benedicta: *Lezan. v. Vest. Sacr. n. 6.* Secus si e manipulo fiat stola, & e contra; nam non censentur diversæ vestes, solum etenim una brevior est, altera longior: *Fagund. in t. prec. Eccl. l. 3. c. 23. n. 11.* Si tamen manipulum non ita sit oblongum, ut commode vicem stolæ supplere queat, hujus loco non est adhibendum.

Q III. Quale peccatum ſit celebrare veſtibus non benedictis.

R. Celebrare abſque veſtibus non benedictis, etſi ſola ſtola, vel manipulus non eſſent benedicta, magis communiter reputatur gravis culpa; quia adhibere aliquid non benedictum in ordine ad celebrationem, idem eſſet ac ſi ommitteretur, adeoque variaretur ritus in re gravi. Adhibere vero cingulum non benedictum ex parvitate materiæ poteſt reputari levis culpa, cum non ſit indumentum, ſed ſolum ligatura indumentorum: *Quarti p. 2. tit. 1. ſect. 4. dub. 5.* & plures alii. Immo non deſunt, qui putent cingulum non debere eſſe neceſſario benedictum: Ubi etiam advertendum, quod ſi non adſint veſtes benedictæ, non urget præceptum de celebranda Miſſa die ſeſto, ut ſatisfiat obligationi illam audiendi, quia ceſſat obligatio celebrandi, quando non adſunt veſtes præſcriptæ ab Eccleſia. Cæterum ſi deſit aliqua ex veſtibus minoribus, putat *Tambur in Meth. celebr. Miſſ. l. 1. c. 3. §. 1. n. 5.* non ceſſare talem obligationem, cum antea dixerit, ſtante aliqua neceſſitate celebrandi, qualis etiam eſſet neceſſitas eleemoſynæ reſpectu Sacerdotis pauperis, nullam eſſet peccatum ſine cingulo celebrare &c.

Q. IV. Quæ requirantur pro ipſo Miſſæ Sacrificio.

R. Requiritur calix cum patena, quæ non ſint ex ære, hac etenim materia ſolum pes calicis admittitur, ſed vel auro, vel argento, vel ſtamno: *can. calix. de conſecr. d. 1.* Ut autem præſcribunt Rubricæ, cuppa calicis interior, & ſuperior pars patenæ debent eſſe deauratæ, quod tamen non obligare ſub mortali docent plures; ſi prædictæ ſint ex argento. Ulterius debent eſſe conſecratæ ab Epiſcopo, vel habente privilegium. Quia vero Pixis non deſervit ad conficiendum, ſed ſolum ad cuſtodiendum Sacramentum non oportet eſſe conſecratam, immo, juxta plurimorum ſententiam, neque benedictam; *Lugo diſp. 20. numer. 96. Averſ. de Euch. quæſt. 11. ſect. 13. Dian. tom. 2. tr. 1. reſol. 180.*

Porro Calix deperdit conſecrationem, ſi pes ſeparetur a Cuppa, niſi ſit tornatilis, ex dictis ſupra. Item ſi deſtruatur figura, vel ſi fiat foramen quamvis minutiſſimum in tali loco, ita ut non amplius continere poſſit ſpecies conſecratas, ſecus ſi ſit in loco, ut adhuc poſſit continere: *Dian. t. 2. tr. 5. reſol. 176.* Sunt etiam qui putent calicem, & patenam ammittere conſecrationem per novam inaurationem: *Caſſian. v. calin. nu. 6.*

Inſuper requiritur Corporale lineum ſaltem in ea parte, quæ hoſtiam, & calicem tangit. Item palla linea; & quamvis non deſint, qui dicant poſſe eſſe etiam alterius materiæ, nihilominus eum cenſeatur eſſe pars corporalis, a quo prius erat indiſtincta, & retineat eumdem uſum Calicem cooperiendi, dicendum eſt debere eſse ejuſdem materiæ, ac Corporale: *Paſqual. de Sacriſ. q. 786. Lugo de Euch. d. 20. ſect. 2. nu. 76.* Tam vero Corporale, quam palla debent eſse benedicta; quod non eſs neceſsarium reſpectu Purificatorii, docet Gavant. *in Rubr. Miſſal. pr. 1. n. 1. l. 1.* Ultra hæc requiritur Burſa, in qua ſervatur Corporale, velum ad cooperiendum Calicem, & Manotergium, quæ omnia cum remote ſe habeant ad ſacras actiones, non eſt neceſse eſse benedicta: *Tamb. in Meth. celebr. Miſſ. l. 1. c. 5. §. 6. n. 3.*

Q. V. Quæ requirantur pro ornatu Altaris, ubi Miſsa eſt celebranda.

R. Primo, requiruntur tres mappæ, ſeu tobaleæ ex lino, vel ſimili materia, ſufficit tamen ſi una ſit duplicata. Celebrare autem ſine ulla tobalea cum ſolo Corporali reputatur communiter gravis irreverentia, quamvis levis dici poſſit, ſi Miſsa celebretur cum una tobalea, & Corporale: *Paſqual. q. 712. nu. 7.* alique apud Dianam *tom. 2. tr. 1. reſol. 172. n. 6.* Quamvis autem non pauci dicant non eſse neceſsarium dictas tobaleas eſse benedictas, alii nihilominus merito contrarium affirmant, quia in Rubricis Miſsalis *tit. de deſ. ex part. altar. nu. 4*, eodem modo ponitur pro defectu veſtes Sacerdotales, ac mappas non eſse benedictas: *Lugo de Euch. d. 20. n. 76. Gavant. p. 1. t. 20. l. 5.*

Deinde requiruntur ſuper Altare duo candelabra cum duabus candelis cereis accenſis. Omnes conveniunt eſse peccatum mortale celebrare ſine lumine, & colligitur *ex cap. ult. de celebr. Miſſ.* Celebrare autem cum unica candela, aliqui cenſent nullum eſse peccatum, quia de jure ſolum requiritur lumen. Alii putant eſse peccatum veniale, quia videtur eis tranſgredi conſuetudo Eccleſiæ in re levi: *Quarti p. 1. tit. 20. dub. 11.*, & alii. Alii putant hujuſmodi tranſgreſſiones eſse in re gravi contra univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem: *Fagund. in 2. præc. Eccl. l. 3. c. 23. n. 17.* aliique apud ipſum. Huic opinioni ego adhærerem, ſaltem dum quis extra caſum neceſſitatis, cum ſola candela celebraret, ratione gravis ſcandali. Hac ratione & peccaret mortaliter, qui ſine neceſſitate cum lucerna ex oleo celebraret, & dici etiam poteſt, adhuc præciſo ſcandalo, eſſe grave peccatum, quia non videtur fieri in re levi contra antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem. Multo magis eſſet grave peccatum in lumine ex ſebo, vel adipe celebrare extra caſum neceſſitatis, tale etenim lumen nunquam adhibitum eſt ab Eccleſia. Quamvis autem non deſint, qui dicant etiam in caſu neceſſitatis, non licere cum tali lumine celebrare, quia hoc reputant non fieri poſſe ſine gravi indecentia; nihilominus non deſunt qui in tali caſu id licitum affirment, maxime pro Sacramento conficiendo, quod per modum Viatici ſit adminiſtrandum, & pro celebranda Miſſa, ut populus præcepto ſatisfaciat, *Lugo de Euch. d. 20. num. 77.* & alii apud Dianam *p. 2. tr. 14. reſ. 45. num. 67.* Idem dicendum ſi in caſu neceſſitatis celebrandum ſit cum unica candela. Ad removendum autem populi ſcandalum, admonendus eſt populus de licita cauſa ita faciendi.

Demum præſcribunt Rubricæ, ut tempore conſecrationis altera candela accendatur, quod tamen non cadere ſub obligatione, quæ inducat peccatum, putat Tamburinus *in Meth. Miſſ. celebr. l. 1. c. 5. §. 4. n. 3.* & alii.

Item pro ornatu Altaris requiritur Crux quamvis ſine ea celebrare non reputetur niſi culpa levis: *Lugo diſp. 20. n. 79 Fagund. in 2. Decal. præc. l. 3. c. 21. n. 32.* Immo ſufficere eſſe in tabula, vel pariete depictam docet *Tambur. c. 3. §. 4 n. 1.* Non eſt autem in Altare apponenda, ubi eſt expoſitum SS. Sacramentum.

Requiritur etiam Pulvinar, Miſſale, & Pallium. Pulvinar ſuper Altare requiritur non ex neceſſitate, ſed ex decentia. Pallium non eſt neceſſarium, ſi Altare in facie anteriori ſit abſque illo ſufficienter ornatum. *Quarti p. 1. tit. 20. d. 9.* Quoad Miſſale dicendum non poſſe ſine iſto abſque gravi culpa Miſſam celebrari: *Fagund. tr. 1. l. 3. c. 21. num. 23.* Et quamvis aliqui dicant non peccaturum Sacerdotem celebrantem ſine Miſſali, quoties etiam ſine ipſo putet poſſe ſe omnia dicere: *Layman l. 4. tr. 5. c. 6. num. 27.* nihilominus id in praxi non eſt ſine neceſſitate faciendum; nam etiam homines ingentis memoriæ ſolent aliquando ipſius lapſum experiri, & maxime dum aliquid recitatur, quod recitari non ſolet ſine aliquo timore. An vero Sacerdos teneatur adhibere Miſſale Romanum, alias dixi.

Q. VI. An Miſſa celebrari poſſit ſine Miniſtro; & qualis eſſe debeat.

R. Nullus poteſt celebrare ſine Miniſtro: *cap. propoſuit de Fil. Presb.* atque omnes fatentur Miniſtrum ſine gravi culpa ommitti non poſſe. Et cum hoc ſit ex jure, ſolus Pontifex poteſt diſpenſare: & de facto aliquando diſpenſavit cum Eremitis perpetuo incluſis, ut poſſent ſine Miniſtro celebrare. *Bonal. 1. rer. Liturg. c. 13.* Non autem eſt neceſſarius Miniſter ut Sacerdos dicere poſſit proprietate *Dominus vobiſcum*; ſicut etenim ea verba cum proprietate dicit, quando ſolus recitat Officium, quia Fideles putantur præſentes mediante Fide, & Charitate, ita ea cum proprietate diceret, ſi in Miſſa Miniſter non adeſſet. Videatur S. Petrus Damianus in Opuſculo ad Leonem incluſum, cui titulus: *Dominus vobiſcum*. In caſu neceſſitatis poteſt Sacerdos ſine Miniſtro celebrare, ſibique inſervire, ut docet Gloſſa communiter recepta *cap. quæſivit de V. ſignif.*, & *in c. hoc quoque de conſec. d. 1.* Addunt ulterius DD. urgente neceſſitate, adhiberi poſſe pro Miniſtro excommunicatum non denunciatum. *Turrian. l. 2. de excom. diſp. 11. d. 1.*

R. II. Miniſter reſpondens Celebranti debet eſſe vir, & non fœmina. Nec ego puto ex quacumque neceſſitate licite adhiberi fœminam ad proximæ miniſtrandum Sacerdoti celebranti: *cap. inhibendum de cohab. Cleric. & Mulier. can. Sacratas d. 23.* Addendum modo id non fieri poſſe ſine gravi ſcandalo, cum nulli mulieri unquam conceſſum ſit poſſe proxime miniſtrare. Neque tale ſcandalum removeri poſſet adducendo neceſſitatem, & defectum Miniſtri; nam deficiente Miniſtro: qualem Sacri Canones requirunt, licite Sacerdos in caſu neceſſitatis ſine Miniſtro celebrat, ut dictum eſt.

Præterea curandum eſt ne Miniſtri tanti Sacrificii ſint pueri immorigeri, incapaces: aut petulantes, qui ſua indevotione adſtantes diſtrahant, vel ad riſum moveant; ſicut neque homines rudes, viles, aut ſordidi, neque

etenim

etenim hi Sacerdoti sine indicentia assistunt. Videatur *Van. Expens. t. 2. p. 2. Jur. Eccles. Univ. tit. 5. c. 3. a n. 35.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Notet Confessarius non leviter increpandos illos Sacerdotes, qui sine veste decenti ad celebrandum accedunt. Ordinaria ipsorum vestis debet esse talaris, non tamen adeo attrita, & sordida, ut indecens judicetur. Rure sine veste talari solent celebrare. Sed quid dicendum, si Sacerdos brevi veste, pene lacera, luto, aliisque sordibus deformis ad Altare accederet? Certe gravis irreverentia reputaretur, talibus vestibus virum nobilem invisere, & non irreverentia ita accedere ad conficiendum Corpus, & Sanguinem Christi Domini? Accedit non leve scandalum aspicientibus præberi.

II. Multo magis increpandi sunt illi Sacerdotes, qui tales tobaleas super Altare habent, super quas vir honestus non sine stomaco manducaret. Quid præterea dicendum de adhibente amictus sudore, & colli sordibus valde conspurcatos, Albas, & laceras & sordidas, Corporalia, & Purificatoria multis maculis deformia? Nonne omnes isti gravis irreverentiæ erga Divinum Sacrificium rei sunt? Quod si quis hujusmodi indecentiæ propriam, vel Ecclesiæ paupertatem causaret, audiat Bellarminum *l. 2. de genit. Colum. c. 3.* ubi hæc habet; *Alicubi Vasa Sacra, & vestes, quibus mysteria celebrantur, vilia, & sordida inveniuntur, indigna prorsus, quæ ad tremenda mysteria adhibeantur. At forte, qui hæc adhibent, pauperes sunt? Id quidem fieri potest, sed si pretiosa non possunt, saltem munda, & nitida procurent. Fontibus lacrymarum prosequendi sunt, qui exteriore turpitudine, & sordibus animi sui impietatem, sordesque testantur.*

III. Quis non videat grave committi sacrilegium, dum ipse calix, & patena sordescentes videntur, vel ob immunda labia, & digitos celebrantium; vel quia immunda redduntur, si interdum multa diligentia non purificentur; Calicem immundum ad bibendum nemo est, qui non respuat; & immundus Calix ad divina peragenda sine gravi culpa adhibendus est? *Præcipimus*, ait Innocentius III. cap. relinqui de custod. Euch. *ut Oratoria, Vasa, Corporalia, & Vestimenta, munda, & nitida conserventur. Nimis enim absurdum videtur in Sacris sordes negligere quæ dedecerent etiam in profanis.*

IV. Accidere potest, ut dum Sacerdos celebrat in aliquo Oratorio rurali, longe ab Ædibus Parochi, & aliorum Incolarum, ex aliquo casu fortuito extinguantur candelæ, & non sit ulla commoditas illas accendendi. Si igitur extinguantur ante consecrationem, nullatenus est Missa prosequenda, quamvis urgeret præceptum audiendi Sacrum, vel Viaticum administrandi; neque etenim hujusmodi præcepta obligare possunt ad conficiendum Sacrificium cum indecentia. Cæpta vero consecratione esset prosequendum; nam tunc major irreverentia est cœptum Sacrificium non prosequi, quam perficere sine lumine.

CAPUT VI.

De Stipendio Missæ, & de Obligationibus, quæ oriuntur ratione talis Stipendii.

Q. I. Quo titulo liceat accipere stipendium pro Missa celebranda, & quale sit justum stipendium.

R. I. De antiquissimo more aliquid subministrandi a Fidelibus Sacerdotibus celebrantibus, testantur plures Authores, quamvis ab initio consisteret in oblatione panis, & vini; at deinde, defervescente devotione fidelium, Episcopi Missæ denarium taxarunt. Hujusmodi vero stipendium non dari posse ut pretium Missæ, dixi *Tr. 7. q. 3. c. 2. q. 2.* Itemque nec pro labore necessario ad Missam celebrandam, dixi ibid. Item puto contra aliquos nec posse dari, & recipi pro obligatione, qua Sacerdos se obligat ad celebrandum; nam cum hæc obligatio de sua natura ordinetur ad Sacrificium, & sit cum illo connexa, consequens est esse invendibilem. Constat etiam hujusmodi stipendium non dari titulo eleemosynæ; nam alias restituendum non esset, si Missa non celebraretur. Remanet ergo dari titulo sustentationis, ut dixi loco citato *quæst. 2.* & docet *S. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 3. Lugo d. Euch. disp. 21. sect. 2. n. 13. Fagnan. in cap. Significatum de Præbend. n. 39.* Ultra titulum sustentationis dari possunt etiam alii tituli recipiendi stipendium, quales e. g. sunt labor extrinsecus, ut dum Sacerdos pro alterius commoditate deberet valde longe progredi ad Missam celebrandam; vel non posset celebrare, nisi quadam hora determinata ad alterius instantiam, maxime si id non facere posset sine suo incommodo, vel cessando ab aliqua sibi utili operatione &c. *Passer. q. 187. art. 4. n. 882.*

Quia stipendium præcipue datur ob Ministri sustentationem, magis communiter docent Theologi non solum posse Sacerdotem licite nolle dicere Missam, si prius non detur stipendium, in quo omnes Theologi conveniunt, ut observat *Passer. q. 187. n. 913.* sed ulterius posse licite pacisci de stipendio, assumpta obligatione celebrandi. Ratio est, quia cum quod datur pro Missa celebranda, titulo sustentationis accipiatur, & hic titulus sit mere temporalis, nil obstat, quin in pactum possit deduci; Sicut igitur obligatio dantis respicit sustentationem Sacerdotis, ita obligatio, quam assumit Sacerdos de Missa celebranda, non est in ordine ad Sacrificium Missæ, quod tenetur solum ex liberalitate, & fidelitate celebrare, sed est obligatio justitiæ, sive ex pacto; quæ ex parte Sacerdotis oritur ratione acceptæ sustentationis: *Pasqual. de Sacrif. q. 903. Barbos. de potest. Episc. all. 24. n. 4.* apud quem plures alii. Ex hoc etiam infertur implorari posse Judicis authoritatem contra non solventem stipendium; nam quod debetur titulo sustentationis exigi potest ratione justitiæ commutativæ: *Pasqual. cit. Bonac. de Sacr. Miss. d. 4. q. ult. punct. 8. n. 2.*

R. II. Ut stipendium Missarum justum sit, non opus est adæquare integram sustentationem Sacerdotis pro ea die qua celebrat. Cum igitur S. Canones noluerint aliquem ordinari, nisi ad titulum Beneficii, vel Patrimonii, & si Religiosi Mendicantes ordinentur, supponatur saltem pro majori parte eleemosynis Fidelium sustentari; constat non esse mentem Ecclesiæ Sacerdotes integram sustentationem ex eleemosynis Missarum recipere: *Gibal. de Simon. q. 18. consect. 7.*; *La Croix t. 2. p. 2. de sacrif. Miss. n. 126.*; ac proinde Juenin *de sacr. dissert. 5. q. 7. de sacrif. Euch. a. 5.*, dicit non esse consonam rationi consuetudinem, quæ stipendium Missarum taxat ad rationem congruæ sustentationis ipsius Celebrantis. Adde unumquemque Sacerdotem posse per alia media honesta sibi victum quærere.

R. III. Juxta taxa eleemosynæ pro Missis celebrandis desumenda est a communi consuetudine, vel a lege sinodali, si extet, ut communiter docent Theologi: *Bonac. de sacr. Euch. disp. 4. q. ult. p. 8. n. 8. Tambur. De sacrif. Miss. l. 3. c. 1. §. 2. n. 2.* atque ita decrevit S. Congregatio in una Aprutin. die 15. Novembr. 1698. Oportet tamen taxam fieri, attento loco, & tempore, & signanter caritate, vel utilitate Annonæ: *Pasqual. q. 925.* Taxata autem eleemosyna, vel per loci consuetudinem, vel per taxam sinodalem, nihil supra taxam exigi potest ex pacto implicito, sive explicito, bene tamen si vere liberaliter aliquid de plus tribuatur: *Lugo in respons. Moral. l. 5. dub. 18 Bonac. de Euch. d. 4. q. ult. p. 8. a nu. 9.* Et quidem si tunc plus accipiatur ab eo, qui alias vult celebrare Missam, ex pacto, & non ex sola libertate, non video quomodo abesse possit Simonia; nam supposito non adesse alios titulos, de quibus dictum est, jam illud de plus non potest deduci in pactum titulo sustentationis, cum quoad hoc qualis debeat esse eleemosyna lege, vel consuetudine fuerit taxatum; unde remaneret de facto exigi titulo celebrationis ipsius Missæ, quod est manifeste simoniacum. Exemplum, sit in eo, qui quamvis non habet obligationem vendendi, velit nihilominus suas merces vendere; certe si adsit pretium legale, non potest sine injustitia ultra illud vendere: ita dicas de Sacerdote, qui licet obligationem non habeat celebrandi, nihilominus se offerat ad celebrandum, sed exigendo ultra taxatam eleemosynam: *Sanch. Consil. l. 2. c. 3. d. 3. in fin. Suar. de Relig. t. 1. l. 4. c. 56. nu. 17. Bonac. nu. 11.* Cæterum potest Episcopus taxare, ne quid minus ultra consuetam eleemosynam Sacerdotes accipiant, ne Sacrificium vilescat, eo quod Sacerdotes crebro se offerant celebrare ob eleemosynam manualem valde tenuem. Ita decrevit S. Congregatio in una S. Severin. eleemosyn. Miss. 16. Julii 1689. Quamvis ergo non pauci DD. stent pro opinione contraria, ut videre est apud *Passer. t. 2. q. 181. n. 937.*; nihilominus dicendum, verum esse Episcopum id juste decernere posse, dum ex contraria, praxi Sacrificium parvipenderetur.

Q. II. Quomodo taxandum sit stipendium Missarum quas reliquit Testator; & a quibus sint celebranda.

R. Si Testator non taxaverit stipendium, tribuendum est juxta taxam. Si vero vel ex taxa, vel ex consuetu-

suetudine stipendium non sit indivisibile, meo videri, considerandæ sunt vires hæreditatis; & si tales sint, ut commode patiantur stipendium pinguius, crederem istud esse tribuendum, & ab Episcopo taxandum, si ad illum pro tali taxa fiat recursus; nam tunc præsumendum est ita voluisse Testatorem, cum Missa ea pinguiori stipendio celebrata sit fructuosior, quia plus Deo offertur. Si vero hæreditas non sine incommodo patiatur talem taxam, tunc bene præsumi potest mentem Testatoris fuisse de minori stipendio. Juxta hanc distinctionem variæ conciliari possunt opiniones, circa quas videndi sunt *Pasqual. de Sacrif. q. 924. num. 8. & q. 932., Passer. t. 2. q. 187. n. 925. & 946.* Cæterum advertendum S. Congregationem in responsione ad quintum declarasse, quod si Testator nullum taxaverit stipendium, illud pertinet taxare ad Episcopum secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ex prædictis constat male se gerere illos hæredes, qui Missas a Testatore relictas alibi curant celebrari, ubi minus stipendium erogatur; nam & faciunt contra mentem Testatoris, & minus stipendium erogando, majori suffragio illius animam defraudant; *Amostaz. de Caus. piis l. 2. c. 3. n. 29.* Solummodo crederem id licite fieri, quando vires hæreditatis non paterentur numerum Missarum a Testatore præscriptarum; nam bene tunc præsumitur voluisse ut potius omnes, quas præscripsit Missas, pro se celebrentur; quam ut consuetum regionis stipendium tribuatur.

R. II. Si Testator non determinavit particulares Ecclesiæ Sacerdotes, a quibus Missæ ab eo præscriptæ celebrantur, non potest prohiberi quia ab omnibus Sacerdotibus possint celebrari; cum de jure communi id omnibus competat, si vocentur ad celebrandum: *Barb. de potest. Episc. alleg. 24. n. 3., Passer. q. 187. n. 932.*

Q. III. An augeri possit stipendium pro Missa Cantata, vel pro celebrando die festivo, vel in Altari Privilegiato &c.

R. I. Consuetudo communis est ut pro Missa Cantata majus stipendium exigatur. Hujus rei aliam non habeo efficaciorem rationem, nisi eam, qua dici debet sustentationem, quam exigere potest Sacerdos Missam celebrans, ex recepta consuetudine exposcere, ut majus stipendium obtineat Missam cantando. Multo magis hoc verificabitur, si pro canenda Missa debeat insolitum iter facere, vel majores faciendæ sint expensæ. Cæterum ego non puto exigendum majus stipendium pro majori, seu longiori ministerio, nam cum hoc sit Missæ intrinsecum, dici debet invendibile, ex dictis *tr. 7. q. 3. a. 2. q. 3.* Sacerdotes vero non celebrantes, sed canentes, dici potest accipere stipendium ratione cantus, qui quamvis sit spiritualis in ordine ad finem, non est spiritualis in se, adeoque ratione ipsius potest pretium sumi; ut de Musicis docet *Passerinus q. 187. n. 884.*

R. II. Præcise pro celebrando die festivo, exigi non potest majus stipendium; etenim non adest major labor extrinsecus, nec alia causa sufficiens illud exigendi: *Tambur. de Sacrif. Miss. l. 3. c. 1. §. 3. n. 35. Amost. de Caus. piis l. 2. c. 4. n. 23.* Forte id excusari posset ratione consuetudinis, ex dictis paulo ante. Cæterum si die festo, vel alia die detur stipendium pro officiatura, seu, ut dici solet, pro sola præsentia, tunc accipi potest aliud stipendium pro applicatione Sacrificii; secus si requiratur præsentia, ut Sacrificium applicetur.

R. III. Cum stipendium dari non possit pro applicanda Indulgentia Defunctis, alias esset manifesta Simonia, hinc est nullatenus majus, vel novum stipendium exigi posse pro celebrando in Altari privilegiato; aliunde autem ex habito stipendio habuit Sacerdos quod sibi competit titulo sustentationis; *Ant. a Sp. S. tract. 7. d. 6. n. 257.*

Q. IV. Quomodo regulandus sit numerus Missarum ratione accepti stipendii; & quid si stipendia sint incongrua.

R. I. Tot applicandæ sunt Missæ, quot præscriptæ sunt ad rationem tributæ eleemosynæ. Qui contra faceret primo peccaret contra fidelitatem, quia eo ipso, quod accipit stipendium, intelligitur se obligare juxta communem consuetudinem, quæ est, ut multiplicato stipendio, Missæ etiam multiplicentur; ni offerens intendat dare pinguius stipendium pro minori numero Missarum. Præterea notandum S. Congregationem authoritate sibi tradita ab Urbano VIII., quæ omnia confirmavit Innoc. XII. In sua Const. incip. *Nuper a Nobis*, revocasse omnia privilegia, quibus minori numero Missarum, vel alio modo satisfieri potuisset oneribus susceptis post privilegium, *Fagn. in cap. significatum de præb. n. 44., Dian. t. 2. tr. 1. resol. 46. §. 6.* Secundo, peccat contra Justitiam, quia valde incertum est an actu fructus Sacrificii infinitus sit, & supra *cap. 1. quæst. 7.* dixi esse in actu secundo finitum; unde qui putaret unico e. g. Sacrificio pro pluribus acceptis stipendiis satisfacere, valde probabile est minus applicare de fructu Sacrificii. Ex hoc autem oritur manifesta injustitia, nam sicut non satisfit debito certo, incerta solutione, ita obligationi plura celebrandi Sacrificia satisfieri non potest, per hoc quod putet Sacerdos ex infinitate fructus Sacrificii unica Missa posse pro pluribus Sacrificiis satisfacere; nam ut ita dicam, solveret debitum certum, incerta solutione. Accedit, dantem plura stipendia nolle subjacere incertitudini diversarum opinionum, sed velle esse certum, ut sibi applicentur plura Sacrificia. Contrariam opinionem jam reprobaverat Urbanus VIII. in Decreto de celebratione Missarum, ubi etiam dixerat ita agentem ad restitutionem teneri, & Alexander VII. a. 10. hanc damnat propositionem: *Non est contra Justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

R. II. In eodem decreto Urbani decernitur, nonobstante incongruitate stipendii, tot Missas esse celebrandas, quot ad rationem attributæ eleemosinæ præscriptæ sunt. Et S. Congregatio interrogata an in tali casu Sacerdotes teneantur celebrare Missas ab offerente præscriptas, absolute respondit *teneri* ut patet ex responsione ad 2. & 3. dubium. Neque refert Sacerdotem non promisisse celebrare tot Missas, quot præscripta fuerint ad rationem tributæ eleemosinæ; nam eo ipso quo acceptaverit, intelligitur se obligasse ad eas celebrandas; *Passerin. q. 187. art. 4. n. 963., Laym. l. 4. tr. 5. n. 13., Barbos. de potest. Episc. alleg. 24. num. 5.* Ex hoc autem sequitur teneri applicare totum fructum Sacrificii juxta intentionem dantis exiguum stipendium, ut de se constat: *Pasqual. de Sacrif. q. 946., Dian. t. 2. tr. 1. resol. 19.* Si vero qui tribuit eleemosynam, Missas non præscripsit, tunc missæ celebrandæ sunt juxta stipendium ab Ordinario, vel consuetudine præscriptum, ut respondit Sac. Congregatio in Decreto de celebratione Missarum in respons. ad 2.

Q. V. Quomodo Sacerdos teneatur applicare Missam, pro qua stipendium recepit.

R. Sacerdos tenetur applicare totum fructum Sacrificii tam ex opere operato, quam ex opere operantis, siquidem intentio dantis stipendium est, ut sibi juxta suam intentionem applicetur totus fructus applicabilis. Hinc Sacerdos, qui accipit stipendium pro Missa Defunctis applicanda, non potest sibi, vel alteri applicare fructum impetrationis; nam quamvis dans stipendium principaliter intendat suffragium Defuncti, re vera tamen non solum vult partem, sed totum fructum Sacrificii, adeoque ut totus sibi fructus impetrationis, & propitiationis applicetur: *Passer. q. 187. num. 989. Pasqual. de Sacrif. q. 449.* Remanet ut Sacerdos posset alteri applicare fructum specialissimum sibi correspondentem, si forte sit alteri applicabilis; nam hunc non tenetur applicare pro offerente eleemosynam. Caveat tamen pro hujus applicatione accipere stipendium, tum quia valde incertum est, an sit alteri applicabilis; tum quia cum jam habuerit ea eleemosyna sibi convenientem sustentationem, non habet titulum novam recipiendi. Hinc Alexander VII. sub num. 8. hanc damnavit propositionem. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post decretum Urbani VIII.*

Q. VI. An Sacerdos teneatur celebrare Missas determinatas ab offerente eleemosynam.

R. Bene dici potest accipientem stipendium pro celebranda Missa votiva, vel de requiem satisfacere, si celebret Missam diei currentis, quamvis celebrari possent Missæ determinatæ ab Offerente. Ratio est, quia si culpa aliqua adesset, interveniret, quia Sacerdos non servaret promissum; at hæc ratio omnino corruit, si observetur celebrando Missam currentem promissum observari ad abundantiam per æquipollens. Et primo certum est fructum provenientem ex opere operato eumdem esse, sive dicatur Missa de requiem, sive de Sancto &c. *D. Th. in 4. d. 45. q. 2. a. 3. ad. 5.* Si vero consideretur fructus ex opere

re

re operantis proveniens quoad satisfactionem, major est, si celebretur Missa diei currentis, qoam de requiem; nam cum Missa diei currentis sit longior, & laboriosior Missa de requiem, erit magis satisfactoria. Item Missa diei currentis potest esse ex opere operantis magis impetratoria; quamvis etenim e. g., Missam de requiem omittendo, omittantur illæ ocationes, in quibus expressius petitur liberatio Defuncti; vel omittendo e. g. Missam præscriptam B. Virginis, omittantur orationes, quibus specialiter invocatur, nihilominus dum recitatur Missa diei currentis ex intentione promovendi divinum cultum ab Ecclesia præscriptum in Rubricis, cum sic modus divinum cultum promovendi videatur Deo magis acceptus, videtur etiam aptioc ad impetrandum quod optat offerens eleemosynam. Ex hoc etiam sequitur in celebratione Missæ currentis non iotervenire aliquod inconveniens, ex hoc quod defraudetur e. g. B. Virgo vel aliquis Sanctus eo cultu, quem haberent, celebrando Missam præscriptam in ipsorum honorem; nam ipsis magis gratum est, ut promoveatur modo aptiori ipsius Dei coltus, quod, ut dixi, sequi videtur celebrando Missam currentem: *Barbos. de potest. Episc. alleg.* 24. *n.* 32. *Passer. t.* 2. *art.* 4. *q.* 187. *a n.* 1200. contra *Pasqualig. de Sacrif. q.* 962. Bene tamen facit Sacerdos, si dum id permittant Rubricæ, addat in Missa currente orationem S. vel Defunctorum, quorum Missas volebat celebrari dans eleemosynam: *Passer. n.* 1212., quamvis ad id non teneri doceat Bonacina *disp.* 4. *q. ult. p.* 7. *§.* 3. *n.* 5., quia potest aliis præcibus omissum compensare.

Illud tamen observandum, quod si datum est pinguius stipendium pro Missa particulari celebranda, restituendus est excessus stipendii, si non celebretur; nam datum est intuitu illius particularis Missæ. Addit Passerinus *num.* 1215. non posse omitti sine gravi culpa Missam votivam cantatam; quia ratione ejusdem solemnitatis est quid notabile, & grave; & aliunde non esset contra Rubricas ultra Missam ferialem cantatam, addere aliam votivam cantatam.

Q. VII. An Sacerdos accipiens stipendium pro celebrando in Altari privilegiato, teneatur in eodem celebrare, & ad quid teneatur, si id non præstet.

R. I. Utique tenetur celebrare in Altari privilegiato, non solum ut stet promissis, sed multo magis quia non potest sine gravi culpa offerentem majori bono spirituali privare, nec Defunctos Indulgentiis. Bene etiam dicitur non satisfieri celebrando in alio Altari cum calculo, vel numismate benedicto, siquidem indulgentia certior est, dum celebratur in altari privilegiato: *Lugo de Euch. d.* 21. *n.* 39., *Tamb. de Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 2. *§.* 1. *num.* 1., *Passer. q.* 187. *num.* 1170. & 1175. Et hoc maxime advertendum, quando qoi præscripsit Missas, habebat specialem affectum ad illud Altare.

R. II. Si pro celebrando in altari privilegiato datum est consuetum stipendium, id omittens non debet restituere. Ratio est, quia per hoc quod Defunctus Indulgentia defraudetur, non læditur Justitia; & aliude consuetum stipendium correspondet celebrationi in quocumque Altari factæ. Si vero datum sit pinguius stipendium pro eo quod Sacerdos se obliget ad celebrandum in Altari privilegiato, cum tunc solummodo partem operis adimpleverit, tenetur restituere quod magis datum est pro celebrando in tali altari: *Amostaz. de Caus. piis l.* 2. *c.* 5. *n.* 24. Cæterum semper suaderem Sacerdoti, qui etiam ex solito stipendio omisit io Altari privilegiato celebrare, ut aliis operibus satisfactoriis, & præcipue lucrando Indulgeotiam Plenariam pro Defunctis, pro quibus debebat in Altari celebrare, compensaret damnum spirituale illis irrogatum ad quod atiam teneri aliqui docent: *Passer. q.* 187. *n.* 1300.

Q. VIII. An Sacerdos, qui accepit stipendiom, teneatur per seipsum Missas celebrare, & an celebrando per alium possit illi dare stipendium minus eo, quod accepit.

R. I. Si dans stipendium voluit, ut Missæ celebrentur ab eo, cui dedit, & iste ita acceptaverit, tenetur ex fidelitate stare promissis; quamvis virtus fidelitatis, præciso damnu, non obliget ad culpam gravem. Si vero non se obligaverit per seipsum celebrare, bene potest id facere per alium; nam obligatio solummodo est de celebranda Missa pro dante stipendium.

R. II. Jam decreverat S. Congregatio authoritate Urbani VIII. alteri Sacerdoti dandum esse totum stipendium, sed quia nihiluminus aliqui io contrarium opinabantur. Alexander VII. sub *n.* 4. hanc damnavit propositionem: *Post Decr. Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Et Sacra Congregatio in Decreto de celebrat. Missar. in resp. ad 7. declarat neque ipsos Sacristas posse aliquid retinere ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, ni forte aliunde non habeant, unde supplere possint talibus expensis; & tunc adhuc celebrandas tot Missas, qoot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas. Ratio autem cur non possint Missæ per alium celebrari, retenta parte eleemosynæ, non solum desumitur ex sordida negociatione, quæ ita agendo apparet, sed etiam quia id omnino viderur esse contra mentem dantis eleemosynam; nam cum eam det intuitu Missæ celebraodæ, consequenrer vult totam dari Sacerdoti, qui illam celebrat. Hinc retinentem partem stipendii puto omnino ad restitotionem teneri.

Hæc doctrina limitationem primo patitur, si Sacerdos celebrans omnino liberaliter alteri cedat partem, vel totum stipendium. Verum tamen est hanc liberalem remissionem non esse facile præsumendam; nam multoties fieret vel ex timore amittendæ stipis; vel quia celebrans sperat, aliquid ab eo, cui partem eleemosynæ relaxat &c. Stante vero relaxatione liberali, non adhæreo illis Theologis, qui adhuc putant non posse retineri, ea ducti ratione quod tota eleemosyna datur in ordine ad Missam celebrandam, & quod intentio dantis est, quod tota sit celebrantis. Contra etenim est, quia, si iste, eleemosyna accepta, posset mihi statim liberaliter dare, cur & non liberaliter relaxare, antequam dem? Sicut autem, qui dedit stipem non potuit habere intentionem, ut postquam celebrans accepit, non mihi liberaliter daret; ita nec quod liberaliter relaxaret, antequam accipiat: *Viva in prop.* 9. *damnatam ab Alex. VII. n.* 7.

Secundo, favente etiam Passerino *q.* 187. *art.* 4. *n.* 1015. puto posse retineri excessum eleemosynæ, collato solito stipendio Celebranti, si pinguius stipendium detur intuitu Personæ, non vero celebrationis. Exemplum sit in eo, qui daret Beoefactori, Confessario, Amico &c. nummum aureum, ut pro eo unica Missa celebretur; tunc coostat illum excessum dari ad gratificandum Confessario, Amico &c. adeoque non esse contra ejus intentionem, si illum pro se retineat: *Viva num.* 8. Dum vero S. Congregatio declarat in responsione ad decimam dandum esse totum stipendium celebranti, id intelligendum est, dum totum intuitu Missæ tribuatur.

Tertio, Beneficiarius, qui potest per alium celebrare, potest illi dare consuetum stipendium, quamvis ipsi pinguius competat ex fructibus Beneficii, nisi aliter in fundatione cautum sit. Ita declarat S. Congregatio in responsione ad 8. Quidam putant in fundatione Beneficii semper præsumendum cautum fuisse, ut a Beneficiato detur celebranti totum stipendium correspondens celebrationi, taxandum juxta quantitatem fructuum, aliaque onera Beneficiati, cum ea pars intuitu Missæ relicta sit; *Gonet. de Sacr. Miss. d.* 11. *a.* 4. *n.* 112. Verum nentiquam puto hujusmodi credendam intentionem Fundatoris Beneficii; nam dum Beneficiatus celebrare potest per alium, putandum est consensisse id præstare posse juxta consuetam praxim, quæ est ut celebranti detur solummodo ordinarium stipendium. Quod dictum est de Beneficiato extenditur ad Capellanum, vel etiam ad celebrantem ex pingui legato sibi ad vitam relicto cum onere Missarum; nam Decreta videntur tantum loqui de eleemosynis manualibus: *Passer. q.* 187. *n.* 1004., *Anton. a Sp. S. tr.* 7. *d.* 6. *n.* 263. aliique.

Nullatenus autem hanc doctrinam extendendam puto ad Executores Testamentarios, vel ad alios, quibus committitur, ut faciant Missas celebrare. Si isti curent alibi celebrari minore stipendio, non possunt, quod superest sibi retinere, tamquam id esset fructus suæ industriæ, tum quia facere materiam negociationis eleemosynas pro Missis collatas, sapit turpem quæstum; tum quia intentio dantis eleemosynam est, quod tota detur celebranti, ut ita faciat opus Deo magis gratum: *Passer. qu.* 187. *num.* 1025. aliique apud ipsum, *Viva n.* 10. Unde in præsenti non currit paritas de vendente alibi merces sibi traditas, quo casu excessus pretii reputatur fructus industriæ; nam in hoc casu excessus pretii, cum correspondeat solummodo industriæ vendentis, non poterat a Domino ad alium effectum destinari. Verum tota eleemosyna destinata est ab illius Domino ad faciendum opus Deo gratum, unde non possunt prædicti sibi, vel suæ industriæ applicare. Accedit hic intervenire turpem quæstum, ut dictum est, adeoque illicite fieret.

Q. IX. An Missæ omitti possint titulo compensationis; an differri, & quantum; an anticipate celebrari.

R. I. Dicendum est titulo compensationis, quando e. g. dans eleemosynam erat debitor Sacerdotis, non posse Missas omitti. Ratio est, quia si erant celebrandæ pro Defunctis, vel pro aliqua gratia pro aliis impetranda, tunc ex Missæ omissione alii, sine sua culpa paterentur grave detrimentum, quod æquum non est. Vel Missæ erant applicandæ pro ipso offerente, & tunc iste privaretur bono spirituali, unde compensatio non esset æqualis. Accedit quod recipiendo stipendium saltem se obligat ex fidelitate ad Missas celebrandas; non servare autem fidelitatem, dum intervenit gravis indecentia, qualis esset compensatione tractare Missas, ac si essent permutabiles cum re temporali, non potest esse sine gravi culpa. His rationibus puto neque licite omitti Missas titulo compensationis, in casu e. g. quo aliquis fecisset pro se celebrare centum Missas, quarum eleemosyna non persoluta, daret tamen eleemosynam pro aliis centum celebrandis; unde credo debere Sacerdotem accipientem eleemosynam pro aliis centum celebrandis, eas de facto celebrare: *Passer. q. 187. n. 916. Donat. tr. 7. q. 58. n. 3. Dian. t. 2. tr. 1. resol. 32.*

R. II. Certum est non posse differri Missas celebrandas pro urgenti necessitate, nam intentio offerentis est quod celebrentur statim; & si hoc non fiat, fortasse postea non poterit impetrare effectum desideratum, v. g. sanitatem infirmi: *Passer. q. 187. n. 1158.* Hinc quamvis possit sustineri Sacerdotem obligatum ad celebrandas decem Missas pro decem personis, posse decem Missas ipsis personis unitis applicare, tum quia singulis dat, quod debet, cum unicuique singulis diebus correspondeat decima pars Sacrificii; tum quia dilatio decem dierum ad integre dandum fructum Sacrificii, non est culpabilis ex statim dicendis: nihilominus si aliquis ipsorum Missam petat pro urgenti necessitate, statim est celebranda. Secundo, certum est, quod si dans eleemosynam consentiat in quacumque dilatione, potest tuto Missa differri, cum volenti non fiat injuria, ut etiam declarat S. Congregatio in responsione ad 12. Tertio, certum est, excepto casu superiori, oneribus susceptis Missarum debere satisfieri infra modicum tempus; nam ita intelligitur esse intentio dantis eleemosynam; & declarat Sacr. Congr in responsione ad undecimum. Difficultas est, quando dilatio intelligatur esse modici temporis; nam alii extendunt ad tres menses, ut videre est apud *Card. de Lugo de Euch. disp. 21. sect. 2. Donatum t. 4. tr. 7. q. 69. num. 3.* Alii limitant tempus solum usque ad mensem. Alii relinquunt arbitrio Prudentis, attento numero Missarum, & necessitate petentium: *Menoch. de arbitr. Judic. l. 2. cent. 1. cas. 8. n. 10.* Ego, ordinarie loquendo, non censerem posse differri celebrationem Missarum ultra mensem cum dimidio, cum longior dilatio videatur contra mentem dantis eleemosynam. E contra vero cum sciat ut plurimum Sacristas habere alia onera Missarum, præcisa necessitate, non debet exposcere magis celerem satisfactionem. Optarem etiam Missas pro Defunctis celerius celebrari.

Non desunt qui putent Sacerdotem incertum de solutione stipendii posse Missas differre, usquedum detur stipendium, vel de eo sit certus. Verum si Missæ affixæ sint tempori determinato, puto id non posse fieri, tum propter præjudicium, quod faceret e. g. Defunctis, pro quibus tali tempore esset celebrandum; tum quia, si celebret postea, forte jam transivit illa necessitas, pro qua tali tempore erat celebrandum, & ita postea celebrando non posset accipere stipendium. Si ergo non vult tempore determinato celebrare, moneat offerentem eleemosynam, ut alia via Missarum celebrationem procuret: *Passer. q. 187. n. 1245.*

R. III. Paulus V. speciali decreto sub die 15. Novembris 1605. prohibuit celebrari Missam pro primo in futurum offerente stipendium. Ratio autem potuit esse non solum, quia hoc fovebat lucri cupiditatem, sed etiam quia fieret contra intentionem dantis stipendium, qui intendit sibi Missam in posterum celebrari, nec vult subjacere diversis Theologorum placitis; cum non desint qui dicant Missam antea celebratam non prodesse; si applicetur pro illo, qui primo dabit eleemosynam: *Barb. de potest. Ep. alleg. 24. num. 13. Laym. de Sacrif. Miss. c. 2. n. 19. Anton. a Spir. S. disp. 6. n. 294.* Si vero Sacerdos sciat alicui jam datas esse eleemosynas pro Missis celebrandis, & putet aliquas etiam sibi daturum, tunc potest Missas celebrare, antequam det, nam cum Missæ jam sint applicatæ ex intentione illius, qui dedit eleemosynam, applicatio Missæ non remanet suspensa: *Anton. a Spir. S. n. 295.*

Q. X. Quomodo peccet, qui non celebravit Missam, ad quam se ex stipendio obligavit; an teneatur restituere; & quid dicendum, si omisit Missas, quas liberaliter promisit.

R. I. Omnes conveniunt, quod omittens plures Missas, quarum ratione accepit stipendium, peccet graviter, & teneatur ad restitutionem; nam dans stipendium solummodo intendit illud a Sacerdote fieri suum, si Missas celebret. Difficultas est, an peccet graviter unam tantum Missam omittendo, si stipendium acceperit. Et quamvis multi asserant non peccare mortaliter, quia ipsi videtur materia levis, nihilominus mihi arridet opinio contraria. Ratio mihi est, quia obligatio unius Missæ celebrandæ non est solum mensuranda in ordine ad stipendium, quo pacto levis dici posset; sed in ordine etiam ad fructum Sacrificii, quo non celebrando privat offerentem eleemosynam; sicut & in ordine ad injuriam, quæ fit virtuti Religionis, dum super re gravi ad ipsam spectante, est infidelis: *Passer. q. 187. art. 4. n. 1268.* & alii apud ipsum. Illud saltem apud me certum est, graviter peccare Sacerdotem non celebrantem unam Missam quam gravi urgente necessitate exposcit dans eleemosynam, nam tunc est rationabiliter graviter invitus, si omittatur.

R. II. Si postea adhuc sit locus celebrandi Missas omissas, puta quia celebrandæ erant pro Defunctis, pro voto, in honorem alicujus Sancti, tunc potest, & debet eas celebrare, & consequenter poterit retinere eleemosynam. Secus si non amplius locus sit eas celebrandi, quia e. g. celebrandæ erant pro instanti necessitate; & tunc quamvis celebret, adhuc stipendium restituendum est illi, qui dedit, cum ipsius intentio alia esse non potuerit, nisi ut sibi restituatur, casu quo Missæ expostulatæ non fuerint celebratæ, vel dilatæ fuerint ultra tempus, quo non amplius celebrari poterant pro ea necessitate, cujus ratione eas expostulavit: *Bonac. de Sacrif. Miss. disp. 4. q. ult. p. 8. n. 5.* Ubi etiam advertas, quod ille etiam, qui bona fide retinuit stipendium, in casibus, quibus non fecit suum, tenetur illud restituere, quando cognoscit non ita celebrasse, ut potuerit stipendium facere suum: sicut tenetur ad restitutionem, qui possidet bona fide rem alienam, quando cognoscit non esse suam: *Passer. qu. 187. num. 1275. Pasqual. de Sacrif. q. 69.*

R. III. Qui gratis promisit unam, vel plures Missas non peccat mortaliter, si eas omittat. Ratio apud me efficacissima est, quamvis non pauci contradicant, maxime quoad promissionem liberalem plurium Missarum, quia qui liberaliter aliquid promittit, numquam censetur se velle sub gravi obligare, quis etenim est, qui velit assumere obligationem peccati mortalis, quoad faciendum id, quod alias facere non tenetur? Alii id probant, quia obligatio ex virtute fidelitatis non cadit sub mortali: *Anton. a Sp. S. tr. 7. disp. 6. n. 260. Dian. t. 2. tr. 1. resol. 33.* Hæc nihilominus ratio apud me non est efficax, quia obligatio fidelitatis in rebus non levibus ad Religionem pertinentibus, bene potest esse gravis ob injuriam, quæ fit ipsi Religioni.

Limitanda est hæc doctrina in casu, quo quis alteri se gratis obligaret ad celebrandam Missam, ad quam teneretur ex voto, vel altera gravi obligatione; nam cum tunc Sacerdos in se suscipiat alterius gravem obligationem, non posset talem Missam sine gravi culpa omittere.

Regulæ in praxi observandæ.

1. Curent propriæ conscientiæ consulere illi Sacerdotes, qui diebus festis, vel aliis, in quibus in Ecclesiis plures Missæ sunt celebrandæ, nolunt celebrare, nisi prius de stipendio multo majori obtinendo pacti fuerint. Hanc agendi rationem omnes Theologi criminantur, & simoniacam aliqui dicunt. Si se excusare velint ratione consuetudinis, futilem adhibent defensionem; nam hæc consuetudo, si quæ sit in nostra Diœcesi, oritur, quia ipsi videntes Ecclesiarum necessitatem, renuunt celebrare consueto, & justo stipendio, adeoque quod de plus dant Sacristæ, dant veluti coacte. Sed quamvis adesset ista consuetudo, possunt ne excusari a gravi culpa illi Sacerdotes, qui pro celebrando die festo inquirunt ubi majus stipendium consequi possunt, & illic tunc celebrant, dimittendo illas Ecclesias, in quibus promiserant celebrare, quia alibi aliquos obulos de plus offerentem adinvenerunt?

Forte

Forte hoc non est uti Sacrosancto Missæ Sacrificio ad turpem quæstum, & sordidissimam negociationem.

II. Caveant omnino, qui habuerunt eleemosynas pro Missis celebrandis partem eleemosynæ sibi retinere, putantes Pontificias Constitutiones id prohibentes non obligare sub gravi. Hanc unius, aut alterius opinionem omnino respuendam credo; nam quamvis etiam jure naturali integra eleemosyna celebranti non esset tribuenda, uti dandam credo ex intentione dantis eleemosynam, adhuc lex Pontificia obligat sub gravi, quia facta est ad removendum ab Ecclesia omne damnabile lucrum, & sordidam negociationem; & ratione talis finis non potuit nisi sub gravi obligare.

III. Valde sibi caveant ii, qui habuerunt eleemosynas pro Missis celebrandis, dum aliis celebrare faciunt dando alias res loco pecuniæ. Hoc fieri posse, dum vere pretium rei æquivaleat pecuniæ docet *Pasqual. de Sacrif. q. 918. n. 4.* Sed & in hoc aliquam injustitiam intervenire posse credo, dum illæ res non voluntarie acceptarentur, sed ex solo timore quod Missæ illis non darentur celebrandæ. Ratio mihi est, quia Sacerdos vere jus habet ad stipendium collatum pro Missa, quam celebrat; unde si non voluntarie cedat tali juri, injuste illi non datur pecunia. Hoc dignosci potest, si pro Missa celebranda sumeret res sibi non necessarias, vel quas emere noluisset. Hinc si vendendo quod illi traditum est, cogatur vendere minori pretio, quam fuisset stipendium Missarum, puto omnino compensandum esse damnum, quod patitur, quia illud patitur, eo quod quodammodo coactus sit res sumere loco stipendii, Ad eum modum, quo, si famulo, vel Artifici, loco pecuniæ debitæ, ipsis non plene consentientibus tribuantur merces, in quantum venditione non obtinent pecuniam, quæ erat illis debita, ipsorum damnum est compensandum. Si e contra, qui celebrat Missas, sumit res sibi necessarias, vel quas alias erat empturus, vel dum illi offeruntur, plene voluntarie acceptat; ut sunt e. g. Libri, utensilia pro Sacristia &c., in hoc casu puto veram sententiam Pasqualigi, dum semper justum pretium servetur.

IV. Sacrillæ, aliique qui habent eleemosynas pro Missis celebrandis, non facile sibi blandiantur omnino voluntarie remitti partem eleemosynæ a Sacerdotibus celebrantibus. Donatio ordinarie non præsumitur, & maxime dum dignoscitur ex circumstantia Personæ non donaturam, qualis e.g. esset Sacerdos pauper, Sacerdos non liberalis, & quicumque Sacerdos non habens motivum donandi; si etenim hi omnes aliquas eleemosynas, vel partem illius relaxent, præsumi debet relaxare ex timore, ne in posterum ipsis tribuantur eleemosynæ pro Missis celebrandis. Secus si adsit prudens fundamentum credendi liberam conditionem, ut si Sacerdos dives celebret aliquas Missas pro Sacristia, in qua ipse celebrat; si Sacerdos relaxet suo Benefactori, vel Consanguineo, si Sacerdos importunis precibus non coactus relaxet eleemosynam pro paupere subveniendo, vel alio opere pio præstando. Ex circumstantia ergo personæ, & motivi talis relaxationis dignosci poterit: an relaxatio sit plene voluntaria, necne.

V. Curet Sacerdos, ne nova Missarum onera recipiat, dum intra debitum tempus non potest illi satisfacere; nam alias fraudat in re gravi intentionem offerentium eleemosynas. In hoc facile peccare possunt Administratores Ecclesiarum magnæ devotionis, maxime si rure sint; nam ibi nonnisi post longum tempus celebrari possunt Missæ, ratione multiplicitatis eleemosynarum: unde meminisse debent S.Congregationem, in responsione ad decimum quintum, declarasse non posse novas eleemosynas recipere, etsi minuerentur cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus fidelium, nisi dantes eleemosynam consentiant diu differri Missarum celebrationem.

VI. Facile peccare possunt hæredes, vel Executores Testamentarii, si alibi minori stipendio curent celebrari Missas a Testatore præscriptas; nam præsumi debet ipsius mentem non solum fuisse, ut pro se tot Missæ celebrentur, sed etiam, ut detur eleemosyna juxta consuetudinem; atque ita ex hoc quod magis Ecclesiæ Ministris tribuatur, fiat opus Deo magis acceptum. Id solum licite fieret, dum hæreditas non pateretur Missas celebrari consueto stipendio; nam tunc Testatori magis utile est, alibi minori stipendio Missæ præscriptæ celebrentur. Multo magis præfati peccabunt, si eo quod curent alibi Missas celebrari minori stipendio; sibi retinerent, quod superest.

CAPUT VIII.

De obligationibus Capellani.

Q. I. AN Capellanus teneatur per seipsum celebrare.

R. Ut constat ex dictis *t. 5. c. 2. quæst. 9. respons. 4.* nisi clare constet Fundatorem Cappellaniæ voluisse Capellanum tantum per seipsum celebrare bene potest id facere per alium. Ut ergo teneatur per seipsum celebrare, oportet in fundatione expressum fuisse, vel formaliter, vel æquivalenter, ut tantum per seipsum celebret: alias non præsumitur non voluisse etiam celebrare per alium: *Pass. q. 187. n.* 1108. Hinc Cappellanum, cui expresse non imposita fuit obligatio tantum per seipsum celebrandi, non posse ad id compelli, declaravit S. Congregatio apud Riccium in praxi *t. 4. resol.* 101., & docet Barbosa *de pot. Episc. p. 2. alleg. 24. n. 29.* Nec satis habetur voluisse Fundatorem Capellanum per seipsum celebrare, eo quod voluerit præsentandum, & instituendum Capellanum, qui & Missas celebret, docent Squillan. *de privil. Cler. c. 4. n. 27. Peregr. de Capell. l. 2. c. 5. n.* 8. cum illa verba censeantur opposita potius ad significandum onus, quam qualitatem.

Q. II. An semper censendum sit Cappellanum teneri ad applicationem Sacrificii.

R. Quoties certum non est Testatorem voluisse solam celebrationem, non vero applicationem Sacrificii, utramque voluisse censandum est; nam, ut communiter docent DD., validum sumitur argumentum ab iis, quæ ordinatie fieri solent, & communiter dantes stipendium, vel assignantes redditus pro Missis celebrandia, non solum volunt celebrationem sed etiam applicationem Sacrificii. Hinc merito, etiam dum dubitari potest, an Testator voluerit celebrationem tantum, vel etiam applicationem, communiter dicitur utramqua esse ponendam. Solum exciperem si Fundator Capellaniæ tales relinquisset redditus ut longe minorea essent iis, qui correspondere debent oneri etiam Missas applicandi; nam tunc juste præsumeretur solam celebrationem in aliquo loco, non vero applicationem voluisse: *Amost. de caus. piis l. 2. c. 3. n.* 51.

Q. III. An Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, possit aliquando cessare a celebrando: & si cesset, an teneatur per alium supplere.

R. I. Capellanus obligatus quotidie per se ipsum celebrare, potest unam Missam omittere in hebdomada ad vitandum peccatum, vel ratione gravis evagationis mentis, seu indevotionis; nam censetur Fundatorem illum juxta jus commune obligasse, quod propter prædictas causas concedit solum in hebdomada omittere Missam: *cap. significatum de præb. in 6.* ibique Glossa; & quia quotidiana obligatio, celebrandi ita ex jure est regulanda, ideo bene dici potest Capellanum non teneri ad supplendas Missas: *Pasqual. de Sacr. q.* 1119. Nullatenus autem adhærendum puto illis Theologis, qui dicunt posse Capellanum præfatum cessare a celebrando semel in hebdomada, v. g. ex causa itineris, recreationis &c. nam in jure hæc non considerantur tamquam legitima impedimenta, ut cesset a celebratione; & Fundator potuit juste velle ex his motivis non remittere saltem tam frequenter obligationem Capellano impositam quotidie celebrandi: *Pass. q. 187. art. 4. nu.* 1112. *Fagn. in c significatum de præb. n. 8., Lezan. v. Missa a.* 42. Bene tamen præsumi potest Fundatorem non renuisse, ut semel & iterum ratione honestæ recreationis, vel urgentis negotii &c. possit a celebratione cessare *Amostaz. n.* 10. Cæterum si in fundatione Capellaniæ expresse cautum sit, ut Capellanus per se ipsum, vel per alium quotidie a celebratione cessare; unde S.Congregatio sub die 30. Maji 1699. interrogata ab Episcopo Collensi, an Capellanus non obligatus celebrare per se ipsum, possit aliquando vacare, respondit negative Item nec unquam vacandum est, si celebratio Missæ imposita sit ratione loci, ut e.g. in tali Ecclesia quotidie Missa celebretur, unde tunc Capellanus vel per se vel per alium deberet semper hujusmodi Missas celebrare: *Bon. de Sacr. d. 4. q. ultim. p. 7. §. 2. n.* 16. *Dian. part. 2. tract. 14. res.* 28. Item numquam cessare possunt a celebratione Monasteria &c., quæ habent onus Missas quotidianas celebrandi; secus si hujusmodi obligatio pertineret ad particularem Religiosum, nam tunc etiam pro eo militant quæ supra dicta sunt: *Lezan. v. Missæ a n.* 14.

Semper tamen præ oculis habeat Capellanus ea die, qua potest Missam omittere, non posse stipendium sumere pro alia Missa celebranda; nam si celebret, signum est non habere rationem vacandi, aut nolle vacare, unde tenetur applicare pro Fundatore: *Amostaz. de caus. piis l. 3. cap. 6. n. 16.* aliique apud ipsum. Idem decrevit S. Congregatio paulo ante citata in resp. ad tertium dubium, a dicto Episcopo illi propositum. Solum id licite faceret in die Natalis Domini; nam cum non teneatur nisi unicam Missam pro Fundatore Capellaniæ applicare: *Barb. de pot. Episc. alleg. 24. n. 31.*, *Passer. q. 187 n. 1109.*, *Pasqual. de Sacr. q. 1133.* poterit accipere stipendium pro aliis celebrandis.

R. II. Capellanus obligatus quotidie celebrare, poterit quater, vel sexies in anno celebrare pro se, vel pro sibi conjuncto &c. Huic assertioni repugnat Passerinus *q. 187. n. 1141.*, at videtur tutum fundamentum habere in præsumpta mente Testatoris: neque etenim credi rationabiliter potest id negavisse, si de hoc fuisset interrogatus: *Lezan. v. Missa n. 41. Tamb. de Sacrif. Miss. l. 3. c. 3. §. 1.* Id autem maxime credendum concessurum, si in reliquo anni cursu Capellanus non ommisisset celebrare, vel si urgens causa adesset; ut si Capellanus celebrare vellet pro aliqua sua urgente necessitate, vel in morte Patris, seu alterius sibi proxime conjuncti. Eo ipso autem, quod recte præsumatur Fundatorem concessurum, non sunt supplendæ Missæ, quæ ex his causis omitterentur.

R. III. Capellanus obligatus per seipsum celebrare, si infirmetur, potest non supplere Missas, quas spatio quindecim dierum cogitur ommittere. Nec obstat etiam illis diebus recipere stipendium pro celebrando, qua ratione vult *Passerin. q. 187. ar. 4. n. 1120.*, & aliis, debere Missas supplere, cum earum celebrationem principaliter intellexerit Fundator, & secundario quod per seipsum celebraret. Non, inquam, obstat, quia bene præsumitur Fundatorem pro tali tempore noluisse obligare, dum ratione infirmitatis impeditur a celebrando, si alias diligens fuerit in adimplenda sua obligatione: *Bonac. de Sacr. disp. 4. q. ult. p. 7. n. 17.*, *Lezan. v. Miss. n. 40.* Ultra quindecim dies non extenderem hanc exemptionem, quia non potest prudenter præsumi majorem dilationem Fundatorem concessisse, quamvis Hurtadus *de Sacr. disp. 4. de Sacrif. Miss. diff. 1.*, & alii putent non esse compensandas Missas pro uno mense ratione infirmitatis omissas. Hæc tamen dicta vellim intelligenda, dum Capellania, sit pinguis, unde ipsius fructibus possit supplere Missas, quas omittit, ultra quindecim dies ratione longæ infirmitatis. Si vero Capellania sit tenuis, & Capellanus ita pauper, ut necesse habeat fructibus ipsius ad se sustentandum, tunc non mihi apparet rejicienda opinio, qua dicitur posse Capellanum etiam perpetuo morbo laborantem, Missas, quas omittit, neque per substitutum supplere. Ratio efficacissima est, quia in tali casu bene præsumitur Fundatorem voluisse fructus Capellaniæ titulo eleemosynæ concedi in necessariam sustentationem Capellani. *Amostaz. de caus. piis l. 3. c. 6. a n. 31.*

Q. IV. An qui non celebravit per seipsum, dum tenebatur, peccet, & ad aliquam restitutionem teneatur.

R. Certum est peccare graviter, quia non satisfacit gravi obligationi sibi impositæ. Potest tamen excusari ex parvitate materiæ, puta, si semel in mense celebret per alium. Scio *Pasqual. de Sacrif. q. 1127.* censere posse Capellanum celebrare per alium per tres menses, ea ductus ratione, quod etiam Canonicis, & Episcopis conceditur singulis annis vacantia trium mensium. At hæc opinio non mihi videtur habere fundamentum; nam c. *significatum de Præb. in 6.* dicitur Capellanos celebrare debere quam frequentius possunt, salva honestate, & devotione Sacrificii; unde a jure non conceditur Capellanis posse vacare, nisi prout habetur in dicto capite.

R. II. Capellanus, qui ratione Capellaniæ non habet nisi solitum stipendium, non debet aliquid restituere, si celebret per alium: nam illud stipendium correspondet soli celebrationi, vel per se, vel per alium adimpletæ. Si vero habet stipendium pinguius, tenetur restituere, quod arbitrio prudentis correspondet obligationi celebrandi per se: *Passer. q. 180. n. 1290.*

Q. V. An Capellanus possit Missas anticipare celebrare vel differre; & an differendo teneatur ad restitutionem.

R. Quæsitum non procedit de Capellano, qui tantum per se debet singulis diebus celebrare; nam tunc mens Fundatoris est, ut singulis diebus Missa celebretur. Si vero Capellanus possit & per se, & per alium celebrare, vel solum teneatur ad aliquas Missas, v. gr. ter, vel quater in singulis hebdomadibus, tunc distinguendum est. Si Missa fuit affixa diei determinato, v. g. diei Veneris in honorem Passionis, vel Sabbati in honorem Beatæ Virginis; vel si affixa sit aliquibus diebus pro commoditate audientium, tunc non possunt anticipari, sed diebus determinatis sunt celebrandæ, quia tunc constat ita esse mentem Fundatoris: *Lugo de Euch. d. 21. n. 44. Pass. q. 187. ar. 4. n. 1167. Ant. a Sp. S. tr. 7. d. 7. n. 280.* Si vero nullatenus constet voluisse Fundatorem potius una, quam altera die celebrari, sed solum quæsisse fructus Sacrificii, melius sit si anticipentur; nam ita citius Fundator assequitur finem intentum, fructum nempe Sacrificii: *Passer. n. 1166. Barb. de pot. Ep. alleg. 24. n. 14.* Hac ratione puto Capellanum, qui potest per se, & per alium celebrare quotidie, posse anticipare Missas, quas debet in anni decursu celebrare, adhibendo Socium.

R. II. Capellanus non potest differre Missas diei alligatas, ut de se constat, quamvis dubitaret se non recepturum stipendium; nam eas differendo, non amplius adimpleri posset mens Testatoris. Item differri non possunt Missæ ab eo, qui quotidie tenetur per se tantum celebrare, etsi timeat non accepturum stipendium; nam ea dilatione sequeretur non posse eas celebrare per se contra mentem Testatoris: *Pass. q. 187. n. 1245.* Idem dicendum de eo, qui debet vel per se, vel per alium quotidie celebrare, vel aliquoties in hebdomada; nam ex dilatione semper violatur mens Testatoris, quæ sub gravi obligat, si non excuset parvitas materiæ: *Passer. n. 1167.*, *Ant. a Sp. S. tr. 7. d. 7. n. 279.* Dices cum Tamburino, & aliis Capellanum non teneri subire onus certum celebrandi pro incerto stipendio. Sed contra est, quia si Capellanus, dum acceptavit Capellaniam sciebat non facile obtenturum ipsius fructus ab eo, qui debebat solvere, tunc imputare sibimet debet, si se exposuit tali periculo. Si vero difficultas exigendi stipendium postea superveniat, & adhuc retinere velit Capellaniam, censetur simul se submittere oneribus illius, adeoque non debet ea alterius culpa Fundatorem defraudare. Defendat ergo sua jura, interponendo legitimam authoritatem ad obtinendam solutionem.

Si vero Fundator Capellaniæ aliquas voluit Missas celebrari sine limitatione temporis; tunc possunt differri, ita tamen ut dilatio non reputetur contra mentem Testatoris. Ita sequeretur si valde differrentur, maxime dum Missæ celebrandæ sunt pro Defunctis, qua de re vide quæ dixi capite superiori *qu. 9.* Atque hic notandum mihi displicere opinionem Tamburini, qui dicit, quod si Missa quotidiana reducatur e. g. ad Missas sexaginta, potest expectari finis anni ad illis satisfaciendum, Mihi, inquam displicet, quia ratio dictat jus Fundatoris minus quoad fieri potest esse lædendum; unde in singulis mensibus distribuendæ sunt sex Missæ celebrandæ, ista etenim distributio magis est juxta mentem Testatoris, qui volebat vel singulis diebus, vel aliquoties intra hebdomadam esse celebrandum: *Passer. q. 187. ar 4. n. 1156.*

R. III. Capellanus non celebrans tempore determinato, quando obligatio erat affixa dei, tenetur restituere, quoties stipendium tale est, ut non solum celebrationi correspondeat, sed etiam obligationi hac, vel illa die celebrandi; nam censetur Fundatorem pro utraque obligatione stipendium determinasse, si majus sit consueto, ut magis explicabo in sequenti quæsito. Hic autem duxi advertendum, quod si Capellanus etiam ex justo impedimento; puta infirmitatis, omisit celebrare aliquas Missas affixas diebus e. g. Veneris, & Sabbati, ordinarie loquendo, tenetur Missas supplere, alias debebit restituere totum stipendium. Ratio est, quia obligatio aliquid adimplendi intra certum tempus, adhuc illo transacto durat: *l. Celsus 23. ff. de recep. arbitr.* & in dubio non præsumitur tempus appositum causa limitandæ obligationis, sed ne ultra differatur: *l. si mandato 59. §. 5. ff. mandati*; unde, nisi clare constet Fundatorem velle Missas aliis diebus non esse adimplendas, a Capellanu supplendæ sunt, alias & peccabit, & tenebitur ad restitutionem: *Amost. de Caus. piis c. 6. n. 37.*

Q. VI. An Capellanus teneatur celebrare in Ecclesia, vel Altari determinato; quando possit id omittere; & an ad restitutionem teneatur ibi non celebrando.

R. Regulariter loquendo Capellanus celebrando in alia Ecclesia, vel Altare, ac non ubi determinavit Fundator, peccat mortaliter, quia dum determinavit aliquam Ecclesiam, vel Altare, semper præsumendum est ultra applicationem Sacrificii, intendisse vel majus servi-

vitium ipsius Ecclesiæ, vel populi commoditatem, vel familiæ splendorem, si ad illam spectet Capella, seu Altare; vel majorem cultum Sancti, in cujus Altari voluit esse celebrandum; quapropter cum in his violare intentionem Testatoris sit quid grave, non potest esse sine culpa mortali: *Lugo disp. 21. nu. 37., Passer. qu. 187. art. 4. n. 1172. Barb. de pot. Episc. alleg. 24. num. 33.* Neque excusari potest ille, qui alibi celebraret, quia putaret rem gratiorem facere Testatori, celebrando e.g. in Altari privilegiato, dum Altare ab ipso determinatum, tale non esset, quia ex designatione Altaris constat Fundatorem id noluisse, bene vero splendore familiæ, cultum Altaris, vel Ecclesiæ &c. *Passer. n. 1171., Pasqual. de Sacrif. q. 1142.* Accedit Capellanos ex fructibus Capellæ quandoque habere stipendium multo majus consueto, quod proinde non solum correspondet celebrationi, sed etiam præsentiæ, qua tenentur celebrare in determinata Ecclesia, seu Altari; unde Capellanus non satisfaciens utrique oneri, peccat etiam contra justitiam. Excusari posset, si dum ipse alibi celebraret pro Fundatore, mitteret alium Sacerdotem ad celebrandum, ubi debebat ipse celebrare, quia saltem per alium satisfacit etiam obligationi præsentiæ, quamvis & in hoc peccare possit; si tantum per seipsum debebat celebrare, ut supra dictum est. In casu autem quo pingue stipendium corresponderet etiam obligationi præsentiæ, non excusandus a gravi culpa, qui semel in mense alibi celebraret; nam quamvis hoc aliquibus videatur quid leve, potest nihilominus fieri grave, eo quod retineantur in cursu anni duodecim partes stipendii correspondentes Officiaturæ. Excusari tunc solum potest qui ter, vel quater in anno alibi celebraret, quamvis haberet pingue stipendium etiam pro præsentia, non quia tunc de se non posset esse quid grave, sed ex præsumpta voluntate Testatoris. Idem dici potest, si aliquando non sine gravi incommodo diu expectare deberet pro celebranda Missa in Altari designato: *Passer. quæst. 187. art. 4. num. 1173., Lugo disp. 21. num. 40.*, vel etiam si aliquando ex justa causa abesse deberet; *Lezan. V. Missa num. 45.*

R. II. Si omnibus inspectis constet Fundatorem solummodo intendisse fructum Sacrificii, & ad abundantiam Ecclesiam, vel Altare designasse, tunc nullum esset peccatum in hoc, vel illo Altari celebrare; nam locus nec auget, nec minuit fructum; *Tambur. de Sacrif. l. 3. c. 2. §. 5., Gabr. a S. Vinc. de Euch. d. 3. q. 7.* Idem dicendum, si constet Fundatorem, designando aliquod Altare privilegiatum, id non fecisse ratione illius particularis Altaris, sed solum intendisse Altare, qua privilegiatum; nam tunc licebit in quocumque privilegiato Altari celebrare. *Lugo d. 21. n. 39.*

Secundo, posset alibi celebrare, si adæquate cessaret causa, qua Testator voluit in aliquo loco esse celebrandum, sicuti cessante fine adæquato legis, cessat lex. Hac ratione, cum quidam vir nobilis in suo Oratorio Rurali voluerit ex Testamento celebrari Missas tempore Verno, & Autumni, ut ibi commodo esset suæ familiæ Missam audire, censui posse anticipari has Missas, dum tali tempore Familia rure non degebat. Hic eadem ratione, dum fundatio Capellæ facta est intuitu Personarum, translatis Personis, transfertur celebratio Missarum: *Passer. q. 187. art. 4. n. 1183., Ricc. in prax. t. 4. resol. 96. num. 4.* E contra non transfertur, translatis Personis, v. g. Personis Collegii, vel Monasterii, si facta fuerit intuitu loci: *Passer. art. 4. n. 1189., Fagn. in c. extirpandæ §. Qui vero de Præben. n. 61.*

Tertio, potest alibi celebrare, si ex justa causa Episcopus alio transferat obligationem celebrandi. Ubi observandum, quod quamvis soli Summo Pontifici competat pias voluntates in alium usum convertere; nihilominus Episcopus, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, potest ex justa causa dispensare, ut Missa alibi celebretur; sicut eadem interveniente causa, potest commutare legata saltem in alios usus æquales pios. Non est autem necesse, ut impossibilitas celebrandi in loco destinato sit manifesta; nam tunc non requiritur dispensatio Episcopi pro alibi celebrando; unde sat est, si fuerit dubia: *Passer. q. 187. art. 4. n. 1180., Barb. de potest. Ep. alleg. 29. n. 8., Ricc. in prax. t. 4. resol. 104. n. 2.*

Quarto, potest Capellanus alibi celebrare, dum Ecclesia, vel Altare designatum sunt impedita, v. g. quia fuerunt polluta, diruta &c. *Passer. art. 4. n. 1173., Lugo disp. 21. n. 41.* Quod si omnino constaret Fundatorem non intendisse applicationem Missæ, sed solum celebrationem localem in aliqua Ecclesia, vel Altare ob commoditatem populi, splendorem familiæ, cultum alicujus Sancti &c., tunc dum hæc loca essent impedita, Capellanus neque teneretur alibi celebrare, quia cessaret finis adæquatus Testatoris: *Lugo disp. 21. n. 41., Barbos. alleg. 24. n. 35.* Dum autem non solum respexit ad locum, in quo est celebrandum, sed simul voluit applicationem Sacrificii, tunc impedita celebratione in loco, alibi est celebrandum, nam adhuc adimpleri potest finis primario intentus a Fundatore, qualis semper reputanda est applicatio Sacrificii. *Lugo & Barb. cit.* Semper item advertendum, ut dixi supra, nunquam præsumendam solam celebrationem localem absque applicatione Sacrificii, si id non clare probetur.

R. III. Si Capellanus non celebret in loco destinato a Fundatore, qui unice voluerit celebrationem localem, & non applicationem Sacrificii, totum stipendium tenetur restituere, in nihilo etenim adimplet voluntatem Testatoris. E contra nil tenetur restituere dum applicet, si constet voluisse tantum applicationem Sacrificii, & locum ad superabundantiam designasse. Si Fundator voluit applicationem Sacrificii, & simul celebrationem in tali loco, nihil tenetur restituere Capellanus alibi celebrando, si ex Capellania non habeat stipendium majus consueto: *Passer. q. 187. art. 4. n. 1297.* Ratio est, quia tunc censendum ratione stipendii voluisse tantum applicationem Sacrificii, & solum ex fidelitate teneri Capellanum in loco destinato celebrare, eo ipso quod acceptet Capellaniam. Quod si stipendium, quod habet Capellanus ratione Capellaniæ, sit pingue, cum tunc aliquam ejus portionem obligationi in tali loco celebrandi dicendum sit correspondere, consequens est, illi non satisfacientem teneri aliquid restituere. Et quidem si æque principaliter intendisset Fundator applicationem Sacrificii, & celebrationem in tali loco, tunc deberet dimidium stipendii restituere, maxime si stipendium sit duplex respectu stipendii ordinarii. Quia vero, ordinarie loquendo, præsumitur Testatorem principaliter voluisse applicationem Sacrificii, & de secundario celebrationem in loco determinato, crederem restitutionem debere esse minorem ea parte, quam sibi retineret Capellanus pro applicatione Sacrificii; sicut major esse deberet, quando Testator principaliter voluisset celebrationem in loco, & de secundario applicationem Sacrificii, etenim præsumitur Testatorem majus stipendium relinquere pro ea obligatione, quam principaliter intendit: *Passer. q. 187. art. 4. n. 1295.* Semper tamen crederem salvum remanere debere consuetum stipendium pro applicatione, ex dictis in decursu hujus responsionis.

Q. VII. An Capellanus teneatur ad celebrandas Missas designatas a Testatore, v. g. votivas, vel de requiem.

R. Huic quæsito jam satisfactum est capite præcedenti. Solum hic addo, quod si accipiens eleemosynam manualem, vel obtinens Capellaniam teneatur celebrare in Altari privilegiato, in quo privilegium aptatur solummodo Missis de Requiem, tales Missæ omnino dicendæ sunt; nam alias fraudaretur mens Testatoris, vel dantis eleemosynam in re gravi. Jam vero alias innui Indulgentiam Altaris privilegiati habere suum effectum, dum celebranda est Missa de Festo duplici currente.

Q. VIII. An Capellanus reducere possit Missas præscriptas a Fundatore Capellaniæ.

R. Regulariter loquendo Episcopis, & Summo Pontifici competit reducere onera Missarum. Episcopi possunt reducere Missas perpetuas ex testamento, vel alio modo relictas ante Concilium Tridentinum, non autem impositas in limine fundationis; dummodo tantus sit numerus Missarum, ut nequeat eis satisfieri, & eleemosyna ita tenuis, ut non facile reperire sit, qui velit eis satisfacere: *Trid. sess. 21. c. 4. de Reform., Barbos. de pot. Episc. alleg. 29. n. 2., Passer. q. 187. art. 4. n. 1053. & 1062.* Videtur autem Concilium velle id posse facere in Synodo Diœcesana, quamvis & extra illam ex juxta causa posse facere, quamplures doceant: *Barb. cit. n. 15., Pasqual. de Sacrif. q. 1175., Laym. de Sacrif. Miss. cap. 3.* Quod Episcopis concessum pariter est a Tridentino Generalibus Ordinum. Pontifici vero reservatur reducere Missas perpetuas ante Tridentinum in limite fundationis Capellæ impositas, & omnia onera perpetua Missarum relicta post Tridentinum. Ita clare decernit Decretum S. Congregationis jussu Urbani VIII. sub die 25. Junii 1625., & legendi sunt *Barb. & Passer. cit., Bonac. de Sacr. d. 4. q. ult. p. 7. §. 2. n. 12.*

Nihilominus primo certom est Capellanum non teneri ad celebrandas Missas, si absque ipsius culpa in totum perierit fundus, ex cujus fructibus ipse Capellanus sustentabatur; nam fundationi oneris Missarum intime ioest hæc conditio, nt tamdiu duret obligatio, quamdiu durat ipsius fundamentum, quod est sustentatio Ministri Celebrantis. Si vero fructus periere culpa seu Rectoris, seu Capellani, sibi imputare debent. si teneantur sine stipendio celebrare: *Pasqaal. de Sacrif. q.* 1074. *n.* 1.2., *Passer. qu.* 187. *art.* 4. *num.* 1037., *Tamb. l.* 3. *c.* 1. *§.* 2. Ubi obiter advertas culpam Antecessoris nocere non debere Successoribus, vel Ecclesiæ; onde non tenentur celebrare Missas, si aliorum culpa fructus pro eis relicti periere: *Passer.* n. 1043. Secundo, non pauci concedunt posse Capellanum reducere onera Missarum, si indubitata sit causa reductionis, quia ex. gr. ex diminutione fructuum non remanet consuetum stipendium. Ad Decreta verò S. Congregationis, quibus dicitur pro reducendis Missis, etiam quando legatum est tenue, recurrendum esse ad Sedem Apostolicam, respondent, quod ubi non amplius adest consuetum stipendium, non intervenit proprie reductio, quam Sedes Apostolica sibi reservat; sed de jure cessare obligationem in totum, aot pro parte, ut perpendit *Pasqual. q.* 1076. *n.* 4. Item hanc reductionem interpretative fieri ab ipso Testatore; nam si ejus mens judicanda est rationabilis, dicendum est voluisse stipendium esse justum, nec voloisse Capellanum gratis celebrare; alias reputandum esset iniquam fuisse ejus mentem, nam stipendium Capellano debetur ex justitia, utpote correspondens salario debito pro sua sustentatione. Hinc dicunt, quod si mens Testatoris recipit justam interpretationem a Charitate: *l. cam alimenta ff. de alim. legat.*, *Mant. l.* 6. *de conject. ult. vol. tit.* 11. *n.* 5., multo magis eam recipere debet a Justitia. *Bord. de legat. cap.* 15. *a num.* 78., *Æmostaz. de Caus. piis l.* 2. *c.* 12. *a num.* 41., *Azor. p.* 2. *l.* 6. *c.* 24. *q.* 6. Contrariam opioionem videre est apud *Fagnanum in cap. ex parte nam.* 29, & *Passerin. q.* 187. *art.* 4. *num.* 1045.

Q. IX. An acceptari possint onera Missarum, & quomodo implicanda pecunia pro satisfaciendo eisdem oneribus.

R.I. Sicut Regulares non possunt acceptare onera perpetua Missarum sine licentia Provincialis, sub pœna ipso facto incurrenda privationis Officiorum, inhabilitis in posterum ad illa, vocisque activæ, & passivæ, ita Rectores Ecclesiarum non possunt acceptare onera perpetua Missarum sine licentia Ordinarii in scriptis concedenda, sub pœna interdicti ipso facto ab ingressu Ecclesiæ, quod tamen interdictum nulli est reservatum. Si tamen acceptaverint sine licentia, vel eam in scriptis non obtinuerint, acceptatio erit valida, quia in prohibitione nullum est decretum irritans acceptationem: *Passer. q.* 187. *art.* 4. *n.* 1227., & *n.* 1230.

R.II. Rectores Ecclesiarum, qui recipiunt pecuniam, vel mobile quid pro Missa perpetua, statim deponere debent apod Ædem Sacram, nimirum in loco sacro Monasterii, vel Ecclesiæ, ubi solent custodiri hujusmodi bona, vel apud personam idoneam. Illud autem, ordinarie loquendo, dicitur statim fieri, quod fit intra triduum; *l. fia. c. de err. Advoc.*, *leg. fin. Cod. de Judiciis*. Item sub eadem pœna, data opportunitate, investire debent eamdem pecuniam, vel mobile in aliquo bono immobili, ac fructifero. Porro bona immobilia fructifera non solum sunt prædia, molendina &c. sed etiam census, qui ex tali pecunia emerentur. Immo dici potest verificari investitam fuisse pecuniam in re immobili fructifera, si extinguatur census, qoo gravatur Ecclesia, quæ recipere debet onus Missarum; nam extinguendo censum, quem habet super sua bona, acquirit pro se illum annuum perpetuom redditum ad satisfaciendum oneri Missarum. *Tamb. l.* 3. *de Sacrif. Miss. c.* 1. *§.* 6. *n.* 5. *&c.* Item sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ præcipitur, ut in investitura pecuniæ in bona stabilia fiat mentio oneris injuncti celebrationis Missarum. Denique si contingat aliqua ratione pecuniam restitui, iterum sub eadem pœna eodem modo est investienda cum mentione ejusdem oneris. Hæc omnia constant ex sæpe memorato Decreto S. Congregationis, jussu, & authoritate Urbani VIII. edito.

Quosi si petas, quando incipiat obligatio celebrandi Missas; an scilicet a die acceptati legati, vel a die investituræ pecuniæ in bona fructifera, bene responderi potest incipere a die investituræ, quia cum tunc solum incipiat sustentamentum Ministri, non antea incipere debet obligatio celebrandi, cum hæc obligatio correlativa videatur ad Ministri sustentationem: *Passer. art.* 4. *q.* 187. *nam.* 1244. Si vero Rector vel Capellanus negligens fuerit in investienda pecunia, tunc ipse tenetur celebrare; neque etenim ipsius culpa debet nocere Fundatori: *Passer. n.* 1243.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cum vacatio a celebrando una vice in singulis hebdomadibus fundamentum in jure habeat, ideo non facile putet Confessarius in conscientia tutos illos Sacerdotes, qui talem vacationem usurpant in casibus a jure non comprehensis. Ultra causam infirmitatis. addit jus *in cap. significatum de Præbend.* posse omitti Sacrificium ob salvandam ipsius honestatem, & debitam devotionem, quod intelligi debet, vel quia celebrando committeretur peccatum; vel quia est in celebrante aliqua specialis indevotio, & evagatio mentis; vel quia ex continua celebratione reverentia erga Sacrificium valde minueretur. Nil aliud certe credo ex jure haberi posse, nisi impropriis interpretationibus explicetur. Improbanda proinde omnino mihi videtur illorum Capellanorum praxis, qui tanquam regulam sibi proponunt, posse etiam ad libitum vacare a celebratione semel in hebdomada, quamvis eamdem devotionem, seu indevotionem habeant, vel quotidie celebrent, vel aliquando intermittant: *Pass. qa.* 187. *art.* 4. *num.* 1113., *Fagn. in c. significatum n.* 8., *Bonac. de Sacr. d.* 4. *q. ult. p.* 7. *§.* 2. *n.* 17., *Lezan V. Missa* a. 42. Fortasse etiam ita se gerunt illi Capellani, qui non habent obligationem tantum per se ipsos celebrandi, quibus certe non assistit voluntas præsumpta Testatoris. Admoneat ergo illos Confessarius de suo errore, tam Testatoribus pernicioso, & antequam aliquam vacationem concedat Capellanis, bena perspiciat, an Capellanus teneatur per seipsum tantum celebrare, quod raro accidit; nam neque hoc colligitur sufficienter eo quod voluerit Testator eligendum Capellanum, qui & Missam celebret, ut dixi capite superiori *q.* 2. *in fia.*; & jam dixeram *tr.* 5. *q.* 1. *c* 2. *q.* 9. *resp* 4. Dum ergo clare non constet Missas præscriptas a Fundatore esse a solo Capellano celebrandas, cum possit eas etiam per alium celebrare, cessat ratio vacationis, ut dictum est.

II. Videat etiam Confessarius, ne Capellani nimis sibi indulgeant, dum Missas tempore infirmitatis ommissas non supplent. Quamvis, si tenues sint redditus Capellaniæ, indulgentior esse possit Confessarius, & concedere Capellano juxta benigniorem sententiam, ut non teneatur supplere Missas etiam per mensem, & forte amplius ommissas, maxime dum Capellanus est pauper; nihilominus dum redditus Capellaniæ essent pingues, nimis laxam putarem opinionem, qua concederetur non supplendas Missas saltem ultra quindecim dies ommissas. Et quidem cum in hac materia non sit melior regula ratiocinandi, quam recurrere ad rationabilem præsumptam mentem Testatoris, rationabiliter præsumi non potest, ut dum pingues Capellano redditus assignavit, longiorem, quam per quindecim dies, permissurus esset vacationem.

III. Non facilis sit Confessarius in admittenda ea opinione, qua conceditur Capellano ex propria authoritate reducere Missas, quando fructus Capellaniæ ita diminuti sunt, ut saltem non pertingant ad consuetum stipendium. Non nego hujus opinionis probabilitatem; ac quia generaliter eam admittendo, facile intervenire possent errores, & fraudes, vel ex ignorantia, vel ex desiderio majoris lucri, hinc bene sanciri potuit, ut pro quacumque Missarum diminutione Sedes Apostolica consulatur. Saltem semper suadere debet Capellano, ut statum Capellaniæ Ordinario, vel docto, & pio viro exhibeat, ne Capellanus in suæ, ac animæ Testatoris præjudicium decipiatur.

TRACTATUS XIX.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

PŒnitentiæ nomen vitiosum etiam dolorem valet exprimere; atque ita videmus quandoque homines bonorum operum pœnitere, elargitæ ex. gr. eleemosynæ, voti emissi &c. Denotare item potest quamdam commoti, & perturbati animi affectionem, qua alicui vere displiceat malum perpetrasse, quæ displicentia tamen non sit in ordine ad Deum, sed solum in ordine ad ipsum, quem patrati sceleris pœnitet. Ita voluit Antiochus divina admonitus plaga; ita Judas de Christi Domini proditione; ita & delebunt Impii in supremo Judicio, ut dicitur *Sap.* 5. dum videntes gloriam Justorum, quos habuerunt in derisum, se condemnandos conspicient. Demum Pœnitentia significat internum animi dolorem, vel etiam externo signo manifestatum, quo peccatorem, habito respectu ad Deum, vel infinite bonum, vel etiam ut peccatorum Vindicem, suorum scelerum pœnitet. Hac Pœnitentia, quæ tum ad Virtutem, tum ad Sacramentum pertinet, voluit *Deus benignus, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia*; ut *Joel.* 2. dicitur, lapsos post Baptismum posse sibi de remedio providere. Faxit interim Deus, ut de omnibus, qui suis peccatis hoc remedio providere volunt, verificentur quæ habet Apostolus 2. ad Cor. 7.: *Qua secundum Deum tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur*.

QUÆSTIO I.

De Pœnitentia, & ut Virtus est, & ut Sacramentum.

CAPUT I.

De Pœnitentia, quatenus Virtus est.

Q. I. QUid sit Virtus Pœnitentiæ.

R. Virtus Pœnitentiæ ex *S. Th. q.* 85. *art.* 1. *ad* 3. *& art.* 3. ita definiri potest: *Virtus Pœnitentiæ peccati, ut est offensa Dei, cum proposito emendationis, & satisfaciendi Deo pro injuria ipsi illata.* Dicitur *detestatio*, nempe displicentia, & odium, quem enim pœnitet mali patrati, cum velit ab eo recedere, erga illud concipit displicentiam, & odium. Ex displicentia vero, & odio consurgit *dolor*; sicut etenim ex amore boni præsentis oritur gaudium, ita ex displicentia reatus peccati adhuc præsentis in anima consurgit dolor. Dicitur *internus*, cum etenim peccatum a voluntate committatur, hinc est ipsius displicentiam, & dolorem præcipue in interna animi commotione consistere debere. Per hoc autem distinguitur Pœnitentia ut Virtus est, a Pœnitentia ut est Sacramentum; quia ratione virtutis Pœnitentiæ sat est si sit internus, prout vero requiritur ad Sacramentum, oportet aliquo modo esse sensibilem. Dicitur *dolor peccati, ut est offensa Dei*: nam dolere de peccato, prout e. g. bonis moribus adversatur, pertinet ad generalem inclinationem, quam habemus ad moralem honestatem, sicut dolere de ipso ut oppositum humilitati, pertinet ad hanc virtutem; ejusdem etenim virtutis est prosequi bonum, & fugere malum ipsi oppositum. Remanet ergo ad virtutem Pœnitentiæ pertinere de peccatis dolere, quatenus sunt *offensa Dei*. At quia etiam Charitas detestatur peccatum, quatenus est offensa Dei summe boni, additur in definitione *cum proposito emendationis, & satisfaciendi Deo pro injuria ipsi illata*; proprium est etenim solius Pœnitentiæ detestari peccatum animo etiam injuriam compensandi. Hac ratione S. Th *art.* 3. *cit.* reducit Pœnitentiam ad Justitiam commutativam, qualis tamen esse potest inter Deum, & hominem. Sicut igitur Justitia commutativa vult, quod lædens jus alterius, læsionem irrogatam compenset; ita Pœnitentia vult injuriam Deo per peccatum irrogatam a Peccatore detestatione, dolore &c. compensari. Non per hoc tamen intercedit inter Deum, & hominem rigorosa justitia commutativa; tum quia ipsa detestatio, dolor &c. quibus fit hæc compensatio, est donum ipsius Dei; tum quia ipsa conversio, aliaque omnia bona opera debentur Deo pluribus titulis, Creationis v. gr. Redemptionis; &c., tum quia pura creatura non potest satisfacere ad æqualitatem pro gravi injuria Deo irrogata.

Q. II. Quales sint actus virtutis Pœnitentiæ.

R. Primum Pœnitentiæ principium est Dei Misericordia præveniens, & convertens ad se peccatorem. Accedit deinde actus Fidei, quo inter alia credimus a Deo impium justificari per gratiam nobis ex meritis Christi Domini collatam. Oritur tertio actus timoris servilis, quo ex timore suppliciorum a peccatis revocamur. Consurgit quarto motus Spei, quo quis sperando veniam consequuturum, assumit propositum emendationis, & retractandi peccata. Quinto, datur motus Charitatis, quo peccatori displicet peccatum propter seipsum, & quatenus est offensa Dei summe boni. Alter gradus est motus timoris filialis, quo pœnitens propter Dei reverentiam sponte offert satisfactionem, & constituit vice Divinæ Justitiæ peccatum in se ipso punire: *Tridènt. sess.* 6. *cap.* 6. *D. Thom.* 3. *p. q.* 85. *art.* 5. Non semper tamen est necesse omnes hos actus explicite fieri, sed satis est virtualiter esse in Pœnitente, ex dictis *tr.* 6. *q.* 1. *c.* 3. *quæs.* 4.

Proprie tamen Virtuti Pœnitentiæ duo actus assignandi sunt, unus perfectus, alter imperfectus. Perfectus dicitur Contritio, qua pœnitens dolet de peccato, quatenus repugnat Deo summe dilecto. Verum tamen est eamdem contritionem, qua dolet de peccato ut est contrarium Deo summe bono, cum oriatur ex motivo Charitatis, ab hac virtute derivare; & hic actus est prior; alter vero actus eo posterior, quo pœnitens vult abolere peccatum, & satisfacere Deo offenso, procedit a Pœnitentia. Sed quia non plene satisfit Deo, nisi ultra reatum culpæ æternæ, si culpa fuit mortalis, removeatur etiam reatus pœnæ temporalis, hinc est Virtutem Pœnitentiæ intendere etiam hunc reatum abolere, satisfaciendo Deo per opera bona pœnalia: *D. Th. cit. ar.* 1. *ad* 3. *& q.* 86. *art.* 4. Præterea hic actus contritionis semper includit propositum in posterum non peccandi; neque enim stat alicui vere displicere Deum offendisse, si simul voluntatem non habeat in posterum ab ipsius offensis cessandi. Demum quia actus contritionis Dei dilectionem includit, ideo in omni lege sufficiens fuit ad obtinendam remissionem peccatorum, & ad consequendam Dei gratiam, & jus ad Gloriam Cœlestem propter merita Christi Domini: *Trid. sess.* 6. *c.* 6. Actus imperfectus Pœnitentiæ dicitur Attritio, & est dolor, qui oritur ex gehennæ timore. Vide quæ dixi *tr.* 6. *q.* 2. *c.* 2. ubi quando bonus sit, & supernaturalis, & quando malus sit, explicavi.

Q. III. An Pœnitentia cadat sub præcepto; & quando obliget.

R. 1. Obligatio pœnitendi primo oritur ex jure naturali; si etenim ratio naturalis dictat satisfaciendum esse pro quacumque injuria homini illata, multo magis dictabit compensandam injuriam Deo irrogatam per peccatum.

catum. Præterea eadem ratio dictat removendum quod excludit nos a Dei amicitia, quod expellit omne nostrum verum bonum, & ponit nos in periculo damnationis, adeoque & dictat abolendum peccatum per pœnitentiam. Quod vero Pœnitentia cadat sub divino præcepto constat ex multis S. Scripturæ testibus; unde Tertullianus *l. de Pœnit. c. 4.* ait: *Bonum est pœnitere, an non? Quid resolvis? Deus præcipit.*

R. II. Circa tempus, quo obligat Virtus Pœnitentiæ, variæ fuerunt Theologorum opiniones. Quidam dixerunt obligare quando peccata occurrunt memoriæ: *S. Th. in 4. d. 17. q. 3. a. 1. q. 4. S. Anton. 3. p. tit. 14. c. 18. §. 2.* Item statim post commissum peccatum urgere præceptum pœnitendi, docet S. Thomas *2. 2. q. 62. art. 8.* Hæ opiniones magis communiter impugnantur a Theologis, eo nixi fundamento quod cum præceptum pœnitendi sit affirmativum, nonnisi pro temporis opportunitate, ac necessitate videtur obligare. Ut autem, quid ego sentiam melius explicem, duo primum duxi esse consideranda. Primum est, præceptum pœnitendi non esse solum affirmativum, sed exprimere etiam aliquid negativi, nempe non perseverandum in statu inimicitiæ Dei, juxta illud Eccl. 5. *Ne tardis converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Secundum est, quod natura hujus præcepti taliter se habet, ut ex nimia dilatione illud adimplendi, semper gravem malum consequatur. Si etenim consideretur dilatio pœnitentiæ respectu Dei, est quidam contemptus interpretativus ipsius Dei, maxime dum interno instinctu excitat ad pœnitentiam, unde *Proverb. 1.* ait: *Quia vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexistis omne concilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo.* Si vero consideretur diuturna dilatio pœnitentiæ ex parte peccatoris, non est sine gravi peccato contra Charitatem erga seipsum, privando se tot spiritualibus bonis, quorum est incapax in statu peccati; & ponendo se in gravi periculo prolabendi in miserrimum illum statum qui dicitur *Cordis durities*, juxta illud Apostoli ad Roman. 8. *gnoras, quoniam benignitas Dei ad Pœnitentiam te adducit? Secundam autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Demum persistendo in peccato est in gravi periculo nova peccata committendi; nam homo sine gratia sanctificante non potest diu se a gravi culpa præservare, ut habetur ex Concilio Milevitano can. 3. & jam alias observavi.

Cum igitur præceptum pœnitendi non sit simpliciter affirmativum, sed etiam habeat aliquid de negativo, si præcepta affirmativa Virtutum Theologicarum juxta veriorem opinionem per se obligant plures in anno, nec patiuntur diu differre actus illarum virtutum, multo magis præceptum pœnitendi obligabit, ne diu Pœnitentia differatur. Deinde cum hoc præceptum obliget etiam ne privemus nos tot spiritualibus bonis, & ne in periculum iterum peccandi, sive damnationis incurramus, consequens est non esse ad multos dies differendum; nam grave videtur velle per multos dies carere tot spiritualibus bonis, quæ in statu gratiæ acquiruntur. Ulterius compertum est etiam experientia quod perseverare per aliquos dies in gravi peccato, iterum trahit ad alia crimina, quod periculum constat unumquemque a se removere debere. Quod si ex prædictis præceptum pœnitendi obligat ad non differendam per multos dies pœnitentiam, multo magis obligabit in articulo mortis, & in quovis gravi ipsius periculo; nam tunc multo magis constat de periculo damnationis.

Sæpius etiam obligare potest *per accidens*, tunc scilicet quando sine actibus Pœnitentiæ satisfieri non posset alteri præcepto, cujus observantia urgeret. Hinc obligat præceptum pœnitendi, quando recipienda sunt Sacramenta vivorum; quando administranda sunt ex officio; quando urget præceptum Confessionis; quando urgente aliqua tentatione veretur quis non posse resistere sine aliquo actu detestationis. Ita etiam obligat *per accidens* preceptum pœnitentiæ, quando quis timeret ob sua gravissima scelera publicam calamitatem imminere; & id maxime verificatur de sceleribus Principum; & ita *Jos. 7.* habemus ob peccatum Acham universum populum fuisse flagellatum; & *2. Reg. 24.* ob peccatum David.

Q. IV. An satisfiat præcepto pœnitendi in puncto mortis eliciendo actum imperfectum pœnitentiæ.

R. Certum est quod si Moribundus non potest confiteri sua peccata, tenetur elicere actum perfectum pœnitentiæ, nempe Contritionis; tunc etenim per eam solam potest justificari, si sit in statu peccati. Supposito vero posse confiteri, & omnino tutam esse eam sententiam, qua dicitur attritionem cum Confessione sufficientissimam esse ad justificationem, non video quare tunc ad satisfaciendum præcepto pœnitendi sit necessaria contritio.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Confessarius vero ardens animarum zelo præ oculis habeat miserrimum peccatorum statum, dum differunt pœnitere. Ultra jacturam tot spiritualium bonorum qua ratione graviter peccare possunt contra Charitatem erga seipsos, continuo in nova peccata ruunt; & aliquando in talem cordis duritiem prolabuntur, ut si vel Dei bonitas, vel Deus peccati severissimus vindex, vel supplicia æterna ipsis proponantur, tanquam insensisti auscultant, & nullum peccati horrorem, doloremque demonstrant. Ostendat ergo ipsam diuturnam pœnitendi dilationem esse novum grave peccatum contra præceptum pœnitentiæ. Ac tandem serio moneat illos, qui fidunt vere in puncto mortis posse pœnitere, quod etiamsi nullo morbi incommodo mens occuparetur, raro illa pœnitentia est vera; nam, ut ait S. Augustinus serm. 393. *Si vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.*

II. Quamvis credam præceptum pœnitentiæ non obligare moribundum ad actum contritionis, quando potest confiteri, nihilominus notet Confessarius ex vi præcepti Charitatis teneri ad eliciendum actum amoris Dei; male proinde aget, si ea occasione etiam ex motivo amoris Dei summe dilecti non illum excitet ad dolendum de suis peccatis, ex hac etenim perfectiori pœnitentis dispositione fructuosus redditur Sacramentum.

CAPUT II.

De Pœnitentia ut est Sacramentum, ejusque necessitate, & effectibus.

Q. I. Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ.

R. Supposito ex definitionibus Concilii Constantiensis *sess. 15.* Florentini *in Decret. Eugenii*, & Tridentini *sess. 15. cap. 1.* Pœnitentiam esse unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis, censeo ita posse definiri: *Sacramentum Novæ Legis a Christo Domino institutum, in quo Sacerdotalem absolutionem peccata post Baptismum commissa, remittuntur digne illud recipientibus.* Cum igitur ad rationem Sacramenti requiratur signum, seu cæremonia sensibilis gratiæ per ipsum collatæ, videbimus id sufficienter haberi, statim explicando partes hujus Sacramenti, quod & exprimit ipsa actio Sacerdotalis absolutionis; nam per eam consequi remissionem peccatorum, sive gratiam, clare demonstravit Christus Dominus, dum illud instituendo *Joan. 20.* ait Apostolis: *Accipite Spir. S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.* Dicitur autem per hoc Sacramentum remitti peccata post Baptismum commissa, qua de re q. sequenti.

Q. II. Quæ sit Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

R. I. Duplex materia distinguitur in hoc Sacramento. Prima, quæ dicitur remota, sunt peccata commissa post Baptismum. Eatenus autem peccata dicuntur materia remota Pœnitentiæ, quatenus per eam destruuntur; sicut lignum dicitur materia ignis, quia per illum consumitur, ait Catechismus *p. 2. c. 5.* Dixi autem hujusmodi materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse peccata post Baptismum commissa; nam cum Ecclesia non exerceat jurisdictionem in eos, qui non sunt in ipsam ingressi per januam Baptismi, ut ait *Trident. sess. 14. cap. 2.* sequitur Sacerdotem non judicare in hoc Sacramento de peccatis ante Baptismum commissis. Si vero accidat aliquem cum fictione suscipere Sacramentum Baptismi, adeoque illi non remitti peccata ante ipsum perpetrata, advertere est, quod dum postea vere dolet de suis peccatis, eaque confiteatur, non solum acquirit Gratiam correspondentem Sacramento Pœnitentiæ, sed etiam eam, quæ Baptismo correspondet ratione Characteris, atque ita delentur peccata ante ipsum commissa.

Hujusmodi materia alia est necessaria, alia sufficiens. Peccata mortalia dicuntur materia necessaria, quia necesse est ea confiteri, si possibile sit; & ideo hoc Sacramentum

mentum dicitur a SS. PP. secunda tabula respectu illorum, qui post Baptismum graviter peccando fecerunt naufragium. Item peccata mortalia dubia sunt materia necessaria hujus Sacramenti; ut suo loco dicetur. Peccata mortalia, quæ quis semel confessus fuit, & peccata venialia dicuntur materia sufficiens, quia potest cadere super illa absolutio, at non sunt materia necessaria, quia peccata gravia non est necesse bis confiteri: & peccata venialia aliis modis possunt deleri.

R. II. Ea quæ tamquam materia proxima constituunt Sacramentum Pœnitentiæ, sunt Contritio, Confessio, & satisfactio. Ita Concil. Flor. *in Decreto Eug. §. Quartum Sacramentum*, & Trident. *sess. 14. cap. 5. & can. 4.* Cum ergo absolutio proferatur a Sacerdote per modum sententiæ judicialis, ut definit Trident. *sess. 14. cap. 5. & can. 9.* essentialiter requirit accusationem Rei, quæ in secreto Pœnitentiæ foro alia esse haud potest nisi ipsius Rei confessio, & cum hæc accusatio ad delenda peccata ordinetur, essentialiter importat ipsorum dolorem, neque etenim remittit Deus peccata, quæ non fuerint dolore retractata. Sed quia etiam post deletum reatum culpæ mediante absolutione rite suscepta, remanet reatus pœnæ, ideo ad plene satisfaciendum pro peccatis, requiritur etiam satisfactio a Sacerdote judicialiter imposita.

Duo autem sunt advertenda. Primum est, quod dum dicitur contritionem esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, non sumitur præcise prout in sola voluntate consistit, nam eo quod sit pars Sacramenti, debet esse aliquo modo sensibilis, unde simul importat votum Pœnitentiæ exterioris, confessionis scilicet Sacramentalis qua ratione redditur sensibilis: *D. Thom. in 4. dist. 22. qu. 2. ad 3. a. 1. & 3. p. qu. 90. art. 2. ad 1.* Secundum est, quod satisfactio prout in executione non est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, non habet etenim hoc pacto conferre gratiam, quam supponit Pœnitentem assequutum mediante absolutione; unde hoc modo solummodo est pars integralis, & perficiens Sacramentum, ut paulo ante dictum est. Solum ergo dici posset pars essentialis Sacramenti *prout est in proposito*, ut dicit S. Thom. *loc. cit. in resp. ad 2.* & dicitur esse in proposito, nam in ipso dolore aliqua satisfactio intenditur, & invenitur.

Q. III. Quæ sit forma Sacramenti Pœnitentiæ.

R. I. Cum Sacramenta constent verbis, tamquam forma; ut habet Florentinum *in Decr. Eugenii*, & Trident. *sess. 14. cap. 3.* dicendum est cum iis Conciliis Formam Sacramenti Pœnitentiæ consistere in illis verbi: *Ego te absolvo a peccatis tuis.* Pronomen *ego* non pertinet ad illius essentiam, nam satis intelligitur per ly *absolvo*. Speculative loquendo etiam illa verba *a peccatis tuis*, non videntur necessaria ad illius essentiam, eo etenim ipso quod pœnitens antea confessus fuerit peccata, ea verba *absolvo te*, nonnisi super peccata cadere intelliguntur. Ad eum modum, quo, si alicui petenti remissionem illatæ injuriæ, offensus respondeat: *tibi parco*, hæc verba de injuriæ remissione statim intelliguntur. Nihilominus, quia graves Theologi putant ea verba *a peccatis tuis* esse de essentia formæ, ideo non possunt sine gravi culpa omitti, vel, quia Sacramentum periculo frustrationis exponeretur, qua ratione in Sacramentis conferendis omitti non potest, quod magis tutum est, si opinio opposita sit solum probabilis; vel quia ea verba saltem pertinent ad formæ integritatem. Hinc non puto illis adhærendum, qui dicunt talem omissionem solum esse peccatum veniale: *Bonac. disp. 5. sect. 4. p. 2. Leand. de Pœnitent. d. 2. q. 8.* Ea vero verba *absolvo te*, non pronuncianda sunt deprecative, dicendo e. g. *absolvat te Christus*, sed modo indicativo & enunciativo, uti se habent. Id probat S. Thomas *opusc. 22. cap. 2.* observando, quod dum Christus dixit Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus: *Quæcumque solveritis &c.* nullam fecit mentionem alicujus deprecationis, sed designavit pronunciandum esse ab illis solvi commissa peccata, cum ideo dederit illis claves solvendi; ille vero non dicitur solvere, qui petit tantum aliquid solvendum, sed solum ille, qui de facto solvit. Secus, ait, dicendum de absolutione ab excommunicatione; nam cum eam non designaverit Christus, & insuper verba ab excommunicatione absolventis efficaciam habeant ab ejusdem intentione, parum refert, an modo deprecativo, vel indicativo absolvens demonstret intentionem, quam habet absolvendi. Verum, cum formam absolutionis designaverit Christus, adhibenda sunt verba consonantia divinæ institutioni; at illis verbis *quæcumque solveritis*, hæc respondent *absolvo te*.

Cætera, quæ antecedunt formam absolutionis, ut *Misereatur tui &c. Indulgentiam, absolutionem &c.* & quæ subsequuntur, ut *Passio Domini nostri &c.* utique non pertinent ad formam Sacramenti Pœnitentiæ. Cæterum non sine peccato omitteretur absolutio a Censuris ante absolutionem a peccatis, quamvis etenim illis solis verbis *absolvo te*, possit prius Sacerdos intendere absolvere a Censuris, & deinde a peccatis, quia potest ex sua intentione, & ad Censuras, & ad peccata absolvenda dirigere: *Bonac. de Pœnit. q. 4. p. 1. a n. 10.* nihilominus non sine aliqua culpa extra gravem necessitatem ex proprio arbitrio variaretur Ecclesiæ praxis in absolvendo. Hinc Rituale Romanum, dum concepit in Confessionibus frequentioribus posse præfata omitti, vult saltem suscipiendum esse ab illis verbis: *Dominus noster Jesus Christus &c.* usque ad illa: *Passio Domini nostri Jesu Christi &c.*

Dum Theologi agunt de forma Sacramenti Pœnitentiæ, solent inquirere, an liceat eam variare; an sub conditione impertiri &c. Sed de his omnibus sat est videre, quæ dixi *Tr. 16. q. unic. c. 3. quæst. 8.*

Q. IV. Quomodo verificentur verba absolutionis, dum cadunt super peccata, quæ alias quis confessus fuit, & obtinuit absolutionem; vel si proferantur super indispositum.

R. I. Certum est verba absolutionis virtutem habere remittendi peccata; Sacramenta etenim Novæ Legis, non solum significant, sed etiam faciunt quod significant ait S. Thom. in præsenti materia *3. p. qu. 84. art. 3. ad 5.* Quapropter Tridentinum *sess. 14. can. 9.* anathema dicit asserenti, verba absolutionis esse *nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti*. Nihilominus, dum absolutio cadit supra peccata jam remissa, cum tunc non habeat virtutem remittendi, quod jam remissum est, videtur esse mera declaratio remissionis jam obtentæ peccatorum.

Nihilominus hæc non urgent, quin proprie dici possit verificari sensum absolutionis. Unde nota, quod licet actio physica, & externa solvendi exerceri non possit circa eum, qui jam est solutus, actio tamen moralis vere condonandi injuriam, proprie iterum exerceri potest circa eum, cui jam remissa est. Hinc si offensor, cui jam injuriam condonavi, dolens petat novam condonationem, verificatur proprie posse a me obtinere novam remissionem. En ergo quomodo verificetur sensus formæ absolutionis, si proferatur, vel super peccata, jam per aliam absolutionem remissa, vel super peccata, quorum absolutionem obtinuit pœnitens per perfectam contritionem.

R. II. Dum Confessarius profert verba absolutionis supra indispositum, adhuc non amittunt veram significationem. Ratio est, quia ea verba *absolvo te*, juxta D. Thom. *3. p. qu. 84. art. 3. ad 5.* reddunt hunc sensum: *impendo tibi Sacramentum absolutionis*. Hoc autem verificatur etiam respectu indispositi; nam de facto Sacerdos ex parte sua impendit illi Sacramentum absolutionis, quamvis pœnitens, ex sua indispositione, illius impediat effectus.

Q. V. Quomodo sit necessarium Sacramentum Pœnitentiæ.

R. Sacramentum Pœnitentiæ vel in re, vel saltem in voto necessarium est necessitate medii lapsis post Baptismum. Ratio est, quia certum est, lapsos post Baptismum nullatenus salvari posse, nisi fecerint pœnitentiam; unde dicitur Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*: compertum autem est, pœnitentiam faciendam post Baptismum fieri debere mediante Sacramento pœnitentiæ; nam Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus collata fuit *Jo. 20.* potestas remittendi peccata, simulque retinendi; adeoque intelligi debebant remissa solummodo eis, quibus dedissent absolutionem, non remissa vero, quibus absolutionem non dedissent. Hujusmodi sensum confirmat perpetua traditio Ecclesiæ, ut observat etiam Tridentinum *sess. 14. c. 5.* Videatur etiam S. Thom. *in 4. d. 17. q. 3. ar. 1. & in Suppl. q. 6. art. 1.* Cæterum sicuti ad salutem sufficit votum Baptismi, dum aliquis non haberet a quo baptizaretur, ita, deficiente Confessario, sufficit votum hujus Sacramenti, quod semper includitur in perfecta Contritione, per hoc, quod contineat voluntatem in omnibus Deo obediendi.

Q. VI. Quot sint effectus Sacramenti Pœnitentiæ.

R. Cum institutum fuerit hoc Sacramentum ad reconciliandum cum Deo hominem lapsum post Baptismum

ſmum, conſequens eſt virtute illius infundi Gratiam Sanctificantem, qua renatus culpæ mortalis deleatur, ſimulque reatus pœnæ æternæ. Reatus vero pœnæ temporalis plus minusve dimittitur vi Clavium ſecundum quod pœnitens ſe ad Gratiam diſponit; *& poteſt eſſe tanta diſpoſitio, quod ex vi contritionis tota pœna tollatur*, ait *S. Th. in 4. d. 18. qu. 1. art. 3. qu. 2. ad 4.* Certum autem ex Tridentino *ſeſſ. 14. de pœnit. c. 2.* omnimodam hanc remiſſionem pœnæ, quæ habetur per Baptiſmum, non obtineri per Sacramentum Pœnitentiæ *ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus*. Præterea, mediante Sacramento Pœnitentiæ, reviviſcunt merita bonorum operum, quæ facta fuerunt in ſtatu gratiæ, & per peccatum fuerunt mortificata; cum etenim Deus *Ezech.* 18. de vero pœnitente dixerit: *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor*, conſequens eſt illi etiam reſtituere prædictum meritum, alias dici poſſet iniquitatem ejus adhuc recordari. Quamvis autem magis communiter dicatur reviviſcere præfata merita in eodem gradu, quo fuerant ante lapſum; nihilominus *S. Th. 3. p. qu. 89. ad 2.* ſentire videtur reſurgere juxta intentionem pœnitentiæ, adeoque pœnitentem reſurgere poſſe & cum minori, & cum majori gratia, quam antea habuerit. S. Thomæ conſentit S. Bonaventura *in 4. d. 14. p. 2. art. 2. q. 3.* Item ratione Sacramenti Pœnitentiæ conferuntur auxilia, quibus a peccatis præſervamur; neque etenim inſtitutum tantum eſt pró liberando homine a peccato, ſed etiam ut ab eo præſervetur. Demum, ut innuit Tridentinum *ſeſſ. 24. de pœnit. cap. 3.* veri pœnitentes ratione hujus Sacramenti conſequi ſolent conſcientiæ pacem, & ſerenitatem cum vehementi ſpiritus conſolatione.

Difficultas in præſenti eſt in explicando, quomodo per hoc Sacramentum deleantur peccata venialia, neque enim habent talem oppoſitionem cum gratia ſanctificante, ut non poſſint ſimul cum ea perſeverare. Et quidem virtute hujus Sacramenti deleri etiam peccata venialia nullum dubium eſt; nam Chriſtus Dominus dedit Apoſtolis poteſtatem quodcumque ſolvendi ſuper terram. Dicendum proinde eſt, quod licet Gratia Sanctificans de ſe ſtare ſimul poſſit cum peccatis venialibus; nihilominus quatenus virtute hujus Sacramenti producitur intuitu doloris, quem quis habuit etiam de peccatis venialibus, ſpecialem cum illis induat oppoſitionem; cum etenim tunc induat rationem gratiæ reconciliationis ab ipſis, oportet cum illis habere formalem repugnantiam.

Regulæ in praxi obſervandæ.

Cum ſola peccata vel gravia, vel levia ſint materia Sacramenti Pœnitentiæ, conſequens eſt imperfectiones non eſſe illius materiam; nam cum ſolum opponantur conſiliis, de ſui natura non habent rationem peccati. Nihilominus in praxi non ſunt removendæ perſonæ pietati addictæ ab iis accuſandis in Confeſſione, quamvis monendæ ſint, ne quoad hæc ſcrupuloſiores ſint, & inquietæ. Ideo autem dixi, bene poſſe de iis ſe accuſare, quia valde difficile eſt dari imperfectiones, quæ ex aliquo capite annexum non habeant peccatum veniale. Demus e. g. aliquem ſe accuſare non obſequutum divinæ inſpirationi, valde remiſſe actus virtutum eliciuiſſe &c. his imperfectionibus facile conjunctum erit peccatum veniale vel ratione ingratitudinis ad Divina beneficia, vel quia exercendo actus præter, aut contra Inſpirationes, non adhibitus eſt finis honeſtus; vel remiſſio actus boni orta eſt ex aliqua culpabili pigritia, ſeu negligentia.

QUÆSTIO II.

De Contritione, ſive de Dolore neceſſario pro Sacramento Confeſſionis.

CAPUT I.

De Neceſſitate doloris pro Sacramento Pœnitentiæ, & quas conditiones debeat habere.

Q. I. QUid, & quotuplex ſit dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſitus, & quæ ejus neceſſitas.

R. I. Contritio generaliter ſumpta, quatenus nempe abſtrahit a ſuis ſpeciebus, de quibus ſtatim, ita definitur a Tridentino *ſeſſ. 14. c. 4. Animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*. Verus ergo dolor neceſſarius ad Sacramentum Pœnitentiæ, non ſolum expoſcit velle novam vitam inchoare, ſed inſimul odio habere, ac deteſtari peccata antea commiſſa.

R. II. Juxta Tridentinum citatum, & communem opinionem Theologorum prædictus dolor dividitur in Contritionem, & Attritionem. Ipſarum diſtinctio oritur ex diverſis objectis ſive motivis, ex quibus oriuntur. Motivum, ſive objectum Contritionis eſt peccatum, quatenus eſt offenſa Dei finis ultimi ſuper omnia dilecti, ex intentione ſatisfaciendi pro eadem offenſa. Hinc vera contritio excludit omnem affectum peccati, & cadit ſuper omnia peccata mortalia; nam cum habeat deteſtari peccatum quatenus eſt offenſa Dei ſuper omnia dilecti, ſequitur omnia peccata odio habere, & excludere, quia omnia conveniunt in hoc quod, ſint offenſa Dei. Motivum, ſive objectum attritionis, ut habet Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 4.*, eſt vel ipſa turpitudo peccati vel metus gehennæ, & pœnarum, quibus obnoxius eſt peccator ratione peccati. Item dolor erit attritionis, ſi quis doleat de commiſſis peccatis ob amorem conſequendi beatitudinem, vel timorem illam amittendi. Quia tamen, ut dixi, conſurgit Attritio etiam dum quis dolet de peccatis ob eorum turpitudinem, conſequens eſt poſſe dari attritionem non ſe extendentem ad omnia peccata: ita dum quis dolet de commiſſo adulterio ob ipſius ſpecialem turpitudinem, non intelligitur dolere de furto, homicidio &c.

Q. II. An ad aſſequendam juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ neceſſarius ſit dolor de commiſſis peccatis, ſimulque propoſitum ea in poſterum præcavendi.

R. I. Cum Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum ſit ad reconciliandum hominem cum Deo offenſo, conſequens eſt exigere in eodem homine verum dolorem de commiſſis peccatis; neque etenim poteſt aliquis perſonam ſibi iratam velle reconciliare, ſi ultra ceſſationem ab injuriis, non demonſtret de illatis injuriis diſplicentiam. Hinc *Ezech.* 18. dicitur: *Projicite a vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum. Et Luc. 13.* ait Chriſtus: *ni pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*. Odium, & deteſtationem anteactæ vitæ demonſtrant gemitus, & clamores pœnitentium, de quibus ſæpe mentionem facit Sac. Scriptura.

R. II. Dolorem pro confeſſione neceſſarium comitari debet ſincerum propoſitum in poſterum peccata præcavendi; neque etenim poteſt quis magnum dolorem habere de offenſis Deo factis, quin ſimul intendat non amplius velle peccare. Quamvis nihilominus in omni vero peccatorum dolore virtualiter hujuſmodi propoſitum contineatur, puto, ordinarie loquendo, neceſſe eſſe quod ſit explicitum, & formale, neque enim videtur dari poſſe efficacem peccatorum deteſtationem, quin ſimul voluntas proponat non amplius peccare. Quod ſi nihilominus detur caſus, in quo quis tota mente occupatus in deteſtandis præteritis peccatis, nil cogitaret de futura emendatione, atque ita ſine propoſito explicitu reciperet Sacramentum Pœnitentiæ, putarem ipſius virtute juſtificari. Ratio eſt, quia vere doleret de peccatis, & in dolore virtualiter propoſitum continetur; aliunde autem omiſſio propoſiti expliciti non eſſet ex defectu doloris, ſed ex defectu advertentiæ. Illud etiam hic notandum, non eſſe ſignum deficientiæ propoſiti, ſi quis hic & nunc judicet, & timeat iterum in peccata ex ſua fragilitate prolapſurum, dummodo ſinceram habeat voluntatem eligendi media neceſſaria, ut ſe in poſterum a peccatis præſervet.

Q. III. An dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſitus debeat eſſe ſupernaturalis.

R. Utique oportet talem dolorem eſſe ſupernaturalem. Ratio eſt, quia ut etiam docet Tridentinum *ſeſſ. 4. c. 4.*, dolor, quem prius dixerat eſſe partem Sacramenti, eſt etiam diſpoſitio ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impertandam; diſpoſitio autem ad formam ſupernaturalem debet neceſſario eſſe in ordine ſupernaturali. Hinc idem Tridentinum dicit dolorem diſponentem ad gratiam eſſe donum Dei, & Spiritus S. impulſum, quod jam docuerat Arauſicanum *can. 4.*, conſequens ergo eſt eſſe ſupernaturalem. Altera ratio id evincit; & ea eſt, quia forma hujus Sacramenti eſt undequaque ſupernaturalis, nam abſolutio importat poteſtatem dimittendi peccata in virtute Sanguinis Chriſti,

debe-

debebat ergo & supernaturalis esse dolor, qui habet rationem materiæ, una cum forma constituens hoc Sacramentum, alias materia, & forma non fuissent proportionaræ. Nec refert dicere alia Sacramenta habere materiam solummodo natnralem, & satis esse si ab extrinseco in finem supernaturalem ordinetur. Disparitas igitur est, quia materia aliorum Sacramentorum, utpote inanimata, puta panis, aqua, oleum &c. non est capax supernaturalitatis intrinsecæ, sed solum extrinsecæ ordinationis in finem supernaturalem. Materia vero Pœnitentiæ cum sit actus ipsius pœnitentis, est capax intrinsecæ supernaturalitatis, & talem esse convenit, cum ordinetur ad supernaturale judicium, & ad formam supernaturalem. Porro ipse dolor intrinsece supernaturalis facit ipsam externam confessionem peccatorum, quæ incapax est supernaturalitatis, esse & ipsam supernaturalem in radice, quatenus semper aliquo modo oritur ab eodem dolore. Ex prædictis constant fundamenta, ex quibus Innocentius XI. sequentem damnaverit propositionem sub *n. 57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

Major difficultas est, an necesse sit dolorem requisitum pro Sacramento Pœnitentiæ esse non solum supernaturalem quoad modum, sed an re vera talis esse debeat entitative supernaturalis, quando habet objectum, seu motivum omnino supernaturale, quod perinde Fidei lumine repræsentatur. Ut si quis doleat de peccato, quia Fides dictat mortaliter animam inquinare, eamque Dei odio dignam reddere; vel quia eadem Fides docet gravem culpam in æternum esse puniendam. Tunc dolor esset pure naturalis, quando eliceretur ex motivo, quod ratio naturalis dictaret, nullo habito respectu ad lumen Fidei; sicut etenim operando propter honestatem naturalem, quam ratio naturalis dictat contineri in virtute e. g. Temperantiæ, talis actio solummodo bona est bonitate entitative naturali, ita si quis solum doleat de peccato inhonesto ex ea turpitudine, quam ratio naturalis dictat adversari tali virtuti, hujusmodi dolor erit entitative naturalis. Si vero quis hujusmodi dolorem entitative naturalem dirigat ex sua intentione in finem supernaturalem, tunc fit supernaturalis quoad modum: ad eum modum, quo, si quis ex naturali compassione erga pauperem faciat illi eleemosynam, potest ex sua voluntate addere huic actui naturali finem extrinsecum supernaturalem, ut esset velle per ipsum etiam satisfacere Deo pro peccatis; atque ita talis actus fit supernaturalis quoad modum.

Hunc dolorem solummodo supernaturalem quoad modum multi docent sufficere pro Sacramento Pœnitentiæ, & intra alios Salmant. Scholast. *de Pœnit. tr. 24. d. 7. dub. 1. §. 3. n. 22.* At ego acquiescere non potui huic opinioni, quia enodare non potui sequens ratiocinium. Certum igitur est, ut clare constat etiam ex Tridentino, contritionem generice sumptam, necessariam ad Sacramentum Pœnitentiæ, importare animi dolorem, ac detestationem de peccato commisso &c. Vel ergo excitantur iste dolor, ac detestatio a motivo supernaturali, proportionato ipsi dolori, & detestationi; & jam sunt actus Supernaturales sufficientes ad Sacramentum. Vel e contra excitantur a motivo naturali: & jam, utpote actus entitative naturales, sunt insufficientes. Nec refert hujusmodi actus ex intentione operantis referri in aliquem finem supernaturalem, e. g. ad satisfaciendum Deo, ad dandam illi gloriam, nam id solum probat secundum hanc rationem esse supernaturales, non vero secundum quod sunt dolor, & detestatio de peccato commisso; & aliunde secundum hanc rationem debent esse supernaturales, quia secundum hanc rationem sunt pars Sacramenti.

Q. IV. An dolor requisitus pro Sacramento Pœnitentiæ debeat esse efficax.

R. Sicut dolor dicitur inefficax, quando voluntatem peccati non excludit, ita efficax dicitur, quando excludit talem voluntatem. Quidquid ergo sit, an detur dolor supernaturalis inefficax, qui possit esse pars Sacramenti, qua de re videndi sunt Salmanticenses citati *§. 3.* certum est ad consequendum fructum, & effectum Sacramenti Pœnitentiæ dolorem debere esse efficacem. Id constat ex Tridentino; nam *sess. 14 de Pœnit. c. 4.* loquendo de attritione, dicit esse Dei donum, & disponere ad assequendam justificationem mediante Sacramento Pœnitentiæ, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ. Ratio autem est, quia cum Deus, ut ratiocinatur *S. Th. 1. 2. q. 113. a. 3.* unumquemque moveat secundum suam naturam, consequens est, movendo hominem ad justificationem sive intra, sive extra Sacramentum, velle & ipsum per liberum arbitrium operari; & sicut recessit a Deo libere se ab illo avertendo, ita redeat ad Deum se ad illum convertendo, retractando, & omnino excludendo saltem perversam priorem voluntatem peccandi. Et quidem, dum hæc quoquo modo intelligatur perseverare, intelligitur una perseverare affectus ad peccatum, adeoque adest manifesta oppositio cum gratia.

Q. V. Quomodo debeat esse intensus dolor requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ.

R. Præmittendum est motum voluntatis, sive unum affectum dupliciter dici posse alio majorem. Primo objective, tunc nempe, quando alicui desideramus majus bonum, quidquid sit de quantitate affectus: & hoc modo major est affectus, quo Amico desidero bona æterna, illo, quo ipsi bona temporalia desidero. Secundo, unus affectus, sive motus voluntatis potest esse major alio *subjective*, hoc est, ex parte subjecti, & operationis. At & id potest dupliciter evenire. Primo potest esse major alio *intensive*, quando nempe unus motus, & affectus voluntatis alterum excedit in majori impetu, & conatu. Secundo potest esse major alio *appretiative*, quando nempe rem, in quam fertur voluntas, plurimi æstimat, aliisque præfert. Exemplum sit in muliere, quæ *intensive*, impetu nempe majori, & conatu voluntatis, diligit catellum, quam aurum; & nihilominus *appretiative* magis diligit aurum, quia illud præfert catello. Ita etiam Mater amore intensivo magis multoties diligit filium, quam Deum, quem tamen magis diligit amore appretiativo, cum pluris æstimet Deum, & parata sit potius ammittere filium, quam offendere Denm. His positis.

Quamvis aliqui ex Antiqnis docuerint dolorem de peccatis debere esse intensive majorem saltem omni dolore naturali, immo eo intensiorem, quo majora sunt peccata, quam opinionem renovavit Morinus *l. 1. de administr. Sacr. Pœnit. c. 12 & 13.*; nihilominus omnino dicendum est intensionem doloris non cadere sub præcepto, sed sufficere, si adsit verus dolor contritionis, seu attritionis. Ratio autem est, quia intensio doloris pertinet ad perfectionem, non ad essentiam doloris: Concilia autem pro Sacramento Pœnitentiæ solummodo verum dolorem exigunt, nulla facta mentione intensionis. Præterea præceptum de diligendo Deo super omnia adimpletur per hoc quod diligatur super omnia appretiative; si etenim diligendus esset super omnia etiam intensive, fere nullus hoc maximum præceptum adimpleret. Ita mater intensiori amore in filium fertur, quam in Deum, & nihilominus satisfacit dicto præcepto, quia ita saltem diligit Deum, ut præferat Filio. Idem dicas de Mercatore intensiori amore diligente suas merces, quam Deum, atque ita communiter evenire solet in omnibus animabus justis, si magna virtute non sint præditæ. Cum etenim major, vel minor intensio, sive conatus actuum voluntatis oriri soleat ratione objecti magis, vel minus moventis; & cum, communiter loquendo, objecta sensibilia magis movere soleant quam spiritualia, hinc est in ordine ad illa affectum voluntatis solere esse intensive majorem. Stet ergo præceptum de diligendo Deo super omnia, non obligare nisi ad amorem Dei objective, & appretiative majorem omni alio amore; idem ergo dicendum de obligatione dolendi de peccatis ex toto corde &c. Demum si ponatur gradus intensionis in dolore cadere sub præcepto infinitis scrupulis conscientiæ torquerentur, unusquisque etenim posset juste timere, an satis cooperatus sit gratiæ sibi collatæ ad dolendum de suis peccatis, an suus dolor pervenerit ad illum gradum, quem exposcerent numerus, & gravitas suorum peccatorum &c. credere autem est noluisse Deum Pœnitentes tot angustiis exponere.

Per hoc tamen non nego eo majorem appretiative debere esse dolorem, quo majus est peccatum, de quo aliquis dolet; si etenim in uno peccato adest major ratio offensæ Dei, quam in alio, hinc est dolorem de illo majorem debere esse appretiative saltem, & optimum esset si talis etiam esset intensive, quamvis id non cadat sub præcepto. Ita quamvis peccator ita dolere debeat de furto, & de odio Dei, ut præferat Deum cuicumque voluntati, & complacentiæ committendi prædicta peccata; nihilominus ratio dictat magis æstimandum; & præferendum Deum in ordine ad vitandum

dum ipsius odium, quam ad vitandum furtum. Nec refert multoties non fieri istas comparationes, sed unico actu doloris omnia peccata detestari; nam sicoti quamvis unico actu amoris integra Communitas ametur, non intelliguntur singuli æqualiter amari, sed juxta eorum gradum &c. ita dicendum de præfato dolore: *D. Th. in 4. d. 17. q. 3. art. 3. ad 3.*

Q. VI. An dolor requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ debeat versari circa omnia peccata in particulari.

R. Non pro quocumque particulari peccato eliciendus est specialis dolor semper; cum etenim unico actu doloris potest quis detestari omnia sua peccata, jam sufficienter intelligitur dispositus, ut ei per Sacramentum Pœnitentiæ dimittantur. Nihilominus fatendum est ad Sacramentum Pœnitentiæ non sufficere dolorem de peccatis in generali, sed debere esse dolorem de peccatis in particulari. Ratio autem est, quia non datur Sacramentum Pœnitentiæ, nisi in particulari accusentur commissa peccata, itaut confessio aliquo modo dicatur eorumdem dolorosa accusatio, si proinde omne peccatum in particulari accusandum est, de omni pariter peccato in particulari dolendum est. Postquam igitur Pœnitens recogitavit in particulari sua peccata, debet elicere dolorem sub motivo adeo communi, & universali, ut se extendat ad omnia peccata secundum particulares rationes ipsorum. Ita si quis doleat de peccatis, de quibus cogitavit, quatenus sunt offensa Dei summe dilecti, vel quatenus excludunt a Regno, merentur pœnam æternam, inquinant animam &c. habet motivum quo doleat de quocumque gravi peccato in particulari, nam quodcumque grave peccatum habet inducere prædictos effectus. Quoad peccata vero particularia, quorum aliquis post sufficiens examen non recordatur, dicitur dolere in particulari implicite, & in voto, quatenus si recordaretur, & de eis doleret in particulari, sicut in particulari confiteretur.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Quamvis dari possit dolor naturalis, qui re vera sufficiens non est ad Sacramentum Pœnitentiæ, nihilominus dum in praxi concipitur dolor de peccatis, ex motivo, quod non solum dictatur a ratione naturali, sed etiam a Fide, puto judicandum dolorem esse supernaturalem. Ratio autem est, quia dum Christianus non velit ex industria excludere lumen Fidei, & sistere in solo ratiocinio naturali, non potest concipi, quin magis se moveri sinat a Fidei, quam a rationis dictamine. Ita si quis lumine rationis consideret turpitudinem peccati per oppositionem ad virtutes, magis nihilominus movebitur ad illud detestandum eo quod Fides edoceat animam per peccatum expoliari gratia, atque ita turpem fieri, ut Deus illam odio habeat. Solum ergo dolor ex motivo mere naturali ortus, non erit sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ; ut si quis doleret de peccato propter exilium, seu mortem a Judice infligendam. Cæterum, quidquid alias dixerim in Quæsitis Dogmaticis *Tr. 6. cap. 6 num.* 11. non nego posse esse dolorem supernaturalem illum, qui conciperetur ex timore pœnarum temporalium, ut infligendarum a Deo Vindice peccati. Ratio est, quia cum S. Scriptura tam sæpe doceat multoties Deum etiam in hoc punire nostra crimina, jam timor talium pœnarum regulari potest a lumine Fidei, adeoque esse supernaturalis. Hinc fortasse Tridentinum *sess. 14. de Pœn. c. 4.* loquens de supernaturali attritione dixit oriri *ex gehennæ, & pœnarum metu*. Et Alexander VIII. suo num. 14. & 15. damnat propositiones asserentes non esse actum bonum, & supernaturalem dolorem conceptum *ex gehennæ, & pœnarum metu*: non ergo solum dolor conceptus ex metu pœnæ æternæ, sed etiam temporalis, eo modo, quo dictum est, potest esse supernaturalis.

II. Communiter Theologi ut valde imprudentes habent illos Confessarios, qui ut experimentum faciant doloris, & propositi suorum Pœnitentium proponunt illis valde periculosas comparationes. Ut si viro nobili, quando id non exposceret accepta injuria, diceret potius debere promptum esse ad sustinendam in publica platea alapam a vilissimo homuncione, quam ipendendo aliquam injuriam peccare. Si diceretur Matri, an potius prompta sit sub oculos suos pati crudelissimam amati Filii occisionem, quam aliquo modo peccare sese de homicida ulciscendo. Hæ imprudentes comparationes de malis vehementibus tolerandis potius quam peccare, pertinent ad genus tentationis, qua pœnitens facile a vero, quem hic, & nunc habet, dolore, & proposito, exturbabitur. Sicut igitur potest quis habere sinceram voluntatem respuendi omnes illicitas delectationes, & tamen ab ea recedere, si vehemens delectabile illi proponatur, ita poterit quis appretiative Deum, ejusque amicitiam omnibus præponere, adeoque vere dolere, & velle vitare quodlibet peccatum: & nihilominus fortasse recedet a tali voluntate, si illi proponatur, an potius velit horribilem aliquam pœnam, seu infamiam subire, quam peccare.

III. Notet Confessarius, quod licet peccatum sit appretiative super omnia detestabile, nihilominus animas etiam pias in quibusdam expressionibus posse errare, ut si dicerent: *Opto potius Infernum, quam peccare*. Si hujusmodi dicantur, ut fecerunt Viri etiam Sancti, ad demonstrandum magis dignum odio esse peccatum, quam Infernum; vel quod si per impossibile unum esset eligendum, potius Infernus, quam peccatum foret eligendus, utique hic affectus non esset redarguendus. Quod si tali expressione designatur potius actualis electio Inferni, quam peccati, ea non est laudabilis, quia juxta præsentem Providentiam electio Inferni non est medium ad evadendum peccatum, aliunde autem, si ratio dictat eligendam, & appetendam æternam beatitudinem, eadem ratio dictabit disconvenientem esse electionem Inferni, utpote inducentem æternam miseriam æternæ felicitati contrariam.

IV. Cum dolor de peccatis debeat esse appretiative major quocumque dolore, & eo appretiative crescere debeat, quo gravius est peccatum, valde suspectus debet esse Confessario dolor pœnitentis, qui de quibusdam peccatis majorem demonstrat afflictionem, non quia graviora sunt, sed quia facta sunt publica, vel quia majus afferunt proprio nomini detrimentum. Demus e. g. aliquem secreto blasphemasse, vel adulterium commisisse, & nihilominus magis dolere de furto, cum ex eo infametur &c. Certe hic non videtur levem deordinationem inducere; nam si divino honori, non proprio consuleret, magis de graviori injuria Deo illata doleret, quam de injuria minus gravi Deo illata, quamvis sibi nociva. Si nihilominus, non obstante dolore magis sensibili de minori injuria, adhuc appretiative major esset respectu gravioris peccati, itaut, si per impossibile aliquod esset eligendum, adhuc minus eligeretur, quamvis majorem afferret ignominiam, tunc certe dolor pœnitentis dici non posset insufficiens.

V. Moneat Confessarius suos Pœnitentes ne doleant de peccatis, quorum recordantur, ob specialem ipsorum malitiam, & deformitatem, sed ob generale motivum se extendens etiam ad peccata, quorum forte obliviscuntur, alias se exponent periculo faciendi Confessionem infructuosam. Demus e. g. aliquem post examen non recordari nisi peccati injustitiæ; si iste doleat de tali peccato ex speciali ipsius motivo, considerando e. g. quantum displiceat Deo damnum proximo illatum, en quod talis dolor non se extendit ad peccatum luxuriæ, cujus e. g. oblitus fuit in examine, & quia non remittitur hoc peccatum, utpote quia de eo non doluit, nec potest virtute Confessionis Gratiam adipisci.

CAPUT II.

De sufficientia Attritionis pro Sacramento Pœnitentiæ: & quid dicendum de Dolore Virtuali.

Q. I. AN dolor Attritionis sufficiat ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu potius requiratur Contritio.

R. Dicendum ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficere dolorem attritionis. Hæc sententia valde communis est inter Theologos, qui putant fere evidenter tradi a Concilio Tridentino. At mihi omnino persuasum est Concilium nil decrevisse, vel de necessitate doloris includentis amorem, vel de sufficientia attritionis, ut ex professo demonstravi in Quæsitis Dogmaticis *tr. 6. c. 8.* adeoque abstinendo ab examinanda mente Concilii, alia via incedendum est.

Ne autem aliqua æquivocatio in verbis confundat veritatem, advertendum hic pro dolore Attritionis intelligi quemcumque dolorem, qui oriatur quidem ex motivo supernaturali, sed non imperetur a Charitate, sive eliciatur ex displicentia offensæ Deo super omnia dilecto irrogatæ. Illum vero dico dolorem Contritionis, qui impe-

imperatur a Charitate, itaut ob amorem Dei super omnia dilecti moveatur quis ad odium, & detestationem peccati. Vel ergo iste dolor præsupponat, sive includat amorem perfectum, & valde intensum, sive imperfectum, initialem, aut remissum, semper tamen verificari debet dari amorem Dei super omnia, quamvis magis, vel minus perfecte.

Ut modo probem non esse necessariam contritionem ad Sacramentum Pœnitentiæ, sed sufficere attritionem ita instituto argumentum. Sacramentum Pœnitentiæ, cum sit Sacramentum novæ legis, debet posse conferre gratiam, quam significat, non ponentibus obicem, ut definit *Trid. sess. 7. can. 6.* & cum significet virtute ipsius conferri primam gratiam justificantem; quapropter dicitur Sacramentum mortuorum, debet posse istam primam gratiam conferre. Item de natura hujus Sacramenti est, ut verba absolutionis importent actum judicialem, quo peccata remittantur, non vero nudum ministerium, quo declarentur esse remissa, ut constat ex Tridentino *sess. 14. can. 3. & 9.* Si autem ad Sacramentum confessionis requireretur dolor includens amorem Dei, Sacramentum Confessionis non esset de sua natura conferens gratiam reconciliationis peccatoris cum Deo, nec delectivum peccati, quia semper supponeret in pœnitente gratiam reconciliationis, & remissionem peccatorum virtute talis doloris. Quod autem talis dolor importans amorem Dei super omnia, quamvis remissus, semper importet gratiam reconciliationis, multipliciter probatur. Primo, quia ex vi præsentis Providentiæ non datur vera conversio peccatoris ad Deum, quin Deus ad illum convertatur, hoc est, ipsi reconcilietur, unde Zach. 1. dicitur: *Convertimini ad me, & convertar ad vos:* quocumque autem modo homo diligat Deum super omnia, intelligitur plene conversus ad Deum, si etenim Deum super omnia amet, signum est & Deum omnibus vere præponere. Hinc cum amando Deum quocumque modo super omnia, ita etiam intelligatur ad Deum conversus, ut in illo rationem ultimi finis constituat, jam talis conversio est destructiva peccati, quod importat peccatorem in creatura velut in ultimo fine quiescere.

Secundo, S. Scriptura perpetuo docet non dari amorem Dei supra omnia, quin statim ite amans non sit Filius Dei, illique non dimittantur peccata; unde Jo. 14. dicitur: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo:* & 1. Jo. 4. *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Omnis qui diligit ex Deo natus est*, & 1. Petr. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Nec enervatur vis horum textuum si dicatur intelligendos esse de amore non initiali, & remisso, sed de amore perfecto; nam ista responsio nullatenus videtur sufficiens. Ratio est, quia semper cum datur verus amor Dei supra omnia, in quocumque gradu, fit, convincitur importare veram dilectionem, veram Dei Charitatem; ex S. autem Scriptura sine ulla distinctione habemus verum Dei amorem super omnia, sive veram Charitatem peccatum excludere.

Hinc S. Th. *in 4. d. 17. q. 2. art. 5. ad 3.* docet dolorem quamvis remissum, dummodo pertingat ad rationem contritionis, semper esse delectivum peccati. Et cum Michael Bajus diversis propositionibus affirmasset Charitatem posse cum peccato coexistere, omnes istas propositiones damnavit Ecclesia. Neque dici potest Bajum loquutum de Charitate perfecta, & intensa, non vero de Charitate remissa; nam cum Bajus, ut constabit legenti ipsius propositiones, loqueretur de Charitate, quæ solet esse in Cathecumenis, & Pœnitentibus, male diceretur loqui de Charitate perfecta & consummata, quæ, ordinarie loquendo, non solet in prædictis repetiri.

Dices, si non dari potest contritio quantumvis remissa, quæ non sit deletiva peccati, sequitur contritionem nunquam posse esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, nam semper impedit ejus effectum, qui est delere peccata. Contra tamen est, quia ut dixi, de essentia Sacramenti Pœnitentiæ est non actu reconciliare hominem cum Deo, sed dare gratiam de sui natura reconciliativam. Non intelligeretur autem institutum ad dandam gratiam de sui natura reconciliativam, quoties supponatur ex Christi institutione debere præsupponere dolorem, qui ex sua natura Peccatorem reconciliet cum Deo, antequam suscipiat Sacramentum Pœnitentiæ. Eo ipso autem quod non exigat hujusmodi dolorem, sed sufficientem esse dolorem minus perfectum cum Deo non reconciliantem, jam verificatur hoc Sacramentum de sua natura conferre gratiam reconciliativam, cum non necessario supponat peccatorem jam reconciliatum. Ad eum modum; quo; quia in Cathecumeno non exigitur pro dispositione ad Baptismum dolor inducens justificationem, ideo dicitur de sua natura debere posse producere gratiam deletivam peccati originalis, & actualium ante ipsum commissorum, quamvis id actu non præster in adulto, qui ante Baptismum elicuisset actum contritionis. Ad essentiam ergo horum Sacramentorum sat est, habere posse conferre gratiam deletivam peccati, quamvis multoties id non faciant ratione præmissæ contritionis, adeoque tunc solummodo habeant gratiam augere, & quoad hunc effectum præstandum contritio est pars conficiens Sacramentum.

Solent etiam opponere opera facta sine Charitate nihili haberi apud Deum, unde dicebat Apostolus 1. ad Cor. 13. *Si Charitatem non habuero; nihil mihi prodest;* non dari veram conversionem sufficientem ad justificationem nisi detur conversio cordis, quæ videtur dari non posse nisi cor ab amore proprio se transferat ad amorem Dei ex Charitate, demum non habentem aliquem Dei amorem velut mortuum ante Deum reputari, unde 1. Jo. 3. dicitur: *Qui non diligit manet in morte.* Hæc omnia videntur probare dolorem non includentem aliquem Dei amorem, non posse esse sufficientem ad exequendam justificationem etiam mediante Sacramento.

Ut plene his omnibus satisfiat, recolenda sunt quæ dixi *tr. 6. q. 2. c. 2.*, nempe dolorem conceptum ex metu gehennæ esse actum bonum, excludentem voluntatem peccati &c. Præterea omnino falsum est dari non posse actum bonum sine Charitate; unde Tridentinum *sess. 14. c. 4.* docet actus Fidei, Spei & Attritionis elicitos a peccatore, disponere ad justificationem. S. Pius V. damnavit in Michaele Bajo quasdam propositiones, ut videre est sub n. 35. & 38., quibus videbatur asserere omnes actus non relatos in Deum, ut ultimum finem super omnia dilectum esse peccata. Demum observare est duplicem dari conversionem in Deum, aliam perfectam: in Deum scilicet ex semeptipso super omnia amabilem, aliam imperfectam in Deum scilicet, ut bonum nobis. Hæc imperfecta conversia reperitur semper etiam in eo, qui vult recipere Sacramentum cum solo dolore attritionis, semper etenim verificatur dolere ut justificetur, ut reconcilietur Deo, ut eruatur ab æterna damnatione: quapropter verificatur in dolore attrionis semper contineri amorem, quo peccator convertatur in Deum, ut sibi bonum. Cum autem hic amor non sistat in Deo ut bono sibi, quasi respiciat proprium interesse ut finem ultimum, dici non potest vitiosus, & malus, ut explicatum est loco supra citato. Porro præfata imperfecta conversio in Deum, quamvis non sufficiens sit, ut pœnitens extra Sacramentum justificetur, sufficiens tamen est ad assequendam justificationem mediante Sacramento, nam tunc non requiritur ut dictum est, talis conversio ut de se valeat justificare. Ubi autem dicitur sine Charitate omnia nostra nihili haberi, esse velut mortua &c. non significatur omnia opera nostra sine actuali amore Charitatis, quo referantur in Deum super omnia dilectum, bona non esse, adeoque nihil prodesse, hanc etenim doctrinam damnavit Ecclesia. Solum ergo significatur sine charitate habituali nos nihil esse, & esse veluti mortuos, nam a Gratia Sanctificante, & habituali Charitate oritur vita spiritualis. In hoc sensu nec attritio cum Sacramento sine Charitate prodesset; & ideo prodest, quia cum Sacramento ultimo disponit ad justificationem; & ut pars Sacramenti Gratiam Sanctificantem, & habitum Charitatis producit.

Alterum, in quo valde fidunt argumentum est, quia ex prima propositione damnata ab Innocentio XI. constat in Sacramentis conficiendis interdici usum opinionis probabilis relicta tutiore; tutior autem omnino videtur esse sententia de necessitate contritionis ad justificationem assequendam in Sacramento Pœnitentiæ, nam hæc omnino remota videtur ab omni periculo frustrationis Sacramenti, atque ita non se habet opinio de sufficientia attritionis.

Huic objectioni ut plurimum respondent, verum esse in usu Sacramentorum non licere sequi opinionem probabilem in conspectu tutioris, bene vero certam, etiam in conspectu tutioris, & talem esse opinionem de sufficientia attritionis una cum Sacramento: *Carden. in Cris. d. 2. c. 6. a. 1. q. 1.* At Salmanticenses *tr. 24. disp. 7. dub. 1. a. n. 53.* alia via incedunt, & bene probant sententiam de sufficientia attritionis pro assequenda justificatione in Sacramento Pœnitentiæ tutiorem esse ea, quæ exposcit contritionem includentem amorem Dei super omnia dilecti:

Illam

Illam ergo merito dicunt opinionem tutiorem, quæ magis conformis est institutioni Sacramenti pœnitentiæ, & doctrinæ Ecclesiæ circa illud, & talem esse jure dicunt opinionem de sufficientia attritionis. Et quidem si exigeretur contritio includens amorem Dei super omnia dilecti, talis sententiæ Patroni vel debent dicere talem amorem coexistere posse cum peccato; vel non posse coexistere. Si primum dicant, coincidunt cum doctrina damnata in propositionibus Michaelis Baji, qui eam conjunctionem asseruit maxime propositione 31. 35. & 70., ac omnino sine fundamento diceretur, ut dixi supra, Bajum loquutum de amore in gradu perfecto. Præterea clarissime habetur ex S. Scriptura amorem Dei super omnia conjungere cum Deo, & excludere peccatum; quod & communiter probant Theologi asserentes juxta præsentem Providentiam non posse simul hominem esse aversum a Deo per peccatum, & simul in ipsum conversum per dilectionem super omnia.

Si vero dicant dilectionem Dei super omnia coexistere non posse cum peccato, illudque semper excludere saltem indirecte per modum contrariæ dispositionis, tunc exigendo talem amorem ad Sacramentum Pœnitentiæ, videtur omnino ipsum destruere. Si igitur ad Sacramentum semper necessario præsupponatur actus deletivus peccati, Sacramentum Pœnitentiæ non esset de sua natura Sacramentum mortuorum, nec productivum gratiæ, quam significat, cum semper eā supponeret in pœnitente. Item potestas concessa ad absolvendum non esset quoad remittenda, & retinenda peccata, sed solum ad pronuntiandum fuisset remissa: quæ omnia adversantur definitionibus Tridentini, ut supra dictum est. Item ministerio Sacerdotis absolventis nunquam tolleretur macula peccati, sed reatus ad pœnam æternam ad summum auferretur, quæ est ipsissima doctrina Michaelis Baji damnata in prop. 57. & 58. cum ergo sententia de necessitate contritionis difficiliter conciliari possit cum iis quæ semper docuit Ecclesia, & e contra bene cum iis omnibus cohereat sententia de sufficientia attritionis, cur non tutior omnino est appellanda? Accedit, primam opinionem difficiliorem reddere usum hujus Sacramenti, adeoque, quamvis sit commendanda, non est tamen ipsius necessitas adstruenda. Hinc Salmanticenses citati dicunt opinionem de necessitate contritionis esse solummodo tutiorem ampliative, & ex supererogatione, sicut quando ponitur actus perfectior eo, quem debebat quis præstare; ut si dum tenebatur tantummodo mutuo dare proximo indigenti, faciat actum præstantiorem liberaliter donando. Opinionem vero de sufficientia attritionis dicunt tutam, & tutissimam intensive: & ex necessitate, quia Sacramentum mortuorum de sua natura, & Christi institutione non exposcit dolorem præstantiorem, adeoque sufficientissimus est, & tutissime adhibetur ad valorem hujus Sacramenti.

Q. II. An sufficiat dolor virtualis pro valore Sacramenti Pœnitentiæ.

R. Tunc daretur dolor virtualis, quando pœnitens eliceret aliquem alium actum, in quo virtualiter, & eminenter contineretur, ita in actu amoris Dei super omnia includitur virtualis dolor de peccatis; neque etenim intelligi potest aliquem amare Deum super omnia, quin simul intelligatur virtualiter odio habere peccata, quæ ipsi amori adversantur. Hunc tamen dolorem de se non sufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ exinde probatur, quia partes constitutivæ talis Sacramenti sunt contritio, confessio, & satisfactio, prædictus autem dolor virtualis revera non est contritio, sed est formaliter actus amoris Dei. Accedit quod si unquam urget præceptum formaliter detestandi peccata, tunc præcipue urget, quando quis recipere vult Sacramentum Pœnitentiæ, nam tunc actus Pœnitentiæ, & doloris sunt ipsius materia. Hinc communiter rejiciunt Theologi opinionem Tamburini *l. 3. c. 3. §. 1.* asserentis ad confessionem venialium non requiri formalem ipsorum displicentiam, sed satis esse virtualem, consistentem in voluntate confitendi, & recipiendi fructum hujus Sacramenti. Utique ab hac opinione recedendum est; nam præfata voluntas vere non est dolor de peccatis qui est pars essentialis hujus Sacramenti; & ulterius cum illa voluntate bene perseverare potest affectus ad eadem peccata, adeoque nullatenus recipi posset fructus Sacramenti. Hic etiam merito urgetur esse doctrinam ab Innocentio XI. damnatam, licere in usu Sacramentorum eligere opinionem probabilem relicta tutiore; nam cum eam Ecclesia damnaverit non solum ad removendum damnum suscipientium Sacramenta, sed etiam ad consulendum ipsorum validitati, & reverentiæ, consequens est non tam Ministros Sacramentorum, quam suscipientes cavere omnino debere ab hujusmodi opinionibus.

Dices capite superiori concessum esse aliquando sufficere propositum virtuale contentum in dolore ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, adeoque & posse dici ad ipsius valorem sufficere dolorem virtualem saltem contentum in amore. Sed contra est, quia verus dolor de peccato, & propositum de eo vitando non sunt actus disparati, sed ita connexi, ut unus quodammodo formaliter includatur in alio, unde statim ac concipimus aliquem vere dolentem de suo peccato, inferimus nolle amplius illud committere. At amor, & dolor sunt actus disparati, itaut bene stet non concipere aliquem amare Deum, absque eo quod concipiamus simul de peccatis dolere; cum autem aliunde dari non possit quid quid pertinet ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ sine dolore, bene dicitur non dari posse ratione actus solius amoris.

Regulæ in praxi attendendæ.

Non desunt nostris hisce temporibus libri, quibus adstruitur necessitas contritionis, & attritionis sufficientia negatur ad valorem Sacramenti. Hanc utique opinionem pro praxi suadere debent Confessarii; non quia revera contritio necessaria sit ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, sed quia ita redditur fructuosius, & magis deletur de pœna peccati. Cæterum non raro in graves angustias se redigeret Confessarius exigendo a Pœnitentibus actum amoris Dei super omnia dilecti; nam multitudes non tam facile ex consideratione Divinæ Bonitatis super omnia per se diligibilis moventur ad detestationem peccati, bene vero dum considerant se ratione peccati lethalis exclusos esse a Regno, & ad Inferni pœnas esse damnandos.

E contra vero non sint tam faciles Confessarii in judicando suos pœnitentes vere doluisse, eo quod aliquem doloris actum in aliquo perlegerint libro, vel memoriter recitaverint. Instruant ferventi oratione exposcere a Deo auxilium ad vere dolendum de suis peccatis, cum sine Dei auxilio vere dolere non possint; tale auxilium orantibus, & petentibus conceditur. Moneant non summis labiis dolendum, sed corde, & voluntate; si etenim hæc committit peccatum, ab ea utique dolendum est. De his quam maxime monendi, qui sunt in statu peccati mortalis; nam cum sint a Deo aversi, non facile credere est illis semper præsto esse auxilium ad vere dolendum, sed illud debere humilitate, & oratione impetrare.

CAPUT III.

Resolvuntur variæ Quæstiones quoad dolorem, & propositum pro Sacramento Pœnitentiæ.

Q. I. Utrum dolor debeat aliquo modo præcedere Confessionem.

R. Dolor necessarius ad Sacramentum Confessionis debet aliquo modo eamdem præcedere. Ratio est, tum quia cum dolor sit pars essentialis Sacramenti, debet aliquo modo habere rationem signi sensibilis; at cum dolor non sit per se sensibilis, quia est internus in voluntate, oportet fieri sensibilem per confessionem, itaut non sit materialis tantum, & historica narratio peccatorum, sed dolorosa accusatio. Tum quia, cum Confessio habeat rationem judicii reconciliativi cum Deo, oportet Pœnitentem in ipsa Confessione vere repræsentare Personam Rei se accusantis, quod nullatenus faceret, si pure historice peccata narraret, non vero ex dolore se illa commisisse. Dices, per intentionem suscipiendi Sacramenti Pænitentiæ, demonstratam per confessionem peccatorum, fieri sensibilem etiam ipsum dolorem. Sed contra est, quia talis intentio ad summum demonstrare potest confitentem sua peccata, antequam elicuerit actum doloris, habere intentionem talem dolorem eliciendi; intentio autem habendi dolorem non est ipse dolor, adeoque non potest reddere illum sensibilem.

Dixi dolorem aliquo modo præcedere debere confessionem, ut innuerem non esse necesse, ut præcedat ipsam confessionem, qua quis in particulari accusat sua peccata, bene tamen saltem illam confessionem, quæ ante absolutionem iterum fit vel unico verbo iterum se accusando de peccatis antea confessis, vel iterum demonstrando se de illis accusare, lacrymis, tunsione pectoris, instando

pro-

pro absolutione &c. Hoc modo satis esse, si dolor præcedat confessionem, communis fert opinio: *Cand. disp. 24. art. 6. d. 2. Dian. t. 1. tract. 3. resol. 97. Salmant. Schol. tr. 24 de Pœn. disp. 7. dub. 7. n. 105.* Quod autem ita saltem dolor sensibilis fieri debeat per confessionem, atque per hoc confessio debeat habere rationem judicii reconciliativi, merito inferunt etiam ex necessitate sectandi opiniones tutiores, relictis probabilibus, dum agitur de essentia Sacramentorum.

Q. II. An ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficiat dolor qui quocumque modo illud præcesserit.

R. I. Si dolor ita præcesserit Confessionem, ut solummodo habitualiter intelligatur perseverare, utique non est sufficiens ad validitatem Sacramenti. Ut autem id bene percipiatur, breviter repetenda quæ alias dicta sunt. Tripliciter ergo intelligi potest perseverare dolorem antea præconceptum. Primo actualiter, dum scilicet adhuc actu perseverat dolor, quem aliquis concepit de suis peccatis, quem dolorem utique sufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ nemo dubitat. Secundo virtualiter, & hoc primo evenit quando licet non amplius dolor in se perseveret, perseverat tamen in aliquo suo effectu, sicut intentio audiendi Missam perseverat in progressione ad Ecclesiam, quamvis aliquis non amplius cogitet, de tali intentione. Item dicitur perseverare virtualiter, quando perseverat in quadam confusa voluntate, quamvis interrupta per somnum, vel alia negocia. Hujus virtualis perseverantiæ signum est, quia, si quis habuit antea aliquam intentionem circa aliquam materiam, dum post somnum &c. interrogetur de sua voluntate circa illam, statim, & absque ulla deliberatione respondet juxta præconceptam intentionem. Demum dolor intelligitur perseverare solummodo habitualiter, quando licet dolor olim habitus nunquam fuerit retractatus, nihilominus nec in se, nec in aliquo effectu, nec in aliqua confusa voluntate perseverat.

Quod autem hic dolor nullatenus sufficiens sit ad valorem Sacramenti probatur, quia Pœnitens in suscipiendo Sacramentum Pœnitentiæ se habet ut agens, apponendo illius materiam proximam per actus doloris, & confessionis; unde agere debet humano modo, eosdemque actus ex deliberata intentione elicere, quod non facit, qui tantummodo per intentionem habitualem operatur, ut alias dixi; de hoc etenim verificatur voluisse quidem agere, non vero velle modo agere. Ac proinde *tr. 16. q. unic. c. 4. quæst. 3.* dixi conficientem Sacramenta non valide conficere, si conficiat ex intentione tantum habituali. Accedit, dolorem habitualem vere nec in se, nec in alia re perseverare, & solummodo de eo verificari non fuisse retractatum, si autem nullatenus perseverat, utique non potest constituere Sacramentum tanquam pars essentialis illius.

R. II. Ad valorem Sacrsmenti Pœnitentiæ sufficit si perseveret dolor virtualis. Ratio est, quia non minus ad conficiendum Sacramentum requiritur intentio, quam dolor ad conficiendum Sacramentum Pœnitentiæ; unde sicut omnes fatentur sufficientem esse ad conficienda Sacramenta intentionem virtualem, esset etenim supra humanam fragilitatem exigere actualem intentionem, ita dicendum est sufficere dolorem virtualem; quod etenim virtualiter existit intelligitur sufficienter influere, & humano modo concurrere ad id, ad quod ordinatum est.

Ex his facile dignoscitur, an dolor, qui e. g. per aliquot dies præcesserit confessionem, sufficiens sit ad illius valorem. Utique sufficiens dicendus est; si intelligatur virtualiter perseverare; & taliter perseverare intelligeretur, si pœnitens perstitisset in aliquibus operibus, ex vi concepti doloris, & intentione confitendi susceptis v. g. in frequentiori oratione, in fuga occasionum, in aliquibus macerationibus, &c., nam tunc in his intelligeretur dolor præconceptus perseverare. Idem dicas, si intra tale tempus præconceptus dolor interdum venerit in memoriam, ibique in confuso saltem retineatur cum aliqua ratificatione, seu approbatione; nam tunc illa approbatio, & saltem confusa recogitatio facit quod voluntas præconceptum dolorem in se retineat, unde si talis pœnitens interrogaretur, an vere doleat de peccatis, statim responderet utique dolere. Si vero e contra pœnitens per aliquos dies ante confessionem doluerit de peccatis & interim non amplius de ipso cogitaverit, neque aliqua exercuit opera, in quibus intelligatur perseverare, jam ipsius dolor in pure habitualem transiit, adeoque insufficiens redditur ad valorem Sacramenti.

Q. III. An idem actus doloris deservire possit pluribus Confessionibus.

R. Frequenter evenit pœnitentes post confessionem iterum accedere ad novam absolutionem obtinendam, ratione alicujus peccati in præcedenti confessione obliti; quapropter videndum est, an pro nova absolutione obtinenda sufficiat dolor habitus pro confessione jam facta. Dicendum ergo est, dolorem antea habitum posse deservire novæ reconciliationi, sive Sacramento, si adhuc actualiter, vel virtualiter perseveret. Ratio est, quia quoties actualiter, vel virtualiter perseveret dolor antea habitus, nil obstat quin per novam confessionem fiat multiplex, induatque rationem novæ partis Sacramenti; cum etenim habeat rationem materiæ proximæ Sacramenti, quatenus fit sensibilis per confessionem, consequens est, quod si per novam confessionem iterum fiat sensibilis dolor, quem suppono vel actu, vel virtute perseverare, habet etiam rationem novæ partis subsequentis Sacramenti. Male autem opponeretur, si diceretur, quod sicut novum dari non potest Sacramentum Pœnitentiæ sine nova confessione, ita nec dari potest sine novo dolore. Contra etenim est, quia cum Confessio sit actus exterior, statim transit, adeoque, si novum Sacramentum faciendum est, nova est confessio repetenda. At dolor cum sit actus internus, potest actu, vel virtute perseverare; unde si iterum fiat sensibilis per novam confessionem, non est quare non possit habere partem subsequentis Sacramenti.

Addo quod semper cum præsupponatur antecedentem dolorem perseverare, nova confessio habet rationem veræ accusationis ex dolore ortæ, & pœnitens sistit se, tanquam Reus coram Sacerdote, ut cum Deo reconcilietur, quia odio habet, & dolet de peccatis, quæ confitetur; unde non satis percipere est quomodo ista confessio non habeat veram rationem Sacramenti. Hæc fundamenta adeo tuta mihi apparent, ut hæc sententia nullatenus mihi videatur subjacere Censuræ illius damnatæ opinionis, qua dicebatur in Sacramentis conficiendis sequi licere opinionem probabilem, relicta tutiore: *Lugo de Pœn. disp. 14. sect. 3. Gabr. a S. Vinc. de Pœn. d. 4. q. 2. Salmant. Schol. tr. 24. disp. 7. dub. 4. n. 116. & 121.*

Q. IV. An dolor necessarius pro Sacramento Pœnitentiæ debeat ad Confessionem ordinari.

R. Certum est dolorem debere aliquo modo ad Confessionem ordinari, eo quod pars semper ordinetur ad aliam compartem, cum qua simul totum constituit; adeoque & dolor ordinari debet ad Confessionem, cum qua integram materiam Sacramenti Pœnitentiæ constituit. Aliqui putant sufficere ordinationem in ipso dolore imbibitam, cum non sit verus dolor, nisi involvat propositum confitendi. At quoties elicitur dolor sine ulla intentione confitendi? Cum ergo dari possit dolor, absque eo quod dolens voluntatem habeat confitendi non videtur induere rationem partis Sacramenti, si aliquo modo ad ipsum non ordinetur ab eo, qui elicit actum doloris: *S. Th. in 4. d. 15. q. 4. art. 5. Bonac. disp. 5. q. 3. p. 2.*

Q. V. An in Confessione peccatorum venialium dolor se extendere debeat ad omnia peccata, de quibus aliquis se accusat; & an possit esse dolor de uno peccato, quin simul sit dolor de aliis peccatis ejusdem speciei.

R. I. Jam supra dixi ad confessionem peccatorum venialium necessarium esse verum, & explicitum ipsorum dolorem; & cum sola venialia confiteri absque vero dolore sit reddere irritum Sacramentum, consequens est id fieri non posse sine gravi culpa: *Lugo de Pœnit. disp. 14. sect. 8. §. 2. Anton. a Sp. S. disput. 3. de Pœn. sect. 14. concl. 2.* Difficultas ergo reducitur ad eum, qui non dolet de aliquibus peccatis venialibus, de quibus se accusat, quamvis de aliquibus aliis vere doleat. In hac autem hypothesi mihi certum est, quod, si aliquis intenderet peccata venialia, de quibus non dolet, constituere materiam Sacramenti, graviter peccaret, cum etenim tunc ex sua malitia redderet irrita verba absolutionis, adeoque graviter derogeret dignitati Sacramenti, & veritati formæ, non video quare non graviter peccaret. At, ordinarie loquendo, se accusantem de peccatis venialibus, de quibus cognoscit non dolere, non puto graviter peccare; vel etenim id faciet ex inadvertentia, vel non habebit intentionem reddendi illa materiam Sacramenti, sed sicut posset illa post confessionem ob alios fines manifestare Confessario, v. g. ob sui humiliationem, confusionem, & ut pleniorem de ipso habeat notitiam, ita facere potest tempore Confessionis. Hac ratione in eadem Confessione manifestari solent habitus pravi, perversæ inclinationes, tentationes, propensiones &c., de quibus nequit esse do-

lor. Quamvis autem hæc doctrina extendi posset etiam ad peccata mortalia jam rite confessa, cum non sint materia necessaria Confessionis, nihilominus in praxi periculosa est. Ratio autem est, quia quamvis pœnitens complacentiam haberet de peccatis venialibus, de quibus non dolet, adhuc potest verum dolorem circa alia, quæ intelligit facere materiam Sacramenti. Verum complacentia peccati mortalis etiam jam confessi irritum undequaque redderet Sacramentum, & difficile est cogitare, & loqui de peccato mortali sine dolore, & retractatione, quin sæpe non subintroducatur complacentia, vel grave periculum complacentiæ.

Quibusdam placuit, quod si quis in confessione narret aliqua peccata venialia, vel mortalia jam confessa, absque eo quod intendat ea facere materiam absolutionis, debeat id manifestare Confessario, ne quoad ea intendat absolutionem impertiri. Nichilominus, quamvis hæc praxis sit commendanda, alii putant non esse necessariam; nam dum fit confessio de solis venialibus, bene sciunt Confessarii a viris timoratis quædam accusari ad sui humiliationem, & non dari quoad omnia sufficientem dolorem; adeoque absolutionem dirigunt a sola peccata venialia, de quibus pœnitens vere dolet: *Lugo disp. 14. de Pœnit. n. 526.*, *Palaus tr. disp. un. p. 7. n. 14.*

R. II. Si in aliquo peccato veniali culpa individualis sit major, & ratione talis culpæ majoris quis doleat, bene potest dari dolor de tali culpa absque eo quod se extendat ad alia peccata ejusdem speciei. Exemplum sit in eo, qui levissime irridendo multoties proximum, plura valde levia peccata venialia commiserit, semel autem irridendo proximum pervenerit ad gravitatem peccati mortalis, certe si iste doleat de tali irrisione ob suam specialem gravitatem, ipsius dolor non comprehendet leviores irrisiones: *Lugo cit. n. 141.* Cæterum si doleat ex motivo generali comprehendente omnes irrisiones, quia e. g. sunt offensa Dei, vel quia omnes lædunt justitiam, talis dolor ad omnes se extendit. Ubi advertendum, quod dum quis se accusat de pluribus peccatis venialibus, de quibus tamen ex motivo ad omnia se extendente vere dolet, ab omnibus remanet absolutus, quamvis nec ipse, nec Confessarius ipsorum numerum sciant. Ratio est, quia non est necesse ipsorum determinatum numerum accusare, & satis est si pœnitens de eis vere doleat, & Confessarius velit omnia absolvere, habendo confusam cognitionem numeri peccatorum ex circumstantia pœnitentis &c.

Q. VI. Quomodo dari possit propositum peccata venialia præcavendi.

R. Jam ex dictis supra cap. I., non potest dari valida confessio etiam de solis peccatis venialibus, si non detur propositum ea in posterum vitandi. Hinc autem consurgit difficultas quomodo dari possit hujusmodi propositum, cum certum sit, & constet ex definitione Tridentini *sess. 6. can. 23.*, non posse hominem communibus gratiæ auxiliis omnia peccata venialia vitare. Dicendum est ergo, quod, licet vires non habeamus ad omnia peccata venialia collective sumpta vitanda, bene tamen habemus vires ad quodcumque particulare veniale peccatum vitandum; & lex non est de vitandis omnibus venialibus collective, sed solum præcipitur, ut quodcumque particulare peccatum veniale vitemus. Cum igitur nullum particulare veniale peccatum detur, quod vitare non possimus, bene dari potest propositum de vitandis illis particularibus venialibus peccatis, quorum aliquis hic & nunc se accusat. Non nego tamen cum hoc proposito bene posse stare, quod quis existimet in ea iterum faciliter relapsurum ob nostram fragilitatem, & nam frequentes occasiones iterum in ea labendi, sicut etiam, quia nonnisi Personis valde piis solent horrorem ingerere. Ita etiam, ut dixi capite primo, cum vero proposito vitandi mortalia potest stare timor reincidentiæ, maxime in homine ex pravis habitibus valde ad aliquod genus peccati propenso.

Q. VII. An dum aliquis doluit, & propositum concepit de peccatis vitandis, si iterum incidit in aliquod peccatum, debeat ante absolutionem novum actum doloris, & propositi elicere.

R. I. Certum est peccantem mortaliter, postquam doluit de commissis peccatis, debere de hoc peccato novum concipere dolorem; nam novum peccatum posuit obicem valori, & fructui Sacramenti. At ego puto omnino dicendum novum concipere debere dolorem, & propositum, etiam de peccatis gravibus, de quibus antea doluerat; cum credam per novum mortale peccatum, quamvis non tam grave fuisset, quam præcedens, omnino destrui, etiam præhabitum dolorem de gravioribus peccatis. Ponamus exemplum in eo, qui antea doluit de commisso adulterio, & postea incidit in levius peccatum, scilicet in fornicationem. Quamvis igitur iste doluerit de adulterio ob specialem sui deformitatem, certum est, quod si doluit in ordine ad confessionem, voluit suo dolore reconciliari cum Deo cum proinde ex novo peccato mortali hoc motivum excluserit, & ostenderit de Dei amicitia non curare, consequens est destruxisse priorem dolorem, saltem ut relatum ad confessionem. Quod si doluerat de adulterio ob motivum perfectæ contritionis, quatenus nempe Deum super omnia diligibilem offenderat, multo magis constat destrui hujusmodi dolorem per novum grave peccatum; nam contritio essentialiter importat conversionem in Deum ultimum finem ex Charitate delictum, quam conversionem certum est destrui per quodcumque peccatum mortale, cum dicat essentialiter aversionem a Deo. Demum non est semper verum committentem leviora a gravioribus esse alienum, ut infra explicabo; onde neque ex hoc capite convincitur perseverare dolorem quoad peccata graviora in eo, qui postquam de iis doluit, leviora commisit. Remanet ergo, quod, dum quis doluit de peccatis mortalibus, ut ea confiteretur, si in novum quodcumque peccatum mortale labatur debeat novum dolorem de omnibus concipere, si velit rite confiteri.

R. II. Si quis doluerit de peccatis mortalibus, & venialibus ex motivo omnibus communi, quia e. g. sunt offensa Dei, si postea incidat in culpam venialem, non tenetur denuo dolere de peccatis mortalibus. Ratio est, quia nisi pœnitens omnino desipiat, quamvis ex eodem motivo offensæ Dei simul doleat de peccatis gravibus, & levibus; nihilominus multo magis appretiative saltem dolebit de peccato gravi, cum sit offensa Dei infinita, quam de peccato levi, cum illud offendat secundum quid; sicut & firmius propositum habebit vitandi mortalia, quam venialia, cum ob tantas in hæc prolabendi occasiones, & quia horrorem tam minorem ingerunt, valde difficilius sit ista evitare. Cum igitur dolor se extendens ex eodem motivo ad mortalia, & venialia, multo major saltem appretiative sit de mortalibus, quam de venialibus, propter veluti infinitam eorum distantiam, consequens est non destrui per supervenientem culpam venialem, adeoque sufficere præhabitum dolorem Sacramenti.

R. III. Si quis postquam doluit de pluribus peccatis venialibus, quæ sola commiserit, ex motivo omnibus communi, quia e. g. sunt Dei offensa, incidat in novum peccatum veniale, quamvis levis prioribus, debet renovare dolorem etiam aliorum peccatorum. Ratio est, quia licet ob infinitam distantiam, & excessum in ratione offensæ, & malitiæ impossibile videatur non magis odio habere peccatum mortale, quam veniale, nihilominus non stat in praxi semper peccata graviora venialia magis odio haberi, quam leviora; cum sæpe videamus ex diversis inclinationibus hominum magis vitari leviora, quam graviora. Ita aliquando videmus homines magis abhorrere a mendaciis officiosis, quam a levibus furtis, quamvis ista intra speciem peccati venialis sint graviora. Ita etiam videmus alios esse scrupulosiores in vitando quocumque levi peccato in jejunando, non vero cavere a levibus detractionibus &c. Cum igitur multoties dolor de peccatis venialibus gravioribus non sit major dolore leviorum peccatorum venialium, male infertur, eo quod per novam culpam leviorem venialem cessaverit dolor de similibus peccatis, non cessasse etiam de venialibus gravioribus, quorum quis doluit ex eodem motivo, ac de levioribus. Accedit, quod licet inter peccata venialia alia sint graviora, alia leviora, nihilominus, cum non detur inter ea maxima distantia, atque omnia conveniant in hoc, quod sint offensa Dei secundum quid, facile est per novum peccatum veniale cessare dolorem, & propositum quoad aliqua, & non quoad omnia, dum pœnitens sub eodem motivo de omnibus doluit. Id ergo solum intervenire posset, dum aliquis de diversis peccatis venialibus ex specialibus eorum motivis doluisset: & ita qui de commissis levibus detractionibus doleret ob offensam proximo illatam, non intelligeretur cessare ab hoc dolore, quia postea mentiretur, nam eo quod quis voluerit violasse veracitatem, non proinde intelligeretur non posse habere displicentiam de offensa proximo allata, cum etenim hæc sint disparata, unum aliud non excludit.

Reg-

Regulæ in praxi observandæ.

I. Verum est ad valorem confessionis sufficere dolorem, qui præcedat Confessionem saltem in communi repetitam ante absolutionem; at Confessarius debet omnino removere suum pœnitentem ab ita agendo, si non sciat post factam Confessionem tempus sibi concedendum a Confessario, ut doleat, sicut par est, de suis peccatis. Semper mihi displicuit contraria praxis; nam si quis velit concipere dolorem post confessionem, iterum in communi peccata repetendo ante absolutionem, periculo se exponit non ex animo dolendi. Ratio est, tum quia valde distrahetur ab iis, quæ vel reprehendendo, vel suadendo illi dicet Confessarius: tum quia intellectus recogitabit an omnia peccata narravit, tum demum quia, præcipue loquendo de eo, qui habet gravia peccata, videtur non sine temeritate credere sibi eo brevi tempore dandum a Deo auxilium ad vere dolendum, absque eo quod antea se disposuerit illud a Deo petendo &c. Secus esset, si sciret post peractam confessionem impertiendum sibi a Confessario tempus sufficiens, ut se Deo commendet, & concipiat dolorem.

II. Dum Pœnitens non renovaverit dolorem paulo ante confessionem, sed vult confiteri sua peccata ratione doloris die præcedente habiti, credo ex hoc capite bene posse in eo supponi perseverantiam doloris saltem virtualis, adeoque nil obesse valori Sacramenti. At Confessarius cautus esse debet ne ex alio capite fiat Sacramentum nullum, dum pœnitens non habeat nisi sola peccata venialia; nam ordinarie loquendo, difficile est ut post dolorem die præcedenti habitum, nova venialia non commiserit, quibus præhabitus dolor non fuerit retractatus. Bene ergo faciet, si pœnitentem semper iterum excitet ad novum dolorem.

III. Quamvis optimum sit, ut iterum doleat Pœnitens, qui post confessionem peractam iterum accedit ratione alicujus peccati obliti ad absolutionem obtinendam, nihilominus bene poterit Confessarius illum absolvere etiam ratione præhabiti doloris, quem difficile est saltem virtualiter non perseverare. Quantum Confessarius bene aget vitando opiniones nimis laxas, tantum longe abesse debet a tot opinionibus, quæ nimium rigorem præseferunt, & pœnitens velut exterritos arcent a Sacramentis.

QUÆSTIO III.

De Confessione Sacramentali.

CAPUT I.

De Confessionis essentia; & quandonam cadat sub præcepto.

Q. I. QUid sit Confessio; & quales ejus effectus.

R. Confessio ita potest definiri. *Sacramentalis accusatio peccatorum ad eorumdem remissionem obtinendam*, Quoad ejusdem autem effectus vide quæ *q. 1. c. 2.* ubi egi de pœnitentia, quatenus est Sacramentum.

Q. II. An Confessio Sacramentalis cadat sub præcepto Ecclesiastico.

R. Jam supra *c. 2. q. 1.* innui Sacramentalem Confessionem cadere sub divino præcepto. Et quidem merito dicitur, quod si eam non præcepisset Christus, neque præcipere potuisset Ecclesia, tum quia, secluso illius præcepto, Christus voluisset tantum cadere sub consilio, unde sicut numquam Ecclesia suo præcepto obligavit ad ea, quæ ex Christi institutione cadunt tantum sub consilio, quia non valet alterare gubernationem, quam Christus posuit in Ecclesia, ita dicendum esset de Sacramentali Confessione. Tum quia Potestas, quam Christus tradidit Ecclesiæ, cum respiciat regimen Communitatis Fidelium, non potest se extendere ad præcipiendum aliquid, quod quampluribus esset difficillimum; & certe respectu plurium ita se habet confessio, non solum ob molestiam recogitandi speciem, numerum, & circumstantias peccatorum, sed multo magis, quia necesse est etiam graviora delicta homini patefacere. Accedit quod Ecclesia rem adeo difficilem sine necessitate non imperasset, si de Confessione non extaret divinum præceptum, nam tunc, ut dixi, de se fuisset tantum sub consilio, & aliunde ad justificationem assequendam satis fuisset recursus ad contritionem: *Can. in relat. de Pæn. p. 5. Lugo disp. 15. de Pæn. sect. 6. n. 91. Anton. a Sp. S. hic disp. 4 sect. 4.*

Supposito ergo divino præcepto de Confessione Sacramentali facienda, Concilium Lateranense sub Innoc. III. *cap. 21.*, ut habetur *cap. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.*, obligat omnes fideles, qui ad annos discretionis pervenerint, ut saltem semel in anno propria peccata confiteantur. De hoc præcepto loquens Tridentinum *sess. 14. cap. 5.* ita habet; *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiteantur, sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno, ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur*. Supposito igitur præcepto divino de obligatione confitendi, Ecclesia superaddidit præceptum humanum quoad tempus illud adimplendi. Neque hoc præceptum desineret esse humanum, etsi supponatur etiam præceptum divinum obligare non solum in periculo mortis, sed etiam ne confessio ultra annum differatur, qua de re vide quæ dixi de Præcepto suscipiendæ Eucharistiæ in Tractatu Superiori *q. 1. cap. 6. qu. 2. &c.* Præceptum igitur non dicitur humanum, vel divinum præcise ratione materiæ, cum ea possit sub utroque cadere præcepto, sed dicitur divinum, si immediate sit a Deo, & humanum si immediate ab homine, unde cum præceptum de annua Confessione editum in Concilio Lateranensi fuerit immediate ab homine, ab ipso nempe Concilio, dici debet absolute, & simpliciter humanum.

Q. III. Quos comprehendat præceptum Ecclesiasticum de annua confessione.

R. Comprehendit omnes baptizatos qui pervenerunt ad usum rationis, illumque adhuc retinent, ac habent conscientiam peccati gravis. Primo ergo præceptum Confessionis obligat solos baptizatos, nam materia hujus Sacramenti sunt peccata post Baptismum commissa. Quod vero etiam comprehendat hæreticos, patet ex dictis *Tr. 3. q. 3. c. 1. qu. 2.* Quod præfatum præceptum obliget omnes, qui pervenerunt ad usum rationis, constat unicuique legenti citatum Decretum Concilii Lateranensis. Item clarum est non dari talem obligationem, si usus rationis vel amentia, vel senectute fuerit deperditus. Quod vero non obliget, nisi habentes conscientiam peccati mortalis, exinde probatur, quia Ecclesia determinavit tempus, quo facienda esset confessio a Christo Domino instituta; Christus vero non voluit eam cadere sub præcepto, nisi quantum ad confessionem mortalium, quamquam recte, & utiliter, ut ait Tridentinum *sess. 14. c. 5.*, accusentur in confessione etiam peccata venialia: *Candid. disp. 24. art. 5. dub. 1. Lugo disp. 15. n. 132.*, & communiter; bene tamen faciet non habens conscientiam peccati mortalis, si se præsentet Confessario, ipsique manifestet confessionis non indigere: *D. Th. in 4. q. d. 17. q. 3. a. 1. q. 1.*: & melius, si eadem peccata venialia cum vero dolore confiteatur, eo maxime quia forte falso sibi blanditur, putans, nonnisi venialia commisisse.
Sed quid agendum, si dubium sit de usu rationis? Ego censeo quod si instet articulus mortis, vel quod si prædicti se accusent de materia gravi, aut prudenter timeri possit incidisse in gravem culpam, semper absolvendi sint sub conditione, vel instet præceptum Confessionis, vel non. Ideo dico absolvendos, ne in discrimen versetur ipsorum æterna salus, adeoque non puto Christum voluisse arcendos ab hoc Sacramento. Ex alia parte absolvendi sunt sub conditione, ut consulatur reverentiæ Sacramenti, si forte non habeant sufficientem usum rationis: *Laym. l. 5. tr. 6. c. 5. n. 7.*, *Dian. t. 1. tr. 4. resol. 21. Lugo disp. 15. n. 160.*, *& disp. 17. n. 22.*

Q. IV. Qua anni parte obliget præceptum Confessionis, & an dari possit obligatio plusquam semel confitendi ex vi Ecclesiastici præcepti.

R. I. Communiter docent Theologi, & Canonistæ, quod sicut obligatio communicandi a Concilio Lateranensi alligata fuit tempori Paschali, ita satisfiat obligationi confitendi, si semel fiat intra decursum anni; nam obligat fideles omnia sua peccata *semel saltem in anno* confiteri. Cum nihilominus fideles adimplere debeant tempore Paschali præceptum communionis, hinc invaluit mos etiam eo tempore præceptum confessionis adimplendi, quem morem laudat Tridentinum *sess. 14. c. 3.* Porro, juxta communiorem sententiam omnino sequendam, annus, in quo satisfaciendum est præcepto confessionis, computandus est ab una quadragesima ad aliam, vel ab uno Paschate ad alterum; nam quoad hoc præceptum ita computatur annus communi gentium, & populorum consuetudine: *Trull. in Decal. l. 3. c. 4. dub. 2. n. 6.*, *Anton. a Sp. S. disp. 4. sect. 5. n. 239.*

Quamvis ex dictis satisfiat præcepto confessionis, per hoc quod quis in qualibet anni parte confiteatur, nihilo-

lominus hæc doctrina aliquas patitur limitationes. Prima, quæ fere communia est inter Theologos, est quod tenetur anticipare confessionem, qui habens conscientiam gravis culpæ, prævidet in posterum non habiturum copiam Confessarii. Id communiter probatur, quia, cum jam inceperit præcepti obligatio, adeoque vere liget, & urgeat, consequens est esse adimplendam, si prævideatur superventurum impedimentum illius adimpletionis. Hinc, quamvis magis communiter doceant Theologi prævidentem in anno sequenti non habiturum copiam Confessarii, non teneri hoc anno anticipare confessionem anni futuri, quia nondum illius obligatio incœpit, ut videre est apud Leandrum hic *disp. 3. par. 46.*, e contra asserunt quod qui prævidet circa meridiem habiturum impedimentum pro Missa audienda, debet antea satisfacere huic obligationi, cum jam a summo mane urgeat præceptum Missam audiendi: *Candid. disp. 24. art. 28. d. 33. aliique apud Dian. t. t. tr. 3. resol. 65.* Efficaciter etiam id videtur probari, si consideretur non potuisse esse mentem Ecclesiæ annuam confessionem præcipientis, ut non anticiparetur ab iis, qui postea non habebunt copiam Confessarii. Si etenim noluit ultra annum differri, quia major dilatio non poterat esse sine ingenti animarum præjudicio, multo magis ejus mens erat, ut anticiparetur ab iis, qui in posterum non habituri essent copiam Confessarii, isti etenim necessario confessionem ultra annum distulissent. Ex prædictis fundamentis convincitur etiam habentem reservata teneri anticipare confessionem, si prævideat in posterum non habiturum Confessarium, a quo a similibus peccatis absolvatur.

Secunda limitatio est, quod debeat anticipare Confessionem, qui prævidet se exiturum in articulo mortis, & tunc non habiturum copiam Confessarii. Hæc autem obligatio non oritur ex vi præcepti Ecclesiastici, sed ex vi præcepti divini. Hoc igitur præceptum omnes obligat, ut confiteantur mortalia ante mortem; adeoque non restringitur ad tempus, quo præcise urgeat periculum mortis, sed comprehendit omne tempus, & vult fideles ante mortem peccata gravia confiteri. Supposito ergo aliquem prævidere sibi superventurum articulum mortis, & non habiturum tunc copiam Confessarii, tenebitur ex divino præcepto confessionem anticipare: *Anton. a Sp. S. hic disp. 4. sect. 2. n. 214.* Aliqui addunt tertiam limitationem, dicendo debere anticipare confessionem illum, qui si expectet ad finem anni, plurium culparum non recordabitur. At hæc opinio aliis nimis videtur rigorosa: nam tunc peccatores labilis memoriæ non haberent obligationem semel in anno confitendi, sed pluries, & pluries. Immo communiter esset obligatio pluries in anno confitendi; nam respectu cujuscumque, si differat per annum confessionem, periculum erit alicujus gravis culpæ obliviscendi. Dicendum ergo est præceptum confessionis solummodo obligare, ut unusquisque intra annum faciat sufficiens examen pro qualitate suæ conditionis, & pro statu suæ conscientiæ, ac deinde manifestet peccata, quorum fuit recordatus.

R. II. Mihi valde probabile est, quod si quis incidat in novum peccatum mortale, postquam infra annum confessus est peccata mortalia, ex vi præcepti Ecclesiastici teneatur iterum confiteri. Ratio mihi est, quia Concilium Lateranense *in cap. omnis utriusque sexus* præcipiendo confessionem semel in anno faciendam, vult quemliber fidelem *omnia sua peccata semel in anno fideliter confiteri*: mens ergo Concilii est, ita semel in anno fideles peccata confiteri, ut omnium eo anno commissorum obtineant absolutionem. Dum igitur intra annum aliquis in novum grave incidat peccatum, iterum tenetur ad confessionem, etsi semel alia gravia peccata fuerit confessus. Accedit quod cum voluerit Ecclesia præcepto annuæ confessionis impedire, ne diu perseverarent fideles in peccato mortali, ejus pariter mens erit, ne eximantur a nova confessione, si iterum in gravem culpam labantur. Ratio est, quia si per confessionem semel factam peccatis mortalis plene quis satisfaceret præcepto annuæ confessionis, sequeretur quod si quis talem confessionem fecerit post Pascha, non amplius teneretur eo anno confiteri in quodcumque mortale labatur; aliunde autem posset confessionem sequentis anni usque ad ipsius finem differre, adeoque fieret, ut contra intentionem Ecclesiæ, per duos annos perseveraret in statu peccati mortalis: *Suar. de pœnit. disp. 36. sect. 3. num. 9., Henriq. l. 4. cap. 4. num. 2. & 6., Candid. disp. 24. arg. 28. d. 33.* Dices ex prædictis sequi teneri etiam ad novam confessionem, qui post eam rite peractam recordatur se oblitum fuisse alicujus peccati mortalis; nam de hoc pariter verificatur non omnia sua peccata confessum, adeoque ex præfata ratione debere novam confessionem instituere; quam tamen obligationem ex hoc capite censent DD. non facile adstruendam. Sed contra est, quia qui recordatur post confessionem rite factam alicujus peccati mortalis obliti, ex una parte assequutus fuit gratiam justificationis, & ex alia illud peccatum in confuso saltem confessus fuit, quatenus habuit intentionem omnia peccata mortalia confitendi, & dolorem concepit ex motivo universali; adeoque bene dici potest non esse intentionem Ecclesiæ ad novam confessionem illum obligandi. E contra vero cum, qui commisit novum peccatum mortale post confessionem intra annum peractam, exciderit a gratia, quam vult Ecclesia singulis annis in fidelibus reparare, & nullatenus verificetur omnia sua peccata illo anno commissa confessum esse, optime dici potest ex intentione Ecclesiæ subjacere obligationi novæ confessionis.

Alter casus, quo adest obligatio iterum confitendi, est, dum quis sola venialia confessus est, & ex aliqua rationabili causa omisit peccatum mortale. Ratio est, quia sola confessione venialium non satisfit præcepto Ecclesiæ, cujus materia est solummodo confessio peccati mortalis. Nec refert in supradicto casu illud peccatum mortale fuisse indirecte absolutum; nam præceptum Ecclesiæ urget quousque aliquo modo pœnitens non confessus fuerit peccata gravia, quæ sunt materia talis præcepti, in prædicto autem casu supponitur solummodo confessionem fuisse de peccatis venialibus. Observare hinc est quod multi apud *Dian. tom. 1. tract. 3. resol. 62.* dicunt in tali casu talem confessionem esse necessariam; cum præceptum Ecclesiæ sit ut habens peccata mortalia reconcilietur Deo eo modo, quo potest. Excusari e contra potest a nova confessione, qui dum confessus fuerit alia gravia peccata, aliquod ex justa causa tacuit, ut facile potest accidere in moribundo; vel si confessus sit mortale dubium, & postea cognoscat certo fuisse mortale. Hi excusari possunt a nova confessione, si iterum grave peccatum non committant; quia ex una parte constituti sunt in statu gratiæ, quod præcipue videtur intendere Eccl. & ex alia confessio fuit de materia, quam præcipit Eccl. quæ scilicet materia sunt non solum peccata mortalia certa, sed etiam dubia: *Lugo de Pœnit. disp. 15. n. 170.*

Q. V. An qui confessionem distulit ultra annum teneatur illo tranxacto statim confiteri; & an si confiteatur, ea confessione satisfacere possit etiam obligationi novi anni, in quo eam facit.

R. Mihi certum est, quod, qui omisit integro anno confessionem, tenetur, eo elapso, statim confiteri. Ratio est, quia cum Ecclesia noluerit confessionem ultra annum differri, ne fideles in gravi culpa perseverando in nova semper peccata prolaberentur cum periculo obdurationis in tali stato, signum est non designasse annum ad terminandam obligationem, sed ne ultra differretur; omnis enim dilatio semper adversatur fini ipsius Ecclesiæ. Sicut igitur, dum assignatum est tempus solutioni, eo elapso, urget tempus solvendi, quia non assignatur tempus ad finiendam, sed ad non differendam solutionem, ita dicendum in casu nostro. Neque hic urget paritas de eo, qui die festo omittit Missam, vel aliqua die horas canonicas. Hic, elapso tempore, quo talibus præceptis erat satisfaciendum, non tenetur postea satisfacere, quia sensus est omnium fidelium, Ecclesiam ultra tale tempus non obligare ad satisfaciendum talibus præceptis. At si consideretur finis, quem habuit Ecclesia in præcipiendo annuam confessionem; omnino dicendum est velle etiam elapso anno suum præceptum urgere: *Leand. hic disp. 3. q. 41.* apud quem alii quamplures.

R. II. Per confessionem factam initio anni subsequentis, quæ fieri debebat anno præcedenti, non potest simul satisfieri obligationi anni præcedentis, & subsequentis. Quamvis ergo verum sit multoties eodem actu satisfieri posse duplici præcepto, hoc tamen falsum est, dum intentio Legislatoris est, ut unicuique præcepto correspondeat sua peculiaris satisfactio. Cum igitur Ecclesia voluerit singulis annis correspondere unicam saltem Sacramentalem confessionem, hinc est quod cum confessio, quæ facienda erat anno precedente, si fiat initio subsequentis, ex intentione Ecclesiæ deserviat ex dictis ad satisfaciendum confessioni anno præcedenti omissæ, consequens est Ecclesiam velle pro novo anno novam fieri confessionem. Ad eum modum, quo, si singulis annis solvendus sit nummus aureus, eo quod solvatur initio sequentis,

qui

qui solvendus erat anno præcedenti, non cessat obligatio solvendi eodem anno altum aurum. Accedit quod si novo anno post confessionem iterum peccet mortaliter, ex dictis quæsito superiori, nova instituenda est confessio; si vero peccet solum venialiter, ex alio capite cessat obligatio confessionis.

Q. VI. Qualis debeat esse Confessio, ut per eam satisfiat præcepto Ecclesiæ.

R. Quidam putabant per confessionem voluntarie nullam satisfieri præcepto Ecclesiæ, sed hanc opinionem proscripsit Alexander VII. damnando propositionem 14. Et ratio est, quia Ecclesia præcipit veram Sacramentalem confessionem a Christo Domino institutam; unde vel confessio sit nulla eo quod non manifestentur aliqua peccata, vel ex defectu doloris, & propositi, non satisfit præcepto Ecclesiæ, cum non detur vera sacramentalis confessio. Fundamento autem illorum, qui asserebant per confessionem nullam satisfieri præcepto Ecclesiæ, quoties nulla esset ex defectu actus interni, quia tales actus cadere non possunt sub præcepto Ecclesiæ: huic, inquam, fundamento sæpe satisfactum est, valet etenim Ecclesia præcipere indirecte actus internos, quoties necessarii sunt ad valorem actus externi, quem præcipit, ut dictum est, *Tr.3.q.1.c.5.q.2.*

Remanet solum difficultas, an ex suppositione quod dari possit confessio valida, sed informis; h.e., non inducens justificationem, per hujusmodi confessionem Ecclesiæ præcepto satisfiat. Pro quo supponendum est maxime ex duplice capite quamplures sustinere dari posse confessionem validam, sed informem. Primo, quando dolor, licet sit supernaturalis, est tamen inefficax, non excludens scilicet voluntatem peccandi, quamvis id non advertat qui confitetur. Et quidem dari potest verus dolor de aliquo malo, quamvis non semper afferat voluntatem illud vitandi; ut constat in eo, cui valde displicet aliquod peccatum, maxime si infamiam afferat, & tamen ex pravo habitu, vel alia caussa non habet veram voluntatem illud deserendi. Eo modo discurrunt de dolore confessionis, qui vere dari potest in aliquo, eo quod consideret suis peccatis offendere Deum, qui tamen non pertingat ad excludendam voluntatem peccandi, quamvis id non advertat qui confitetur. Ex hoc autem inferunt posse dari confessionem utique validam, quia datur confessio peccatorum, & verus dolor supernaturalis, at informem, quia cum non pertingat ad excludendam omnimode voluntatem peccandi, non potest gratiam causare. Alter casus, in quo dicunt dari confessionem validam, sed informem, est quando quis doleret de aliquo peccato ex ipsius particulari motivo, ut dum quis doleret de adulterio, quatenus contra Dei præceptum turpiter lædit justitiam, quapropter talis dolor non se extenderet ad aliud peccatum, cujus pœnitens oblitus est, e.g. ad perjurium. Et in hac hypothesi volunt validam esse confessionem, quia adest confessio peccati, quod memoriæ occurrit, & ipsius dolor, at esse informem, quia peccatum oblitum, cujus pœnitens non doluit, excludit gratiam. Quidam etiam putant dari posse confessionem validam, sed informem, dum quis aliquam fecit diligentiam in examine peccatorum, sed nihilominus multorum obliviscitur, eo quod ex ignorantia vincibili, sed non crassa, omisit debitum examen. Verum in hoc casu vel Sacramentum erit omnino nullum, vel erit omnino validum, & inducens justificationem. Erit omnino nullum, si quis doluit de peccatis ante tale culpabile examen, nam graviter peccando in examinanda sua conscientia, omnino retractavit præhabitum dolorem. Si vero doluit post tale examen, non advertendo ad obligationem supplendi negligentiam in examine commissam, talis dolor, si sit ex motivo universali; satis est delendum etiam peccatum commissum in examine, & ita Sacramentum erit validum, & inducens gratiam. Redeo modo ad difficultatem propositam.

Magis communiter docent Theologi quod si detur confessio valida, sed informis, per eam fiat satis præcepto Ecclesiæ de annua confessione. Ratio illorum est, quia tunc poneretur actus, qui præcipitur, nempe Sacramentalis confessio. Nec obstat deesse finem præcepti, nempe gratiæ assequutionem; nam quod cadit sub præcepto non est finis præcepti, sed id, quod præcipitur in ordine ad talem finem. *Suar. de Pœnit. disp.35. sect.4., & disp.36 sect.7., Gabr. a S. Vinc. disp.5. q.1. aliique.* Id tamen apud me satis valide probatum non apparuit. Ratio est, quia ex fine, quem habuit Ecclesia præcipiendi quotannis Fidelibus confessionem, apparet ipsius præceptum respexisse non confessionem utcumque, sed confessionem, quæ justificaret, & removeret homines a statu peccati, ut pluries supra dictum est. Justificatio ergo peccatoris non solum fuit finis Ecclesiæ præcipientis confessionem, sed materia etiam talis præcepti, quatenus intendit præcipere confessionem, quæ justificaret; unde si non ponatur hujusmodi confessio, neque Ecclesiæ præceptum adimpletur.

Q. VII. Quæ causæ excusent a præcepto annuæ confessionis; & quid si aliquis non potest confiteri, nisi per Scripturam, aut per Interpretem.

R. I. Cum præceptum annuæ confessionis sit humanum, adeoque non obliget cum gravi detrimento, aut dispendio valetudinis, hinc est excusari ab hoc præcepto adimplendo omnes illos, qui non possunt illud adimplere sine incommodo valde gravi, vel sine detrimento, quod alias quis subire non teneatur ratione ipsius confessionis. Hinc excusaretur ab adimplendo hoc præcepto, qui deberet iter valde arduum suscipere, vel valetudinis periculo se exponere. Item, qui manifestando aliqua peccata Confessario, dum alter non esset, rationabiliter timeret vel sibi aut aliis grave aliquod incommodum; quamvis, si alia haberet peccata, deberet ea confiteri, tacendo illa, ex quibus timeret propter malitiam Confessarii sibi, vel aliis grave malum obventurum. Dixi tamen tale malum, seu incommodum tale debere esse, ut subeundum non sit ratione ipsius confessionis; nam si e.g. quis ex confessione gravium peccatorum subire debeat magnam erubescentiam, & afflictionem, vel etiam pati grave detrimentum in fama apud Confessarium, non potest ab adimplendo præcepto confessionis excusari; cum etenim hæc annexa sint ipsi confessioni, consequens est esse subeunda, ut illius præcepto satisfiat.

R. II. Si Confessio facienda per scripturam non subjaceat periculo manifestationis, hoc modo facienda est, quando alia via satisfieri non possit præcepto; nam dum cesset tale periculum, est medium ordinarium, & non valde difficile; adeoque adimplendum, ut præcepto satisfiat. Cæterum dicere confessionem, quæ fiat per scripturam, semper obnoxiam esse manifestationi, experientia constat esse falsum; nam sunt qui semper scribunt propria peccata, absque eo quod talis scriptura unquam in aliorum manus devenerit. Ita ergo mutum satisfacere debere præcepto annuæ confessionis, docent non pauci. *D. Th. in 4. d.17. q.3. ad 1., Fagund. l.1. c.6. num.20.*

R. III. Nemo tenetur confiteri per interpretem, ut satisfaciat præcepto annuæ confessionis; nam *c. omnis utriusque sexus* præcipitur confessio *soli Sacerdoti* facienda. Præterea adhibere Interpretem esset grave incommodum excusans a præcepto Ecclesiastico. Denique hujusmodi confessio non esset omnino secreta; unde si quis velit eam facere ad majorem sui humiliationem, qua ratione posset quis etiam publice fateri sua peccata, poterit id facere, at non cadit sub præcepto: *Trid. sess.14. c.5.*

Quod si aliquis existens in peccato gravi deberet diu differre confessionem, & juxta meam opinionem ultra annum, & aliunde credere non posset se esse contritum, tunc puto debere etiam per interpretem confiteri. Ratio est, quia jure divino naturali se ponere debet in statu non reincidendi in nova peccata mortalia, in quo statu est quoties diu perseverer in aliquo peccato mortali, ut dixi *q.1. c.1. qu.3.* Si vero aliquis sit in periculo mortis, puto debere confiteri per Interpretem, etsi credat se esse contritum; nam saltem ex præcepto charitatis erga seipsum, debet vitare periculum damnationis, quod non satis vitat, si omittat confiteri per interpretem, eo quod se credat contritum, quia facile potest errare: *Lugo de pœnit. disp.16. n.66.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Valde cautus esse debet Confessarius in absolvendis iis, qui parvi pendentes intra annum accedere ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, peccatis onusti accedunt ad Confessarios tempore Paschali. Si Confessarius illorum dispositionem consideret, videbit, quod si tempus Paschale per unum vel plures annos differri potuisset, ipsi certe distulissent confessionem. Prudenter ne ergo credi potest ex corde peccata detestari, & ad confessionem accedere animo vere se cum Deo reconciliandi? Bene se geret ille Confessarius, qui judicabit ultra Pascha differendum præceptum annuæ communionis, ut habetur ex Concilio Lateranensi *cap. omnis utriusque sexus*; atque ita differendo etiam annuam confessionem, poterit examinare voluntatem sui pœnitentis, sicuti aliquibus

injunctis operibus ea periri, an ex vero peccatorum dolore ad confessionem accedat. Fateor semper me pœnituisse hujusmodi peccatoribus non distulisse absolutionem, eosque nunquam adimplesse promissa redeundi adinveni.

II. Quamvis præceptum annuæ confessionis comprehendat etiam pubblicos peccatores, ut meretrices, usurarios &c., nihilominus quoad has personas magna necessaria est prudentia in Parocho, seu Confessario. Si hæ Personæ cogantur ad annuam Confessionem, & Communionem, comminando illis pœnas Ecclesiasticas, certe duplici sacrilegio propriam inquinabunt conscientiam. Videant ergo, si concedendo illis tempus, possint exhortantibus &c. ad bonam frugem reduci; & si hoc obtineri non possit, de consensu Ordinarii, melius est quoad hujusmodi Personas dissimulare.

III. Dum Confessarius audit Confessionem generalem alicujus, qui diu vixit in peccato, non obliviscatur illum interrogare de sacrilegis Confessionibus, & Communionibus factis in Paschate, nam ultra peccatum sacrilegii, graviter etiam peccavit, si ad hoc advertit, se fecisse contra præceptum Ecclesiæ de annua Confessione, & Communione.

CAPUT II.

De Integritate Confessionis,

Q. I. QUotuplex sit integritas confessionis, & quomodo sit necessaria.

R. I. Integritas confessionis duplex est, alia materialis, alia formalis. Prima consistit in eo, quod quis confiteatur omnia mortalia, quæ post Baptismum commisit, & nondum confessus fuit, ut magis explicabitur in sequentibus. Formalis consistit in eo, quod quis confiteatur peccata, quæ hic & nunc potest, & debet; unde examniandæ erunt legitimæ excusationes, quarum ratione possint peccata taceri.

R. II. Ordinarie loquendo, ad validitatem confessionis necessaria est integritas materialis. Hanc veritatem explicat Tridentinum *sess. 14. c. 5.*, & diversimode suadetur. Cum igitur Confessarius ex institutione Christi gerat officium Judicis, & Medici, ex utroque capite sunt illi manifestanda omnia peccata mortalia; neque etenim judicare potest, quæ ignorat, sicut nec applicare remedia morbis sibi ignotis. Prætere[a], ut expendit *S. Th. q. 9. suppl. art. 2.*, Sacerdos confessionem audiendo gerit Dei vicem, unde sicut dum fit Deo confessio mediante contritione, hæc debet esse de omnibus peccatis; ita Sacerdoti in confessione manifestanda sunt omnia peccata. Addi potest quod cum Christus in lege gratiæ præcepto contritionis substituerit præceptum confessionis, sicut antea non delebantur peccata, nisi omnia per contritionem detestando, ita dici debet, quod non deleantur per confessionem, nisi omnia manifestando.

Dixi, ordinarie loquendo, necessariam esse integritatem materialem, per accidens etenim sufficit integritas formalis, dum nempe adest impotentia vel physica, vel moralis ad omnia peccata manifestanda. In his igitur circumstantiis satis est, si pœnitens explicet ea peccata, quæ potest, cum voto manifestandi quæ ex justa causa tacet, dum aderit commoditas. Ita sentiunt omnes Theologi, neque enim credere est Deum voluisse manifestari peccata, dum gravissima adsit causa ea tacendi.

Q. II. Quale debeat esse examen conscientiæ, ut servetur integritas confessionis.

R. Cum ex jure divino manifestanda sint in confessione omnia peccata mortalia commissa post Baptismum, clare constat necessarium esse examen conscientiæ; neque etenim sine eo posset pœnitens sua peccata in confessione aperire, unde & ipsius necessitatem exponit Tridentinum *sess. 14. c. 5.*, & *can. 5.* Difficultas ergo reducitur ad determinandum quale examen sit necessarium. Hac autem in re non potest pro omnibus eadem regula assignari, sed juxta diversas conditiones, & statum pœnitentium diversimode discurrendum est. Certum igitur primo est, hoc examen faciendum non esse persunctorie, & superficialiter, sed sedulo, & diligenter, ut dicit Tridentinum loco citato. Communior vero Theologorum opinio non exposcit pro hoc examine summam diligentiam, sed gravem; qualem in aliis gravibus negotiis solent viri prudentes adhibere. Ratio est, quia putandum est non ita Christum confessionem instituisse, ut res esset fere semper multis scrupulis, & anxietatibus obnoxia, qualiter se haberet confessio, si summa dilige tia, examen faciendum esset; & constat experientia; nam qui ita putant conscientiam examinandam, & se, & Confessarios quam maxime torquent, immo & in amentiam, vel desperationem incidunt: *Lugo de pœnit. disp. 16. n. 593. Can. de pœnit. p. 5. §. Tertia propositio*, & quamplures, quos sequitur *Leand. disp. 7. p. 73.* Ex hac autem doctrina inferunt, quod licet qui adhibuit aliquam diligentiam, debeat ulteriorem adhibere, si credat aliqua mortalia fore in memoriam revocanda, non tamen teneri ad novam ingentem diligentiam, etsi putaret hoc modo aliorum peccatorum recordaturum: *Bonac. de Pœnit. disp. 5. q. 5. p. 7.*

Verum tamen est eam, quæ in aliquo erit sufficiens diligentia pro conscientia examinanda, talem non futuram respectu alterius. Ita quæ sufficiens erit in rudi, & ignaro, talis non erit respectu viri docti. Quæ sufficiens est respectu hominis a negotiis, & contractibus alieni, insufficiens est respectu illius, qui varia exercuit negotia. Quæ sufficiens est respectu illius, qui frequenter confitetur sua peccata, insufficiens est respectu illius, qui raro. Hinc, ut dixi, non potest respectu omnium eadem regula assignari, sed res est juxta prudentis Confessarii arbitrium regulanda.

Q. III. An ad integritatem Confessionis necesse sit confiteri speciem, circumstantias, & numerum peccatorum.

R. Concilium Lateranense *in cap. omnis utriusque sexus*, decrevit confitenda esse peccata *integre, & fideliter*; & Tridentinum *sess. 14. c. 5.*, & *can. 7.* explicanda esse omnia peccata mortalia, & circumstantias mutantes speciem: unde constat in confessiooe explicandam esse speciem, circumstantias mutantes speciem, & numerum peccatorum. Neque refert Tridentinum non dixisse explicite explicandas esse species peccatorum; nam eo ipso quod dixerit manifestanda omnia peccata, etiam species manifestandas asseruit; neque etenim per peccatum furti manifestatur odium, quod est diversæ speciei. Deinde si definivit manifestandas circumstantias mutantes speciem, a fortiori manifestandas intellexit ipsas species substantiales peccatorum. Prædicta etiam ratione supra attacta demonstrantur; neque etenim Confessarius potest gerere munus judicis, nisi causa plene cognita; nec plene eam cognoscere potest, nisi præfata omnia manifestentur. Item necesse est ea omnia manifestare, ut possit bene obire munus Medici, qui non valet, ut convenit, curare, nisi cognoscat & qualitatem morbi, simulque omnes morbos, quibus infirmus gravatur, ut observat etiam S. Th. *in supl. q. 9. a. 2.* Id etiam demonstrat (ut alias rationes ommittam) eidem Sacerdoti omnia peccata, & eorum species manifestandas, si etenim uni aliqua, alteri alia peccata pœnitens aperiret, nemo illorum perfecte posset esse Judex, & Medicus illius, ut considerat idem S. Doctor *in resp. 2. ad 2* Cæterum quoad dignoscendas species, circumstantias mutantes speciem, & numerum peccatorum, vide quæ dixi *tr. 3. qu. 3. a. 2.*

Q. IV. Quid agendum sit, dum pœnitens non potest assequi numerum certum peccatorum, vel ipsorum species.

R. Magis communiter asserunt Theologi, quod dum Pœnitens habere non potest numerum certum peccatorum, sufficit, si dicat numerum probabilem, dicendo e.g. pejeravi decies plus, minusve: Quod si postea adinveniat undecies, vel duodecies pejerasse, non tenetur undecimum, vel duodecimum peccatum confiteri de plus, nam unum, aut duo peccata sufficienter videntur significata ab eo, qui dicit pejerasse decies plus, minusve. Hic autem advertendum, quod, quo major est numerus expressus, eo magis augetur numerus inclusus, & significatus, vocibus, *circiter*, aut *plus illis minus*; adeoque qui dicit peccata triginta commisisse *circiter*, seu plus minusve satis explicet triginta quatuor. Quæ solent contra hæc urgeri ex paritate obligationis iterum manifestanda peccata dubia, si ut certa postea cognoscantur, sed iterum confitendi invincibiliter oblita expendemus infra quæsito octavo, & nono.

Casu autem, quo pœnitens nec possit explicare numerum certum, aut probabilem, dicendo quoties circiter consueverit peccare singulis diebus, hebdomadibus, aut mensibus, explicit saltem tempus, quo perseveravit in peccato, simulque species peccatorum, quibus consuevit peccare, ut si fuerint blasphemiæ, perjuria, adulteria, pollutiones &c. Ita pariter Meretrix explicet tempus, quo permansit in peccato, & simul particulares species peccatorum; ut si peccavit contra naturam, si admisit etiam Conjugatos, si obstrictos voto castitatis, si consanguineos intra gradus prohibitos, si personas inter se proxime conjunctas, ut Patrem, & filium, duos fratres, &c.

Q. V.

Q. V. An in confessione aperiendum sit idem numero peccatum, quod patratum est; vel liceat unum objectum loco alterius substituere, quando sunt ejusdem rationis.

R. Quæsitum procedit in casu, quo species peccati plene manifestatur, sed ejus objectum variatur. Ita qui occidit Petrum, si confiteatur occidisse Joannem, fatetur homicidium, at variat objectum homicidii. Qui fornicatus est cum Berta, plene fatetur peccatum fornicationis, dicendo fornicatum esse cum Caja, at variat objectum sui peccati, quamvis sit ejusdem rationis cum eo, cum quo peccavit. Id autem puto omnino fieri non posse, quamvis etenim non varietur judicium Confessarii in ordine ad peccatum, attamen non servatur modus rite confitendi. Ratio est, quia ita facienda est confessio, ut per eam fiat sensibilis dolor peccatorum, quia confessio debet esse dolorosa culparum accusatio. Id autem non verificatur, dum qui occidit Petrum, confitetur se occidisse Joaunem; nam quomodo potest demonstrare dolorem de homicidio Joannis, cum illud non fecerit, & consequenter nec confessio talis homicidii potest aliquo pacto dici dolorosa? *Sal. Schol. tract. 24. de Pœnit. disp. 8 dub. 4. a num. 103.*

Q. VI. An circumstantiæ notabiliter aggravantes, dum speciem peccati non mutent, sint in confessione exprimendæ.

R. Quamvis olim opinioni affirmanti adhæserim, nihilominus modo puto in praxi non rejiciendam sententiam, qua affirmatur non esse necessario exprimendas, ex eo præcise quod sint notabiliter aggravantes; ut si e. g. peccatum commissum fuerit cum magna delectatione, si diu in eodem quis perduraverit &c. Ratio autem est, quia ubi innotescunt species peccatorum, & ipsorum numerus, constat satis Confessario gravitas culparum, & status pœnitentis, itaut judicare possit quam satisfactionem illi imponere debeat, hæc etenim præcipue regulanda est juxta culpæ gravitatem, & numerum peccatorum. Quamvis autem perfectius innotesceret status pœnitentis, si etiam circumstantias notabiliter aggravantes aperiret, nihilominus non constat ex institutione Christi hujusmodi dari obligationem: tum quia si omnimode manifestandus esset status pœnitentis, teneretur etiam manifestare circumstantias notabiliter minuentes, quod tamen nemo dicit, nisi quando peccatum ita minuunt, ut ex mortali fiat veniale: tum, quia, cum putandum sit Christum non ita instituisse Sacramentum pœnitentiæ, ut pœnitentes semper debeant esse inter scrupulos, & angustias, videtur dicendum non dari obligationem hujusmodi circumstantias notabiliter aggravantes manifestandi, nam semper irrequietus esset animus, & fluctuaret in determinando, an hæc, vel illa circumstantia esset notabiliter, vel mediocriter aggravans; cum maxime nulla certa regula pro ingeniorum varietate in hac materia reperiatur. Huic sententiæ magnum etiam robur accedit ex multorum insignium DD. suffragio, quorum aliquos adnotabo: *D. Th. in 4. d. 16. q. 3. art. 2. q. 5. S. Bonav. ibid. d. 17. q. ult., D. Ant. 3. p tit. 14. c. 9. §. 7. Lug. de Pœnit. disp. 16. sect. 3. Aver. q. 10. sect. 8. Contacb. disp. 7. dub. 3. n 13.*

Dixi non dari obligationem eas manifestandi ex eo præcise quod sint notabiliter aggravantes, nam ex aliis capitibus oriri potest hujusmodi obligatio. Sunt igitur exprimendæ, quando ratione earum peccato annexa est censura, vel reservatio, ut de se constat. Ita ratione circumstantiæ notabiliter aggravantis percussio Clerici potest esse reservata soli summo Pontifici. Item sunt exprimendæ quando ratione durationis multiplicatur numerus peccatorum. Cum igitur dixerim *tract. 2. quæst. 1. cap. 2. quæst. 2.* peccata interna multiplicari etiam dum naturaliter interrumpitur actus pravus voluntatis, hinc est, quod si quis iterum eamdem pravam voluntatem resumat, explicanda est in confessione circumstantia notabilis durationis in pravo actu interno; nam moraliter impossibile est non fuisse interruptum adeoque non multiplicata fuisse peccata. Quod si ignoretur numerus, explicandum est tempus, quo pravus affectus permansit. Exprimendæ sunt pariter circumstantiæ notabiliter aggravantes, quando id necessarium est, ut Confessarius occurrere possit necessitati pœnitentis; & ex hoc capite explicanda venit, ordinarie loquendo, consuetudo peccandi, & occasio an proxima, an remota, an domi, vel extra; his etenim ignoratis, vel Confessarius absolvet pœnitentem indispositum, vel non assignabit remedia necessaria ipsius necessitati. De obligatione vero respondendi Confessario de hujusmodi interrogante jam aliqua dicta sunt, & iterum infra dicetur. Denique aperiendæ sunt circumstantiæ notabiliter aggravantes in explicandiis injuriis, & detractionibus, ut Confessarius dignoscere possit, quam satisfactionem imponere debeat; nam alio modo nobilis satisfacere debet alteri viro nobili, alio modo nobilis plebejo, plebejus nobili &c. Eadem ratione potest esse obligatio manifestandi quantitatem notabilem in furto, ut Confessarius imponere possit congruam satisfactionem, adigendo pœnitentem, ut per partes restituat, si non potest totum.

Q. VII. An necesse sit aperire in confessione peccata mortalia dubia; & quid dicendum de dubitante an aliquod mortale confessus fuerit.

R. I. vel aliquis dubitet an peccatum mortale commiserit, vel aliquis sciat se peccasse, & dubitet, an mortaliter, vel venialiter, tenetur hujusmodi peccata dubia in confessione manifestare. Ratio mihi est, non solum quia Tridentinum *sess. 14 cap. 5., & can. 7.* excipit ab obligatione confitendi solum peccata venialia, sed etiam, quia communis praxis fidelium, da qua non extat memoria, est hujusmodi peccata confiteri, eamque praxim communiter approbant DD. ut videre est apud Sanchez *l. 1. Sum. c. 10. n. 66. Dian. 4. p. tr. 3. resol. 31. & p. 6. tr. 6. resol. 32. Leand. de pœnit. disp. 5. qu. 25.* Immo adinvenire est asserentes contrariam nonnullorum opinionem esse improbabilem, nullo fundamento niti, nostram vero esse certissimam, & juxta communem sensum totius Ecclesiæ. Ex hoc autem hujusmodi formatur argumentum. Quoties obligatio legis est in possessione, lex est observanda, ut constat ex dictis *tr. 3. q. 2. c. 5. q. 2.*, ex communi autem praxi fidelium, & consensu DD, constat esse in possessione legem obligantem ad confitenda peccata martalia dubia. Sive dicas ex praxi immemorabili, & consuetudine fidelium, & consensu DD, haberi non solum dari legem obligantem ad manifestanda peccata mortalia certa, sed etiam dubia, consuetudo etenim est etiam optima divinæ legis interpres quoad ejus obligationem. Si ergo credere est Christum voluisse etiam peccata mortalia dubia esse confitenda, nemo potest refragari nostræ assertioni, absque eo, quod ponat in magno discrimine suam salutem, ut observat etiam *S. Th. in 4. d. 21. art. 3. ad 3.* Cæterum advertendum nostram assertionem verificari de peccatis mortalibus proprie dubiis, dum scilicet aliquis non habeat talia fundamenta, ut prudenter deponere possit suum dubium, & credere vere non mortaliter peccasse; atque ita communiter docent DD.

R. II. Qui scit se graviter peccasse, & dubitat, an illud peccatum confessus fuerit, debet illud confiteri, si non habet motivum prudens deponendi tale dubium. Cum igitur ratione peccati mortalis certo commissi consurgat certa obligatio illud confitendi, huic certæ obligationi satisfieri non potest per confessionem incertam; sicut debito certo non satisfit per incertam solutionem. Si vero adsit prudens motivum dubium deponendi, jam cessat obligatio confessionis, utpote, quia prudenter judicatur non adesse sufficiens motivum credendi tale peccatum non fuisse manifestatum: *Lugo disp. 16. de pœnit. sect. 2. n 59. & c.*

Q. VIII. An quando quis confessus est peccatum mortale sub dubio, debeat iterum illud confiteri, si postea cognoscat certo fuisse mortale.

R. Quamvis non desint, qui negativæ adhærent sententiæ, affirmativa omnino amplectenda est, quam aliqui certam & indubitatam esse asserunt. Ratio est, quia talis integritas necessaria est ad confessionem, ut judicium hujus fori exerceri possit, cognita causa, atque ita injungi possint convenientes satisfactiones, ut habetur ex Tridentino *sess. 14. c. 5.* Cum igitur grave peccatum, quod dubium credebatur, si certum deinde appareat, variet gravissime statum causæ, & judicium Confessarii, consequens est iterum aperiendum in confessione, non quia absolute sit obligatio bis confitendi idem peccatum, sed quia idem peccatum secundum diversos status variantes gravissime judicium Confessarii, est bis manifestandum. Ad eum modum, quo, si aliquis confessus est aliquod peccatum, ut veniale, quia tale esse putabat, debet iterum confiteri, dum postea fuisse mortale cognoscat, quia talis diversus status gravissime variat judicium Confessarii. Insuper, si necesse sit iterum confiteri hoc peccatum veniale, quia sub expressione peccati venialis mortale non continetur, idem dicendum in casu nostro, quia sub expressione peccati mortalis, ut dubii, nullatenus continetur illud peccatum quatenus certum: *Lugo de Pœn disp. 16. sect. 14. n. 585. Carden. in select. disp. 51. c. 2.*

Authores negativæ sententiæ valde contra nos urgent paritatem de eo, qui confessus est decies pejerasse *plus minusve*, qui non tenetur iterum confiteri, si adinveniat certo pejerasse duodecies. Dicunt igitur, quod sicut pœnitens non tenetur confiteri illa duo ulteriora peccata, quæ prius sub dubio confessus erat, quamvis postea ut certa cognoscat, ita nec tenetur iterum confiteri peccatum certum, si antea ut dubium confessus fuerat. Sed contra est, quia quando excessus in numero est modicus, non variatur notabiliter status causæ, & judicium Confessarii, si excessus modicus, qui sub dubio expositus fuit, postea certus cognoscatur. Ita non notabiliter variatur judicium Confessarii quoad statum pœnitentis, & quoad consulendum ipsius conscientiæ, si certo postea cognoscat ipsum duodecies pejerasse, quando prius tantum cognoverat decies pejerasse plus minusve. At gravissime variatur judicium Confessarii, & diversimode pœnitenti consulit, si quod accusavit tantum ut veniale, postea ut mortale manifestet; & si quod grave esse sub dubio confessus est, postea ut certo grave confiteatur. Ex hoc autem non incongrue reputatur ita institutum Sacramentum Pœnitentiæ, ut modicus excessus numeri sub dubio tantum manifestatus, non sit postea in confessione manifestandus ut certus, bene vero sit iterum manifestandum peccatum mortale certum, quod antea quis sub dubio, vel ut veniale confessus fuerat. Et quidem ita institutum fuisse Sacramentum Pœnitentiæ non solum colligitur ex adducta congruentia, sed etiam ex communi fidelium praxi, & consuetudine, quæ habet vim traditionis; videmus autem communiter fideles non iterum manifestare modicum numerum, quem cum incertitudine exposuerunt illis verbis, *circiter plus minusve*, bene vero iterum confiteri grave peccatum certum, quod antea sub dubio, vel ut veniale manifestarunt.

Q. IX. An ad integritatem Confessionis necesse sit in Confessione exprimere peccata omissa, seu oblita.

R. Negativam quorumdam opinionem damnavit Al. VII. sub n. 11. hanc proscribendo propositionem; *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Optime autem proscriptam esse demonstratur, quia quamvis in præcedenti confessione rite facta deleta remanserint etiam peccata inculpabiliter omissa, vel oblita; nihilominus nondum adimpletum est præceptum Christi Domini, qui, instituendo Sacramentum Pœnitentiæ, voluit omnia peccata post Baptismum commissa directe subjici clavibus Ecclesiæ. Præterea si ut Confessarius rite judicet de statu Pœnitentis, ipsiusque consulat conscientiæ, iterum aperienda sunt in confessione peccata mortalia certa, quæ tantum ut dubia fuerunt manifestata, multo magis explicanda sunt peccata oblita, quæ nullatenus fuerunt manifestata. Male hic etiam adducitur paritas de eo, qui confessus est decies *circiter* peccasse, dicendo quod quamvis undecimi peccati oblitus fuerit, non tenetur postea illud confiteri. Male, inquam, adducitur hæc paritas; nam dum confessus est decies circiter peccasse, etiam undecimum directe subjecit clavibus, quia in illo numero decies *circiter*, undecimum etiam continebatur, ut dixi supra quæsito 4.; peccatum autem omissum, vel oblitum nullatenus directe clavibus fuit subjectum. Videantur Scribentes in præfatam propositionem.

Q. X. An ad integritatem confessionis necesse sit exprimere, aliqua gravia peccata nusquam fuisse explicata, si Confessarius credere possit pœnitentem de eis, ut jam confessis, iterum se accusare.

R. Quod propositum est in quæsito, accidere potest in generalibus Confessionibus, in quibus credere potest Confessarius peccata jam alias in confessione manifestata explicari; sicut etiam evenire potest in confessione illorum, qui solummodo solent venialia committere, & insuper ad majorem sui confusionem de præteritis gravibus se accusare. Si isti aliqua gravia peccata post ultimam confessionem commiserint, dum ea audiet Confessarius, fortasse credet esse mortalia jam confessa, non vero recenter patrata. In his igitur casibus puto explicandum esse hujusmodi peccata nusquam fuisse confessa. Duplicem ergo obligationem agnosco in pœnitente quoad integritatem confessionis; & prima est in ordine ad ipsam materiam confessionis, scilicet ad ipsa peccata, atque ut satisfaciat huic obligationi necesse est exponere numerum, species, & circumstantias mutantes species peccatorum. Alia est circa modum confitendi, & hæc exposcit ita exponi peccata, ut Confessarius bene possit exercere munus ipsi injunctum a Christo Domino, Judicis nempe & Medici; adeoque manifestanda sunt peccata cum dolore, & proposito; manifestandum est, an pœnitens in occasione proxima versetur &c. Cum igitur si non manifestetur aliqua gravia peccata non esse confessa, dum Confessarius ut jam confessa potest apprehendere, omnino impediatur a suo munere Judicis, ac Animarum Medici rite exercendo, consequens est pœnitentem manifestare debere se nunquam talia peccata confessum esse. Et quidem si confessione generali inter alia admisceantur peccata non confessa, quæ Confessarius putet confessa, aliter ac deberet judicabit de statu pœnitentis, nullatenus item arguet quoad eadem peccata, ac levem imponet satisfactionem pro culpis forte gravissimis, quia putabit jam in confessione manifestis, & deletis: en quam male adimplebit munus Judicis, & Medici illi a Christo impositum. Pejus adimplebit ita se gerendo, si peccata nusquam confessa sint recentia; nam quoad hæc necessaria ordinario est gravior reprehensio, & applicatio remedii; quæ certe omittet Confessarius, si putabit talia peccata jam fuisse confessa. Cum ergo non videatur ullo pacto negandum ita se gerere debere pœnitentem, ut non impediat Confessarium ab adimplendo munere Judicis, & Medici eidem a Christo imposito, idque quam maxime impediat non manifestando non fuisse confessum quædam gravia peccata, quæ Confessarius apprehendere potest ut confessa, dicendum est ad id omnino teneri. Hanc sententiam ultra alios, validissime propugnant Salmanticenses Scholastici ut unice in praxi sequendam *tr. 24. de Pœnit. disp. 8. dub. 8.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cautus esse debet Confessarius circa examen a Pœnitentibus instituendum. Impii, qui raro solent confiteri, facillime in examine deficiunt; nam cum eos valde tædeat rerum spiritualium, quamcumque diligentiam, quam in examine adhibeant, sufficientem reputabunt, quamvis absit a mediocri. Hinc post peractam confessionem multorum peccatorum se oblitos animadvertunt, quamvis non infelicis sint memoriæ, ac facillime omnium, quæ acciderunt in temporalibus negotiis, recordentur. Hi ne ergo sufficiens instituunt peccatorum examen! Alii e contra sunt, qui nusquam putantes satis conscientiam scrutatos esse, usque ad capitis dolorem, vel debilitatem in examine perseverant; & forte in eis nulla est examinis obligatio, cum sola habeant peccata venialia, quorum unum, aut alterum sufficit explicare pro absolutione obtinenda. Hi ergo monendi sunt nullam esse necessitatem examinis, si non habeant conscientiam peccati mortalis; ac etiam in isto casu non esse necessarium diligentissimum examen, quamvis crederetur novum peccatum inveniendum. Denique monendi sunt illud examen, quod necessarium esset pro iis, qui raro accedunt ad confessionem, vel multis implicati fuerunt peccatis, & negotiis, non esse communiter necessarium.

Majus forte faciet negotium Confessario examen, quod solent facere personæ valde rudes; quamvis etenim dimittantur, ut melius conscientiam examinent, nihilominus nova peccata nesciunt adinvenire, quamvis Confessarius agnoscat in multis deliquisse. Hæ igitur personæ propter ipsarum incapacitatem non tenentur ad aliud examen, quam ad illud, quo peccata magis nota possint accusare. Cætera supplere debet pius, & doctus Confessarius illas interrogando quoad ea, in quibus potuerunt peccare, & meliori modo, quo potest, species, & numerum peccatorum investigare.

II. Observet Confessarius in investigando numero peccatorum, difficillimum esse illud adinvenire quoad actus internos respectu illorum, qui diu in peccato perseverarunt; unde, ordinarie loquendo, satis est si de tempore perseverantiæ in peccato interroget. Quomodo e. g. scire poterit numerum pravi desiderii optandi usuras quoad usurarium, qui in hoc pravo exercitio diu permanserit? Quis dinumerare poterit prava desideria Concubinarii, meretricis &c.? Satis ergo est, quoad hæc peccata interna, si exprimant tempus, quo in peccato perseveraverunt. Facilius numerum saltem probabilem adinvenire poterit actuum externorum, si interroget quoties hujusmodi personæ consuetæ fuerint peccare singulis diebus, vel hebdomadibus. Si vero nimis scrupulose interroget etiam quoad numerum actuum externorum, facile erra-

bunt

bunt vel per excessum, vel per defectum; unde bene erit quoad dignoscendum statum pœnitentis etiam quoad peccata externa, si Confessarius illum interroget etiam de tempore, & consuetudine peccandi. Illud semper animadvertat Confessarius in examinando pœnitentem a multo tempore inhonestis peccatis inquinatum, & maxime mulieres, non debere scilicet investigare numerum, & species per prolixas interrogationes, si cavere velit & proprium, & alterius periculum.

III. Quamvis certum sit peccata dubia clavibus esse subjicienda, sicuti & peccata, quæ quis dubitat, an aliquando confessus fuerit; nihilominus Confessarius, ne ex hac doctrina pœnitentes in angustias redigantur, moneat eam non attendendam, quoties adest motivum prudens talia dubia deponendi. Hinc si pœnitens audiat a docto, & pio Confessario sua dubia parvipendenda esse, si & ipse prudenter dijudicare possit peccato assensum non præbuisse, non tenetur talia peccata confiteri. Ita si solitus fuerit diligenter propriam conscientiam examinare, si peccatum, de quo dubitat an illud confessus fuerit, talis fuerit speciei, ut debuerit memoriæ occurrere; si semel, aut iterum quis diligenter generaliter confessus fuerit, poterit deponere dubium, quo timet illud in confessione non manifestasse. Idem dicas, si a docto Confessario, omnibus inspectis, de tali dubio despiciendo moneatur.

CAPUT III.

De Causis particularibus excusantibus ab integritate Confessionis; & specialiter agitur de Confessione Moribundi.

Q. I. Quando impotentia physica, vel moralis excuset ab integritate Confessionis.

R. I. Impotentia physica tunc consurgit, dum pœnitens vel ratione morbi, vel impotentia linguæ, sive idiomatis ignorantia non potest exprimere sua peccata. An vero mutus debeat manifestare sua peccata per scripturam, si potest, dixi capite primo *quæs.7.*; & videri potest *S. Th. in 4. dist. 17. q. 3. art.4 quæst.3. ad 2.* Item an ignorans idioma teneatur confiteri per Interpretem, dixi ibidem.

In casu autem, quo ex ibidem dictis confessio facienda esset per Interpretem, certe non teneretur pœnitens omnia peccata mortalia manifestare, quia ad id tenemur solum, dum confessio est secreta inter Confessarium, & pœnitentem, non vero dum prodigenda esset propria fama apud tertium; id etenim esset nimis difficile. Si nihilominus qui confitetur per Interpretem habens peccata mortalia vellet solum aliquod leve manifestare, valde timeri posset de ipsius contritione, quando aliunde posset manifestare aliquod grave peccatum, ex quo ipsius gravis infamia non consurgeret; vel si nollet saltem in genere dicere se graviter Deum offendisse.

Consurgit deinde impotentia physica manifestandi omnia peccata, quando multis instaret periculum mortis, & non esset tempus singulos audiendi; ut evenire potest in casu incendii, terræmotus, naufragii, ingruentis prælii &c. In his igitur casibus sufficit omnes in confuso manifestare sua peccata ad obtinendam absolutionem; nam confitentur meliori modo, quo tunc possunt; & Confessarius poterit omnes eodem actu absolvere dicendo: *Ego vos absolvo &c.* Ita communiter Theologi apud Dianam *part.5. tr.3. resol.71.*

R. II. Impotentia moralis, quæ excusat ab integritate materiali confessionis intervenit, quando, si ea servanda esset, oriretur grave damnum, seu incommodum ipsius pœnitentis, sive grave damnum alienum. Hoc autem modo credere est Christum instituisse Confessionem; si etenim obligasset ad integritatem materialem cum gravi damno proprio, vel alieno, difficillima esset Confessio, quod judicandum non est de suavi Dei Providentia, cui notissima est hominum imbecillitas. Hinc impotentiam moralem excusare ab integritate confessionis, habetur ex praxi Ecclesiæ, ex communi sensu fidelium, & Theologorum unanimi sententia. Ita tamen excusat ab integritate materiali, ut solum tacere possit id, ex quo consurgeret grave damnum proprium, vel alienum; unde si ad vitandum tale damnum satis esset solam peccati circumstantiam tacere, hæc sola, non ipsum peccatum occultandum esset, quoad hoc etenim urgeret præceptum divinum de materiali Confessionis integritate, ut de se patet.

Plura afferunt Theologi exempla hujus moralis Impotentiæ; ut si, cum pœnitens non possit integre confiteri Confessario præsenti, ad integre confitendum aggredi deberet longum, vel sibi valde laboriosum iter. Item si ut integre confiteatur, deberet tempore valde longo aliud Confessarium expectare, maxime si urgeat tempus paschale, vel occasio lucrandi Jubilæum: respectu autem Sacerdotis, qui consuetus sit quotidie celebrare, reputatur longa dilatio, si debeat ultra triduum alium Confessarium expectare: *Lugo de pœnit. disp.16. n.416., Avers. q.10. sect.15 §. Secundo ei potest.* Adest pariter moralis impotentia, si ex integra confessione immineret pœnitenti grave famæ dispendium, vel quia e. g. sit in talibus circumstantiis, ut si integre confiteatur, alii etiam audituri sint sua peccata, vel quia si integre confiteri debeat, confessio futura sit valde prolixa cum gravi ipsius nota, quod accidere potest, si urgeat necessitas communicandi, vel celebrandi, atque adeo ex valde prolixa confessione necessario pœnitens infamiæ notam incurreret. Satis ergo erit in tali casu ita peccatorum facere confessionem, ut infamia evitetur. Eadem moralis impotentia consurgit, si ex integritate confessionis vere prudenter timere possit pœnitens aliquod grave damnum vel corporale, vel spirituale; ut si, cum sit graviter ægrotans, non possit sine gravi valetudinis damno omnia peccata exponere; vel si protrahendo confessionem timeat sibi contagiosum morbum, ut eveniret quando Confessarius esset lepra, aut peste infectus; vel si manifestando aliquod peccatum timeat contra se excitare odium, & persecutionem Confessarii. A fortiori quis excusabitur ab integritate confessionis, si manifestando aliquod peccatum cum fundamento timeat se ad turpia inducendum. Hæc & similia exempla passim afferuntur a Theologis.

Cæterum semper præ oculis habendum quodcumque incommodum ipsi confessioni de sua natura annexum non excusare ab illius integritate, uti se habet timor gravis reprehensionis, vel pati debere maximam confusionem in revelando aliquod peccatum, & amittere æstimationem apud Confessarium. Ratio est, quia cum Christus Dominus præceperit integritatem materialem confessionis, consequenter voluit toleranda omnia ea, quæ ad hujusmodi integritatem de se connexa sunt, nec puto aliquem ex Catholicis posse huic assertioni refragari. Quod si aliquis, ne amittat bonam æstimationem apud consuetum confessarium, alteri manifestet mortale, in quod lapsus est, non ideo est statim damnandus, si ex hoc oriri non possit justa suspicio, vel defectus doloris, vel renuendi remedia, ne iterum prolabatur.

Exempla alieni damni excusantis ab integritate materiali confessionis sunt, si ipse Confessarius contagioni exponatur ratione morbi pœnitentis, quando integram confessionem audire deberet; unde tunc satis est aliquod peccatum audire. Accedit Confessarium debere se conservare tempore contagii propter alios pœnitentes. Item excusatur pœnitens ab integritate materiali confessionis, quoties certo sciret, narrando aliquod peccatum, ut accidere potest respectu peccati inhonesti, ipsum Confessarium pravum consensum præbiturum, solicitaturum &c.; quamvis ipse pœnitens nil pro se timeat. Id dicendum, si ex manifestatione alicujus peccati excitandus sit Confessarius ad odio habendum aliquem tertium, vel ad illum persequendum. In his, & similibus casibus lex Charitatis videtur prævalere legi de integritate confessionis. Quid vero dicendum, si non manifestari possit peccatum, nisi una complex manifestetur, paulo post dicam.

Q. II. An qui ex justa causa aliquod mortale subticuit, teneatur illud confiteri, si quam primum cesset causa prædicta.

R. Præscindendo modo a Sacerdote, qui celebravit, tacendo in confessione ex justa causa aliquod peccatum, de quo *tr.18. qu.1.c.5.quæs.5.*, alii non tenentur fateri peccatum, quod tacuerunt, nisi in prima, quam facient, confessione, sive eam faciant ex propria devotione, sive ex Ecclesiæ præcepto. Ratio est, quia nullum extat præceptum de confitendo peccato, quod subticuerunt, statim ac causa subticendi cesset; unde satis est, si manifestent in prima, quam facient, confessione, si tunc talis causa cessaverit: *Navar. in Sum. c.2. n.10. Lugo disp.15. n.165.*

Q. III. An pœnitens possit tacere peccatum, vel circumstantiam illius, si ex hujusmodi manifestatione comcomplicis revelatio sequatur.

R. I.

R. I. Casus iste potest e. g. occurrere in fratre, qui cum Sorore peccaverit, adeoque si circumstantiam incestus explicite, statim Confessario innotescet etiam peccatum Sororis, cum supponatur unica, & ipsi cognita, in suppositione autem quod non sit alter Confessarius, cui ignotus sit complex, puto pœnitentem teneri ad integre confitendum suum peccatum, nec axcusari ax hoc præcise, quod complicis manifestatio sit sequutura, Ratio ast, quia in tantum posset excusari ab integre manifestando suum peccatum, quia jus naturale dictans servandam esse famam proximi, videtur prævalere positivo de confessionis integritate; at hæc ratio non satis convincit. Observare igitur est omnino a peccato detractionis excusari illum, qui non manifestat alterius crimen animo illum infamandi, sed ex aliquo rationabili fine, puta ad recipiendum consilium, ad vitandum innocentis damnum, ad leniendum animi dolorem ob injuriam sibi occulte illatam; & hæc est communis DD. opinio, ut videre est apud Salmanticenses *tr. 13. de restit. c. 4. p. 5. n. 48.* Si igitur non est contra jus naturale aperire ex aliquo justo motivo homini prudenti delictum occultum proximi, a fortiori id dicendum est licere in confessione, si fiat ex justo motivo integre manifestandi proprium peccatum, subeundi condignam pœnitentiam, & propriæ conscientiæ medendi remediis, & consiliis pii, ac docti Confessarii: *D. Th. in 4. d. 16. q. 3. ar. 2. ad 5. opusc. 12. q. 6., S. Bonav. in 4. d. 21. in 2. p. art. 1. q. 3., & opusc. de mod. confit. c. 1., S. Ant. p. 3. tit. 14. c. 19. §. 11.* & plures Theologi, quos congerit, & sequitur Leander *de Pœnit. disp. 5. q. 60.* Cæterum si peccatum esset veniale, vel mortale alias confessum, non posset manifestari cum notitia complicis, qui graviter peccaverit, nam ut plurimum nulla necessitas, & convenientia est illud manifestandi. Secus si adesset necessitas, vel convenientia; ut si mulier ad capessendum consilium, &c. se accuset de levi negligentia in resistendo Fratri illam ad turpia provocanti.

R. II. Fere communiter docent Theologi pœnitentem teneri, si potest, quærere Confessarium, cui ignotus sit complex. Item dicunt teneri illum expectare, ut servet præceptum de non infamando proximum. Concedunt tamen non esse expectandum quoties adesset justa causa non differendi confessionem; ut si Sacerdos quotidie solitus celebrare, nollet ultra biduum expectare; si ab expectatione diminutio famæ immineret; si qui est in miserrimo statu peccati mortalis deberet ultra triduum expectare &c. Denique quoties prudenter judicari potest complicem juri suæ famæ cessisse, fatentur omnes non esse necessarium quærere alium Confessarium, vel illum axpectare. Id autem, salvo semper meliori judicio, credo pluries occurrere posse: ut si e. g. frater peccaverit cum Sorore, quam scit non posse a Matre seperari, ut alium Confessarium inveniat: si Maritus peccaverit cum uxore, quam reputare potest nolle consuetum Confessarium dimittere: quod idem videtur dicendum semper dum complex induxerit ad peccandum personam, quam scit non confiteri modo huic, modo alteri Confessario; nam cum possit credere consuetum Confessarium aditu-ram, demonstrat non curare de sui revelatione. Immo puto quod, si quis difficiliter alteri, ac consueto Confessario aperiret suam conscientiam, posset ex hoc solum capita illi manifestare suum peccatum, quamvis exinde revelatio complicis sequeretur. Si etenim, ut aliquis levamen, & solatium sibi quodammodo neccessarium ob acceptam occultam injuriam assequatur, potest occultum alterius delictum manifestare, multo magis mihi videtur licitum in confessione, dum pœnitens alteri ac Confessario ordinario difficillime statum suæ conscientiæ manifestaret.

Q. IV. A habens peccata reservata, & non reservata, si necesse habest confiteri inferiori non habenti facultatem in reservata, debeat etiam hæc manifestare.

R. Iste casus contingere e. g. potest, in puella, quæ commiserit incestum reservatum, adhuc tamen cogitur confiteri e. g. non habenti facultatem illam absolvendi, & hoc, quia, si non accedat ad Communionem, non exiguam sui suspicionem ingeret Matri. Dicendum autem est non solum debere explicare peccata non reservata, sed etiam ipsum incestum reservatum; & ratio ast, quia, ut bene Confessarius possit satisfacere suo muneri, Judicis nempe, & Medici, debet posse cognoscere statum pœnitentis, quem certe necesse ast ignorare, si ipsi celentur peccata reservata. Neque obstat peccata reservata non posse ab inferiori Confessario directe absolvi, nam adhuc nota ipsi esse debent peccata reservata, ut videat, an pœnitens sit satis dispositus, & quam pœnitentiam, maxime medicinalem, ipsi imponere debeat; cum etiam in ordine ad hos fines datum fuerit præceptum de integritate materiali confessionis: *D. Thom. in suppl. q. 9. art. 1. ad 4.* & quamplures apud Leandrum *de Pœnit. disp. 12. q. 33.* Qui contrariam tenent opinionem moventur, quia, si vera esset nostra sententia, pœnitens bis cogeretur confiteri eadem peccata, primo scilicet Confessario inferiori, ac deinde Superiori, ut ab eo directe a peccatis absolveretur. Sed contra est, quia pœnitens eo ipso quod committit peccatum reservatum, subjicit se omnibus illis incommodis, quæ ex eo derivant, inter quæ illud est, debere denuo manifestare reservatum Superiori, si a primo tantum absolutus fuit indirecte; neque etenim ex suo vitio violari debet lex de integritate Confessionis volens pœnitentem manifestare debere suum statum Confessario, atque omnia peccata directe subjicienda esse clavibus Ecclesiæ. Ex dictis facile, est inferre, neque Superiorem posse sola reservata audire, ac remittere pœnitentem pro aliorum absolutione ad Inferiorem, hoc etenim omnino est contra integritatem materialem confessionis, quæ est juris divini, & semper servanda est, ubi non obstet impotentia physica, vel moralis.

Q. V. An ratione magni pœnitentium concursus in aliquo festo, seu Jubilæo, dimidiari possint confessiones.

R. Affirmativam opinionem damnavit Innocentius XI. nam inter proscriptas ab eo propositiones hæc etiam habetur sub n. 59. *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magna alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.* Et quidem cum integritas confessionis sit de jure divino, non excusat ab adimplendo hoc præcepto magna festivitas, vel indulgentia: nam commode alio tempore possunt pœnitentes satisfacere suæ devotioni, & desiderio acquirendi Indulgentias. Præterea, omnibus pensatis, melius est pro anima pœnitentis integre exponere Confessario suum statum, quam dimidiata confiteri ob acquirendam Indulgentiam. Accedit non pauca inconvenientia ex contraria opinione oriri potuisse; nam multi ex industria expectassent accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ occasione magnæ solemnitatis, ne integre propria confiteri peccata cogerentur.

Q. VI. Quæ observanda sint circa confessionem moribundi.

R. I. Nullum dubium est sufficienter Moribundum confiteri, si dum non potest omnia, aliqua peccata manifestet, ut constat ex supradictis. At dicendum etiam est sufficienter confiteri, si dum nec potest aliqua manifestare, dixit in genere se esse peccatorem in ordine ad absolutionem obtinendam. Plures negativam tuebantur opinionem, at affirmativa validissime probatur, quia, quamvis ordinarie loquendo, Confessarius non debeat absolvere, nisi prius cognoscat statum sui pœnitentis, nihilominus receptissima praxis Ecclesiæ est, ut imminente periculo mortis, absolvantur pœnitentes, absque eo quod Confessarius in particulari ipsorum statum agnoscat. Id patet, dum imminente prælio, vel naufragio, plures eodem tempore absolutione donantur, quorum certe statum in particulari nullatenus Confessarius agnoscit; quamvis etenim in illa confusione aliqua particularia manifestent peccata, certe non potest Sacerdos advertere quod particulare peccatum manifestet Titius, quod Joannes. Stat ergo Confessarium per accidens absolvere posse, quos scit se accusare ut peccatores in ordine ad obtinendam absolutionem. Nec refert dicere Confessarium de moribundo solum se accusante ut peccatore, non habere majorem notitiam, quam antea haberet, cum omnes simus peccatores. Contra etenim est, quia ex illa confessione moribundi in genere, acquirit istam novam notitiam quod ille se recognoscit peccatorem, & subjicit Ecclesiæ clavibus omnia sua peccata: *D. Anton. 3. p. tit. 10. c. 6., Sylvest. v. confessio q. 3., Suar. de pœnit. disp. 23. sect. 1., Lugo disp. 17. sect. 4.* & ultra quamplures antiquos communiter moderni. Cum autem & ex praxi, & ex ratione omnino tuta sit ista opinio, teneretur Confessarius absolvere illum moribundum, ne si solam attritionem habuisset, damnaretur. Posset item absolvere absolute, ni forte prudenter timeret defectum dispositionis in moribundo, qua ratione putaret sub conditione absolvendum. Quod dictum est de moribundo, qui in genere fassus ast se esse peccato-

rem,

rem, ut absolutionem obtineat, idem dicendum de eodem, si tundat pectus, vel exhibeat alia signa, quibus constet velle absolutionem; nam iisdem signis satis exprimitur se esse peccatorem in ordine ad obtinendam absolutionem.

R. II. Quamvis non certo constet eamdem signa facere Moribundum in ordine ad absolutionem, nihilominus est absolvendus sub conditione, maxime si eadem signa exhibeat coram Confessario. Ratio est, quia Confessarius prudenter judicare potest illam pectoris tunsionem &c. fieri a moribundo in ordine ad absolutionem obtinendam; communiter etenim Christiani in eo periculo optant sibi consulere sacramentali absolutione. Dum tamen non certe constet fieri in ordine ad eam obtinendam, ne exponatur Sacramentum periculo nullitatis, danda est absolutio sub conditione; si nempe ille moribundus sit dispositus. Absolutionem autem sub conditione non potest Sacerdos denegare, nisi graviter peccando contra Charitatem; nam cum habeat prudens fundamentum quoad illum absolvendum, denegando absolutionem, irrationabiliter exponeret periculo damnationis. Ita quamplures Theologi, quos refert Leander *de Pœnit. disp.* 5. *q.* 42.

R. III. Si moribundus Confessario absente, dederit signa doloris, & desiderandæ absolutionis, poterit a superveniente Confessario absolvi, quamvis illum reperiat sensibus destitutum, dum tamen aliqui præfata signa dedisse testificentur. Aliter ergo discurrendum est de confessione secundum quod per se exposcit, & aliter secundum quod exposcit per accidens: & ita per se exposcit integritatem materialem, quamvis per accidens in multis casibus sufficiat integritas formalis. Quamvis igitur, ut videbimus capite sequenti, Confessio per se facienda sit a pœnitente physice præsente, & per se Confessario peccata manifestante, nihilominus aliter per accidens fieri potest in casu supradicti moribundi, nam praxis, & traditio demonstrant esse absolvendum, ut videre est ex Concilio Arausicano, relato *can. qui recedunt* 26. *q.* 6., ex Cartaginensi, relato *can. is qui ibid.*; ex S. Leone Magno *ep.* 91. *ad Theodor. Episc. Forojulien.*, ac denique ex Rituali Romano, quod vult istos moribundos absolvendos, dum ipsi Confessario *per se, vel per alios* desiderium confitendi ostenderint. Ex hac igitur continua Ecclesiæ praxi, & fere communi DD. consensu bene licet inferre ita Christum Pœnitentiæ Sacramentum instituisse, ut respectu absolutionis moribundo tribuendæ, satis sit, si Confessario per alios innotescat desiderasse absolutionem: *Dian.* 3. *p. tr.* 3. *resol.* 4. *Leand. disp.* 5. *q.* 43., & apud eos fere innumeri.

Contrarium opinantium sententia in eo præcipue fundatur, quod Clemens VIII. an. 1602. 30. Jun. damnavit docentes validam esse confessionem factam Sacerdoti absenti, quod verificari videtur in casu nostro, utpote, quia dum moribundus ostendit velle confiteri, Sacerdos omnino aberat. Attevera casus præsens non comprehenditur in decreto Clementis, qui voluit non posse fieri Confessario ut absenti, & ab eo absente impertiri absolutionem. In nostro autem casu moribundus intellexit, & optavit sistere se præsentem Sacerdoti, eoque præsente intelligitur moraliter perseverare desiderium, quod ostendit absolutionis, cum non possit præsumi retractatum; adeoque dici potest terminative facere suam confessionem coram Sacerdote, cui per adstantes manifestatur, sicuti confessio fieri etiam potest per interpretem. Cum proinde hujusmodi confessio per accidens sit sufficiens ad obtinendam absolutionem, passim reperire est apud Authores Clementem declarasse hujusmodi casum in suo decreto non comprehendi, adeoque Paulus V. postea approbavit Rituale Romanum, quo dicitur absolvendum moribundum, de quo in casu præsenti.

Advertere etiam debet Confessarius absolvendum esse moribundum, quamvis ipsi referatur petiisse confessionem, non ab aliquo, qui id immediate audierit ab ipso moribundo, sed a teste medio, ab aliquo nempe, cui id relatum sit ab iis, qui audierunt a Moribundo. Ita absolvere potest pœnitentem, cujus peccata non audiat ab Interprete immediato a Pœnitente electo, sed ab Interprete Interpretis: ut si pœnitens dicat sua peccata interpreti, qui gallice loqui sciat, iste alteri, qui etiam sciat latine, & ab hoc latine manifestentur Sacerdoti. Item ad impertiendam absolutionem moribundo sat est, si audiat petiisse ab uno solo teste, cui rationabiliter credendum sit, nam tunc prudenter agit absolvendo. Demum saltem sub conditione impertiri debet absolutionem, quamvis dum vult absolvere, præsentes non sint testes, qui ipsi renunciarunt dedisse signa optandæ absolutionis. Quod debeat impertiri absolutionem probatur, tum quia Concilia, & rituale solum exposcunt, ut Confessarius saltem audierit ab aliis illum moribundum absolutionem petiisse; tum quia sicut illius confessio antea moraliter perseverabat penes illos, qui audierunt illum confessionem optasse, ita & moraliter perseverat apud Confessarium, qui id ab eis audivit; unde potest illum absolvere, dum physice coram eo adest. Absolvendus nihilominus est tantum sub conditione, quia dum testes absunt, non desunt qui dubitent de illius valore, cum nullatenus ipsius videatur fieri confessio coram Sacerdote absolvente; quippe dum adest Sacerdos, non adsunt testes, per quos solummodo confitetur moribundus sensibus destitutus: *Dian. tr. de absol. morib. resol.* 7. & alii apud ipsum.

Q. VII. An absolvendus sit Moribundus, qui nullum det signum doloris, & optandæ absolutionis; & de quo nemo testificari potest hujusmodi signum dedisse.

R. Talis moribundus nullatenus est absolvendus. Prima ratio est, quia, ex supradictis Concilia, Patres, & Rituale dicunt esse absolvendum; dum saltem per alios constet signa doloris dedisse. Si ergo absolvendus est, dum saltem adsint qui testificentur moribundum optasse absolutionem, consequens est non absolvendum, si hi non adsint, exceptio etenim firmat regulam in contrarium. Præterea quis credere potest Concilia, Rituale &c. non expressisse etiam casum, de quo in quæsito? si etenim talis Moribundus absolvi potuisset, defecissent contra Charitatem, quæ tunc exercenda est erga moribundos, non assignando etiam hunc casum, dum agebant de absolutione moribundis impertienda.

Ratione etiam evidenter convincitur; nam ad licite impertiendam absolutionem sacramentalem, non satis est si Confessarius credere possit moribundum habuisse intentionem recipiendi in eo casu absolutionem, eo quod e. g. christiane vixerit, sed ulterius debet illi aliquo modo constare adesse materiam necessariam ad conficiendum Sacramentum; qualis etenim Minister non graviter peccaret contra reverentiam Sacramenti, si proferret formam, dum nullatenus sciret esse materiam quamvis per accidens adesset? Cum autem in nostro casu materia Sacramenti sit ipsa sensibilis confessio, de ea potest constare per signa externa, quæ certo indicent dolorem moribundi, ut sunt tundere pectus, osculari Crucem, comprimere manus Sacerdotis interrogantis, an velit absolutionem &c. & tunc absque dubio est absolvendus. Si vero confessionis desiderium appareat tantum per signa dubia, ut esset edere suspiria, in cœlum suspicere, quod potest fieri & ob molestiam morbi, & ob dolorem peccatorum; tunc sub conditione utique esset absolvendus. At si alia signa appareant, quæ nonnisi naturalia prudenter judicari possint, qualia essent jactare se ab una in alteram cubilis partem &c. nescio videre quomodo licite etiam sub conditione Confessarius impertiri possit absolutionem, dum prudenter motus moribundi nonnisi naturales, & ex molestia morbi provenire judicandum sit. Certe ubi nulla sensibilis confessio appareat, & quæ taliter innotescat Confessario, ut saltem sub dubio prudenti sit, an sufficiat nec ne, nec absolutio sub conditione impertienda est, quia licite nec sub conditione applicari potest, ubi saltem in casu necessitatis non adsit materia dubia, ut constat etiam discurrenti circa alia Sacramenta: *Henriq. l.* 6. *c.* 10. *nu.* 9. *Laym. l.* 5. *tr.* 6. *c.* 8. *n.* 4. *Lugo disput.* 17. *sect.* 3. *Coninch. disp.* 5. *n.* 28. *Trull. l.* 4. *c.* 6. *dub.* 7. & ultra quamplures modernos omnes antiqui. Nec satis est Theologis, propositam stabilire sententiam, sed, ut videre est apud citatos Theologos aliosque, contrariam variis censuris rejciunt. Illam erroris, novitatis, nulliusque probabilitatis sive speculativæ, sivæ practicæ notant; eamque solum ad praxim deduci indiscrete, & ignoranter a rudioribus Sacerdotibus dicunt. Neque refert a multis doceri, & esse moribundis favorabilem, cum amplecti non debeamus opiniones, quæ non satis consulunt reverentiæ Sacramenti, etsi sub conditione administretur; atque, ut dicit Lugo citatus, non expedit in re tanti momenti sub pietatis specie sapere plusquam omnes SS. PP. docuerunt, sed observare terminos, quos apposuerunt nobis.

Regula in praxi observandæ.

I. Dantur aliquando Confessarii, qui dum excipiunt confessionem moribundi, semper magis periclitantis, nimis scrupolosi sunt circa integritatem materialem confessionis, quamvis videant ipsum summopere defatigari,

& in

& in periculo usum rationis, instante morte, amittendi. Non bene se gerunt isti Confessarii ita agendo cum prædicto moribundo: cum etenim supra omnia necessarium sit illum excitare ad verum dolorem peccatorum, & ad propositum emendationis postquam Confessarius unum, aut alterum peccatum audivit, debet totus incumbere, ut vere doleat de suis peccatis. Hinc fiet quod si postea sensibus destituatur, poterit cum fructu absolvere, si vero melius se habeat, poterit tunc commodius, & animo pacatiore de aliis peccatis inquirere. Animadverrat etiam Confessarius, quod etsi infirmus non tam proximus morti videatur, & nihilominus putet bene esse illius confessionem excipere, non teneri ad integritatem materialem confessionis, quoties non posset sine magno labore, & damno, vel plene cogitare de suis peccatis, vel sermonem protrahere.

II. Non egre ferat Confessarius, si sciat aliquando suum Pœnitentem ad alium accedere, ne si semper ad se accedere compellatur, ob verecundiam, vel timorem aliquod grave taceat peccatum. Nihilominus si sciat hoc sæpe a Pœnitente fieri, non amplius excipere debet ipsius Confessiones; nam ita agendo satis demonstrat ipsi non satis aperire statum conscientiæ suæ, quomodo ergo poterit ipsum spiritualiter gubernare? Accedit modo uni, modo alteri confiteri sua peccata, posse esse sufficiens indicium defectus doloris, & propositi, dum etenim verus adest dolor, gratum est pœnitenti Confessario innotescere totam vitam ante actam, ut ita efficatiora remedia possit illi præbere, ipsumque, si opus sit, removere ab occasione, & periculo peccandi. Quid ergo dicendum de mulierculis unam habentibus Confessarium indulgentem, cui omnia inhonesta detegant, alterum severioris disciplinæ, cui tantum levia? Hæc ratio agendi potest ne ullatenus in praxi a gravi hypocrisi excusari?

III. Cauti sint Confessarii in excipiendo confessiones Idiotarum, nam facillime, & sine ulla necessitate manifestant complicem peccati. Moneat ergo neque in confessione licere sine necessitate alterius famam denigrare.

IV. Satis explicavi quæ necessaria esse credidi pro absolutione moribundis impertienda. Monere tamen iterum volo Confessarium, ut dum scit solum per testes moribundum signa doloris, vel optandæ absolutionis dedisse, curet eosdem testes esse præsentes, dum moribundum absolvit, ut ita verificetur confessionem fieri in præsentia Confessarii mediis testibus, veluti si essent interpretes. Si vero non amplius sint præsentes, nec possint vocari, solum absolvat moribundum sub conditione, si ita nempe administrari possit hoc Sacramentum; sub conditione etenim tantum danda est in necessitate absolutio, ubi occurit dubium rationabile de valore Sacramenti, sicuti revera occurrit, si testes absint.

V. Solent quidam Confessarii assistentes Moribundis sensibus destitutis sæpius iterate absolutionem sub conditione. Id maxime præstant ii, qui putantes quodcumque signum etiam naturale a moribundo exhibitum, interpretari posse cum aliqua probabilitate fieri etiam ad obtinendam absolutionem, & quamcumque vel tenuem probabilitatem in casu tantæ necessitatis sufficientem esse, ut moribundus sub conditione absolvatur, quam opinionem mordicus tuetur etiam Viva in Appendice damnatarum propositionum §. 11. Hac igitur etiam opinione retenta, non mihi videtur approbanda praxis illa sæpe sæpius absolvendi moribundum, quamvis sub conditione. Ratio est, quia neque sub conditione iteranda est absolutio, quoties saltem aliquo modo præsumi non possit fieri novam confessionem a moribundo, eo modo, quo ab ipso fieri potest, alias irrationabiliter iteratur etiam sub conditione absolutio: si autem ipsum anxie respitare infirmi, vel aliquis alter motus naturalis, reputandum esset signum novæ confessionis, oporteret posse aliquo pacto credi infirmum talibus actibus sine interruptione petere confessionem. Accedit quod ideo dicunt hujusmodi infirmum posse sub conditione absolvi, quia licet ea signa fundent tenuem probabilitatem; adhuc tamen necessitas moribundi licitum reddit, quod alias esset illicitum; hæc autem necessitas videtur cessare quoties bis, vel ter, cum proportionata aliquarum horarum distantia Confessarius absolverit moribundum. Secus dicendum, si iste moribundus aliquod de novo det signum, quod non videatur mere naturale; sed posse aliqua prudenti ratione interpretari per illud petere absolutionem, nam tunc certe iterum est absolvendus, quamvis antea etiam centies sub conditione fuerit absolutus, ut de se patet.

CAPUT IV.

De Confessione & absolutione in absentia; & de Confessione facta per Scripturam Sacerdoti præsenti.

Q. I. AN Confessio fieri & absolutio dari possint in absentia.

R. Neque confessio fieri potest per literas, aut per internuncium Sacerdoti absenti; neque absolutio pœnitenti absenti tribui potest. Notandum igitur est Clementem VIII. in sua Constitutione 86. edita 20. Junii 1602. ad minus ut falsam, temerariam, aut scandalosam damnasse eam propositionem, qua dicebatur *licere per literas, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Quamvis autem hujusmodi propositio damnata videatur in sensu copulativo, vere falsa est etiam in sensu divisivo, ut declaravit Paulus V. die 14. Julii 1605. in Congregatione S. Officii.

Primo igitur non est valida confessio facta Confessario absenti per litteras, seu Internuncium. Ratio est, quia, quomodo Christus instituerit hoc Sacramentum, adeoque quomodo a nobis sit faciendum, non melius innotescit quam ex consuetudine, & perpetua praxi ipsius Ecclesiæ. Quamvis autem ex hac praxi habeamus mutum per nutus, & ignorantem linguam posse accusare sua peccata per interpretem, nunquam tamen scimus fuisse in usu consuetudinem confitendi per epistolam, aut Internuncium. Nec refert posse dari casum, quo aliquis ita necesse habeat confiteri: sicut etenim Christus noluit providere Catechumeno in casu rarissimo, quo deficiat aqua, ut alio modo conferri ipsi possit Baptismus, relinquendo ut sibi consulat per contritionem, ita dicendum est noluisse in casu raro absentiæ Confessarii confessionem fieri per epistolam &c., cum maxime ex hac praxi quamplurima inconvenientia oriri potuissent. Addendum ita Christum instituisse Sacramentum Confessionis, ut Confessarius debeat bene gerere officinm Judicis, & pœnitens partem accusatoris, & testis; ad hæc autem rite gerenda non raro necesse est Confessario facere plures interrogationes, quibus pœnitens respondeat, quæ omnia exigunt ipsius præsentiam. Quamvis ergo pœnitens sisteret se præsentem Confessario ad absolutionem obtinendam, adhuc tamen ipsius confessio esset invalida, utpote facta contra institutionem Christi. Quare autem absolutio dari possit moribundo, qui in absentia Confessarii petiit confessionem, duxi capite præcedenti; ac demonstravi pro hoc casu aliam fuisse praxim Ecclesiæ, adeoque bene ex ea urgumentum sumi, ita Christum instituisse Pœnitentiæ Sacramentum.

Secundo absolutio non potest dari absenti, quamvis antea coram Confessario confessus fuerit propria peccata. Ratio est quia ex sæpe dictis praxis Ecclesiæ indicat institutionem Christi Domini in materia Sacramentorum: sicut ergo, quia nunquam Ecclesia consuevit absolvere nutibus, si id fieret, reputaretur contra Christi institutionem, adeoque invalide absolvi, ita dicendum est de absolutione data absenti. Præterea ipsa forma absolutionis notat pœnitentem debere esse præsentem; tum quia cum voce proferenda sit, designat aliquem audientem; tum quia, cum contineat pronomen demonstrativum *Te*, non apte dirigeretur in absentem. Ita ergo præsens debet esse pœnitens, ut Confessarium loquentem possit audire, cum in ipsum dirigat formam absolutionis.

Ex dictis autem constat discrimen inter absolutionem Sacramentalem, & absolutionem a Censuris. *Prima*, quia regulanda est juxta Christi institutionem, ex dictis, non danda est absenti. Cum autem absolutio a censuris ab humana pendeat institutione, si Ecclesia potest a censuris etiam absolvere invitum, a fortiori etiam absentem.

Q. II. An extra casum necessitatis illicita sit confessio facta non voce, sed per Scripturam Sacerdoti præsenti.

R. Dubitari non potest Confessionem factam per scripturam in casu necessitatis Sacerdoti præsenti, esse omnino licitam, & validam; ut si mutus per Scripturam exponat sua peccata. Illam esse licitam, sicut etiam dum ab eo fit per nutus, vel alia signa, seu ab alio per interpretem, demonstrat praxis Ecclesiæ id admittentis, adeoque dicendum ita Christum instituisse Sacramentum Pœnitentiæ, ut in his casibus, qui frequenter possunt occurrere, sufficeret confessionem fieri per scripturam, nutus &c.

At

At extra casum necessitatis illicitum videtur exponere peccata non voce, sed per scripturam, quamvis id non sit de necessitate Sacramenti, ut bene docet S. Thomas *Quodlib.* 1. *art.* 10. Verum igitur est non dari expressum præceptum, quod obliget manifestare peccata potius voce, quam scriptura; nihilominus hæc obligatio oritur ex continua praxi, & consuetudine fidelium; & cum introducta sit ad facilius, & apertius manifestanda peccata, & ut pœnitens majori verecundia, & dolore eadem aperiat, hinc est hanc consuetudinem de re levi dici non posso; *Lugo disp.* 15. *de pœnit. num.* 86. *p.* 3. aliique apud Dianam *tr.* 4 *resol.* 137. advertendum tamen quod cessaret peccatum, dum quis confiteretur per scripturam non solum in casu physicæ impotentiæ, sed etiam impotentiæ moralis, quando nempe voce fieri non posset confessio sine magna difficultate: ut si æger non posset, nisi ægre, verba proferre; si necessitas daretur confitendi Confessario Surdastro, cui manifestari non possent peccata, quin ab aliis audirentur, si puella præ maxima verecundia perti mesceret sua peccata voce confiteri &c. In hic casibus sat esset peccata scribere, & pœnitentem dicere Confessario se accusare de omnibus, quæ in Charta exhibita continentur. Et quidem, si præcepta positiva divina non obligant, quando ratione magnæ difficultatis adest moralis impossibilitas, idem dicendum est de præfata consuetudine potius voce, quam scripto peccata manifestandi: *Laym. l.* 5. *tr.* 6. *c.* 6.

Item advertendum quod si Confessarius prius vidit, aut audivit in alia Confessione, seu extra illam peccata pœnitentis, eorumque memoriam conservet, potest pœnitens se breviter expedire, dicendo accuso me de peccatis, quæ tu bene nosti, vel jam a me audisti: *Suarez. disp.* 22. *de pœnit. sect.* 6. *n.* 5. Ratio est, quia, cum hæc praxis non sit inducta ad vitandam confusionem, & ruborem, bene toleratur ab Ecclesia, secus vero praxis tradendi chartam Confessario, & ad vitandam confusionem se breviter expedire dicendo; *De his omnibus me accuso*. Quod si detur casus, in quo etiam licite confessio fiat per scripturam, observare oportet non satis esse, si antequam Confessarius legat scripturam, pœnitens dicat se accusare de omnibus peccatis, quæ continentur in scriptura, quam tradit Confessario. Ratio est. quia ita agendo non satis verbaliter accusaret sua peccata, quia dum se ita accusat, nondum Confessarius ipsorum habet notitiam. Si vero vel annuat Confessario legenti sua peccata, vel postquam legit, dicat de omnibus illis se accusare, jam verba pœnitentis continent peccatorum accusationem; eo quod enim jam innotescant Confessario, non completur accusatio per scripturam postea legendam, sed completur per verba ipsius Pœnitentis: *Lugo a num.* 82.

Regulæ in praxi observandæ.

Si Confessarius per oblivionem, seu inadvertentiam omiserit absolvere pœnitentem, quando non posset sine adstantium admiratione illum revocare, poterit illum absolvere, si solummodo tantum distet, ut posset Confessarium communi voce, vel etiam aliquatenus altiore loquentem audire, tunc etenim intelligeretur adhuc moraliter præsens, quæ præsentia moralis exposcitur ad administrandum hoc Sacramentum per modum judicii institutum. Aliqui id extendunt ad majorem distantiam, quibus tamen non videtur assentiendum; qui etenim non possent audire Confessarium nisi voce valde alta loquentem, non illi præsentes, sed absentes dicuntur. Quod si nihilominus absolvendus sit moribundus in aliqua distantia existens, & dubitetur, an moraliter præsens sit, necne, ut si Confessarius e fenestra aliquanto altiore absolvere deberet vulneratum in via, tunc absolvendus esset sub conditione.

CAPUT V.

De Confessione invalida: & quomodo repetenda.

Q. I. Quando Confessio sit invalida ex parte Confessarii.

R. Ex parte Confessarii redditur nulla confessio, primo si careat jurisdictione, vel e. g. quia non fuit approbatus, vel quia est excommunicatus vitandus, ut dixi *tr.* 4. *cap. un. quæst.* 8. Quid vero dicendum, si adsit error communis, vel titulus coloratus dixi *tr.* 15. *q.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 2. & 3., & iterum explicabo, dum agam de Ministro Pœnitentiæ. Secundo, potest esse nulla defectu scientiæ, qua de re ubi sermo erit de scientia Confessarii. Tertio, potest esse nulla, si per surditatem, vel somnum peccata non audiverit. Quamvis autem & fieret invalida ex parte pœnitentis, si mala fide confiteretur Confessario semidormienti, vel distracto, nihilominus valida est, quando id faciat bona fide, & Confessarius aliqua peccata intellexerit; nam valida est etiam sine materiali integritate: *Laym. l.* 5. *tract.* 6. *c.* 9. *n.* 5. Si tamen pœnitens postea advertens Confessarium aliqua gravia peccata non intellexisse, nesciat quæ peccata particularia non intellexerit, puto contra aliquos, etsi confessio longa futura sit, omnia iterum confiteri debere, nam de nullo in particulari certus est illud in confessione manifestasse. Demum ex parte Confessarii confessio potest esse nulla, vel quia non habuerit intentionem absolvendi, vel quia non pronuntiaverit debitam formam absolutionis.

Q. II. Ad quid teneatur Confessarius, ex cujus defectu Confessio fuit invalida.

R. Si Confessarius graviter deliquerit in suo munere, & exinde grave damnum immineat pœnitenti, tenetur illud cum suo gravi incommodo reparare, utpote quia fuit causa graviter culpabilis talis damni. Exemplum sit, si nulliter ex sua gravi culpa absolvit pœnitentem, qui confessus est peccata mortalia, & est in limine aggrediendi longum iter per regiones Infidelium, unde nescitur quandonam iterum poterit confiteri. Hic certe subit grave incommodum, si tanto tempore perseverare debeat in peccato; omnia etenim bona opera, quæ faciet, erunt sine merito, & satisfactione, & ulterius peccatum in anima perseverans ad alia trahit. Quamvis ergo non appareat mortis periculum, tanta sunt incommoda istius pœnitentis, ut videatur Confessarius, qui ipsorum fuit causa culpabilis, debere eis occurrere etiam cum suo gravi incommodo: *Bonac. de Sacr. Pœnit. disp.* 5. *q.* 7. *p.* 5. *num.* 4. Si vero Confessarius inculpabiliter nulliter absolvit pœnitentem, tunc obligandus est ad reparandum damnum exinde obventurum pœnitenti juxta leges Charitatis. Hinc tenebitur semper reparare damnum pœnitentis, si possit sine suo incommodo, vel valde levi, sicut etiam teneri potest cum gravissimo incommodo juxta diversas necessitates pœnitentis, & juxta diversam conditionem Confessarii; nam alio modo tenetur Parochus, alio modo simplex Confessarius, de quibus omnibus egi *tr.* 10. *quæst. unic. cap.* 5. *quæst.* 3.

Q. III. Quando ex parte Pœnitentis sit invalida Confessio ratione ipsius ignorantiæ; & quando ex hoc capite sit iteranda.

R. I. Si ignorantia fuerit quoad necessarium dolorem, & propositum, tunc certe ignorantia, etsi velimus eam supponere invincibilem, reddit nullam confessionem; nam sine materia proxima hujus Sacramenti nullatenus illud dari potest. Hinc certum est Confessiones factas sine dolore, & proposito omnino esse repetendas. Si vero sermo sit de ignorantia Mysteriorum Fidei, eaque graviter fuerit culpabilis, nullas pariter reddit Confessiones factas cum tali ignorantia, utpote factas in statu peccati mortalis, quapropter nemo repetendas negabit. Videatur propositio 64. ex damnatis ab Innoc. XI. Supposito autem ignorantiam non fuisse graviter culpabilem, vel quia pœnitens ita rudis fuerit, ut ad suam ignorantiam non adverterit, vel de ea numquam fuerit admonitus, tunc distinguendum est. Si inculpabiliter ignoraverit mysteria Fidei, quæ in omnium sententia sunt de necessitate medii, qualia sunt Deum esse, & esse Remuneratorem, tunc utique omnes præhabitæ Confessiones non potuerunt gratiam causare, neque etenim datur justificatio cum ignorantia mysteriorum, quæ omnes dicunt necessario scienda necessitate medii. Si vero ignoraverit ignorantia inculpabili mysteria, quæ controvertitur an necesse sit ea scire necessitate medii, qualia sunt mysteria Trinitatis, & Incarnationis, tunc cum probabile sit illas confessiones potuisse justificare, non est necesse eas repetere, ut etiam dixi *tr.* 6. *q.* 1. *c.* 2. *reg.* 3.

Q. IV. Quando Confessiones sint invalidæ, quia pœnitens non curat inquirere Confessarium doctum; seu

seu etiam quia inquirit Confessarium nimis facilem.

R. I. Omnes conveniunt graviter peccare pœnitentem, si Confessarium ignorantem adeat, non solum, quia ipse est occasio peccati, quod committit talis Confessarius, dum administrat Sacramentum, sed etiam quia non curat de rite conficiendo Sacramento, cum ad hoc necessarius sit Judex, qui capax sit de causa pœnitentis sufficienter judicare. Porro qui dicendi sint Confessarii ignorantes, explicabo dum agam de scientia Confessarii. Solum hic adverto, quod licet aliquis Confessarius sufficiens dici possit respectu alicujus generis personarum, talis respectu aliarum non est. Hinc si pœnitens multis implicetur negociis, & multa gerat, quæ bene fieri non possiunt sine cognitione Pontificiarum Constitutionum, particularium Privilegiorum &c., non satisfacit suæ conscientiæ, si eligat Confessarium aliqualiter sufficientem; nam si negocia, si officia, si munera, quæ debet adimplere, Confessarium vere doctum expostulant, & ipse Confessarium vere doctum debet eligere, alias, ut de se patet, non satisfacit suæ conscientiæ. Patet etiam nullas esse, adeoque repetendas confessiones factas Confessario vel absolute, vel respective ignoranti.

R. II. Quamvis culpandus non sit, qui nimis rigidum Confessarium vitat, certe omni reprehensione dignus est pœnitens, qui Confessarium nimis facilem, seu laxum, & palponem eligit. Talis judicandus, qui opiniones non satis probabiles, quia faventes libertati pœnitentium, amplectitur; qui parum interogare solet pœnitentes, maxime de consuetudine, de periculo, & occasione peccandi; qui valde cavet a reprehendendo suos pœnitentes, qui incongruas pœnitentias imponit &c. Utique qui hujusmodi Confessarium eligit, invalide confitetur, & quia ipsius peccato communicat, & quia carere demonstrat vero dolore, & proposito emendationis; si etenim vere doloret, quæreret Confessarium, qui serio illum de statu animæ suæ admoneret, & qui pœnitentiis, maxime medicinalibus, illum arceret a peccando. Confessiones igitur hujusmodi Confessario factæ, quia invalidæ, utique sunt repetendæ.

Q. V. An nulla sit Confessio, si in ea pœnitens mentiatur.

R. I. Mentiri in confessione circa res non pertinentes ad confessionem, puta in narratione alicujus rei per accidens factæ in confessione, de se non reddit invalidam confessionem, utpote quia non est mendacium circa ipsius Confessionis materiam; adeoque si pœnitens de peccatis, quæ narravit, vere doleat, poterit absolvi. Non est tamen negandum ipsius mendacium esse quidem veniale, sed quod nihilominus sit magis grave ex hoc quod fuerit prolatum in confessione, importat enim aliquam deordinationem contra reverentiam Sacramenti. Item non obstat validitati Confessionis peccatum veniale, utpote quia non cadit supra materiam necessariam; adeoque & quia non decipitur Confessarius in re necessaria, & quia cum hoc mendacio stare potest verus dolor de aliis peccatis, bene cum fructu, non obstante hoc levi mendacio, potest Pœnitens recipere absolutionem. Idem dicendum contra aliquos, si mentiatur quis affirmando commisisse peccatum veniale, quod re vera non commiserit. Ratio est, quia tale mendacium, quamvis gravius, ut paulo ante dixi, quia prolatum in confessione, nihilominus attentis omnibus, de se cadit supra rem levem, neque reddit nullum Sacramentum, quoties pœnitens habeat alia peccata, de quibus vere doleat, adeoque possit cum fructu recipere absolutionem. Solum ergo daretur peccatum grave, quando illud peccatum veniale, quod falso quis diceret commisisse, esset materia totalis Sacramenti; nam tunc illius valorem impediret cum sine vera materia subsistere nequeat: *Lugo de pœn. disp. 16. num. 98.*

Dices quod sicut mortale est inter hostias triticeas consecrandas unam non triticeam consecrare, ita mortale erit inter alia peccata, super quæ cadere debet absolutio, peccatum non commissum admiscere, quia super illud absolutio cadere non potest. Contra tamen est, quia, qui admiscet ex industria hostiam non triticeam inter alias consecrandas, convincitur omnino velle super ipsam etiam proferri verba consecrationis, adeoque decipit Sacerdotem in re gravi, sicut & communicantes in hostia non consecrata. At qui profert ex aliquo alio fine leve mendacium in confessione, accusando leve peccatum, quod non fecit, puta si dicat aliquando irasci ob suam paupertatem, ut ipsius Confessarius misereatur, jam non intendat subjicere suum peccatum absolutioni. Cum igitur in primo casu admiscere ex industria hostiam non triticeam inter alias consecrandas, alio fine fieri non posset quam ut subjiciatur verbis consecrationis, atque ulterius ex hoc sequatur gravis deceptio respectu Communicantium &c. id numquam erit sine gravi culpa. Qui vero accusat leve mendacium, quod non fecit, alium finem, ac illum, quod ipsius obtineat absolutionem, habere potest; ac proinde immunis erit a gravi irreverentia respectu Sacramenti.

R. II. Si quis mentiatur in confessione, vel negando peccatum mortale quod fecit, vel se accusando de culpa gravi, quam non fecit, peccat mortaliter. Et quidem dum neget peccatum mortale quod fecit, clarum est, quia omittit in materia gravi, & necessaria, quod pertinet ad integritatem confessionis. Dum vero accusat peccatum mortale, quod non fecit, exinde probatur, quia tale mendacium non est de re levi, sed de culpa gravi, quamvis re vera non commissa; mendacium autem de re gravi utpote respiciens materiam gravem, grave erit. Præterea ex tali deceptione graviter decipitur Confessarius, qui in Sacramento Pœnitentiæ gerit officium Judicis, præcipue de rebus gravibus cognoscendis; ac proinde non potest esse sine gravi culpa inducente nullitatem Sacramenti: *Navar. in Man. c. 21. n. 17., Suar. de Pœnit. disp. 22. sect. 10. Lugo disp. 16. sect. 2. n. 100.*

Q. VI. Quando Confessio reddatur invalida ratione excomunicationis, qua innodatur pœnitens.

R. Certum est quod si pœnitens in excommunicatione recipiat absolutionem, peccat mortaliter, adeoque nulla est confessio. Si tamen ignoraverit invincibiliter excomunicationem, vel prius obtinendam esse absolutionem a Censuris, quam a peccatis, & bona fide ad confessionem accesserit, confessio non erit nulla; excommunicatus etenim non est incapax absolutionis, sed solum illicite absolvitur a peccatis, antequam a censuris absolvatur: *Bonac. de pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 3. n. 5.* Idem dicendum, si Confessarius prius absolvat a peccatis, quam a Censuris: *Navar. in Man. c. 9. num. 1., Laym. l. 5. tr. 6. c. 12., n. 12. Dian. t. 1. tr. 4. resol. 38.*

Cæterum advertendum, quod si pœnitens per oblivionem, vel ignorantiam Censuras non manifestet, remanet absolutus ab iisdem Censuris per illam absolutionem generalem a censuris, quam impertitur Confessarius, antequam a peccatis absolvat; neque etenim intelligeretur recte gerere officium suum, si antequam absolvat a peccatis, non intelligeretur velle absolvere a Censuris, quibus forte pœnitens esset innodatus: *Dian. t. 5. tr. 1. resol. 188., Bonac. de Cens. disp. 1. q. 3. p. 6. n. 3.* Id tamen non est intelligendum quoad censuras reservatas, si Confessarius non habeat facultatem ab eis absolvendi, unde quoad has haberet postea petere absolutionem. Idem dicendum de censuris, quas Confessarius non poterat absolvere, nisi prius satisfacta parte, vel aliqua adimpleta conditione; cum etenim illicite absolveret, si nondum parti satisfactum esset &c., non potest præsumi habuisse intentionem absolvendi: *Bonac., n. 4., Tambur. l. 2. c. 10. §. 3. nu. 56.* Non desunt tamen inclinantes in contrariam opinionem; sicut enim, dicunt, non illicite in prædicto casu absolvit Confessarius a censuris, quando impossibilis est satisfactio partis, & conditionis adimpletio, ita licite absolvet Confessarius ab iisdem censuris, quoties illarum pœnitens omnino oblitus sit, vel eas omnino ignoret, nam tunc reddita est impossibilis partis satisfactio, & conditionis implementum: *Dian. t. 5. tr. 1. resol. 188.*

Quando nullæ sint Confessiones ratione defectus examinis, doloris, propositi, integritatis Confessionis, satis constat ex dictis, dum de iis omnibus actum est.

Q. V. Quomodo Confessio invalida sit iteranda.

R. Primo, notet Confessarius, quod si quis post confessionem nulliter factam, illius oblitus bona fide fecit alias confessiones, nil omittendo de iis, quæ necessaria sunt ad valorem Sacramenti, nullatenus necesse est istas repetere, ut de se patet, ac satis est repetere confessionem sacrilegam. In iterandis autem confessionibus invalidis primo explicandi sunt defectus in hujusmodi confessionibus commissi. Deinde si iterentur confessiones cum altero confessario, explicanda sunt omnia peccata in iis jam detecta quoad speciem, numerum, & cir-

circumstantias; nam ita se habent, ae si non factæ fuissent. Si vero confessiones cum eodem Confessario iterentur, non opus est iterum repetere peccata, sed satis est si Pœnitens iterum generaliter se accuset de peccatis jam confessis, quia jam videtur satisfecisse præcepto divino de exponendis singulis peccatis Sacerdoti. Oportet tamen Confessarium aliquo modo saltem in confuso recordari status illius pœnitentis, alias non posset judicium sufficiens de eo efformare. Illius autem status quemdam sufficientem notitiam retinebit, quoties recordetur in confuso peccatorum ipsius, vel saltem injunctæ pœnitentiæ *S. Ant. 3. p. tit. 14. c. 19. §. 4.*, *Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 3. n. 15.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Dum Confessarius reperit personas rudes multa ignorare, quæ tenebantur scire, si velit dignoscere, an ipsarum ignorantia fuerit graviter culpabilis, adeoque an ipsarum Confessiones fuerint semper nullæ, interroget, an aliquando vere timuerint non satis scire. Si nunquam ipsarum reclamavit conscientia, nec crediderint se non fuisse sufficienter instructas, ipsarum ignorantia non censenda graviter culpabilis, cum nunquam animadverterint se habere obligationem magis addiscendi, Dum propterea sciverint quæ necessaria sunt ad valorem sacramenti, & quæ in omnium sententia necessario sunt credenda necessitate medii, ex hoc capite tales personæ non sunt cogendæ ad repetendas confessiones. Advertere tamen est non esse absolvendas, si prius saltem non instruantur de articulis Trinitatis, & Incarnationis, ut constat ex propositione 64 damnata ab Innoc. XI.; ac insuper debent promittere se curaturas addiscere alia, quæ tenentur scire, dum ea ignorent. Quod si juste dubitaverint plura nescire, ac sæpius audierint conscientiam reclamantem, quia e.g. Parochus, vel confessarius ipsas admonuit a pluribus ignorari ea, quæ sub gravi tenentur scire, ut sunt articuli Symboli Apostolorum, Præcepta Decalogi &c., tunc si nullam fecerunt diligentiam ad expellendam suam ignorantiam, hæc graviter culpabilis reputari potest, utpote qui sufficientem cognitionem habuerunt de obligatione illam expellendi, & nullatenus curarunt illam expellere. Ex his videat Confessarius quod judicium facere debeat de confessionibus hujusmodi personarum. Ad occurrendum huic malo, quo tot, & tot laborant, optimum esset si Confessarii in sacramentalem satisfactionem sæpe injungerent plures audire Doctrinam Christianam juxta cujuscumque indigentiam.

II. Ad di gnoscendum, an pœnitens malitiose Confessarium indoctum, vel nim s facilem elegerit, interrogandus est, an ideo talem Confessarium adiverit, quia timebat a docto Confessario diligentius examinandam justitiam suorum negociorum; adeoque sine absolutione dimittendum, si aliquos contractus non rescinderet, si aliquod lucrum non restitueret, si solveret mercibus, non vero pecunia numerata, & juxta pretium legale; vel ex aliquo alio capite; circa quod illius conscientia non cessat reclamare. Item interrogandus, an talem adiverit Confessarium, qui non multum videtur curare de consuetudine peccandi, de frequentanda aliqua domo, de non removendo a nimia eum mulieribus familiaritate, de vestium nimio ornatu & indecentia, de admittendis Cicisbei, ac de turpissima hac consuetudine eliminanda &c., adeoque fere nunquam ab ipso negari, vel differri absolutionem. Si ex his motivis electus sit Confessarius, quis non videat, non fuisse in pœnitente necessariam dispositionem ad recipiendum cum fructu Pœnitentiæ Sacramentum? Neque credendum difficile evenire ob aliquod ex his motivis Confessarium a pluribus eligi. Ego semper vidi ad hos Confessarios indoctos, & palpones catervatim confluere pœnitentes, quos scitur non christiane vivere, qua ergo ratione ad illos tam libenter accedunt? Ad majorem autem animarum perniciem, curat aliquando Dæmon, ut non solum sufficienter docti, sed etiam pii a non paucis habeantur.

III. Quamvis mentiri leviter in confessione de se non reddat illam invalidam; nihilominus potest id esse indicium defectus doloris, vel etiam doloris præhabiti retractatio, juxta ea, quæ dixi supra *q. 2. c. 2.* Spectat proinde ad prudentem Confessarium id examinare. Deinde animadvertat Confessarius quod licet mentiri in Confessione circa materiam gravem reddat illam invalidam, nihilominus aliqui excusari possunt ratione ignorantiæ, & bonæ fidei, ut dum rustici, & scrupulosi nimis augent numerum suorum peccatorum ex timore non satis illorum numerum explicandi. Oportet tamen a Confessario redigi ad dicendam, quantum fieri potest, veritatem.

IV. Cum Confessarius non raro timeat de valore anteactarum Confessionum sui pœnitentis, necesse est ipsum scire, quando debeat cogere pœnitentem ad faciendam confessionem generalem, & quando solummodo id debeat suadere. Certum igitur est iterandas esse omnes confessiones, quas pœnitens cognovit invalide fecisse, vel quia tacuit aliquod grave peccatum, vel quia cognovit graviter defecisse in examine suæ conscientiæ, vel quia nec dolorem, nec propositum habere emendationis non ignoravit. Item, cum ex dictis in hac quæstione *c. 1. quæst. 7.* non detur confessio valida, & informis, dum graviter aliquis defecit in examine, cogendus est, pœnitens ad repetendas confessiones, quas Confessarius cognovit male fecisse defectu examinis. Dum vero Confessiones fuerunt informes defectu doloris, ut dictum est loco citato, si pœnitens bona fide confessus est, non est iterum cogendus ad repetendas tales confessiones, utpote quia probabile est fuisse validas, quamvis informes: *Sotus sect. 8. de Sacr. Pœnit.*, *Dian. t. 1. tr. 3. resol. 112. &c.* Id notare debet prudens Confessarius, quia potest illi advenire casus, ut rationabiliter putet pœnitentem in præteritis confessionibus dolorem sufficientem non habuisse, qui tamen, quamvis hic & nunc dispositus, nolit, vel non possit facere confessionem generalem.

V. Profato, qui ex defectu doloris fecit confessiones informes, optimum est suadere confessionem generalem. Quia pariter recte, & juste timetur verum dolorem, & propositum defecisse in iis, qui antea non christiane vixerunt, ideo communiter docent Sancti iis confessionem generalem suadendam; nam non solum utilis erit pro emendandis defectibus in præteritis confessionibus commissis, sed multum conducet ad vitam melius instituendam: *S. Carol. in Instruct. Confess.*, *S. Franc. Sales. in Introduct. ad vit. Devot. p. 1. c. 6* Deinde suadenda est Confessio generalis optantibus alium statum assumere, e. g Statum Ecclesiasticum, seu Regularem; sicut etiam matrimonium eligere. Scrupulosis generalis confessio raro est proficua, quibus tamen permittenda est, si fuerint ex Scrupulosis Libertinis, de quibus *tr. 1. q. 1. c. 4. quæst. 1.* Si qui valde inhoneste vixerunt, & semel cum debita diligentia generaliter confessi sunt, non ipsis permittatur nova generalis confessio, ne potius ipsi, vel etiam Confessario possit scandalo esse. Hac ratione suadendum etiam illis est, ut dum ex necessitate generalem faciunt confessionem, non nimis immorentur in iis peccatis examinandis, nec desinant tempore talis examinis sæpe Deum invocare. Demum iis, qui semel debita diligentia, & dolore generaliter confessi sunt, non facile acquiescendum, si petant novam generalem facere confessionem; nam non raro id oritur ex ipsorum pusillanimitate, proprio amore, vel etiam ex defectu fiduciæ in Divinam misericordiam: *Medin. l. 1. Instruct. c. 12.* Optimum tamen erit volenti Christiane vivere, si singulis annis omnes illius anni repetat confessiones, ut etiam innuit S. Franciscus Salesius *Introduct. p. 5. c. 15.*

VI. Ut generalis confessio bene fiat, Confessarius assignet aliquos dies pœnitenti pro bene conscientia examinanda, & ut orationibus, aliisque bonis operibus valeat a Deo impetrare auxilium efficax ad vere dolendum de suis peccatis. Moneat de modo rite examinandi conscientiam, ut scilicet non solum quoad peccata omnibus communia se examinet, sed videat in quibus defecerit quoad peculiaria sui status; ut si fuit Mercator, Causidicus, Pater familias &c., addendo optime facturus si ad memoriæ subsidium eadem scribat. Moneat insuper, ut specialiter se accuset de peccatis post ultimam confessionem commissis, & de iis, quæ nunquam confessus fuit, ne Confessarius putet talia peccata esse materiam solum sufficientem, non vero necessariam. Postea vero patienter audiat, interrogationibus adjuvet, nec tædium demonstrando curet illius accelerare confessionem. Postquam sufficienter audivit, non statim absolvat, sed injungat novas orationes, & bona opera, non solum ut magis certioretur de ipsius dolore, sed etiam, ut ita cum majori dispositione, adeoque majori fructu, absolutionem recipiat. Illud etiam animadvertat; quod si alienæ rei, vel famæ restitutionem facere tenetur; si aliquam occasionem dimittere; si cum inimico reconciliari, hæc

omnia

omnia præstet ante absolutionem; quinimmo, si experiri necesse sit, an ex animo dimiserit occasionem peccandi absolutionem retardet. Experientia compertum est non facile credendum etiam iis, qui videntur serio polliceri, sed cogendos antea præstare, quod *se præstituros asseverant*: ait S. Franciscus Xaverius apud Genet *de Sacr. Pœnit. c.6, q.13.*

QUÆSTIO VI.

De satisfactione Sacramentali.

CAPUT I.

De Natura Satisfactionis Sacramentalis: de obligatione illam imponendi; & qualis esse debeat.

Q. I. QUid sit Satisfactio Sacramentalis; & quos effectus producat.

R. I. Jam dictum est satisfactionem Sacramentalem in voto implicito, dum scilicet, qui confitetur habet voluntatem adimplendi omnia, ad quæ tenetur, sicut etiam satisfactionem in voto explicito esse partem essentialem, satisfactionem vero actualem esse partem integralem Sacramenti. Explicando modo hujus satisfactionis naturam, ita potest definiri: *Voluntaria sui punitio ad compensandam pœnam temporalem debitam ob injuriam Deo illatam, juxta Sacerdotis sententiam in Sacramento Pœnitentiæ.* Sacramentalis ergo satisfactio non solum est actus virtutis, ut evenit, quando assumitur ad arbitrium pœnitentis extra Sacramentum Pœnitentiæ, sed fit etiam Sacramentalis per hoc, quod taxetur authoritate Sacerdotis fungentis munere Judicis in foro Pœnitentiæ. Porro satisfactio Sacramentalis dicitur punitiva, seu satisfactoria prout ad reatum pœnæ delendum ordinatur; prout vero ordinario potest a Confessario etiam ad passiones refrænandas, & ad removendum pœnitentem a peccandi occasionibus, dicitur medicinalis, ac ad utrumque finem obtinendum a Sacerdotibus ordinandam vult Tridentinum *sess. 14. c. 1.*

R. II. Satisfactio Sacramentalis ultra remissionem pœnæ, quam causat ex opere operantis, causat etiam remissionem pœnæ ex opere operato. Ratio est, quia satisfactio Sacramentalis est pars saltem integralis Sacramenti, adeoque producere habet suum effectum, sicuti producunt Sacramenta, quæ ex opere operato causant suos effectus. Quia tamen est pars integralis, illi correspondet effectus minus principalis, nempe pœnæ remissio. Hinc hunc effectum Sacramentali satisfactioni etiam *per Christum Jesum*, ex opere nempe operato, tribuit Tridentinum *sess. 14. c. 8.*, & consequenter Theologi communiter. Alter effectus tribui potest satisfactioni Sacramentali ex opere operato, vim nempe impetrandi auxilia ad futura peccata præcavenda. Ratio est, quia Sacramenta, vel partes ipsorum efficere habent quod significant; cum ergo satisfactio sacramentalis non solum instituta sit ad significandam remissionem pœnæ, sed etiam coercitionem pœnitentium, ne tam faciliter ruant in nova peccata, hac etenim ratione pro satisfactione opera pœnalia injungi ait Tridentinum *sess. 14. c. 8.* hinc est & hunc effectum causare debere: *Suar. de Pœnit. disp. 38. sect. 2. n. 3. Coninch. disp. 10. dub. 10. n. 92., Palaus disp. unic. p. 21. n. 4.* Dici autem potest satisfactionem hunc effectum producere, quatenus veluti determinet, & extendat gratiam sanativam antea virtute Sacramenti collatam ad reddendum pœnitentem magis fortem ad resistendum tentationibus, & ad perseverandum in gratia. Non desunt etiam qui dicant ratione satisfactionis sacramentalis gratiam habitualem augeri. Verum adhæreo contrariæ opinioni, tum quia satisfactio sacramentalis nec significat, nec instituta est ad gratiam causandam; tum quia Tridentinum recensens effectus satisfactionis nullam mentionem facit prædicti augmenti gratiæ sanctificantis: *Lugo de pœnit. disp 25. n. 6.*

Q. II. An Confessarius teneatur satisfactionem imponere; & sub qua obligatione.

R. I. Cum potestas Sacerdotibus collata ordinata fuerit a Christo Domino non solum ad solvendum, sed etiam ad ligandum, ut constat ex S. Scriptura *Jo. 20. 22.*, & ex *Trid. sess. 14. c. 8.* cumque potestas ligandi respiciat satisfactionem imponere, consequens est ea uti debere Sacerdotem in administrando Sacramento Pœnitentiæ. Neque dicas liberum illi esse uti tali potestate; nam ut Minister Sacramenti tenetur facere, ut integre, & perfecte conficiatur, si vero non injungeret satisfactionem, deesset Sacramento pars integralis. Deinde, ut gerit officium Judicis, debet Pœnitentes, utpote reos, sacramentali satisfactione punire; & ut gerit officium Medici, debet per convenientem satisfactionem peccatis pœnitentium remedia adhibere: *Lugo de pœnit. disp. 25. sect. 4. n. 49., Suar. disp. 38. sect. 3.*

R. II. Sacerdos habet obligationem ex genere suo gravem imponendi satisfactionem pro culpis mortalibus, levem vero pro culpis venialibus, seu mortalibus jam rite confessis. Prima pars probatur, quia obligatio, quæ oritur ratione virtutis Religionis, Justitiæ, aut Charitatis, ex genere suo gravis est, utpote quia hæ virtutes graviter conducunt ad bonum animarum. Confessarius autem ut Minister Christi tenetur ex virtute Religionis consulere integritati Sacramenti, imponendo satisfactionem; ut Judex ad id tenetur ratione Justitiæ vindicativæ; ut Medicus vero ratione Charitatis: *Lugo disp. 25 n. 49.* Secunda vero pars probatur, quia licet non imponendo satisfactionem pro peccatis venialibus privetur Sacramentum parte integrali: nihilominus cum hæc satisfactio debeat esse levis, non privatur Sacramentum parte integrali magni ponderis, adeoque illi non irrogatur gravis injuria; sicuti irrogaretur, si non imponeretur satisfactio pro culpis gravibus, quia cum tunc debeat esse gravis, privaretur parte integrali magni ponderis. Fundatur hoc ratiocinium in eo principio, quod licet aliqua lex obliget ex genere suo sub gravi; nihilominus non inducit gravem obligationem in materia levi. Hinc quamvis votum ex virtute Religionis ex genere suo gravem inducat obligationem, non tamen obligat sub gravi, si fuerit de re tenui, de recitanda e. g. Salutatione Angelica. Pari ratione, quamvis ex genere suo obligatio servandi integritatem Sacramenti gravis sit, non tamen est gravis, dum in re exigua talis integritas omnititur: *Avers. q. 15. de Pœnit. sect. 2., Dian. p. 6. tr. 6. res. 44.*

Q. III. An aliquando excusetur Confessarius a satisfactione imponenda.

R. Unicum casum puto dari, in quo Sacerdos excusetur nullam imponendo satisfactionem, quando nempe pœnitens ita sensibus sit destitutus, ut nullam valeat adimplere. Si vero vel levissimam saltem adimplere possit satisfactionem, ad consulendum integritati Sacramenti omnino imponenda est, uti esset recitare Salutationem Angelicam, vel saltem ore, seu corde dulcissimum Jesu nomen invocare. Quod si gravitas criminum gravem exposcat pœnitentiam, hæc etiam illi imponenda est, adimplenda tamen si convaluerit: *can. ab infirmis 29. q. 6.*

Aliquos alios casus adinvenire est apud Authores, sed in nullo horum videtur excusandus Sacerdos, si aliquam non imponat satisfactionem. Primus est, si prudenter timeat pœnitentem nullam satisfactionem adimpleturum. Sed contra est, tum quia hic difficillime judicari posset sufficienter dispositus, adeoque nec absolvendus. Tum quia satisfactio ordinatur ad integritatem Sacramenti, ad punienda commissa crimina, & ad futura præcavenda, cumque hi fines non cessent in casu prædicto, neque desinit obligare lex de satisfactione imponenda. Tum quia nullam in prædicto casu imponere pœnitentiam esset ansam tribuere ad nova, & graviora peccata committenda; adeoque nullatenus omittenda esset quamvis accommodanda foret, quo magis fieri posset, pœnitentis imbecillitati, & fragilitati.

Alter casus est, dum credi potest pœnitentem jam integre satisfecisse pro suis peccatis, vel modo habere contritionem valde intensam. Sed contra est, quia iste casus est metaphysicus; quomodo etenim Confessarius prudenter judicare potest de hujusmodi integra satisfactione? Præterea in suppositione quod integre satisfecerit, adhuc levis pœnitentia esset imponenda pro integritate Sacramenti, cum adhuc perseveret alter finis imponendæ satisfactionis, ut nempe in posterum peccata vitentur.

Tertius casus est quoad Scrupulosum, qui semel absolutus, iterum iterumque absolvi petit. Contra tamen est, quia si novum afferat peccatum, utique vera est satisfactio imponenda. Si vero solum priora repeteret peccata, expedit ipsum sine absolutione dimittere, Quod si Confessarius iterum absolvat, pro hoc novo Sacramento non satis est satisfactio jam imposita, quamvis supponatur non adimpleta, quia una satisfactio non potest esse pars integralis duplicis Sacramenti. Præterea

rea

rea quamvis supponamus opus jam cadens sub præcepto posse in satisfactionem imponi, hoc tamen, ut videbimus, verum non est, quando est debitum ex eodem titulo; unde cum pœnitentia jam imposita primo injuncta fuerit titulo satisfaciendi, non potest eodem titulo iterum præcipi.

Ultimo, dicunt aliqui posse pœnitentem sine satisfactione dimitti tempore Jubilæi, vel plenariæ Indulgentiæ. Id tamen omnino rejiciendum puto, tum quia lex divina de integritate Sacramenti semper perseverat; neque cessat, etsi supponamus per Indulgentiam totam temporalem pœnam remittendam, quia adhuc, ut jam dixi perseveraret alter finis satisfactionis injungendæ, remedium nempe futurorum peccatorum. Tum quia fortasse postea pœnitens non accederet ad lucrandas Indulgentias; & si accedat, quis scit, an sit lucraturus, an dispositus? Tum denique, quia non puto esse mentem Pontificis concedentis Indulgentias, ut Pœnitentibus opera satisfactoria non injungantur.

Q. IV. An imponi possit pœnitentia etiam exequenda in suffragium Defunctorum.

R. Utique effectus remissionis pœnæ temporalis, qui correspondet pœnitentiæ ex opere operato, applicari non potest Animabus Purgatorij, cum applicetur a Sacerdote in commodum Pœnitentis. At cum effectus remissionis pœnæ temporalis, qui correspondet pœnitenti ex opere operantis, sit ad libitum aliis applicabilis, poterit iste applicari animabus Purgatorii; neque etenim hoc pacto satisfactio habet rationem partis Sacramenti pœnitentiæ, quod solum prodest pœnitenti: *Lugo de pæn. d. 25. n. 62.*, *Pal. tr. 23. disp. un. p. 21. §. 3. n. 3.* Hanc praxim commendat etiam Cathechismus *tract. de Pœn. in fin.*

Q. V. An satisfactio sit culpæ proportionanda?

R. Quoad satisfactionem imponendam hæc habet Trident. *sess. 14. c. 8. Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserint, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes fiant.* Præterea idem Concilium vult pœnitentiam non solum esse ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem, sed etiam *ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum.* Quapropter, ut satisfactio sit revera culpis proportionata, attendendum etiam est, ut deservire possit etiam ad præcavenda peccata in futurum atque ita etiam fiat medicinalis. Hac ratione carnis vitio deditis imponenda etiam essent jejunia aliæque, quantum prudentia dictabit, pœnalitates. Avaris, præter necessarias restitutiones, imponendæ sunt eleemosynæ, & ita de cæteris. Legatur S. Carol. *in Instr. Conf.* Juvabit etiam Confessarium, ut monet idem Sanctus, scire Canones pœnitentiales; quamvis enim ipsorum rigor non amplius attendatur, vel nunquam in usu fuerit in foro Sacramenti Pœnitentiæ, nihilominus bene erit ipsos sub oculos Pœnitentium exponere, ut ita facilius satisfactionem longe minus molestam accepturi. Aliqui ausi sunt dicere suspicari posse Regulares Mendicantes incongruas satisfactiones injungere; sed notandum Alexandrum VIII. sub n. 21. sequentem damnasse propositionem: *Parochianus potest suspicari de Mendicantibus qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.* Si quis vero optet scire a quo tempore antiquus rigor exoleverit, legat Morinum *l. 10. c. 16.* Fortasse ita judicarunt, qui solent indiscretas pœnitentias imponere, quas, utpote impositas non secundum regulas Charitatis, & Prudentiæ, Pœnitentes nec tenentur acceptare, nec exequi. Solent hi hujusmodi pœnitentias ut justas tueri, quia pœnitens gravia scelera confessus est. At animadvertere deberent pænitentes multoties fragiles non esse nimis deterrendos, adeoque juxta prudentiam esse acerbitatem satisfactionis temperare. Audiant quomodo loquatur D. Th. *3. p. q. 18. art. 3. Sicut Medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur; Sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, & a pœnitentia totaliter recedat.* Non per hoc tamen dico non esse summopere redarguendos illos Confessarios, qui etiam pro gravibus sceleribus pœnitentias ita leves imponunt, ut pœnitentes nullatenus a peccando coerceantur.

Q. VI. An in satisfactionem imponenda sint opera pœnalia; & quid si ex alio capite cadant sub præcepto.

R. I. Opus in satisfactionem injungendum debet esse pœnale. Id probat *S. Thom. 3. p. q. 55. art. 1.* tum quia, qui alteri satisfacit, debet aliquid a seipso subtrahere, per hoc autem quod peccator opus bonum non pœnale præstaret, nihil sibi subtraheret. Tum quia satisfactio ordinatur etiam ad præservandum a culpa futura, homo autem non facile retrahitur a peccato, si pœnam non expertus sit. Hujusmodi autem opera ex Concilio Florentino reducuntur ad orationem, jejunium, & eleemosynam. Id autem explicans S. Th. *in 4. d. 15. qu. 1. art. 4. q. 3.*, dicit per eleemosynam nobis aliquid subtrahi bonorum fortunæ; per jejunium, aliasque pœnalitates aliquid bonorum corporis; per orationem vero satis est si submittamus Deo bona animæ, hæc etenim non debemus a nobis subtrahere. Non desinit tamen ipsa pœnitentia semper esse aliquo modo pœnalis, quatenus, eam faciendo, subtrahimus nobis aliquam commoditatem, vel sustinemus aliquod incommodum in ea facienda. Addit Sanctus Doctor prædicta opera opponi caussis peccatorum, nam pœnalitates corporales opponuntur concupiscentiæ carnis; eleemosyna merito desiderio rerum temporalium; & oratio superbiæ, quæ est origo omnium peccatorum. Addit orationem facere, ne peccemus in Deum; eleemosynam, ne in proximum; jejunium, ne contra nos ipsos. Notat etiam idem S. Doctor *qu. 15. cit. art. 1. ad 2.*, *& 1. 2. qu. 114. art. 4. ad 2.*, quod si in exequendis operibus pœnalibus minuatur difficultas ex promptitudine voluntatis, sive ardore Charitatis, non proinde minuitur satisfactio. Cæterum difficile est adinvenire opus bonum, quin simul non sit pœnale; ipsum etenim comedere, cum non sit opus bonum, nisi fiat juxta regulas temperantiæ, hac ratione semper affert aliquam difficultatem, adeoque pœnalitatem.

R. II. Opera, quæ cadunt sub præcepto, possunt esse satisfactoria. Ratio est, quia actus cadens sub præcepto bene potest esse liber, bonus, pœnalis & ordinatus in debiti solutionem, adeoque nihil deest, ut sit satisfactorius. Pro quo advertendum, quod ideo, dum aliquis debet decem ex duplici titulo, e. g. ex contractu, & furto, utrique debito non satisfacit semel decem exhibendo, quia non intelligitur Creditor velle illi Misericordiam exhibere, sed acceptare decem pro satisfactione unius solummodo debiti, non vero alterius. Deus autem misericors, & benignus acceptat unicam solutionem in solutionem ad æqualitatem duplicis debiti; vel dicendum unum gratiose remittere, & pro alterius extinctione solutionem, seu satisfactionem acceptare. Ita Martyrium in aliquibus circumstantiis cadit sub præcepto, & tamen nemo negabit esse opus satisfactorium pro pœna temporali debita peccatis. Mors ipsa Christi Domini cadebat sub præcepto, & tamen fuit plenissime satisfactoria. Id etiam exemplificari potest in nostris operibus quoad rationem meriti; opera etenim nostra, quamvis, debita Deo jure servitii, vel etiam alicujus divini præcepti, non proinde desinunt esse meritoria. Ratio est, quia quamvis Deo aliis titulis debeantur, sub qua consideratione nullum fuisset illis præmium debitum; nihilominus Deus quasi nullo alio titulo essent illi debita, acceptat in ordine ad præmium, & pro eis Gloriam promittit. Pari ergo ratione nostra bona opera Deo ex præcepto debita, ab illo in satisfactionem acceptantur: *Candid. disp. 24. art. 31. dub. 9.*, *Coninch. disp. 10. dub. 8. num. 68.*, & magis communiter. Quamvis autem Deus condonet debitum, quod oritur ratione præcepti, & ita opus imperatum possit esse satisfactorium, id puto, ut supra innui, non extendendum ad opus imperatum sub eodem titulo. Hinc satisfactionem impositam pro alia confessione, non puto posse imponi in satisfactionem subsequentis confessionis, si nondum fuerit adimpleta; quod enim jam debitum est titulo satisfactionis, non habemus fundamentum dicendi a Deo quatenus debitum primo titulo condonari, ut possit pro nova satisfactione deservire: *Palaus tract. 23. disp. unic. p. 21. §. 2. num. 10.*, *Candid. disp. 24. art. 31. dub. 3.*

Hic tamen advertenda aliqua sunt. Primum est, quod si Confessarius aliter non se explicet, intelligendum est opus in satisfactionem injunctum debere esse supererogationis; nam intelligitur velle imponere novum onus pœ-

nale in peccatorum satisfactionem, adeoque diversum ab eo, quod imponitur a præcepto. Tunc autem intelligeretur in satisfactionem sacramentalem etiam opera alias imperata imposuisse, quando tempore, quo implenda essent, etiam caderent sub præcepto; maxime si eo tempore iterari non possint; ut si Confessarius imposuisset jejunare per integram hebdomadam, in qua jejunium aliquo die caderet sub præcepto. Si vero præcepisset pluribus diebus semel Missam in satisfactionem audire, si illis diebus incidat dies festus, putarem ultra Missam ratione diei festi, aliam debere audire, nam commode fieri potest; & opus in satisfactionem injunctum, intelligi debet de opere supererogationis, ut dixi supra. Secundum est, conveniens esse Confessarium semper etiam opus supererogationis in satisfactionem injungere; nam opera, quæ ex communi præcepto fieri solent, communiter non habent retrahere pœnitentes a peccatis, & ulterius conveniens est subire novum onus, ut pro iis satisfaciant. Nihilominus si ratione debilitaris, ac fragilitatis penitentis prudenter judicet Confessarius non posse imponere congruam satisfactionem ex solis operibus supererogationis, tunc iisdem addet alia opera, quæ cadant sub præcepto. Raro autem evenire potest necesse esse sola hujusmodi opera imponere; & si pœnitens valeat etiam aliquod opus supererogationis adimplere, & nolit, quomodo judicari potest satis dispositus?

Q. VII. An pro publicis peccatis imponenda sit publica satisfactio.

R. Juxta Trident. *sess. 24. de reform. cap.* 8., ubi peccatum talis sit naturæ, quia e.g. non commissum fuerit sine aliorum scandalo, ut exposcat publica pœnitentia compensari, utique talis pœnitentia est imponenda, alias non esset peccatis proportionata; & Confessarius omitteret imponere penitenti obligationem ad quam tenetur, resarciendi scilicet scandalum aliis datum. Id autem; ut advertit *S. Thom. in 4. d. 14. qu. 1. art. 5. q. 5. ad* 1., non est contra sigillum confessionis; nam potuit pœnitens ultronee publica penitentia scandalum datum compensare. Ultraquamquod, esto possit quis suspicari a Confessario impositam fuisse, talis notitia oritur ab ipso pœnitente consentiente in publicam penitentiam, qui absolvendus non esset, si nollet acceptare, dum ad eam teneretur: sicuti absolvendus non esset qui nollet petere veniam, vel facere restitutionem, dum ad hæc teneretur.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Observet Confessarius, dum vult convenientem satisfactionem imponere penitenti, duo respicere debere, nempe & quod possit convenientem satisfactionem dare pro pena temporali debita peccatis, unaque deserviread retrahendum penitentem a novis peccatis. Certe nunquam satis redargui possunt ignorantes illi, remissi, palponesque Confessarii, qui pro quibusvis peccatis leves imponunt satisfactiones, adeoque facillime pœnitentes ad nova scelera, & fortasse pejora patranda redeunt: qua propter alienorum peccatorum participes fieri, dicit Trident. *sess.* 14. *c.* 8. At valde criminandi etiam sunt illi Confessarii, qui licet satisfactiones non tam incongruas imponant; nihilominus non satis conducunt ad emendationem pœnitentis. Viro e.g. vel mulieri quam maxime peccatis carnis deditis pluries recitare Rosarium, vel Psalmos pœnitentiales injungent. Hujusmodi satisfactio ab iis personis & facillime omittitur, & facillime adimpletur, & valde modice ab ea ad resipiscentiam impelluntur. Sicut ergo contraria contrariis curantur, iis aliquæ etiam penalitates sunt injungendæ, si ab eis possint præstari; & si ab eis præstari non possint, alia remedia, de quibus infra, imponenda. Videnda etiam quæ dixi, dum Tract. Secundo de peccatis capitalibus egi.

II. Notet Confessarius a rigidioribus penitentiis bene esse abstinere, quoties ægre acceptarentur a pœnitente; & fortasse ab eo, quamvis hic & nunc disposito, non adimplendæ prævideantur. Melius est tunc satisfactionem mitiorem imponere, vel ad eam sub gravi culpa non obligare, monendo tamen non ideo leviora ab eo judicanda sua peccata, sed mitius cum eo agi ob ipsius fragilitatem, ab eoque longe majores penas in altera vita sustinendas, si in ista pro suis peccatis non satisfaciat. Verum hanc regulam non propono respectu pœnitentium jam a longo tempore peccatis assuetorum. Istis rigidior imponenda est satisfactio, nec ab ea abstinendum, eo quod timeantur non adimpleturos. Hoc minus malum est, quam si ob leviores penitentias prosequantur parvipendere peccata, & sine legitimo dolore confiteri, quod valde de iis timendum est; *Coninch. de Sacram. disp.* 10. *dub.* 8. *n.* 73.

III. Loquendo de particularibus penitentiis, quæ cum fructu imponi possunt, primo credo necesse esse in satisfactionem etiam injungere ea, ad quæ alias penitens tenetur, ut emendetur a peccatis. Ita se haberet penitenti imponere in satisfactionem, ne amplius per talem viam pertranseat, vel aliquam domum ingrediatur, ubi habet occasionem peccandi; ne amplius ludat, si consuetus sit blasphemare, vel ludo grave incommodum afferre suæ familiæ; ut quamprimum solvat debitas mercedes, seu satisfaciat Mercatoribus, aliisque Operariis. Bene etiam erit imponere novam penam, si hæc non adimpleantur, faciendi e.g. opus penale, vel dandi aliquam eleemosynam &c. Addantur semper aliquæ orationes; nam oratio est medium obtinendi a Deo auxilia ad resipiscendum. Optimum erit, si peccatori injungantur illæ orationes faciendæ ante Crucifixi Imaginem, vel ante Imaginem B. Virginis brachiis extensis, repetendo actum doloris, & propositi nunquam peccandi. Item, si penitens capax sit, imponatur ipsi aliqua meditatio vel Passionis Christi, vel Novissimorum; experientia etenim constat hujusmodi mentalem orationem non parum ad emendationem conducere. Orationi, si fieri potest, bene erit addere lectionem alicujus pii libri faciendam coram universa familia, vel etiam audire Conciones. Valde pariter commendatur imponere in satisfactionem Sacramentorum frequentiam; ac ex fructu dignoscet Confessarius, si ad ea penitentes accedant cum convenienti dispositione. Non exigua item erit utilitas Penitentium, si illis, dum id facere possit, imponatur quotidie Missam audire. Eleemosyna etiam valde conducit ad gratiam impetranda pro emendatione; adeoque non abstineat Confessarius ab ea in satisfactionem imponenda, si penitens possit eam facere. Videat ergo Confessarius quæ aptiora remedia prodesse possint penitenti, eaque eligat, ut consulat ipsius emendationi.

IV. Satisfactiones per aliquod tempus protrahendæ valde utiles sunt ad emendationem; nam ita non tam facile penitens gravitatis suorum criminum obliviscitur, & coactus sæpe aliquod bonum opus facere, assuescit se Deo commendare, & Chistiane vivere. Dum autem imponuntur in satisfactionem aliqua opera, vel orationes per aliquod tempus protrahendæ, ordinarie non expedit esse aliquid grave; tum ne penitens tandem omittat, tum quia sæpe debere easdem repetere valde molestam reddit satisfactionem, si sæpe grave quid sit præstandum. Bene etiam faciet Confessarius, vel si non obliget ad hæc præstanda, dum pœnitens ipsorum obliviscitur, vel si dicat satis esse, si postea præstet, dum recordabitur. Consulerem etiam assignare tempus hujusmodi adimplendi, dum v.g. mane surgit e cubili, ut in decursu diei recordetur ab ipso a peccatis abstinendum, deinde post prandium, ac tertio dum dormitum vadit, ut cautus sit in nocte ab iisdem cavendi.

V. Expedit etiam multoties in satisfactionem diversa opera imponere, ut toties frequentare Sacramenta, Imaginem B. Virginis invisere, quotidie recitare Rosarium &c. At Confessarius cavere debet, ne tot sint diversa opera, ut facile ipsorum penitens obliviscatur, vel ut ita dicam; ab iisdem obruatur. Videat ergo hæc incommoda cavere, & variorum multiplicitatem operum non sine necessitate imponere.

VI. Non potest negari aliquando necesse esse imponere publicam penitentiam, quando nempe resarciendum est scandalum publice datum. Exemplum sit in eo, qui publice aliquem gravibus injuriis affecit, vel infamavit, huic certe imponendum est in satisfactionem, ut publice restituat honorem, & famam. Dum vero necessaria non est publica penitentia ad resarciendum scandalum, puto non debere Confessarios publicas pœnitentias imponere ob varia inconvenientia, quæ possunt exinde derivare. Tunc vero non est necessaria publica pœnitentia, quando ipsa vitæ emendatio sufficit ad scandalum datum removendum. Certe meretrix non peccat sine publico scandalo, at istud sufficienter compensat, si relicto statu peccati faciat se cognoscere emendatam; aliunde autem publicam injungendo pœnitentiam, quot orientur irrisiones, quot detractiones &c. Hinc S. Congregatio, teste Fagnano *in cap. manifesta de penit. & remiss.* noluit declarare, an in foro Sacramentali pro publi-

cis

cis peccatis imponendæ essent publicæ pœnitentiæ, ut ita magis consuleret quieti Confessariorum, & Pœnitentium.

CAPUT II.

De Obligatione, quam habet pœnitens acceptandi Pœnitentiam; quando illam adimplere; & quando ab ea exequenda excusetur.

Q. I. AN Pœnitens teneatur acceptare injunctam satisfactionem.

R. Pœnitens tenetur acceptare, & exequi satisfactionem præceptive impositam. Ratio est, quia in Sacerdotibus est potestas præcipiendi implementum satisfactionis, nam est in eis potestas etiam ligandi, ut observat Trident. *sess.* 14. *c.* 8. *& can.* 15., potestati autem præcipiendi correspondet in Subdito obligatio exequendi. Confirmari id potest, quia ex potestate tradita Sacerdotibus solvendi tenetur pœnitens, habens conscientiam peccati mortalis, accipere absolutionem, cum Christus Dominus noluerit lapsos post Baptismum independenter a Confessione justificari, ut docet etiam Trident. *sess.* 14. *c.* 5., adeoque ipsa contritio non justificat sine voto confessionis: sicut ergo ex potestate solvendi tenetur pęnitens acceptare absolutionem Sacerdotis, ita ex potestate ligandi oritur in eo obligatio acceptandi satisfactionem. Quamquam autem verum sit non esse absolvendum nolentem absolutionem acceptare, hoc non probat pœnitentem ad hoc non teneri ratione potestatis solvendi traditæ Sacerdotibus, sed ideo non est absolvendus, quia demonstrat se esse indispositum; qua ratione nec est absolvendus nolens rationabilem acceptare pœnitentiam. Præfata ratio adhuc roboratur, quia potestas ligandi data est Sacerdoti tamquam Judici, adeoque debet posse coercere reum, ut docet S. Th. *in* 4. *d.* 19. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 3., & pœnam imponere etiam *ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem*, ut habet Trident. *sess.* 14. *c.* 8. Nulla autem esset illi potestas tradita coercendi reos, quales sunt pœnitentes, & eorum peccata puniendi, quoties illis liberum esset injunctam satisfactionem respuere.

Denique cum Virtus Religionis obliget sub gravi ad non ommittendam integritatem Sacramenti, non solum eidem consulere debet Confessarius, quia ejusdem Minister, satisfactionem imponendo, sed etiam pœnitens, utpote exhibens materiam hujus Sacramenti, acceptando, ac exequendo satisfactionem. Quamvis ergo supponeretur liberum esse pœnitenti velle in hac, vel altera vita satisfacere pœnæ debitæ peccatis, eo ipso nihilominus quod accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ, tenebitur ratione virtutis pœnitentiæ satisfactionem a legitima potestate injunctam adimplere, sicut etiam ratione virtutis religionis, ne mutilum reddat Sacramentum. Hinc omittendo satisfactionem dupliciter peccabit, contra virtutem nempe Pœnitentiæ, & contra Religionem. Videantur *S. Th. in* 4. *d.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 3., *S. Ant.* 3. *p. tit.* 18. *c.* & *§.* 19., *Lugo de pœnit. disp.* 25. *sect.* 5. *n.* 68., *Salmant. Schol. tr.* 24. *disp.* 11. *dub.* 2. *n.* 21.

Dixi in responsione pœnitentem teneri acceptare pœnitentiam *præceptive* impositam. Notandum ergo est nullatenus Confessarium posse totam pœnitentiam permittere arbitrio Pœnitentis, dicendo e. g. impono tibi in satisfactionem jejunium, si volueris jejunare. Ratio est, quia posset tunc pœnitens non jejunare, & ita Sacramentum careret parte integrali; quod non potest sine gravi culpa permittere Sacerdos, maxime dum imponenda est satisfactio pro gravibus culpis, cum teneatur sub gravi consulere integritati Sacramenti. Semper ergo tenetur aliquam satisfactionem præceptive imponere, quamvis possit sub disjunctione imponere, vel audire e. g. tot Missas, vel talem facere eleemosynam; quamcumque enim tunc eligat pœnitens, verificatur impositam fuisse a Confessario. Si vero satisfactio, quam præceptive injungit; non reputetur sufficiens juxta culpas pœnitentis, & nihilominus, attenta conditione pœnitentis, æquum non reputet graviorem imponere: poterit hoc, vel illud opus arbitrio pœnitentis relinquere dicendo, quod si illud faciet, intendit ab ipso fieri in satisfactionem: cum etenim ita intendatur applicatum in satisfactionem ab eodemmet Confessario, jam habet etiam vi clavium esse satisfactoriam. Idem dicatur, si Confessarius diceret se applicare in satisfactionem pœnitentis, quidquid boni faciet usque ad sequentem confessionem: *S. Thom. quod l.* 3. *art.* 28., *Candid. disquis.* 24. *art.* 31. *d.* 14., *Dian. p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 82.

Q. II. An Pœnitens teneatur sub gravi acceptare, & exequi satisfactionem injunctam pro peccatis venialibus, vel mortalibus jam confessis.

R. I. Si Pœnitentia imposita levis sit, pęnitens non tenetur sub gravi eam acceptare, vel exequi. Ratio est, quia integritas Sacramenti, ob quam imponitur pęnitentia, non consistit in indivisibili, alias satisfaciendo levissimæ pęnitentiæ propter culpas gravissimas, ex vi integritatis Sacramenti ad nihil amplius teneretur. Si ergo integritas Sacramenti admittit magis, & minus, gravis dicenda erit, si injuncta satisfactio erit gravis, & e contra levis, si satisfactio sit levis. Cum proinde privare integritate Sacramentum in omissione levis satisfactionis, vel levis partis satisfactionis gravis, sit illud privare integritate, quæ de se levis est, ut dixi etiam capite superiori, hinc est in tali omissione nonnisi culpam levem intervenire: *Palaus tr.* 23. *disp. unic. p.* 21. *§.* 4. *n.* 9., *Laym. l.* 5. *tr.* 6. *c.* 15. *n.* 7.

R. II. Si Pœnitentia injuncta pro levibus peccatis sit gravis, & Confessarius non exprimat se velle tantum sub levi obligare, tenetur pęnitens sub gravi illam acceptare, & exequi. Prima pars probatur observando obligationem satisfaciendi pro peccatis venialibus non commensurandam cum obligatione ea confitendi; alias sicuti nulla est obligatio ea confitendi, neque esset levis obligatio injunctam pro eis satisfactionem adimplere. Item eadem satisfaciendi obligatio non commensuranda est obligationi peccata vitandi, alias sicut datur gravis obligatio vitandi mortalia, quæ jam quis confessus est, teneretur sub gravi exequi satisfactionem levem, quæ ipsi imponeretur, dum iterum clavibus subjiceret. Obligatio igitur acceptandi, & exequendi pœnitentiam, quæ ex genere suo gravis est, regulanda est juxta materiam, quæ præcipitur, & si hæc gravis erit, gravis etiam erit prædicta obligatio. Porro causa rationabilis imponendi gravem satisfactionem pro levibus peccatis, dari potest; tum quia tanta sint peccata venialia, ut magnus etiam sit reatus pœnæ temporalis; adeoque bene possit illi correspondere gravis satisfactio, quæ, accedente præcepto Confessarii, fundat gravem obligationem: tum quia, ratione peccatorum venialium potest Confessarius videre pęnitentem valde dispositum ad peccandum mortaliter, adeoque necessarium judicare illum gravi pœnitentia a talibus culpis venialibus removere. Idem dicas dum Confessarius videt Religiosum ob assidua peccata venialia non parum ab acquirenda perfectione retardari: *Lugo disp.* 25. *sect.* 5. *Bonac. de Pœnit. disp.* 6. *q.* 5. *sect.* 3. *p.* 4. *n.* 4., *Leander disp.* 9. *art* 60.

Dixi tamen pęnitentem debere sub gravi præfatam satisfactionem exequi, quoties Confessarius non se exprimat velle tantum sub levi obligare. Ratio est, quia, sicut spectat ad Confessarium materiam determinare, ita & spectat ad ipsum obligationem taxare; quoties, rationabiliter judicet non esse juxta materiæ gravitatem regulandam: ut si v. g. judicet imponendam obligationem sub levi ad facilius inducendum pœnitentem vel valde fragilem, vel scrupulosum ad acceptandam gravem satisfactionem: *Suar. de Pœnit. disp.* 38. *sect.* 7. *nu.* 5., *Palaus tr.* 2. *disp* 2. *p.* 8. *n.* 4., *Dian.* 3. *p. tr.* 6. *resol.* 91.

Q. III. An liberum sit Pœnitenti se eximere a gravi satisfactione, quam videt sibi a Confessario imponendam, relinquendo Sacramentum inchoatum, & ad alium Confessarium accedendo.

R. Si prædictus pęnitens cognoscit pęnitentiam sibi imponendam esse rationabilem, & necessariam ad sui emendationem, difficile erit non peccare mortaliter, relinquendo Sacramentum jam inchoatum; nam tunc accedendo ad Confessarium, quem putat satisfactionem valde mitiorem injuncturum, impossibile est non cognoscere se accedere ad Confessarium, quem sperat suo munere abusurum. Si vero putet benigniorem pœnitentiam posse sibi licite imponi, quamvis neque judicet irrationabilem, quam vellet illi imponere præsens Confessarius, tunc si accedat ad Confessarium prudentem, & pium, quamvis id faciat ex quadam ignavia, aut levitate animi, censent Theologi nonnisi venialem irreverentiam committere relinquendo Sacramentum inchoatum. Accedit usum Sacramenti Pœnitentiæ, ut non reddatur valde difficilis, exposcere, ut pœnitentes non expolientur sua libertate; quamvis in casu præsenti aliqua adsit culpa, cum pęnitens post inchoatum Sacramentum, præfatis circumstantiis non habeat causam omnino

nabilem a primo Confessario recedendi: *Lugo disp. 25. sect. 5. n. 77., Palaus tr. 23. disp. unic. p. 21. §. 4. n. 7., Aversa de Pœnit. q. 13. sect. 5.*

Q. IV. An Pœnitentia sit adimplenda ante absolutionem.

R. Ex vi Sacramenti pœnitentia non est ante absolutionem adimplenda; cum etenim institutum sit per modum judicii, in quo pœna post sententiam mandatur executori, ita bene potest satisfactio post absolutionem adimpleri. Accedit quod licet melius sit, si Sacerdos ante absolutionem satisfactionem imponat, tum quia ita omnes partes Sacramenti absolutioni tamquam parti formali subjiciuntur: tum quia rectus ordo judicii aptius servatur, si ante absolutionem pœnitens satisfactionem exequendam spondeat, cum maxime ex hoc melius Confessarius certioretur de ipsius dispositione, nihilominus satisfactio etiam post absolutionem imponi potest. Et ratio est, quia cum ea non sit pars materialis, supra quam cadere debeat absolutio, non est necesse ipsam imponere ante absolutionem; & aliunde eum sit pars mere integralis, sufficienter intelligitur unita cæteris partibus essentialibus, si immediate post absolutionem imponatur pœnitenti, quem alias Confessarius certus est acceptaturum: *D. Anton. 3. p. tit. 17. c. 20 §. 1., Suar. disp. 38. sect. 3. num. 5., Navar. de pœnit. disp. 6. c. 1. n. 35.* Si autem non est necesse Confessarium imponere satisfactionem ante absolutionem, utique nec est necesse ante eam adimplere. Hic autem adnotare oportet Alexandrum VIII. sequentes damnasse propositiones, videlicet num. 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, nec institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.* Sub n. 17. *Per illam praxim non absolvendi, ordo Pœnitentiæ est universus.* Sub n. 18. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.* Cæterum, si Confessarius credat necessarium experiri operibus satisfactoriis dispositionem pœnitentis, adeoque ea injungat ante absolutionem exequenda, utique ea præstare debet ante absolutionem.

Q. V. An Pœnitens teneatur adimplere satisfactionem eo tempore, quo est in statu Gratiæ.

Communiter docent Theologi adimplentem satisfactionem in statu peccati mortalis nullam consequi remissionem pœnæ temporalis; quamvis etenim Deus concedat ex sua misericordia peccatoribus gratias actuales ad resipiscendum, nihilominus cum sint ad gloriam indispositi, non conceditur ipsi, quod præparat ad eam, nempe pœnæ remissio. Præterea, quantumvis opera peccatoris proportionem haberent ad delendam pœnam, nihilominus a Deo quoad hunc effectum non acceptantur, utpote sibi exhibita a suo inimico, ut observat S. Th. *3. p. q. 14. art. 1. & 2.*; quapropter Ecclesiast. 34. dicitur: *Dona iniquorum non probat Altissimus*, & Proverb. 15. *Victimæ impiorum abominabiles Domino.* Quamvis tamen exequens pœnitentiam in statu peccati mortalis ipsius effectum non obtineat, nihilominus non tenetur postea eam iterum adimplere in statu gratiæ. Ratio est, quia ad adimplendum præceptum, satis est ponere rem præceptam quoad substantiam, licet finis, ob quem præcipitur non obtineatur, ut patet in eo, qui die festo audit Sacrum in statu peccati mortalis: *Dian. p. 4. tract. 4. resol. 14.*, & alii apud ipsum. Puto autem exequentem satisfactionem in statu peccati mortalis peccare venialiter, quia intercedit aliqua irreverentia ponendo partem Sacramenti in tali statu.

Q. VI. An differri possit exequutio satisfactionis: & quid, si Confessarius designet tempus illius adimplendæ.

R. I. Certum est diu differre graveon pœnitentiam absque justa causa esse peccatum mortale; tum quia satisfactio, utpote pars Sacramenti, debet moraliter aliis partibus uniri, quod non facit, qui sine justa causa diu differt. Tum quia Confessarius intendit obligare pœnitentem ad satisfactionem adimplendam, dum potest eam exequi, quamvis cum aliquali incommodo; unde si valde differat, postquam potuit adimplere, in re gravi transgreditur præceptum Confessarii. Omnino ergo rejiciendam puto opinionem illorum, qui dixerunt posse sine gravi culpa per annum pœnitentiam differri, quoties Confessarius nullum tempus assignaverit; sicut nec e contra probanda opinio, qua universaliter dicebatur esse peccatum grave per tres, aut quatuor dies pœnitentiam differre, quamvis sit peccatum veniale, etsi non per longum tempus absque justa causa differatur. Quando igitur dilatio pœnitentiæ, dum Confessarius tempus non assignaverit, sit culpa levis, vel gravis, potius pendet a prudenti judicio Confessarii juxta diversas circumstantias regulando: *Palaus tr. 23. disp. unic. p. 21. §. 4. num. 12., Hurtad. de pœnit. disp. 14. diff. 1.* Ego puto quod si commodum sit pœnitenti statim exequi satisfactionem, & sine justa causa differat per quindecim dies, talis dilatio sit gravis, cum etenim Confessarius intendat obligare pœnitentem ad ponendam satisfactionem statim ac commode facere potest, juste est graviter invitus quoad dilationem per integros quindecim dies, quando statim commodum erat pœnitenti ipsam adimplere: ultraquamquod non videtur levis irreverentia hujusmodi tempore Sacramentum sine justa causa parte illud perficiente privare. Quod si pœnitentiæ injunctæ exequtio valde sit necessaria ad futura peccata præcavenda, tunc minor dilatio potest esse peccatum grave, quia Confessarius intendit hujusmodi pœnitentias statim exequutioni mandandas.

R. II. Si Confessarius designet tempus satisfactionis adimplendæ solummodo ad removendam negligentiam pœnitentis, non quælibet levis dilatio erit peccatum grave, quia transgrederetur præceptum Confessarii per levem dilationem. Idem dicas de valde brevi dilatione pœnitentiæ medicinalis, nisi necesse sit nec per breve tempus differre ad peccata præcavenda. Si vero Confessarius designavit tempus pro satisfactione adimplenda, nec alio tempore potest finis a Confessario intentus obtineri, tunc grave peccatum est non adimplere pœnitentiam tempore designato; nam tali tempore eam adimplere necessarium est ad consequendum finem intentum a Confessario. Exemplum sit, dum designata est aliqua dies ad adimplendam satisfactionem, ut pœnitens Indulgentiam lucretur, vel, ut plures addunt, ea die specialiter B. Virgo colatur &c. Et ratio est, quia tunc Confessarius non intendit solummodo imponere tale opus in satisfactionem specificative sumptum sed reduplicative, ut conducens scilicet ad lucrandam Indulgentiam, & ad B. Virginem tali tempore colendam; qua ratione omnino adimplendum est tempore designato. Nihilominus, dum per unicam diem differretur opus impositum determinata die in cultum alicujus Sancti, volunt aliqui non esse nisi culpam levem ob levitatem materiæ, quia adhuc obtineretur finis præcipuus a Confessario intentus satisfaciendi, & præcavendi peccata, & solum pœnitens leviter deficeret in fine secundario, quatenus videtur nempe minorem cultum exhibere Sancto, si in ejus honorem, alia die a præscripta, fiat opus injunctum: *Palaus disp. unic. pag. 21. §. 4. n. 3.*

Hinc autem obiter advertas quod, cum in imponenda satisfactione finis a Confessario præcipue intentus sit satisfacere, cultus vero B. Virginis &c. cum assignatur aliqua dies eidem dicata pro pœnitentia adimplenda, sit alter finis partialis, vel secundarius, sequitur vigere obligationem eidem satisfactioni implendæ, etsi dies assignata transierit, cum perseveret finis principalis quare imposita est: *Suar. disp. 38. de pœnit. sect. 7. n. 6. Coninch. disp. 10. dub. 9. a n. 84.* Et idem dicendum contra aliquos, si pœnitentia per longum tempus distribuatur, ut, si Confessarius præcepisset per integrum annum singulis hebdomadibus feria sexta jejunare. Et quidem, si tunc pœnitens non teneretur pœnitentiam adimplere, omnino irrationabiliter commodum ex suo delicto reportaret, cum maxime ex eo quod deberet omissas pœnitentias adimplere, non subiret majus gravamen eo, quod subire debebat, & noluit. Contraria aliquorum opinio, scilicet, non esse obligationem adimplendi pœnitentiam, quando transierit dies assignata pro ea exequenda, falsa reputatur. Et quidem nullatenus urget, quam adducunt paritatem, dicendo discurrendum esse de pœnitentia adimplenda; sicut de opere, ad quod quis aliqua determinata die tenetur ex voto; vel sicut de Missa, quam quisque die festo tenetur audire, quæ obligationes cessant, si tempus ipsarum adimplendarum transierit. Non, inquam, urget hæc paritas, quia vovens aliquando opus exequendum determinata die, & Legislator determinatis diebus aliquid præcipiens, potuerunt sollummodo intendere cultum eo tempore præstandum Christo Domino, B. Virgini, vel alicui Sancto, unde, cessante ratione talis cultus pro eo tempore præstandi, cessat obligatio. At Confessarius

nus

rius independenter a tali cultu designato tempore præstando, primo, & per se intendit ordinare opus injunctum in satisfactionem; & cum talis finis perseveret etiam post tempus designatum, nullatenus intelligi potest cessare obligationem injunctæ satisfactionis.

Q. VII. Quando impotentia physica, vel moralis excuset ab adimplenda pœnitentia.

R. Cum nemo ad impossibile teneatur, utique pœnitens non tenetur adimplere satisfactionem sibi redditam physice impossibilem; ut si quis infirmitata impediretur ab invisenda aliqua Ecclesia, prout impositum fuerat in satisfactionem. Cessante vero impedimento exequenda est injuncta satisfactio. Cessat etiam obligatio satisfactionis adimplendæ per impotentiam moralem, quæ primo tunc datur, quando adimpleri non potest, nisi cum difficultate valde majori ea, quæ ab initio fuerit prævisa; quia tunc credi non potest intentionem fuisse Confessarii obligare in talibus circumstantiis ad illius executionem. Exemplum fit in eo, qui deberet magnam eleemosynam in satisfactionem erogare, quam postea non posset sine gravi incommodo tribuere ratione infortunii, quod post Confessionem supervenit. Oritur etiam moralis impotentia, dum opus injunctum a legitima potestate prohibetur; ut si Religioso, Filiosfamilias, Servo, mulieri uxoratæ prohibeantur ab ipsorum respective Superioribus frequentes Ecclesiæ visitationes, jejunia repetita &c. in satisfactionem injuncta. Si etenim accedat prohibitio Superioris legitime imperantis, jam hujusmodi illicita redderentur, adeoque nullatenus exequenda sunt: *Palaus tr. 23. disp. unic. p. 21. §. ult. n. 17., Azorf. de pœnit. q. 13. sect. 6.* Semper tamen pœnitens præ oculis habeat, quod si pœnitentia est divisibilis, adimplenda est aliqua illius pars, si hæc facta non sit physice, vel moraliter impossibilis; ut si e.g. impositum esset in satisfactionem aliqua frequentia invisere Ecclesiam, & id non pro semper prohiberetur, sed solummodo prohiberetur frequentia, tunc adhuc invisenda esset Ecclesia, sed non frequenter. Dum ergo satisfactio est divisibilis, semper adimplenda saltem est illa pars, quæ non est impossibilis, quia talem esse credendum est intentionem Confessarii; & quia ratio dictat, quod, qui non potest totum debitum extinguere, sed potest partem, ad id saltem teneatur: *Sanch. l. 1. in Decal. c. 19. n. 7.* & communiter.

Major difficultas est quoad eum, qui injunctæ satisfactionis oblitus est, nec, sicuti facere teneretur, adire potest Confessarium, a quo fuit imposita. Quamvis igitur huic ratione oblivionis impossibilis reddita sit satisfactio, nihilominus aliqui volunt, ad consulandum integritati Sacramenti, debere iterum saltem præcipua peccata alicui Sacerdoti manifestare, ut pro eis pœnitentia injungatur. Ego autem puto, quod licet optimum consilium sit ita agere, & ad debitum extinguendum petere in sequenti confessione pœnitentiam, quæ pro gravibus imponi solet, nulla tamen sit obligatio iterum confitendi peccata jam confessa, ut nova imponatur pro eis satisfactio. Ratio est, non solum quia, ordinarie loquendo; nulla est obligatio iterum confitendi peccata semel rite confessa, sed etiam quia nova injuncta satisfactio ad integritatem prioris Sacramenti non deserviret. Et hoc probatur, tum quia prius Sacramentum non integratur, nisi per satisfactionem vi ejusdem Sacramenti impositam quod supponitur esse impossibile; vel quia pœnitens non possit adire priorem Confessarium, vel etiam quia iste immemor sit injunctæ pœnitentiæ. Tum quia satisfactio, quæ alia confessione imponeretur, ad hujus integritatem pertineret, eadem autem satisfactio non potest esse pars integralis duplicis Sacramenti: *Lugo de pœnit. disp. 25. n. 87., Leander de pœnit. disp. 9. qu. 93.* aliique apud ipsos.

Q. VII. An pœnitens excusari possit ab adimplenda satisfactione, lucrando Indulgentias.

R. Non nego, speculative loquendo, valde probabilem esse opinionem multorum Theologorum, quibus favere videtur *S. Th. in 4. d. 20. q. 1. art. 3. q. 1., & in suppl. q. 25. art. 1.*, dum afferunt ratione Indulgentiæ excusari posse pœnitentem ab exequenda pœnitentia, maxime quatenus punitiva est. Ratio ipsorum est, quia præceptum divinum, vi cujus imponitur pœnitentia, habet pro fine satisfactionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis, si ergo iste reatus pœnæ deleatur mediante Indulgentia, maxime si fit plenaria, cessabit finis talis præcepti, adeoque & ipsum cessabit obligare. In praxi nihilominus censeo semper adimplendam esse injunctam satisfactionem. Ratio mihi est, quia ad hoc, ut pœnitens posset omittere injunctam pœnitentiam ratione Indulgentiæ, deberet esse certus illam lucratum fuisse; alias cum obligatio adimplendi pœnitentiam sit certa, non potest cessare per incertam satisfactionem; quis autem potest habere præfatam certitudinem, cum ipsæ animæ satis piæ semper habeant aliquam anxietatem, an sint in statu gratiæ, sine quo nemo potest Indulgentiam lucrari? Præterea valde probabilis est opinio D. Bonaventuræ *in 4. dist. 20. q. 5.*, & aliorum, magis, & minus de Indulgentiis lucrari juxta majorem, vel minorem rationem debitorum, & juxta majorem, vel minorem fervorem pœnitentis, qua ratione magis, & minus participantur effectus Sacramentorum: nemo autem certe judicabit vel tam exiguum habere pœnæ reatum, vel tantum fervorem in lucranda Indulgentia habuisse, ut plene suis debitis satisfecerit. Sicut ergo nunquam excusatur ab exequenda pęnitentia, qui alias eximia satisfactionis opera fecisset, quia nunquam potest esse certus totum reatum pęnæ delevisse, ita dicendum est in casu nostro.

Multo minus adhæreo illi opinioni, quam propugnat *Lugo disp. 27. de pœnit. sect. 2. n. 21.*, & alii; quæ dicit pęnitentes ratione lucratæ indulgentiæ liberari etiam ab obligatione satisfaciendi pęnitentiæ, quatenus est medicinalis. Observo ergo Sacerdotem posse obligare ad satisfactionem medicinalem exequendam, quamvis consideretur eam præcise imposuisse, quatenus Medicus est Animarum. Id autem probatur, tum quia etiam solum agendum, ut Medicus est Animarum, agit nomine Christi, qui ad eam potest obligare; tum quia imponere pęnitentiam etiam ut medicinalem, derivat a potestate ligandi, ex qua oritur obligatio satisfaciendi respectu pęnitentis. E contra cum Indulgentiæ de se non conferant ad refrænandas passiones, ad corporis mortificationem, & ad removendum pęnitentem ab aliqua domo, aliisque occasionibus peccati, quibus rationibus Pęnitentiæ ut medicinales imponuntur, hinc est quod, cum, non obstante indulgentia, perseveret finis, quare imponitur pœnitentia ut medicinalis, adhuc perseveret obligatio eam adimplendi.

Q. IX. An Pœnitens excusetur ab exequenda Pęnitentia, si illam adimpleat per alium.

R. Alexander VIII. sub num. 15. hanc damnavit propositionem: *Pœnitens propria authoritate substituere alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat*, Et quidem pęnitentia ut medicinalis nullatenus prodesse potest Pęnitenti, si ab eodem non adimpleatur, ut de se patet. Item quatenus satisfactoria ita adimplenda est, ut sit pars integralis Sacramenti; talis autem non potest esse nisi quatenus virtute clavium imponitur a Sacerdote, hic autem non imponit pęnitentiam substituto, sed ipsi pęnitenti. Accedit Confessarium habere authoritatem obligandi ipsum pęnitentem, ipsumque intendere obligare, dum satisfactionem imponit. Quod si Sacerdos contentus esset pęnitentiam per alium adimpleri, quamvis id non expediat, tunc bene fieri posset; esset enim pars Sacramenti, quatenus ita fieret ex voluntate Confessarii, & prodesset Pęnitenti, nam satisfactio ab uno exhibita potest alteri applicari: *D. Th. 3. p. q. 13. suppl. art. 2 Suar. d. 36. de Pœnit. sect. 9. n. 2. & 3., Bon. d. 5. q. 5. sect. 4. p. 4. n. 11.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Dum Confessarius videt pęnitentem recusare sibi injunctam satisfactionem, quamvis non nimis gravem, non statim illum dimittat. Videat, an id oriatur defectu doloris suorum peccatorum, de quo valde timere potest, si ea, quamvis valde gravia, parvi faciat. Id ipsum timere potest, si recuset pęnitentiam medicinalem omnino necessariam ipsius emendationi; ut si nollet acceptare in satisfactionem dimittere proximas occasiones peccandi, aliquas facere orationes ad se præservandum, cum antea valde raro se Deo commendaret &c. Dum igitur Confessarius prudenter judicet a pęnitente recusare injunctam satisfactionem de actu doloris, & propositi, utique est sine absolutione dimittendus. Si vero videat recusare pęnitentiam, quia ex quadam ignavia, ac animi pusillanimitate nimis sibi gravem reputat, cupidus aliunde emendationis, tunc peramanter demonstret vere gravem non esse; illi gratum futurum potius in hac vita, quam in igne Purgatorii peccatorum pęnas luere; pęnitentiam non solum imponi ad pęnæ satisfaciendum, sed etiam ad emendationem obtinendam, qua etiam ratione aliquid incommodi afferre debere. Quod si adhuc difficilem videt ob sui pusillanimitatem in acceptanda pęni-

sentia, non recuset illam aliquantum moderari, ut ex S. Thoma innui capite 1. quæsito 5. At si adhuc, dum facilem reddidit, in ea recusanda perseveret, tunc credere vere de suis peccatis non dolere maxime si ipsi necessaria sit aliqua medicinalis satisfactio; ex vero etenim peccatorum dolore consurgeret aliqua animi promptitudo ad eam adimplendam, utpote qui scire debet teneri ad satisfactionem adimplendam, eamque aliquo pacto proportionatam debere esse peccatis.

II. Notet Confessarius aliquando expedire pœnitentiam gravem pro solis venialibus; & id non solum quando quis quamplura hujusmodi peccata, maxime plene voluntaria, habet, sed multo magis, si videt facile pœnitentem in gravia peccata ruiturum, quoties aliqua pœnitentia non illum refrænet a committendis peccatis venialibus. Id facillime evenit iis, qui non cavent a committendis cum plena advertentia peccatis venialibus in aliqua materia, quæ ex genere suo esset mortalis, quamvis peccatum leve sit ex parvitate materiæ. Exemplum sit in eo, qui non cavet a levibus furtis committendis. Idem dico de iis, qui, ut ita dicam, incipiunt a longe assuescere veneres: ut si quis libros non tam pudicos libenter legat; si aliquas æquivocationes proferat; si cum mulieribus aliquantum familiariter agat: Quamvis hæc aliquando fieri possint cum sola culpa veniali, nihilominus experientia dictat valde ad mortalia disponere. Idem, experientia teste, judicandum de iis, qui plena advertentia ruunt in quodcumque peccatum veniale, non curantes de cavendis, nisi mortalibus. Semper cum ergo isti admoniti non resipiscant, aliqua non tam levi pœnitentia refrænandi sunt, ne postea Confessarius lugeat eos in gravia crimina prolapsos.

III. Dum Confessarius videt Pœnitentem valde frequenter sine justa causa satisfactionis executionem differre, serio perpendat, an id evenire possit, quia indispositus accedat ad Sacramentum. Dum vero peccatorum dolore, & emendationis proposito recipit aliquis hujusmodi Sacramentum, solet in eo excitari quoddam desiderium cavendi a peccatis, & pro ipsis satisfaciendi, quod non apparet in eo, qui sine justa causa differt satisfactionem adimplere, quamvis dilatio tanta non sit, ut intercedat culpa gravis. Quod si talis dilatio ex quadam naturali ignavia, vel oblivione oriatur, pertinet ad Confessarium pœnitentem monere, ut statim post confessionem, si potest, pęnitentiam adimpleat, ne in culpabilem dilationem incurrat.

CAPUT III.

De Pœnitentiæ Commutatione.

Q.I. AN Pœnitens possit pœnitentiam sibi injunctam commutare.

R. Pœnitens non potest propria authoritate pœnitentiam sibi injunctam etiam in melius commutare. Ratio est, quia cum commutare pœnitentiam sit novam loco præcedentis imponere, consequens est, quod, sicut primo pœnitentiam imponere est actus jurisdictionis, & virtute clavium elevatur, & sit pars Sacramenti, ita dicendum est de ejusdem commutatione. Cum ergo in Pœnitente non sit hujusmodi jurisdictio, sequitur nec posse ex suo libito pœnitentiam sibi impositam commutare. Nec refert pœnitentiam, quam vellet eligere, magis conducere ad satisfaciendum pro pœna peccatorum, quam pœnitentiam a Confessario injunctam. Contra etenim est, quia quamcumque ex se perfectiorem satisfactionem eligat, eo ipso quod eam sibi propria imponat authoritate, numquam erit pars Sacramenti. Ulterius præceptum Confessarii non tantum respicit finem, sed primo, & per se, medium præscriptum ad ipsius assequutionem; unde omnino ponendum est, quod præscripsit. Ad eum modum quo, dum Ecclesia præcipit jejunium propter carnis macerationem, nulli liberum est eligere aliud medium etiam perfectius ad hunc finem conducens: & ita nemo potest loco jejunii eligere se flagellis cruentare, asperum induere cilicium &c. Quod si aliquis instaret *tr.8. q.2. c.5. qu.2. resp 3.* dictum esse voventem posse opus, ad quod voto se obligavit, propria authoritate saltem in melius commutare, adeoque idem dicendum esse respectu pœnitentis, respondendum esset latam esse disparitatem. Ea autem est, quia opus, ad quod quis tenetur ex voto, neque est pars Sacramenti, neque impositum est Superioris authoritate, quæ cum interveniant respectu satisfactionis, non remanet liberum pœnitenti eam commutare; sicut voventi liberum est commutare in melius opus, quod propria authoritate assumpsit: *Lugo de pænit. disp. 25. n. 95.*, *Palaus tract. 23. disp. unic. p. 21. §. ult. n. 10.* & communiter.

Q.II. An Sacerdos, qui pœnitentiam injunxit, possit eam commutare extra Confessionem.

R. I. Supponitur in præfato Sacerdote esse facultatem pęnitentiam commutandi; nam cum id multoties necessarium sit, nullatenus dubitandum est Christum hujusmodi facultatem Confessariis tribuisse. At puto nullatenus illis competere hanc facultatem extra confessionem. Ratio est, quia cum commutatio pœnitentiæ sit idem ac novæ pœnitentiæ impositio, sicut Confessarius non potest primo imponere extra Sacramentum, tunc enim non esset pars ipsius, ita nec commutare. Addatur, pœnitentiam sacramentalem debere esse a Sacerdote ut ministro Sacramenti, ut nempe utente potestate clavium, & ut Judice pœnitentis; & cum clarum sit hæc munera non exercere, nisi dum ministrat Sacramentum, consequens est tunc solum posse commutare pœnitentiam, alias pœnitentia, quam loco prioris subrogaret, non esset Sacramentalis.

Præfata opinio communior est inter Theologos, ac fundamenta, quibus innititur, suadent omnino esse amplectendam. At quia etiam conveniunt in hoc, posse nempe commutationem fieri modico tempore post absolutionem, quia videtur idem judicium moraliter perseverare, valde dissident in assignando tempus, quo post confessionem fieri possit dicta commutatio. Aliqui illud extendunt ad hebdomadam, & ultra, si Confessarius saltem in confuso recordetur status pœnitentis. Alii ad duos, alii ad unum diem. Verum si verificari debet pęnitentiam debere esse Sacramentalem, adeoque commutandam esse saltem, dum intelligitur idem sacramentale judicium perseverare, non video quomodo commutari possit postquam pœnitens a Confessarii præsentia discessit. Cum tunc plene intelligatur completum judicium Sacramentale & quoad essentialia, & quoad integralia; nec intelligatur moraliter perseverare, alioquin posset Sacerdos sine fractione sigilli cum pœnitente, qui jam discessit, de auditis in confessione loqui, non amplius locus est commutationi pœnitentiæ. Remanet ergo, ut solummodo possit commutari, si nondum pęnitens a Confessario discesserit, quia moraliter perseverat idem judicium Sacramentale, quæ etenim fiunt incontinenti moraliter adesse censentur: *cap. præterea de testib. cogen.*, *l. legem C. de peccat. Palaus tr. 23. disp. unic. p. 21. §. ult. n. 14*

Q.III. An ad faciendam pęnitentiæ commutationem ab eodem Confessario, vel ab alio opus sit repetere peccata, ob quæ fuit injuncta.

R. Non pauci respondent negative, quibus tamen puto non adhærendum. Observare igitur est in pœnitentiæ commutatione non solum judicandum esse de justa causa commutandi pęnitentiam, nec solum attendendum novam pęnitentiam proportionari debere peccatis, ad quod forte aliquando sufficeret notitiam habere primæ pœnitentiæ; sed ulterius verificandum esse commutationem pęnitentiæ esse actum judicialem, & Sacramentalem: neutiquam autem talis erit, si Confessario non manifestentur saltem præcipua peccata, ob quæ alia pęnitentia fuit imposita; hoc etenim Sacramentale judicium prius exposcit manifestationem peccatorum, deinde satisfactionem imponere. Neque hic locum habet illud principium, quo dicitur neminem obligari ad iterum confitenda peccata, quæ semel rite confessus est; hoc etenim per accidens sequi potest, in casu scilicet, quo iterum non confitendo peccata Sacramentum deficeret, vel ejus corrueret integritas; & hoc dari in præsenti casu non potest, nisi confessio peccatorum iteretur, alias pœnitentia commutata non esset Sacramentalis. Si vult ergo pœnitens pęnitentiam, quam reputat nimis acerbam, sibi commutari, oportet incommodum iterandi confessionem subire: *Lugo disp. 25. n. 107. Palaus tr. 23. disp. unic. §. ult. n. 13.*

Q. IV. An unus Confessarius possit pœnitentiam ab altero injunctam commutare; & quid si Pœnitentia injuncta sit a Superiore.

R. I. Omnes concedunt posse Superiorem commutare pęnitentiam ab inferiori injunctam, quia Judex Superior cognoscere potest de sententiis ab Inferiore prolatis. Item apud omnes compertum est pęnitentiam ab initio impositam clave errante, quæ nempe vere fuerit indiscreta, sive quæ postea facta fuerit impossibilis posse ab alio Confessario commutari; cum etenim hujusmodi pęnitentiis

non

non ligetur pœnitens, convenit Confessario eas commutare. Difficultas ergo primo est, an Confessarius possit commutare pœnitentiam impositam juxta regulas prudentiæ ab altero Confessario sibi æquali.

Et quidem negative respondendum esset, si commutando pœnitentiam intelligeretur in primum Confessarium jurisdictionem exercere; nam par in parem nullum habet imperium, ut habetur *ex can. placuit de Pœnit. dist. 6.* Verum commutando pœnitentiam ab altero impositam nullam in illum exercet jurisdictionem, sed solum in pœnitentem, cui cum liberum sit se iterum pro iisdem culpis alteri judicandum, & puniendum præsentare, cumque non debeat pro iisdem culpis diversas subire pœnas, consequens est per impositionem novæ pœnitentiæ liberari ab onere primæ exequendæ. Hinc considerare licet, quod quamvis de sua natura pœnitens teneatur primo Confessario obedire quoad executionem pœnitentiæ, id tamen non verum est, dum, stante novo judicio, se subjicit sententiæ Confessarii commutantis: *Navar. in Man. c. 26. n. 21. Lugo disp. 25. n. 101. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 3. p. 3. n. 1.*

Dices ex hoc sequi primum Sacramentum non futurum integrum; nam pœnitentia in nova Confessione imposita integrabit secundum Sacramentum; nec unica pœnitentia videtur posse esse pars duplicis Sacramenti. Contra tamen est, quia cum Pœnitentiæ Sacramentum institutum sit ad modum judicii, sed iterabilis, sicut in judicio non iterabili tenetur reus ad illud integrandum exequendo pœnam pro suo delicto impositam, ita in judicio iterabili habet opinionem vel eligendi pœnam primo sibi impositam, vel secundam in secundo judicio. Non exigit ergo primum judicium executionem sententiæ in eo prolatæ, quando per aliud judicium loco illius aliquid æquivalens subrogetur; atque ita non dici debet aliquid illi deficere, cum non exposcat executionem pœnitentiæ ad sui integritatem nisi in suppositione quod altera non subrogetur in novo judicio.

R. II. Inferior Confessarius commutare potest pœnitentiam injunctam a Superiore pro reservatis. Non pauci refragantur, quia putant Confessarium inferiorem, ita agendo exercere jurisdictionem in Superiorem, quod ipsi certe non competit. At re vera jurisdictionem in Superiorem non exercet, sed in pœnitentem, qui eo ipso, quod per confessionem factam Superiori immunis evaserit a reservatione, potest iterum peccata, quæ erant reservata, simplicis Confessarii jurisdictioni subjicere; & cum certum sit istum tunc habere potestatem ea absolvendi, potestatem etiam habebit pro eis injungendi pœnitentiam, ex quo, ut dixi supra, cessabit obligatio exequendi pęnitentiam a Superiore injunctam, cum non teneatur duplicem pęnam pro eadem culpa subire. Cessat ergo sententia Superioris, non quatenus Inferior in illum exerceat jurisdictionem, sed quatenus assignando alteram pęnitentiam in satisfactionem, cessat indirecte obligatio primæ satisfaciendi: *Bonac. cit. n. 6. Palaus de Pœnit. tract. 23. disp. unic. p. 21. §. ult. n. 7. Dian. 2. p. tract. 15. resol. 53.*

Neque dicas ex nostra sententia frustrari finem reservationis, qui est, ut pęnitentes timore valde gravis pęnitentiæ a Superiore taxandæ retrahantur a peccatis. Contra etenim est quia principalis finis reservationis est removere homines a peccando, ex consideratione quod sistere se debeant coram Superiore ad absolutionem obtinendam, a quo sicut non tam facile eam obtinebunt, ita recepturi erunt salubriora consilia, atque acriores reprehensiones. Et quidem, dum Trid. *sess. 14. c. 7., & can. 11.* agit de casuum reservatione, non facit mentionem rigidioris pęnitentiæ a Superiore imponendæ.

Regulæ in praxi observandæ.

Quamvis Confessarius possit pęnitentiam ab alio injunctam commutare, imprudentissime tamen se gereret, quoties commutaret, non aliam habendo causam commutationis, nisi quia ita exposcit pęnitens. Videat ergo primo Confessarius, an vere pęnitentia nimis rigida dici possit vel ex se, vel attenta conditione pęnitentis, & si talis non sit, suadeat quantum potest ipsius executionem, repræsentando pęnitentias debere peccatis proportionari, adeoque pro gravibus excessibus non esse injungendam pęnitentiam, nullam vel exiguam afferentem molestiam. Quod si his, aliisque motivis non videat pęnitentem omnino determinatum ad exequendam injunctam satisfactionem, timeatque ex ipsius fragilitate non adimpleturum, mitiorem reddere potest; & videat quantum potest, ne tam tenuem imponat satisfactionem, ut pęnitens peccata parvi faciat, ac ad eadem redire non detrectet.

Animadvertat etiam Confessarius; antequam commutet pęnitentiam, an imposita fuerit pro necessaria pęnitentis præservatione: ut si illi in pęnitentiam impositum fuisset ne luderet, quia ludus non erat sine gravi familiæ detrimento, vel sine pluribus blasphemiis. Eodem modo discurrendum, si in pęnitentiam impositum fuisset, ne accederet ad aliquam domum, ubi consuetus erat peccare: ut aliquoties in die quasdam breves faceret orationes ad extirpandam longam consuetudinem peccandi &c. Ego puto istas medicinales satisfactiones pessime commutari, si non sint fere moraliter impossibiles. Pęnitens utique hujusmodi commutationem expostulando demonstrat vere de peccatis non dolere, cum respuat media sibi necessaria ad non peccandum. Hinc male agit etiam Confessarius & illum absolvendo, & pęnitentiam commutando, quoties alia æque utilia non darentur media, ut pęnitens a lapsu præservaretur. Certe Confessarii nimis faciles in pęnitentiis commutandis, quod alii ædificarunt destruunt, ac verificatur, quod dicitur Ecclesiast. 30. *Unus ædificans, & unus destruens, quid prodest illis, nisi labor?*

QUÆSTIO V.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

CAPUT I.

De eo, cui competit esse Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ: & de Jurisdictione ad id necessaria,

Q. I. AN aliquis non Sacerdos possit esse Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

R. Cum ex perpetua Ecclesiæ traditione constet solos Sacerdotes posse esse Sacramenti Pœnitentiæ Ministros, hinc est Trid. *sess. 14. c. 6.* ita loqui: *Circa Ministrum autem hujus Sacramenti, declarat Sancta Synodus falsas esse, & a veritate Evangelii penitus alienas, doctrinas, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, clavium ministerium perniciose extenduat:* Et *can. 6.* sub anathemate damnat, qui dixerit *Modum secreto confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum.* Et quidem solis Apostolis jam in Sacerdotes ordinatis dictum est Jo: 20 *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Item, cum potestas absolvendi sit supernaturalis, & sacra, non potest competere, nisi solis Sacerdotibus ex vi Ordinis ad hujusmodi munus consecratis, quibus primo confertur potestas super Corpus Christi verum, ut in ea fundetur potestas super Corpus Christi mysticum, sicut observat S. Th. *q. 8. supl. art. 8.*

Sicut autem nulli, nisi Sacerdoti competit absolvere a peccatis, ita voluit Ecclesia nulli non Sacerdoti competere in foro Sacramentali potestatem absolvendi a censuris. Quamvis autem aliqui putent in extrema necessitate, puta in articulo mortis, posse in absentia Sacerdotis, seu alterius habentis aliquem Ordinem, Laicum a censuris absolvere ex præsumpta voluntate piæ Matris Ecclesiæ, ut videre est apud Sanchez *l. 2. Sum. c. 13. Diana p. 9. tract. 9. resol. 12.* nihilominus hæc opinio, quam innui *tract. 3. qu. 1. c. 6. quæs. 6.*, acriter impugnatur *à Lugo disp. 18. sect. 1. num. 10.* Non negando igitur Ecclesiam præfatam facultatem dare potuisse, merito dicitur de facto non dedisse; dum enim Trid. *sess. 14. c. 7.* commendat pietatem Ecclesiæ quoad constitutos in mortis articulo, solum dicit semper fuisse in ea custoditum, ut eo tempore quilibet Sacerdos possit quoscumque pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere.

Q. II. An Sacerdoti, ut possit valide absolvere, ultra potestatem Ordinis necesse sit habere potestatem jurisdictionis.

R. I. Nullus Sacerdos potest valide absolvere, nisi ultra potestatem Ordinis habeat etiam potestatem jurisdictionis. Ita habetur *ex cap. Omnis utriusque sexus, ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii, & ex Tridentino sess. 14. c. 7., sess. 23. cap. 5.* Ratio autem sumitur

mitur ex natura ipsius Sacramenti Pœnitentiæ; nam cum absolutio sacramentalis sit actus Judicii, utique necessaria est in Judice jurisdictio. Ulterius cum Minister hujus Sacramenti habeat potestatem pœnitentem ligandi, oportet habere jurisdictionem, qua ipsi fiat Subditus.

R. II. Sacerdos non habet jurisdictionem ad absolvendum peccata mortalia nunquam confessa præcise ex vi Ordinis. Ratio est, quia præcise ex vi Ordinis non habet potestatem ordinariam, quia hæc convenit ratione alicujus Officii Pastoralis, quod certe non confertur Sacerdoti præcise ex vi Ordinis. Item non habet Sacerdos ex vi Ordinis potestatem delegatam, nam hæc obtinetur ex commissione Ecclesiæ; nullibi autem reperitur Ecclesiam concedere Sacerdotibus jurisdictionem ad solvendum, nisi in mortis articulo. Si vero ex Ordinis potestate non habeat Sacerdos nec ordinariam, nec delegatam jurisdictionem, consequens est nullam habere, adeoque non solum illicite, sed & invalide absolvere, ut docet Tridentinum *sess. 14. cap. 7.* Observare igitur est quod, cum absolutio non solum sit actus physicus, quo vere, mediante gratia, culpa dissolvitur, sed etiam sit actus jurisdictionis, quia Sacramentum Pœnitentiæ ad instar judicii institutum est, hine est in absolvente non solum requiri potestatem physicam ad absolvendum, quam habet Sacerdos ab Ordine, sed etiam moralem jurisdictionis, quam obtinet, dum a Superiore Subditi Sacerdoti consignantur; adeoque hac deficiente nulla est absolutio. Ad eum modum quo, quamvis laurea doctorali insignitus habeat potestatem physice, & materialiter ferendi sententiam; nihilominus nulla est ex defectu jurisdictionis, quam solum obtinet, dum illi destinatur Tribunal, & Subditi assignantur.

Q. III. Quibus intelligatur Ecclesia concedere jurisdictionem ad absolvendum.

R. I. Hanc jurisdictionem, ut patet ex Tridentino *sess. 14. cap. 7.*, concedit cuicumque Sacerdoti quoad constitutum in articulo mortis, itaut nulla tunc sit reservatio; atque ideo quilibet Sacerdos possit absolvere quoslibet Pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris. Aliqui dicunt hujusmodi jurisdictionem non habere Sacerdotes excommunicatos, & hæreticos. At neutiquam puto iis assentiendum; nam Tridentinum sine ulla exceptione dicit *omnes Sacerdotes* pro articulo mortis habere jurisdictionem. Præterea Concilium dicit id semper custoditum in Ecclesia, *ne de ipsa occasione aliquis pereat*: perire autem posset aliquis moribundus, si dum adesset solum Sacerdos hæreticus, Ecclesia illum jurisdictione absolvendi privasset; nam facile intervenire posset non habere nisi attritionem supernaturalem. Finis ergo intentus a pia Matre Ecclesia, opitulandi nemope in articulo mortis constitutis, cogit nos credere neque Sacerdotes hæreticos pro eo articulo jurisdictione privare: *Sanch. l. 2. Sum. cap. 13. num. 6. Lugo disp. 18. sect. 2. num. 18.*, communiter Theologi apud Dianam *3. p. tract. 4. resol. 67.*, *& Leand. de pœnit. disp. 11. q. 16.* Neque dicas moribundum nullum auxilium habere posse ab hujusmodi Sacerdotibus, quia petendo ab ipsis absolutionem peccaret, inducendo nempe ipsos ad peccatum, quatenus administrarent Sacramentum, dum non essent in statu Gratiæ. Contra etenim est, quia licet alteri præbere occasionem peccandi, quoties id, quod petitur, bonum est, & potest bene fieri, quamvis cognoscatur ex alterius malitia male faciendum, & quoties petatur ex causa rationabili. Vide quæ dixi *tr. 6. q. 3. c. 3. quæst. 4.*

Quia tamen Ecclesia concessit pro illo articulo jurisdictionem cuilibet Sacerdoti, *ne de ipsa occasione aliquis pereat*, adhærendum puto iis, qui dicunt coram Sacerdote habente jurisdictionem, confessionem non posse fieri a moribundo simplici Sacerdoti, huic enim jurisdictio tribuitur in casu necessitatis, quæ cessat, si adsit Sacerdos habens jurisdictionem; atque ita omnino faciendum esse communius docent Doctores. Idem ex eadem ratione dicendum quoad moribundum habentem casus, seu censuras reservatas, qui absolvi non poterit a simplici Confessario, si adsit habens facultatem in reservata: *Lugo disp. 18. de Pœnit. n. 24.* Multo minus coram quocumque Sacerdote nullum habente impedimentum licite, & valide absolvendi, posset a moribundo fieri confessio Sacerdoti excommunicato, degradato, hæretico &c.; nam, ultraquamquod dicendum sit Ecclesiam nullam in talibus circumstantiis præbere illi jurisdictionem, moribundus sine necessitate præberet illi occasionem peccandi, administrando Sacramentum in statu peccati: *Passer. q. 187. art. 1 n. 502. Sanch. in Decal. l. 2. cap. 13. num. 6.* Si vero simplex Sacerdos confessionem inceperit, non puto teneri desistere, si superveniat Sacerdos approbatus, quia jura concedunt prosequi judicium inceptum, quamvis, si non fuisset inceptum, desiisset jurisdictio: *Salmant. tr. 6. c. 11. n. 34.*

R. II. Cuicumque simplici Sacerdoti concessum est ab Ecclesia posse absolvere a venialibus, vel a mortalibus rite jam confessis. Ratio est, quia etiam confessio peccatorum venialium fit per modum judicii, adeoque exposcit in Ministro jurisdictionem; cumque simplex Sacerdos non habeat jurisdictionem ordinariam, nullum officium enim habet pastoris, consequens est habere delegatam ab Ecclesia. Dixi habere delegatam ab Ecclesia; nam cum Doctores, & præsertim antiqui, tellentur fuisse antiquam Ecclesiæ praxim, ut simplex Sacerdos posset absolvere a venialibus, & a mortalibus rite confessis, necesse est dicere hanc jurisdictionem habere ab Ecclesia: *D. Th. in 4. dist. 18. art. 3. Cand. disp. 24. art. 55. d. 3. Lugo de Pœnit. disp. 18. sect. 5. n. 41.*

Hic tamen advertere est Innoc. XI. suo Decreto expedito die 12. Febr. 1679. voluisse, ne permitteretur ab Ordinariis fieri confessionem venialium apud simplices Sacerdotes non approbatos ab Ordinario. Non dixit quidem Pontifex se auferre a simplici Sacerdote jurisdictionem, quæ illi ex jure communi, vel Ecclesiæ concessione in ordine ad venialia competit, adeoque valida esse posset confessio venialium facta simplici Confessario cum ignorantia hujus decreti; attamen eum S. Pontifex id prohibuerit; certe non amplius licite fieri potest, adeoque si fiat, non ignorando prohibitionem, confessio etiam erit invalida. Neque dicendum Decretum respicere tantum Episcopos, quibus præcipitur, ne permittant hujusmodi confessiones; nam cum Episcopi voluerint illud esse etiam fidelibus intimatum, notumque ipsis fecerint, ut executioni mandetur; jam constat ab eodem ligari etiam fideles. Gravissima autem fuerunt motiva prohibendi confessiones venialium simplici Sacerdoti; tum quia exinde inferebant posse in quacumque occasione directe a venialibus absolvere, & indirecte a mortalibus; tum quia multi ex his Sacerdotibus nescientes satis discernere inter gravia, & levia temere non raro absolvebant; tum quia ex illis confessionibus multi oriebantur scrupuli, & perplexitates in pœnitentibus.

R. III. Ecclesia dat jurisdictionem, dum adest error communis, & titulus coloratus, ut habetur *ex l. Barbarius ff. de offic. Prætor. can. infamis Persona caus. 3. q. 7.* & docent communiter DD. cum id exposcat bonum commune: multa etenim scandala, & perturbationes oriientur apud Christianos, si invalidæ essent confessiones factæ apud illum, qui habet titulum jurisdictionis, quamvis ex occulto impedimento nullum, puta si aliquis occulte excommunicatus in Parochum eligatur, qui tamen communiter reputatur posse absolvere, quamvis pauci sciant ipsius impedimentum. Quia vero eadem omnino incommoda sequerentur, si validæ essent confessiones factæ apud illum, qui communiter legitimus Confessarius reputatur, ideo censeo Ecclesiam supplere jurisdictionem, quamvis solum detur error communis, sine titulo colorato: *Dian. t. 1. tract. 3. resol. 19. Leander disp. 11. q. 102. Passer. q. 187. art. 1. n. 352.* Vide quæ dixi *tr. 15. q. 2. c. 1. quæst. 3.*

Q. IV. An omnes Sacerdotes ad acquirendam jurisdictionem ad absolvendum, indigeant Ordinarii approbatione.

R. Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 5. de reform.* decernit nullum Sacerdotem etiam Regularem posse Sæcularium confessiones audire, nisi aut habeat Beneficium Parochiale, vel obtinuerit jurisdictionem mediante Episcopi approbatione. At quia post Tridentinum aliqui Regulares quædam obtinuerant privilegia quoad confessiones Sæcularium audiendas, Urbanus VIII. in sua Constitutione 92. ea omnia revocavit, & annullavit: quapropter nulla subsistunt Regularium privilegia, quibus sine Episcopi approbatione possint Sæcularium audire confessiones. Neque ergo ipsi Prælati Regulares sine approbatione Episcopi possunt confessiones Sæcularium audire, quia proprie non sunt ipsorum Parochi, quos excipit Tridentinum loco citato: *Suar. de pœnit. disp. 28. sect. 4. n. 21. Lugo disp. 21. sect. 1. n. 9.* Idem dicendum

dum

dum de Doctoribus, Magistris, Licentiatis &c. & constat ex Bulla S. Pii V. edita ann. 1571. 6. Augusti. Videndus Barb. 2. *par. de potest. Episc. alleg.* 25. *nu.* 6. Hinc Alexander VII. sub nu. 13. sequentem damnavit propositionem: *Satisfacit pracepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato*: Idem Pontifex *sub n.* 16. hanc etiam damnavit propositionem: *Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*. Et quidem, si neque amplius subsistit privilegium quondam concessum Episcopis sibi eligendi in Confessarium non subditum, a proprio Ordinario non approbatum, ut constat ex declaratione Gregor. XIII. apud *Suarez disp.* 28. *sect.* 4. *nu.* 8. *&* *sect.* 6. *n.* 6. utique præfatam potestatem non sibi poterunt vindicare Parochi. Iis etiam remanet sublata quæcumque potestas delegandi suam jurisdictionem simplici Sacerdoti pro audiendis confessionibus suorum Parochianorum, ut etiam declaravit S. Congregatio: *Lugo disp.* 21. *sect.* 1. *nu.* 6., *Suarez sect.* 4. *cit. nu.* 12., *Dan. tom.* 2. *tract.* 4. *de Sacram. resol.* 46.

Q. V. An Sacerdotes Regulares pro excipiendis confessionibus Sæcularium indigeant licentia, & præsentatione suorum Prælatorum.

R. Sunt qui asserunt Regularem non præsentatum a suo Prælato, quamvis ab Episcopo approbatum, invalide absolvere Sæculares, quia jura videntur velle nullam esse approbationem datam Regulari sine tacita, vel expressa præsentatione sui Prælati; *Clemen. Dudum de sepult.*, *Extra. Super Cathedram*, quæ est Bonifacii VIII., nec dici potest Tridentinum hæc jura revocasse: *Pass. de Stat. Homin. tom.* 2. *art.* 1. *q.* 187. *nu.* 221. *Donat. to.* 4. *tract.* 3. *q.* 13., *Palaus tract.* 23. *disp. unic. p.* 17. *§.* 1. *n.* 7., *Bordon.*, *& alii*. Verum ego puto esse distinguendum. Concedo igitur præfata jura non esse revocata quoad supradicta: at cum ibi sermo sit solummodo de facultate a Pontificibus concessa Regularibus, solum inferri potest Regularem non præsentatum, seu non habentem licentiam a proprio Prælato, omnino carere jurisdictione a Pontificibus concessa; adeoque nec posse uti privilegiis concessis in ordine ad Sæculares, cum Regulares eis uti non possint, nisi de licentia, & cum subordinatione ad suum Prælatum, ut patet ex variis privilegiis relatis a *Lezana tom.* 1. *c.* 18. *nu.* 66. At si Episcopus intendat non nude approbare, sed etiam dare jurisdictionem Regulari a suo Prelato non præsentato, cum nullum jus illi interdicat subdelegare ordinariam jurisdictionem, quam habet, poterit prædictus Regularis absolvere ob jurisdictionem sibi ab Episcopo concessam, sicut alii Sacerdotes sæculares: *Laym. l.* 5. *tr.* 6. *c.* 10. *n.* 19., *Candid. disp.* 24. *art.* 56. *dub.* 11., *Delbene p.* 1. *t. c.* 14. *dub.* 18. *sect.* 6. *n.* 10., *Salman. tr.* 18. *c.* 4. *p.* 2. *n.* 48. aliique. Omnes tamen fatentur delinquere Regularem audientem confessiones Sæcularium absque sui Prælati licentia, idque vel graviter, vel leviter juxta legem interdicentem.

Q. VI. Cujus Ordinarii approbatio necessaria sit ad audiendas confessiones.

R. In percelebri causa Angelopolitana decisum fuit nullum Confessarium etiam Regularem, etsi Societatis Jesu, posse absque licentia Episcopi Diœcesani Sæcularium confessiones audire, etiamsi in alia Diœcesi fuerit approbatus. Hanc S. Congregationis declarationem robur majus habuit ex Brevi Innocentii X. quod videre est apud Lezana *consult.* 40. *num.* 110. At quia nondum videbantur penitus sublata dissidia, Clemens X. in Bulla *incip. Superna &c.* sancivit, & declaravit *Religiosos ab Episcopo ad confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati*. Hoc iterum sancivit, ac confessiones factas Sacerdoti non approbato ab Episcopo Diœcesano nullas esse declaravit Innocent. XII. in suo Decreto expedito Romæ die 19. Aprilis 1700. Ex his constat neque ratione Bullæ Cruciatæ, cujus intuitu expeditum fuit Decretum Innocentii, neque ratione Jubilæi posse eligi Confessarium non approbatum ab Episcopo Diœcesano; si etenim non datur hæc facultas ratione Bullæ Cruciatæ, neque dabitur ratione Jubilæi, utrobique enim eodem modo datur hæc facultas. Jam autem etiam ante præfatum decretum plurimi Theologi ita docuerant apud Leandrum *de Pœnit. d.* 11. *quæst.* 70.

Observare autem hic est hucusque dicta procedere quoad Sacerdotes habentes ab Episcopo jurisdictionem delegatam, quam voluit Tridentinum, & decreta Pontificia non posse exercere, nisi intra Diœcesim, in qua est approbatus. Verum quoad Parochos adhuc communiter docetur posse extra Parochiam, immo extra Diœcesim, in qua est Parochus, confessionem sui subditi audire; nam nullo jure per recessum a Diœcesi amittunt jurisdictionem, quam in illum habent, nec constat Tridentinum, ac Constitutiones Pontificias aliquid circa Parochos innovasse. Non satis tamen est Parochos fuisse, sed oportet actu esse Parochos, ut non indigeant nova Episcopi approbatione: *Lugo disp.* 21. *sect.* 1. *n.* 8. aliique apud Dianam *part.* 1. *tom.* 11. *resol.* 8.

Q. VII. An Episcopus possit approbare Regulares cum limitatione quoad tempus, vel Personas; & an possit licentiam audiendi confessiones illis datam revocare: & quid de Parochis.

R. I. In supracitata Bulla *Superna &c.* Summus Pontifex vult Religiosos generaliter repertos idoneos, generaliter quoque & indistincte admittendos esse ab Episcopis absque ulla limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis Personarum; eos vero, qui non adeo idonei reperti fuerint, posse arbitrio Ordinarii probari & admitti cum limitata facultate. Notat tamen Passerinus *de Stat. hom. tom.* 3. *qu.* 187. *art.* 1. *num.* 267. peccare mortaliter Episcopum non approbantem Regularem idoneum, a suis Superioribus præsentatum, quia in re gravi facit contra Regularium privilegia.

Item notandum ex eodem *numer.* 288., *& Roderic. quæst.* 69. *art.* 8., quod licet Episcopus non deberet limitate approbare, ut paulo ante dictum est, Regularem generaliter idoneum repertum, nihilominus, si limitet facultatem quoad tempus, vel personas, attendenda est præfata limitatio. Et ratio est, quia quamvis dicat Clemens in sua Bulla dictam limitationem non esse apponendam, nihilominus nullo jure invalidatur, si ab Episcopo apponatur. Contrarium sustinet Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *numer.* 8., & quidam alii. Puto tamen cum Passerino *nu.* 283. & aliis, quod limitatio quoad locum non intelligenda sit de jurisdictionis taxatione in illo solo loco, sed solum quoad convenientiam, & ad removendas dissensiones, maxime si Regulares audirent confessiones in Ecclesiis Parochialibus, sine Parochorum licentia.

R. II. Quoad licentiæ audiendi confessiones concessæ Regularibus revocationem, decrevit Clemens Regularem ad confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque temporis præfixione ab ipsumet Episcopo (secus si ab ejus Vicario, aut Antecessore) approbatum, non posse ab eodem, qui sic approbavit, examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentiam jam concessam revocare, nisi superveniente nova causa, quæ ad ipsas confessiones pertineat. Decernit etiam Episcopum non posse, inconsulta Sede Apostolica, adimere facultatem audiendi confessiones omnibus Confessariis unius Conventus. Quamquam autem possit Episcopus ex nova causa suspendere Regulares a confessionibus, ut habetur in Bulla Clementis dici tamen potest non competere id Capitulo, Sede Vacante, quia quoad hoc non succedit Episcopo in facultate ipsi delegata: *Passer. de stat. homin. tom.* 2. *q.* 187. *a num.* 316. & alii, quos sequitur Dian. *tom.* 3. *tract.* 5. *resol.* 33.

R. III. Quoad Parochos dicendum est denuo non esse examinandos ab Episcopo, a quo fuerunt examinati, nisi propter insufficientiam, vel aliam causam sit probabilis suspicio non amplius esse idoneos. Approbati vero ab Antecessoribus possunt ab Episcopo iterum examinari tam in visitatione, quam extra. Ita S. Congregatio apud Nicolium in Flosculis *v. examen. numer.* 23.

Q. VIII. Cui competat approbare quoad audiendas Confessiones Regularium, & Monialium.

R. I. Pro audiendis confessionibus Religiosorum non sufficit Episcopi approbatio, sed necessaria est approbatio Prælati ipsorum. Quod non sufficiat Episcopi approbatio probatur, quia, cum Episcopi nullam habeant in Regulares exemptos jurisdictionem, neque possunt eam Confessariis delegare ad illos absolvendos. Quod vero necessaria sit approbatio Prælati, patet, quia nullum extat privilegium, vi cujus possint Regulares sibi eligere Confessarium a suis Prælatis non approbatum; quodcumque etenim privilegium illis concessum

cessum, intelligitur concessum quoad usum cum dependentia a suo Prælato; alias potius in dispendium, quam in fomentum regularis observantiæ vertere posset. Hinc tenet communis sententia nullam esse confessionem, quam faciat Regularis Sacerdoti a suo Prælato non approbato: *Lezan. to. 1. c. 18 n. 26.*, *Bord. resol. 34 num. 42.* Verum tamen est sufficere aliquando tacitam approbationem, ut evenire potest quoad Religiosos itinerantes, vel aliquo tempore extra Monasterium degentes, quibus intelligitur concessa facultas confitendi quibuscumque idoneis Sacerdotibus, si proprii Ordinis Confessarium non habeant. Dixi, si proprii Ordinis Confessarium non habeant, nam ex pluribus Summorum Pontificum privilegiis, videndis apud Salmanticenses *tr. 18 de privil. c. 4. par. 2. §. 6. n. 89. & 94.*, Religiosi non possunt eligere Confessarium contra Statuta sui Ordinis, quæ in multis Religionibus præscribunt, ut dum adest Sacerdos proprii Ordinis, non possit alterum Confessarium eligere; secus si non detur talis prohibitio: *Bordon. tom. 1. resolut. 36. Anton. a Spir. Sanct. in Direct. Regul. tract. 2. disp. 2. sect. 1. n. 23.* Cæterum quicumque Superiores Regulares possunt sibi eligere Confessarium propriæ, vel alterius Religionis, sive etiam Sæcularem, & id vel intra, vel extra Monasterium ex privilegio, de quo *cap. fin. de Pœnitent. & remiss.*

R. II. Si Regularis tempore Jubilæi velit eligere Confessarium extra suam Religionem, iste non solum debet esse ex approbatis ab Ordinario loci, sed etiam debet esse approbatus a Superiore ipsius Regularis. Ita habetur ex privilegio concesso a Gregorio XIII. Societati Jesu, quod commune est etiam aliis Religionibus. Ulterius cum *cap. igitur de privilegiis* prohibeatur, ne quis absolvat Religiosos invitis ipsorum Superioribus, dicendum est per Bullam Jubilæi non derogari huic prohibitioni; nam Bullæ, & novæ leges ita interpretandæ sunt, ut juri communi non derogent. Hanc opinionem ut probabiliorem sustinet inter alios Viva *de Jubil. qu. 9. art. 4.* At quia contrariam appellat probabilem, ideo considerandum est ex sequenti quæsitu, an tuto ad praxim possit reduci.

R. III. Quoad approbationem Confessariis pro Monialibus Episcopo subjectis attendenda sunt quæ habet Clemens X. in Bulla incip. *Superna*. Ibi decernit *approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii minime posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii*: itidemque Confessores approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vi approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties a Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. At non solum Episcopi approbatio necessaria est pro excipiendis Monialium confessionibus ipsi subjectarum, sed etiam Monialium subjectarum Regularibus, ita etenim sancivit Gregor. XV. in sua Constitut. incip. *Inscrutabile &c.*, & patet etiam ex declaratione S. Congregationis, quæ habetur ad calcem ejusdem Constitutionis. Videatur *Boss. de Jubil. sect. 3. cas. 2. §. 3. n. 75.*

Ex his censeo neque tempore Jubilæi posse Moniales eligere Confessarium pro ipsis non approbatum, quamvis fuisset approbatus pro excipiendis confessionibus Regularium. Ratio est, quia dum Pontifex concedit Monialibus posse tempore Jubilæi eligere quemcumque Confessarium ex approbatis ab Ordinario, intelligendus est loqui de approbatis pro iisdem Monialibus; neque etenim credere debemus concedere facultatem eligendi Confessarium, quem Episcopus pro iisdem idoneum non judicaverit: Videmus autem Pontifices velle non ideo censeri reputatum idoneum pro Monialium confessionibus audiendis, quia approbatus fuerit pro Sæcularium confessionibus, sed necessariam esse distinctam approbationem. Sicut igitur, si aliquis approbatus sit ad confessiones tantum pro viris, non potest ratione Jubilei a mulieribus eligi: *Lug. de pœnit. disp. 21. sect. 1. n. 16.*, *Boss. sess. 3. cas. 2* neque unquam contrariam opinionem ad praxim deducendam suadent Theologi: *Trull. in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 3. n. 7.*: & sicut non est universaliter eligibilis vi Jubilæi, qui limitate approbatus est ad certum locum, tempus, & personas: *Boss. cas. 3.* itaut dicantur non audiendi contrarium sentientes, ita cum approbati pro Sæcularibus intelligantur limitate quoad ipsos approbari, non sunt vi Jubilæi a Monialibus eligibiles pro ipsarum confessionibus audiendis.

Q. IX. An pro administrando Sacramento Pœnitentiæ sufficiat jurisdictio probabilis.

R. Licitum est administrare Sacramentum Pœnitentiæ cum jurisdictione innixa opinioni certo probabili. Ita magis communiter sentiunt Theologi, ut videre est apud Salmanticenses Scholasticos *trat. 24. de Pœnit. disp. 12. dub. 7.* Ratio est, quia jurisdictio innixa oppinioni vere probabili est jurisdictio moraliter certa, ac proinde negandum non esse sufficientem ad administrandum Pœnitentiæ Sacramentum. Quod vero detur in tali casu jurisdictio moraliter certa, probatur, tum quia, quando opinio, in qua fundatur, esset falsa, adhuc consurgit communis error, quia suppono omnes talem opinionem ut probabilem reputare; ex tali autem errore, ut dixi supra, consurgit jurisdictio, eo maxime, quia titulo colorato, quem aliqui volunt uniendum errori communi, ut pariat jurisdictionem, prævalet opinio, quæ est fere communis, & innixa urgenti rationi. Tum quia, communis consuetudo est in Ecclesia administrandi Sacramentum Pœnitentiæ cum probabili jurisdictione, ut inter alios testatur Tamburinus *t. 3. lib. 5. c. 4. §. 8.*, ac proinde dicendum est Ecclesiam dare jurisdictionem. Neque potest dici Ecclesiam mere negative se habere; valde etenim deficerent in suo munere Prælati Ecclesiæ, quibus non potest esse ignota talis consuetudo, de qua passim testantur Authores, si in grave præjudicium animarum vellent se habere negative, & non positive supplere jurisdictionem, si forte desit. Accedit ex ipsa consuetudine certo acquiri jurisdictionem, ut expresse decisum habetur *c. cum contigat 3. de foro compet.*

Oppones opinionem, qua dicitur licitum esse ministrare Sacramentum Pœnitentiæ cum jurisdictione probabili, non excedere lineam probabilitatis, adeoque illicite ad praxim duci, cum ex condemnatione primæ propositionis ex damnatis ab Innocent. XI., ne exponantur Sacramenta periculo frustrationis, tutiora, non vero probabilia sint amplectenda. Contra tamen est, quia utique male operaretur qui extra casum necessitatis uteretur materia, forma, seu intentione, quæ tantum probabiliter sufficerent ad valorem Sacramenti, nam exponeret Sacramentum periculo nullitatis; idemque esse posset cum damno animarum, quia si forte falsum sit prædicta esse sufficientia, ea supplere non potest Ecclesia. At dum quis utitur jurisdictione innixa opinioni vere probabili, si hæc forte falsa sit, certum est Ecclesiam supplere jurisdictionem, cum habeamus ex jure Ecclesiam supplere jurisdictionem, dum adest consuetudo ea utendi, & dum adest error communis, maxime si adsit aliquid æquivalens titulo colorato. Addatur quod, dum quis putat ratione opinionis, quam sequitur, habere privilegium, seu facultatem absolvendi ex hoc satis consurgit titulus coloratus, ut observat *Passerinus qu. 187. art. 1. n. 354.* Hujus certitudinis evidens etiam est argumentum, si observetur, quod si certum non esset in nostro casu Ecclesiam non supplere jurisdictionem, debuissent Pontifex, & Episcopi non tolerare nostram fere communem sententiam; nam ipsorum tolerantia non esset sine gravi damno animarum.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Quamvis valide absolvant Regulares, quibus Episcopus dedit jurisdictionem, etiam renuente proprio Superiore; nihilominus in praxi judicandum fere semper graviter peccaturos, si Pœnitentiæ Sacramentum administrent, ipso Superiore invito. Ratio est, quia si Superior renuat, id faciet, quia agnoscet Subditum carere vel sufficienti scientia, vel probitate pro hoc Sacramento administrando; unde, ultraquamquod peccet mortaliter quicumque prædictis carens audire vult confessiones, ita etiam peccat, quia in re gravissima transgreditur Superioris præceptum. Sed demus Regularem excipientem confessiones, invito Superiore, solummodo transgredi suam regulam, qua illi præcipitur obedire, adhuc potest graviter peccare. Ratio est, quia quamvis ipsius regula de sui natura non obliget, nisi vel ad pœnam, vel ad culpam levem, adhuc tamen quis non videat quæ oriri possint scandala, & præjudicia regulari observantiæ, si Religiosi velint, invitis etiam Superioribus, confessiones excipere? Graviter proinde peccarent ratione scandali, & gravis perturbationis, quæ exinde oritur.

II. Ex illa tam communi doctrina, qua dicitur valide, & licite administrari Sacramentum Pœnitentiæ cum jurisdictione opinioni vere probabili innixa, plures casus resolvere potest Confessarius: semper scilicet pos-

se ex-

se excipere Confessiones, cum ex opinione vere, & certo probabili putat habere jurisdictionem. Ita se habet opinio, qua dicitur ad obtinendam jurisdictionem sufficere ratihabitionem Ordinarii de præsenti, quia e. g. Sacerdos novit Superiorem esse contentum, ab ipso hic & nunc audiri confessiones, vel quia dedit signa indicantia consensum: *Sot. in 4. dist. 18. qu. 4. art. 3. Donat. t. 4. tr. 5. q. 14.*, & plures alii. Communiter e contra docent non sufficere ratihabitionem de futuro; nam consensus futurus Superioris non dat de præsenti jurisdictionem, quæ prærequiritur ad absolutionem. Item opinio vere probabilis est ea, qua dicitur obtineri jurisdictionem a Sacerdote, qui, licet ab Episcopo interiori judicio inhabilis judicetur, nihilominus externe approbatur. Ratio est, quia approbatio est veluti sententia lata ab Episcopo ut Judice, quæ valida est, quando profertur ab eo, cui habet authoritatem, quamvis illicite eam profert, Judicium proinde Episcopi necessarium ad Sacerdotis approbationem, regulandum est secundum id, quod externe profert, cum maxime Ecclesia de mere internis non judicet; & cum alias sæpe redderenrur dubia quamplura Sacramenta, semper etenim timeri posset, an Episcopus vere idoneos reputasset quosdam, qui non mediocriter indocti, & imprudentes apparent: *Lugo disp. 21. sect. 1. n. 25.*, *Suar. d. 28. sect. 5. n. 7. Aversf. de pœnit. qu. 16 sect. 6.* & plures alii contra Barb. 2. *p. de potest. Episc. alleg. 26. n. 20. Bon. &c.* Item reputanda opinio certo probabilis ea, qua dicitur non expirare facultatem audiendi confessiones mortuo concedente. Idem dicendum de opinione, qua asseritur simplicem Sacerdotem habere jurisdictionem absolvendi moribundum, si Sacerdos approbatus superveniat incepta confessione: sicut etiam de opinione concedente Regulari posse tempore Jubilæi eligere Confessarium ab Ordinario dumtaxat approbato, non vero a superiore Regulari. Semper tamen a praxi proscribendæ opiniones non certo probabiles, quales essent concedentes illimitatam facultatem excipiendi confessiones, quando facultas concessa fuisset limitate, vel quoad tempus, vel quoad Personas.

CAPUT II.

De Probitate, Scientia, & prudentia Confessarii: ubi de observandis circa confessiones mulierum, eorumque, qui visiones, aliaque extraordinaria habere dicunt.

Q. I. QUæ probitas necessaria sit in Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

R. Postquam S. Carolus *in Instruct. Confessar.* dixit Confessarium liberum esse debere a gravi culpa, ne peccet mortaliter ita Sacramentum Pœnitentiæ administrando, hæc subdit: *Confessor animarum salutis cupidus, & earum in virtutibus instituendarum zelo flagrans, ut remedia assignet, quibus illæ a peccato liberentur, & salutis nostræ inimici fraudes detegant; hominem denique veterem quomodo exuendum, & novum e contra induendum sciant, in quo christiana perfectio consistit, non debet tantum sine peccato mortali hoc Sacramentum ad ministrare, sed cum ad prædictos effectus promovendos maxium juvet illud in se primam ostendere, quod in aliis positum desiderat (plus enim movent exempla, quam verba) nec alios valent edocere virtutem, quam non in se habet, ad propriam perfectionem maxime attendat, & ad eam sibi conciliandam se in virtutibus necessariis exercent.* Addit autem *in Instruct. de Sacram. Pœnit.*, quod Confessarius quanto magis omni virtute, præcipueque charitate paterna, zeloque salutis animarum præcellentior erit, tanto aptius erit instrumentum Bonitatis Dei.

Ad Confessarii probitatem spectat patienter ferre rusticitatem, ignorantiam, aliosque defectus pœnitentium; peramanter suscipere, ac ostendere sibi gratum esse pro ipsorum salute laborare: *Confessiones*, ait S. Carol. in Instruct. Confess., *æquo animo audiant, nec Pœnitentes Confessos dimittant ex labore, quem fugiunt, nec ægre eos audire quoquo modo significent, sed e contra efficiant, ut Pœnitentibus innotescat, sibi gratissimos esse pro eorum salute labores.* Non tamen ita mollis debet esse Confessarius, ut nimia benignitate vitia foveat; quod facile evenire potest illis Confessariis, qui divitum, nobiliumque personarum concursum ad suum Confessionale desiderant; eosque etiam objurgari dicendum est *Ezech. 13. 18.*, dum redarguuntur ii, qui ponunt *pulvillos sub omni cubito manus*, & faciunt *cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*. Quantum igitur verus zelus longe est ab absterrendis pœnitentibus a confessione, tantum a nimia facilitate alienos vult Confessarios; unde juxta S. Gregorium *hom. 10. in Ezech.* verus zelus exercetur *dicendo, custodiendo, suadendo, increpando, mulcendo, aliquando leniter, aliquando etiam severius agendo.* Quamvis autem aspera futura sit pœnitenti Confessarii correctio, nihilominus ab ea non abstineat, dum benigniora fuerunt frustranea; quondam forrasse ipse pœnitens gratias aget; *Vociferetur, & clamet licet*, ajebat S. Cyprianus in Tract. de laps., *& conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem.*

Q. II Quæ scientia necessaria sit in Confessario.

R. Quamvis communiter in Confessariis non scientia eminens, sed mediocris sufficiat: *cap. cum nisi de renunc. cap. cum nobis de elect.*; nihilominus omnes fateri debent unumquemque Confessarium, non solum judicio Ordinarii, sed etiam juxta suam conscientiam tali scientia præditum esse debere, ut statim judicare possit de iis, quæ ordinarie accidunt, attento loco, & personis, quarum audit confessiones: quoad difficiliora vero saltem sciat dubitare, unde possit postea studio, vel aliorum consilio de eis convenienter judicare. Dixi non satis esse judicium Ordinarii de idoneitate Confessarii ad licite excipiendas confessiones; nam quando ipse in sua conscientia, vel ob ingenii tarditatem, vel quia parum studuit Theologiæ, vel quia de sua insufficientia a viro docto monitus fuit, se judicare debet insufficientem, credere ipsi convenit casu in examina bene respondisse, adeoque approbatum fuisse ab Ordinario, quia ignoraverit suam insufficientiam. Et quidem non raro difficile accidit Sacerdotem multa ignorantia laborantem approbari; & hoc, quia Examinatores de facillimis interrogarunt, seu quia fortuito casus quosdam proposuerunt non ignoratos ab Approbando, quamvis quoad alia nescisset respondere.

Dum quidam imperiti Confessarii audiunt ad confessiones excipiendas satis esse scientiam mediocrem, sibi blandiuntur quasi talem scientiam possideant, adeoque tutos esse in conscientia. Errant isti profecto, & ipsi etiam se errare cognoscerent, si animadverterent illum dici scientiam habere mediocrem, *qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere: & qui in libris veritatem eorum, quæ scire tenetur, scit quærere, etsi in promptu omnia non habeat: cap. cum in cunct. de elect.* Quot autem sunt Confessarii, qui nesciunt ullo pacto examinare casus sibi occurrentes? Quot audiuntur solemnissime errasse, quando sibi persuadent optime judicasse? Quot etiam sunt, quibus libri necessarii desunt; & quos habent non intelligunt; & forte neque perfecte legere sciunt? Hi ne scientiam sufficientem pro tam necessario Sacramento administrando habent? Heu quot Confessarii, quot Parochi ratione ignorantiæ in continuo statu peccati mortalis vitam transigunt; Demum, ut sese sufficienter scire non tam facile credant, sub illorum oculos pono quam doctrinam cuicumque Confessario necessariam reputet S. Carolus: *Sacramenti hujus*, ait in Instruct. de Sacram. Pœnit. *Doctrinam omnem recte nosse studebit; itaut quæ illius ratio, qui effectus, quæ illius partes, quæ illarum partium vis, & natura perite intelligat. Quæ peccata mortalia, & quæ venialia cognoscat. Peccati circumstantias sciat, quæ præsertim mutant speciem peccati, & quæ in Confessione explicandæ sunt, quæ restituendi onus inducant. Censurarum rationem, & vim recte intelliget, & quibus criminibus annexæ illæ sint. Casus reservatos in promptu habeat; itaut recte sciat, qui jure canonum Summo Pontifici, qui rursus Episcopo, qui præterea in Bulla Cœnæ Domini, quique pro varietate temporum Episcopo reservati sint. Memoria tenebit casus, quibus confessio sit iteranda. Cognitum etiam habere Confessarius omnis debet, ac præterea animadvertere, antequam ad audiendas confessiones accedat, quanta sit auctoritas, potestasque jurisdictionis suæ: ita ut cum norit & quos, & a quibus peccatis, censurisque absolvere possit: tum etiam caveat, ne facultatis suæ fines prætergrediatur.* Videant ex his Confessarii, qui nimis sibi fidunt, quæ scientia sufficiens dicatur pro Sacramento Pœnitentiæ administrando.

Q. III. Quæ attendere debeat doctus Confessarius in delectu opinionum.

R. Juxta ea, quæ dixi *tr. 1. q. 1. c. 2.* Confessarius in eligendis opinionibus, solummodo eligere potest, quas

certo

certo probabiles agnoscit; unde non quamcumque probabilitatem credere debet esse regulam rectæ operationis. Addidi non conducere ad praxim diu disputare, an solummodo probabiliora sint amplectenda, nam tam late patet Moralis Theologia, ut non putem sufficere vitam hominis ad examinandum quæ opinio validioribus, vel minus validis innitatur fundamentis, & eo maxime quia, quæ ab aliquibus minus probabilis, ab aliis probabilior opinio judicatur. Addo sub lite esse, an magis benigniora, quam rigidiora ad animarum salutem conducant, qua de re Exparsa *in App. de opin. prob. art.* 213. Credo ergo sufficere, si vere Confessarius nullam amplectatur opinionem, quam non satis firmo fundamento innixam credat, quod tamen assequi non potest, nisi vere studio incumbat, qui conveniens est præcedere orationem pro impetranda scientia tam propriæ, quam aliorum saluti necessaria.

Modo addam, quod si Confessarius videat pœnitentem ex probabilibus opinionibus paulatim declinare in noxias libertates, nec satis pericula cavere, tunc necesse est strictioribus opinionibus illum refrænare; quamvis etenim opinio magis benigna non esset respuenda, si tamen ex ea pœnitens anxam sumat peccandi, noxia illi est in effectu, quem producit, ac proinde contraria est suadenda: *Bassæus V. Conscientia n.* 11.

Addo pariter necessariam esse summam discretionem in Confessario in discernendis opinionibus, quæ licet speculative, non tamen sunt practice probabiles, adeoque a praxi excludendæ. Hinc agendo de Sexto Decalogi Præcepto, quamcumque habeant speculativam probabilitam, dixi multas opiniones de osculis, tactibus &c. in praxi non esse sine gravi culpa. Idem dicendum est de pluribus Comœdiis, ac Choreis. Idem de speculativa opinione docent non esse necesse positive reprimere motus sensuales, sed satis esse illis consensum non præstare. Et quidem in his, aliisque, de quibus actum est loco citato, in praxi difficillimum erit non esse grave peccatum, *nisi aliquis lateritius sit, vel saxeus; vel nisi de lapidibus, & Anbelis sit controversia*, ajebat *Veran. c.* 5. *disp.* 31. *sect.* 20. *n.* 5. Adinveniet etiam Confessarius speculativam diversam esse a praxi in materia Simoniæ, & Usuræ, ubi plura ratione doni, seu liberalis gratitudinis excusari posse videntur, quando tamen in praxi latet vera Simonia, & Usura. Hoc idem caute considerare debet Confessarius, quando agitur de concedenda compensatione, & de intentanda, seu prosequenda in judicio accusatione contra offensorem &c. Semper ergo animadvertat Confessarius in eligendis opinionibus circumstantias, quæ in praxi occurrere possunt; nam ex his facile, quod speculative licitum, practice illicitum esse constabit.

Q. IV. An in Confessario necessaria sit prudentia.

R. Ex hoc solum quod consideretur, Confessarium se gerere debere ut Judicem, Medicum, Magistrum, Patremque Spiritualem, statim apparet, quantumvis doctum, nullatenus hæc munera rite adimpleturum, si non sit prudens. Prædicta Officia expostulant Confessarium discretum esse debere in opinionum delectu; cautum in interrogationibus, de qua obligatione capite sequenti; perspicacem in suggerendis consiliis; aptum in applicandis pro diversis spiritualibus morbis diversis remediis; non præcipitem in concedenda, seu neganda, aut differenda absolutione: constat autem impossibile esse hæc omnia præstari a Confessario, nisi prudens sit, eaque prudentia, non quæ carnis appellatur, & re vera astutia est, sed prudentia, quæ sit secundum Deum, & quam Confessarius jugi oratione a Patre luminum expostulaverit.

Q. V. Quomodo se gerere debeat Confessarius in audiendis mulieribus; & maxime si frequens sit ipsarum confessio.

R. I. Primum suadeo, ne quis ex propria voluntate ad audiendas confessiones maxime mulierum se ingerat. Periculosum est hoc ministerium, adeoque est velut quædam temeritas velle ex proprio cerebro illud assumere. Quod si Regularis hoc suscipiet onus præcipiente Superiore, & Sacerdos Sæcularius, vel coactus a proprio Officio, vel Episcopi, seu alio viro pio, & docto suadente, tunc sibi divinum auxilium adfuturum sperare possunt, ac de iis verificabitur, quod *Prov.* 21. 28. dicitur: *Vir obediens loquetur victorias*. Deinde sine gravi necessitate neque in Confessionario diu cum mulieribus colloquendum est: nam sæpe ibi moram trahunt, ut proprio amori satisfaciant, seu, ut proprias explicent passiones; unde hujusmodi diuturna cum eis colloquia fiunt quidem sine fructu, & forte non sine scandalo, ut habet S. Antonius 3. *p. tit.* 17. *c.* 19. Hæc diuturna colloquia objurgat etiam S. Franciscus Xaverius *l.* 6. *ep.* 8. eo quod *inconstantes in propositis, verbosæ in congressibus fere sunt fœminæ, unde sequitur & temporis plurimum in iis alloquendis perdi, & certi, & secari fructus colligi perparum*. Non per hoc tamen nego multoties posse evenire, ut non tam cito possit se Confessarius a mulieribus audiendis expedire. Ita evenire potest respectu illarum, quæ non paucis agitantur scrupulis, seu gravibus premuntur angustiis, & afflictionibus; sicut etiam respectu illarum, quæ aliquando non tam cito se expediunt ratione detegendi omnea conscientiæ latebras, seu quid sub quibusdam rebus extraordinariis delitescat. Cæterum nec cum iis, plusquam par est, videat Confessarius non immorari.

Item Confessarius abstineat, quantum fieri potest, a colloquendo in Confessionario cum fœminis de rebus vel ad confessionem, vel ad animæ profectum non pertinentibus; ut faciunt ii, qui inquirunt *ab uxoribus, filiis familias, ancillis, quæ domi fiunt: an dives sit pœnitens: an prolem habeat: an testamentum fecerit; an pia legata, & in cujus utilitatem; & maxime si addat commendationem pro se, aut aliis*, ait Basseus V. *Interrogator. in fin.* Hujusmodi non necessaria colloquia paulatim minuunt æstimationem erga Confessarium, & familiaritatem inducunt, adeoque semper sunt pericula: *Lubricum negotium*, ajebat idem Bassæus V. Confess. 4. §. 9. *cum fœminis longiora miscere colloquia, cum ingenti periculo via minimam lucri. Ne fidat, ne fidat muliebri ingenio; cunctorum enim una malorum fœmina principium. Dum accidit cum eis colloqui extra Confessionarium, ultra sollicitudinem in expediendis quæ tractat negotiis, cum eisdem colloquatur in loco patenti, nec umquam oculos in vultum ipsarum figat. Quod si eas invisat infirmas, vel alis etiam adsiat, vel ostiam cubiculi omnino sit apertum. Verba talia sint, qualia decent Patrem Spiritualem, ut nempe nimis non absterreant, sed simul erga ipsum concilient reverentiam*. Et quidem potius verbis rigidis cum eis utendum, suadet S. Antonius 3. *p. tit.* 17. *cap.* 18.; etenim, ut monet S. Augustinus, *sub prætextu blandi sermonis immiscet se viscus impiissime libidinis*. Demum videat Confessarius, ne mulierum pietate abutatur ab ipsis postulando temporalia, vel etiam eleemosynas Missarum, seu aliud quidpiam in propriæ Ecclesiæ utilitatem redundans. Optabat etiam S. Carolus Confessarios a faciendis restitutionibus abstinere; & si id necesse sit, ne debitor manifestetur, vult ab ipsis deinde exhiberi schedulam receptionis manu Creditoris exaratam. Quæ habet S. Carolus in Instructionibus Confessariorum quoad necessitatem, quam habent Confessarii se alienos ab omni lucro demonstrandi, docuere iidem nostri Præsules, nempe Cardinalis Hieronymus Bonvisius in sua Synodo *cap.* 4. *nu.* 2., & Cardinalis Julius Spinula in sua Syn. *de pœnit. cap.* 4. Et quidem si Confessarius a Pœnitentibus lucrum vel expectet, vel exposcat, carebit semper necessaria libertate in iis admonendis. De modo vero interrogandi fœminas quoad peccata carnis, agam capite sequenti.

R. II. Crebrior est mulierum, quam hominum confessio, at quamquam per se frequens confessio valde sit salutaris, nihilominus in hac re magna exigitur prudentia in Confessario. Animadvertat ergo aliquando mulieres accedere ad confessionem potius ex quadam consuetudine, quam cum debita dispositione, & fortasse etiam hujus Sacramenti frequentiam exposcunt ex quadam vitæ spiritualis affectatione, cujus revera in illis nec minimum est vestigium. Cavendum quam maxime etiam, ne Confessionis frequentia oriatur ex quodam affectu erga Confessarium, quamvis non peccaminoso; unde Joannes Avila super versum *Audi Filia cap.* 8. vult, quod postquam devotæ fœminæ elegerunt Confessarium *vitæ irreprehensibilis, & famæ illibatæ, atque ætatis maturæ*, deinde observent *animi affectiones, ne circa hunc fere ea ratione occupentur, qua animus matrumfamilias circa maritum, prolesque suas, cogitando, amando, & satagendo occupatur*. Cavendum item, ne frequentia confessionis ex eleemosynæ obtinendæ desiderio oriatur; ut enim ajebat S. Franciscus Xaverius *ep.* 9. *Acrior multo fortunæ, quam conscientiæ vulnerum sensus est, ad iis terrena sapiunt: toti sunt in spe stipis eblandiendæ, quidquid illis ad animæ profectum dissererís, surdis cecineris; te ipsam nisi excutis, implicent, & avocent a potioribus*.

St

Si velit ergo Confessarius, ut par est, confessionis frequentiam promovere, sedulus sit ne ad illam accedant nisi ex recto fine, & debita dispositione. Hanc timere est in multis mulieribus sæpe deesse, nam vel brevissimo tempore putant satis disponi ad Sacramentum Pœnitentiæ; vel ea animi tepiditate, quamvis non ignorent (multæ etiam ignorant) quæ debeat esse hujusmodi dispositio, se disponunt, ut antea ab illis videas omnem Ecclesiæ angulum curioso obtutu rimari, omnes introeuntes circumspicere, cum vicinioribus longos protrahere sermones &c. Si convenienter se disponant, videbis eas non sine fructu frequenter ad hoc Sacramentum accedere; nempe expoliari affectu ad quodcumque peccatum, quamvis veniale, nec peccata venialia cum plena advertentia committere. Cæterum, si frequenter in confessione repetant eadem peccata venialia, quæ nec plena advertentia, nec ex affectu ad ipsa, sed ex fragilitate a piis etiam personis committuntur, non ideo a scrupulosiore Confessario sunt inquietandæ, quamvis curare debeant vere de ipsis dolere, & ad praxim remedia, quæ ipse suggeret, reducere. Ne vero anxius sit de vero dolore quoad quotidiana peccata, curet ut hæ personæ semper se accusent, doleantque de aliquo graviore vitæ anteactæ peccato.

Q. VI. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitentibus asserentibus se habere revelationes, vel alios effectus supernaturales extraordinarios.

R. S Philippus Nerius, ut ex ejus vita *l.3. c.20. n.20.* Confessarios monebat, de parum curandis Pœnitentium revelationibus, & maxime mulierum, addens ex hoc capite multorum spiritualem ruinam derivasse. Nihilominus, quia in Ecclesia semper fuerunt, ac semper futuræ sunt animæ valde piæ; ideo expedit Confessarium scire regulas, quibus dignosci potest, quando isti supernaturales effectus a Deo sint, vel a natura, vel a Diabolo. Hæ regulæ late patent apud Cardinalem Bona in suo Opere de Discritione Spirituum, aliosque plurea Mysticos. Quasdam ego recenseam, ut Confessarios in hac materia non sit omnino jejunus. Primo ergo dum audiuntur externæ, vel internæ loquutiones, animadvertere debet Confessarius an conformes sint S. Scipturæ, ac Sanctorum doctrinæ. Non assero tamen semper dicendum esse a Dœmone illusam animam, quæ patitur visiones, ac revelationes, si aliquando errasse deprehendatur; cum dari possit casus non satis discernere, an quod audit sit ex divino instinctu, vel ex instinctu naturæ, dum diversos sentit instinctus: *S. Gregor. hom. 2. in Ezech. D.Th.2.2. q. 171. art. 5.* Secundo, considerare est qualis sit Persona, cui hæ extraordinaria eveniunt; nam si in bonitate non emineat, sed potius in multis deficere cognoscatur, cum ea non solet Spiritus Dei extraordinaria operari. Præterea, etsi in ea quædam specialis bonitas eluceat, notare est quod si valde melancholica sit, seu phantasiæ valde vivæ, ut facilius accidere potest in mulieribus, hæc omnia non raro in ipsius apprehensionem possunt refundi, Tertio, observare est, an in iis, quæ audiunt, vel ipsis repræsentantur, vel experiuntur, aliquid sit non conveniens Divinæ Sapientiæ, Bonitati, & Majestati. Hinc non sine suspicione semper erunt quædam amatoriæ correspondentiæ, maxime valde sensibiles, quas aliquando anima dicit cum Deo habere, ut si dicat ab ipso fuisse coronatam, annulum accepisse, fuisse desponsatam &c. Non nego hujusmodi aliquando posse esse a Deo; at Deus elargiri non solet nisi animabus; quæ constanter; perfecte & diu ipsi famulatæ sunt, & multas perpesæ sunt tribulationes, & augustias. Ulterius Deus non solet animam diu in spiritualibus deliciis retinere; sed ipsi tribuit cum alternatione gravium tribulationum &c. Demum supra cætera omnia notet prius Confessarius effectus, qui ex rebus his axtraordinariis oriuntur. Quæ sunt a Deo; quamvis ab initio animæ nondum plene purgatæ soleant afferre quamdam perturbationem, & timorem, nihilominus semper postea afferunt pacem in anima, illamque magis humilem reddunt, cupidam semper magis Deo famulandi, & circa Divinam Magnitudinem, suumque Nihil magis illuminatam &c. E contra, quæ sunt a Dęmone, quamvis ab initio aliquid boni præseferre videantur, in malum desinant, & animam ad vitia, ac præcipue ad superbiam valde dispositam relinquunt.

Regula generalis sit, quod dum Confessarius hujusmodi audit; semper de iis debet ostendere se non curare; ac interim virtutum exercitium, maximeque humilitatis inculcare, ac pęnitentem in iis exercere. Si pœnitens in iis decipiatur, flocci faciendo facile cognoscet; nam impatiens erit videndo hujusmodi divina non reputari, ac se despici, quasi non sit persona veræ devotioni, ac vitæ spirituali supra cæteros incumbens. Si vero a Deo immittantur, videbit semper magis Pœnitentem de virtute in virtutem progredi, semper magis de se ipso humiliter sentire, adeoque non irasci, si, quæ patitur, videat divina non reputari.

CAPUT III.

De Obligatione, quam habet Confessarius interrogandi, vel admonendi Pœnitentes.

Q.I. AN Confessarius habeat obligationem interrogandi Pœnitentes.

R. Cum Confessarius Judicis Officium in hoc Sacramento administret; tenetur curare, ut judicium integrum sit adeoque interrogare Pœnitentem, quando ex ignorantia, vel malitia prudenter timet aliquod grave peccatum non manifestare: *Lugo de Pœn. disp. 23. n. 16.* aliique. Id autem prudenter suspicari potest, quando habet aliqua indicia Pœnitentem valde pudere suorum peccatorum, maxime si sciat aliquod peccatum commisisse, nec præsumere potest illud confessum esse; quando cognoscit non satis suam examinasse conscientiam, vel quantumvis examinaverit, non posse ratione ignorantiæ, seu multitudinis peccatorum, seu temporis ab ultima confessione transacti sufficienter statum suæ conscientiæ dignoscere.

Q.II. Quomodo se gerere debeat Confessarius in interrogandis Pœnitentibus.

R. Primo caveat ab interrogando de iis, quæ non pertinent ad Confessionem, si forte id non putet necessarium, ut postea pœnitens fidentius explicet sua peccata. Secundo, caveat ab interrogando de iis, quæ prudenter credere non est a tali pœnitente commissa fuisse. Cum quidam Confessarius interrogaverit nobilem, piamque fœminam, & ætatis jam provectæ, an se inebriasset, non potuit pia pœnitens se continere, quin postea ad quoddam piarum Sociarum oblectamentum, de ebrietate interrogatam fuisse diceret. Interrogationes ergo dirigendæ sunt juxta Personarum qualitatem; & si ex plebe, & rudes sit, optimum semper erit interrogare de Doctrina Christiana, maximeque de mysteriis necessitate medii sciendis, ac deinde de iis, quæ pertinet ad Confessionem rite faciendam. Neque his contentus sit Confessarius, nam adinveniet multoties ad praxim non reduxisse, quæ sciunt; & de facto postquam pœnitentes dixerunt necessarium esse examen, dolorem &c. a me interrogati quid ergo præstiterint, ut ad Sacramentum se disponerent, aliquando responderunt Sacrum audisse, Rosarium recitasse, & in praxi agnovi, quod vix facto superficiali examine parum curarunt de dolore, & proposito, sine quibus tamen antea dixerant non posse bene fieri Sacramentum. Interroget item pœnitentes de suo statu, ut possit cognoscere, an satisfaciant propriis particularibus obligationibus, & an necesse sit circa eas interrogare. Adinveniet, e. g. Patres, ac Matres familias se accusare de actibus iracundiæ, aliqua dixisse contra proximi famam &c. at fortasse nec verbum facient, an satisfaciant obligationi sanctæ educandi familiam; an filiabus permittant Amasios; an vigilent ne filii filiæque nimis familiariter simul commorentur, an vigilent pariter super famulos, famulasque &c. Certe ut plurimum valde desides sunt pœnitentes in considerandis particularibus suis obligationibus; & an illis vere satisfecerint &c. Semper tamen advertere debent quidam Confessarii subtilioris ingenii, non esse interrogandos Pęnitentes de peccatis juxta subtilitates, quas ipsi in mente habent; sed secundum quod cognosci solent ab illo genere Pęnitentium, quos interrogant.

Q. III. Quomodo se gerere debeat Confessarius quoad interrogandum circa peccata carnis.

R. S. Philippus Nerius, ut ex ejus vita *l. 2. c. 13.*, monebat Confessarios, ut quam maxime sibi caverent, ne magis libenter de hujusmodi peccatis interrogarent, ac audirent, quam de aliis, ac ne quoad hæc scelera, nisi quod omnino necesse est, a Pœnitentibus exposcerent. At magis ad praxim descendendo, videat Confessarius ne de peccatis inhonestis interroget pueros, & puellas, nisi clare videat malitiam ætatem supplere. Si aliter faciat, illos reddet curiosiores quoad hæc intra se ruminando, aliosque interrogando; atque ita fiet sua imprupru-

prudentiæ, innocentes illos pueros, puellasque ad peccatum tum impulisse. Quod si prudenter putet necesse esse de hujusmodi interrogare, non statim de ipso peccato interroget, sed ad illud gradatim descendat. Interroget e. g. an unquam quædam turpia audierit; an aliquam in iis audiendis perceperit delectationem; an aliquas turpes cogitationes in mente habuerit; an de eis voluntarie cogitataverit, postquam agnovit esse quid peccaminosum; an perpetrare desideraverit, &c. & juxta responsa pœnitentis dignoscere poterit, an ulterius progredi debeat in interrogationibus &c. Praxim ita interrogandi proponit S. Franciscus Salesius in suis admonitionibus *ad Confessores cap.* 1. Aliquando nihilominus expedire potest statim proponere peccatum patratum, dum nempe prudens Confessarius videt illud commissum fuisse a Pœnitente, & quo magis variis circum locutionibus interrogabit, eo majorem experturum difficultatem in explicando. Semper tamen ingeniosus sit in inquirendo de iis, qua majori potest modestia, unaque pœnitentem moneat de iis modeste explicandis, si verbis nimia claris peccata carnis proponat. Videat etiam Confessarius ne interroget; nec permittat pœnitenti ad quasdam particulares circumstantias horum peccatorum descendere, quod non fieri sine utriusque periculo omnes docent cum *S. Th. in 4. dist. 19. in expl. text.*, & si sciat quantum debet, cognoscet non esse id necessarium. Demum advertat Confessarius, ne dum hæc obscæna a Pœnitentibus audit, quoddam extraordinarium fastidium demonstret, vel nimis expuendo, vel se contorquendo &c. vel vocando Pœnitentem Bestiam, Dæmonem in carne &c., ita etenim agendo multoties eveniet pœnitentes non plene propriam conscientiam manifestare. Sinat proinde pœnitentem plene exonerare suam conscientiam; ac postea, quantum putat expediens esse, objurget, paterne quidem, sed ita ut cognoscat suorum criminum gravitatem. Et quidem nonnulli aliquando ita accedunt ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut vel nullum ostendant commissorum scelerum sensum, vel nullam emendationem, quapropter necesse videtur dure illos increpare, ut tamdem resipiscant.

Dantur ejusmodi Confessarii, qui vel ex quadam nimia naturali lenitate, vel quia multos Pœnitentes circa proprium Confessionarium exoptant, omnibus compatiuntur, omnes mellifluis verbis alloquuntur, maxime si nobiles sint, & divites; atque ita proprio satisfecisse muneri credunt. Hanc praxim certe Confessariis non proponit Ecclesia, unde in Rituali Romano sequentia leguntur: *audita confessione perpendeas Confessarius magnitudinem peccatorum, quæ pœnitens admisit, ac multitudinem pro eorum gravitate, ac Pœnitentis conditione opportunas correctiones, ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit.* Et de S. Philippo Nerio tam pio, ac prudenti hujus Sacramenti ministro in ipsius vita *l. 2. cap. 16. n. 13.*, hæc leguntur: *Filippo fu uomo di gran libertà in riprender quello, che conosceva non esser ben fatto: massimamente ne' Prelati, e ne' Grandi: ma sempre però a luogo, e tempo.*

Q. IV. An Confessarius debeat monere Pœnitentem, quem agnoscit errare.

R. I. In quatuor casibus certe tenetur Confessarius monere Pœnitentem errantem. Primus est quando cognoscit ipsum errare ex ignorantia graviter peccaminosa: si etenim tunc non moneret, illum relinqueret in statu peccati mortali. Secundus est, quando interrogatur a Pœnitente ut ipsum de aliqua re instruat, si etenim tunc non instrueret secundum veritatem, non satisfaceret muneri Doctoris, & Magistri. Monent tamen Theologi satis esse respondere quoad interrogata, non vero quoad alia, in quibus pœnitens errat, si fructus non speretur; *Laym. l. 5. tr. 6. c. 13. n. 5. & 6. Lugo de pœnit. disput. 22. num. 29.* Hinc Conjugato petenti, an liceat reddere debitum post incestum commissum cum consanguinea uxoris in primo, vel secundo gradu, responderi poterit affirmative, tacendo quod petere non possit. Alii addunt Confessarium non teneri respondere ad interrogata, dum videat pœnitentem interrogare non ex vero dubio, sed ex mero scrupolo, & aliunde respondendo juxta veritatem videat potius nocumentum allaturum. Ratio horum est, quia dum pœnitens interrogat ex mero scrupulo non desinit esse in ignorantia invincibili, adeoque videtur attendenda doctrina infra subjungenda: *Sanch. de matr. l. 2. disput. 38 n. 14.* Tertius casus est, quando admonitio profutura est pœnitenti invincibiliter etiam ignoranti; nam tunc nil est, quod retardare possit Confessarium ab eo admonendo, & removendo a materiali peccato; cum alias quatenus Doctor, & Magister teneatur admonere. Quartus casus est, quando ex ignorantia quamvis invincibili pœnitentis damnum publicum oriretur. Tunc etsi ex monitione fructus non speretur, poenitens monendus est, & damnum publicum impediendum; hoc etenim privato est anteponendum. Exemplum sit in eo, qui ex ignorantia invincibili falsas disseminaret doctrinas: in eo, qui invincibiliter ignoraret nullitatem sui matrimonii, ex qua tamen, quia pluribus nota est, permultæ oriuntur detractiones &c. in eo, qui ex ignorantia invincibili graviter deficit in electionibus, collationibus Beneficiorum, eleemosynis ex redditibus Ecclesiasticis elargiendis &c. *Lugo disp. 22. n. 37.* Verum tamen est in Principibus, & Prælatis difficile esse hanc ignorantiam esse invincibilem.

R. II. Si Poenitens erret ex ignorantia invincibili, non redundante in publicum damnum, & aliunde cognoscatur monitionem non profuturam, omnino omittenda est, ut etiam dixi *tr. 6. qu. 3. c. 6. qu. 2.* Ratio est, quia quamvis Confessarius Doctor sit, & Magister, quia etiam est Medicus animarum, uti non debet sua doctrina in ipsarum perniciem: ita autem sequeretur, si admoneret invincibiliter errantem, dum fructum non speraret, nam ex hoc fieret quod, ubi antea materialiter tantum peccabat, deinde peccet formaliter, & fiat reus gehennæ: *Suar. 3. p. disp. 32. sect. 4. Coninch. disp. 8. dub. 17. a num. 136.* Idem dicas, si quamvis monitio profutura esset poenitenti, allatura tamen esset aliis plurium peccatorum occasione. Si proinde quis aliquem videat invincibiliter ignorare nullitatem sui matrimonii, obligationem aliquid restituendi &c., & prudenter putet admonitionem non profuturam, debet tacere. Sed in hoc elucere debet prudentia Confessarii, & non credere e. g. admonitionem non profuturam, quia judicet poenitentem ægre laturum admonitionem, hoc etenim non obstante, fortasse admonitionem exequetur. Debet etiam elucere prudentia Confessarii in expectando tempus opportunum, quo monitio possit prodesse. Qui volunt poenitentem, etiam invincibiliter ignorantem, semper esse monendum, eo nituntur fundamento, quod alias non potest judicari sufficienter dispositus, si paratus non sit ad dimittendum id, quod Confessarius diceret fieri non posse absque peccato. At id non semper verum est; nil etenim impedit, quin aliquis hic & nunc possit habere generalem sinceram voluntatem abstinendi ab omni peccato, a qua tamen appareat recessiturum, si proponatur illi fugere ab aliquo particulari peccato. Porro illa prima sincera voluntas reddit illum sufficienter dispositum ad absolutionem, ut etiam dixi alibi.

Cæterum remanet adnotare non facile credere debere Confessarium ignorantiam Poenitentis esse invincibilem. Ut de hoc certioretur, interroget saltem, ut ita dicam, a longe, quare faciat illud, in quo videt ignoranter peccare; an aliquid faciat saltem cum dubio de illius honestate &c., eo enim ipso, quod cum dubio aliquid alias illicitum operetur, non amplius invincibiliter ignorat.

CAPUT IV.

De obligatione, quam habet Confessarius suspendendi vel negandi absolutionem diversi generis Pœnitentibus: & primum de occasione, & Periculo proximo.

Q. I. Quænam sit occasio proxima peccandi, & quotuplex.

R. I. De occasione proxima peccandi docte, & erudite egit Joseph Maria Brocchi suo Opere *De Occa. prox. & Recid.* ejusque doctrinæ, quam ex purioribus S. Theologiæ fontibus haurit, inhærendo, eam ita puto definiendam: *Occasio proxima est res extrinseca conjuncta cum periculo intrinseco probabiliter peccandi.*

Eo quod dicatur *res extrinseca*, innuitur discrimen, quod est inter periculum, & occasionem; quamvis etenim dici possit etiam esse in periculo peccandi, qui a re externa valde ad peccandum inclinatur, nihilominus datur periculum proximum etiam sine externa occasione, & proprie dicitur ab intrinseco derivare: ut dum quis ex propria fragilitate est in gravi periculo se polluendi, vel ex pravo habitu est in gravi periculo blaphe-

phemandi. Additur *conjuncta cum periculo intrinseco &c.* nam res externa, si prudenter nun timeatur ex ea oriturum periculum aliquod inducendi ad peccatum, non sufficit ad constituendam occasionem proximam peccati. Ita non dicitur esse in occasione proxima peccandi, qui in eadem domo habitat cum aliqua muliere, si illa mulier illi occasio non sit, ut ex propria fragilitate peccet. Dicitur tamdem *cum periculo intrinseco probabiliter peccandi*; nam ut consurgat occasio proxima, sive peccatum, non est necesse certo committendam esse illam pravam actionem, quæ timetur ratione illius rei extrinsecæ, & propriæ debilitatis, sed satis est, si prudenter rimeri possit. Quamvis ergo certo non futura sit illa prava actio, periculum tamen illam faciendi est certum, & hoc satis est ad hoc, ut statim dicatur peccare, qui se tali exponit occasioni. Dum proinde dicitur in occasione proxima includi periculum probabiliter peccandi, non significatur incertum esse peccatum, cum indubitatum sit ratione periculi certi, cui aliquis se exponit, sed non omnino certum esse ponendam illam pravam operationem, ad quam inducit ipsa occasio.

Ex his cum laudato Brocchi *cap.* 2. dicendum est non bene judicare de occasione proxima illos Confessarios, qui putant tunc solum dari occasionem proximam respectu alicujus, quando in ea sæpe, vel ut plurimom peccat: quis etenim non comprehendat illum se ponere in proxima occasione peccandi, qui cum non sua, cum qua tamen numquam peccavit, in eodem lecto cubaret? Semper ergo datur occasio proxima, cum talis est res externa, ut, attenta nostra fragilitate, secum importet grave peccandi periculum. Hæc tamen non semper grave eodem modo est respectu cujuscumque; & ita respectu juvenis lascivi importare poterit grave periculom commorari cum fœmina etiam honesta, quod tamen periculum non erit respectu juvenis probi. Solum ergo ad judicandum ex frequentia actuum de occasione proxima recurrere debet Confessarius, quando non satis apparet, an res extrinseca, vel ex sui natura, vel attenta fragilitate illius, qui in ea se ponit, importet grave periculum peccandi; nam tunc dignosci potest ex frequentia peccatorum, quæ in ea committuntur. Si raro tunc peccet, occasio dici potest remota, proxima vero, si sæpe; ac de hujusmodi frequentia pertinet ad pium, & non laxum Confessarium judicare. Inter alia autem observet, quod si non tam frequenter invisat aliquam mulierem, & nihilominus cum ea ut plurimum peccet, hæc dicetur respectu illius occasio proxima, quamvis solum ter, aut quater in anno peccaret. Idem dicendum, si semel in anno visitaret, & semel etiam peccaret, quia peccando, semper cum ipsam inviseret, facit cognoscere occasionem ipsius mulieris se ponere in gravi peccandi periculo, adeoque in occasione proxima.

R. II. Ultra distinctionem occasionis in proximam, & remotam, de qua paulo ante; quoad materiam præsentem attinet, celebris est distinctio occasionis proximæ in voluntariam, & necessariam. Occasio proxima voluntaria ea dicitur, in qua quis advertens grave periculum peccandi, nihilominus nulla coactus necessitate, vel physica, vel morali, eam non removet, seu in ea moratur. Occasio proxima necessaria ea est, quam quis physice, vel moraliter vitare non potest. Ita diceretur in occasione proxima physice necessaria, qui coacte inclusus retineretur in aliquo cubiculo cum fœmina a se vehementer adamata. Ille vero diceretur in occasione proxima moraliter necessaria, qui non posset eam sine magna difficultate relinquere; ut si eam relinquendo gravem pateretur infamiam; vel notabile detrimentum spirituale, aut temporale, vel magnum esset scandalum oriturum. Ille dicitur necessario permanere in hujusmodi occasione; cum etenim eam sine gravi difficultate relinquere non possit, dicitur moraliter non posse relinquere. Ita e. g. se habet puella, vel filiusfamilias, qui domi habent occasionem proximam peccandi, & non possunt domum propriam relinquere, quia non habent unde vivant. Ita etiam se habent illi Medici, & Chirurgi; qui ratione sui exercitii sunt in continua proxima occasione peccandi; neque etenim sine gravi incommodo suum dimitterent exercitium.

Adverteret ergo debet Confessarius, quod vere gravis sit causa, qua quis in aliqua occasione detinetur; nam si ob levem causam occasio non removeatur, constat talem occasionem vere amari, & voluntarie non dimitti. Hinc Innoc. XI. condemnavit propositionem 62. quæ generaliter dicebat. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Et Alexander VII. damnavit propositionem 41., quæ ita se habebat: *Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam Concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum Concubinarii*, vulgo regalo, *dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno afficerent Concubinarium, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Innocentius pariter XI. sub num. 63. sequentem damnavit propositionem: *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro.* Hæc propositio ita generatis falsa est, quia ex ea sequitur licitum esse etiam pro exiguo bono spirituali quærere directe occasionem proximam. Ex ea tamen non est reprobanda sententia, qua dicitur licere se exponere periculo propter salutem proximi valde periclitantis; nam tunc non esset *directe quærere* talem occasionem, vel periculum, sed potius pati ob proximum adjuvandum. Semper tamen necesse est bonis actibus facere, ut periculum sit materiala, non formale, nam ipsum se exponere periculo formali peccandi, peccatum est: *Brocch. cap.* 9.

Q. II. An liceat absolvere constitutum in occasione proxima voluntaria peccandi.

R. Ordinarie loqoendo, nec semel licet absolvere Constitutum in occasione proxima voluntaria peccandi. Ratio est, quia qui retinet hujusmodi occasionem est in continuo actuali peccato, quia actualiter infringit præceptum negativum obligans pro semper, quo præcipitur remotio occasionis graviter inductivæ ad peccatum, dum id fieri possit; & in nostra hypothesi certum est fieri posse, quia loquitur de occasione proxima voluntaria. Item actu peccare dicitur, qui versatur in gravi periculo peccandi, & talis est, ex dictis, qui retinet proximam occasionem peccandi, quam poterat dimittere. Præterea nolli concedenda est absolutio, nisi possit judicari sincere velle dimittere peccatum; neminem autem dici potest hanc sinceram voluntatem habere, si dum possit dimittere media, vel ex sua natura, vel ex nostra fragilitate graviter inductiva ad peccatum, de facto non dimiserit; atque ita revera facit qui non dimisit occasionem proximam voluntariam peccandi. Ita etiam sentit P. Cardenas scribendo in propositionem 61. ex damnatis ab Innocent. XI. quæ ita se habebat: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult dimittere, quinimo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

Dices satis esse, ut qui est in occasione proxima possit absolvi, si absque eo qood dimittat occasionem externam, oratione, mortificatione &c. curet removere periculom intrinsecum in ea peccandi. Sed contra est, quia ut optime etiam ex aliis perpendit Joseph Brocchi *de Occ. prox. c.* 2. *num.* 16., *& cap.* 7. *num.* 6., velle se elongare a peccato non per remotionem occasionis, sed per præfatos actus, est prætermittere media certa, & incerta assumere; Deus etenim exaudire non solet, qui potest removere occasionem, & non removet; ac proinde ex S. Scriptura, & SS. PP. continuo suadetur fuga occasionis. Eo ipso autem quod quis nolit apponere media, quæ reputantur necessaria ad peccatum vitandum, convincitur peccatum amare. Hoc autem maxime necessarium putat Cardenas in sua Crisi *p.* 1. *tr.* 1. *disp.* 18. *an.* 103. *&* 104. in materia luxuriæ, avaritiæ aut magnæ iræ, nam quoad hæc tanta est nostra fragilitas, ut experientia constet hominem ruere, semper cum, dum potest, externam occasionem non dimittit.

Putat idem Brocchi *c.* 8. *n.* 13. posse quandoque Sacramentaliter absolvi illum, qui, quamvis sit in occasione proxima peccandi, eam tamen non dimiserit, antequam accederet ad Confessionem; tunc scilicet quando non advertit ad obligarionem actu eam dimittendi. Et ratio est, quia eum non advertit ad talem obligationem, non potest dici non dimisisse occasionem esse signom in pœnitente deficere dolorem, & emendationis propositum. Quamvis autem hæc doctrina vera videatur, maxime in casu, quo pœnitens ostenderet specialia signa doloris, ego nihilominus numquam ad praxim reducerem, quando commode differri posset absolutio; & interim obligare pœnitentem ad occasionem removendam. Nimis experientia docet, quod quamtumvis promittat, quamtumvis lugeat pœnitens, nihilominus cito redit ad vomitom, non vero ad Confessarium, si post obtentam absolutionem, occasio illi proxima peccandi

tandi occurrat. Dixi, si commode differri possit absolutio, quia hoc e. g. interveniret, ut notat idem Brocchi *n.* 8. si non posset occasio removeri, & interim absolvendus esset in periculo mortis constitutus.

Q. III. Quando liceat absolvere constitutum in occasione proxima necessaria.

R. Cum persistere in occasione proxima peccatum sit quoties voluntarie eligitur, consequens est non esse de se peccatum permanere in occasione proxima necessaria; nam cum hæc non possit vel physice, vel moraliter dimitti, non libere eligit, sed potius patitur ille, qui in eadem versatur, ut communiter docent Theologi. Quamvis autem non teneatur materialiter removere talem occasionem, elongando scilicet personam, sen aliam rem inducentem ad peccatum, debet tamen eam removere formaliter, oratione scilicet, mortificatione &c. minuere periculum intrinsecum; itaut propter exercitia pietatis, quibus incumbit, illa externa occasio reputetur non tam facile ad peccatum inductiva. Ratio autem hujusmodi obligationis de se patet, nam unusquisque tenetur adhibere media necessaria ad vitandum peccatum.

Si ergo accedat ad confessionem constitutus in occasione proxima necessaria, quamvis non dicatur esse in statu peccati; etiam ex hoc quod non dimiserit occasionem, nihilominus, etsi prudenter satis dispositus posset judicari, ergo semper differendam absolutionem crederem, quando aliter valde gravis necessitas non suaderet. Ratio est, quia experientia dictat constitutos in hujusmodi proximis necessariis occasionibus difficillime emendari, unde cum spectet ad Confessarium, ut Medicum animarum, omnia efficaciora remedia adhibere ad emendationem obtinendam, inter alia non inefficax multoties est dilatio absolutionis, si etenim pœnitens vere doleat de suis peccatis, & ipsorum cupiat absolutionem obtinere, ne eadem careat, diligentius curabit a peccatis abstinere. Interim etiam poterit Confessarius observare, an alia media ipsi præscripta, frequentioris nempe orationis, mortificationis, non degendi solitarie cum persona, cum qua peccat &c. ad praxim redurat; & hac ratione de ipsius dispositione magis certiorari.

At quid agere debet Confessarius, dum videat hujusmodi pœnitentem in occasione proxima necessaria constitutum non emendari? Ego puto omnino emendandum; si curet suis bonis actibus, ac mediis a Confessario præscriptis periculum intrinsecum diminuere, & abesse ab externa occasione, si vera necessitas cum ea esse non cogat. Sicut Deus solet denegare sua auxilia non dimittentibus occasionem voluntariam, quia convincuntur amare ipsum peccatum, ita solet opitulari iis, qui necessario in occasione degentes se Deo non perfunctorie commendant, ac habent animum sincerum eam dimittandi, si possent. At si supponamus frustranee adhiberi omnia media ad non peccandum in proxima neccessaria occasione; cum debeamus potius quodcumque temporale malum perpeti, quam Deum offendere, consequens est quod, si omitti non posset peccatum occasione non dimissa, hæc dimittenda esset, non obstante quocumque incommodo, sive temporali damno, quod ex tali dimissione posset evenire: *Sin autem*, ait S. Carolus loquens in Instructionibus Confessorum, de puella, quæ domi haberet occasionem proximam necessariam, *post similes præcautiones comperiat Confessarius pœnitentem in illud peccatum relabi, deneganda prorsus est absolutio, donec deseruerit proximam peccandi occasionem, quidquid tamdem evenire debeat.* Hinc etiam *can. falsas de pœnit. dist.* 2. & *can. Fratres de pœnit. d.* 5. dicuntur dimittere debere sua officia, puta Curialis, Negotiatoris, Medici, Chirurgi &c., qui experiuntur non posse ea sine peccato exercere.

Q. IV. An Concubinarius absolvi possit, antequam dimittat Concubinam.

R. Concubinatus in aliquibus differt a proxima peccandi occasione. In Concubinatu igitur circumstantia extrinseca impellens ad peccandum debet esset in libera potestate Concubinarii; hoc autem non requiritur ad occasionem proximam constituendam, sed ad hanc satis est, si homo ponatur in aliqua extrinseca circumstantia, quæ conjuncta sit cum periculo intrinseco in peccata probabiliter labendi. Præterea Concubinatus refertur ad sola peccata sexto Decalogi præcepto prohibita; occasio vero proxima divagatur per omne genus peccati.

Sed hæc discrimina non prohibent, quin Confessarius quoad absolvendum Concubinarium non debeat attendere ea omnia, quæ dixi quoad absolvendum constitutum in occasione proxima peccandi; nam revera & ipse est in tali occasione. Immo rigidius cum eo agendum est, cum habeat in sua libera potestate fœminam, qua tamquam uxore abutitur; adeoque majus est respectu ipsius periculum iterum peccandi. Scio aliquos permittere semel & iterum absolvere hujusmodi constitutos in proxima occasione, quamvis id permittant in casu raro; quandu e. g. audita concione, vel suasionibus Confessarii, videantur hic, & nunc concepisse verum suorum peccatorum dolorem. Vero ego semper suadeo differre absolutionem, si necessitas ad aliter faciendum non cogat, usquedum scilicet ejiciatur Concubina, ut dixi etiam in superiori quæsito: ultraquamquod enim multoties talis dolor apparens magis sit, quam efficax, si domum redeundo Concubinam ibi reperiert facillime deficient a suo proposito, quamvis antea sincerum fuisse supponatur.

Q. V. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum Consuetudinariis; & an hi teneatur consuetudinem fateri.

R. I. In præsenti sermo est de Consuetudinariis, qui non ex aliqua externa occasione, ut evenit in occasione proxima, sed ex intrinseca fragilitate, & malitia sæpe reincidunt in eadem peccam. Ita se habent illi, qui consuetudinem habent se polluendi, pravis cogitationibus assentiendi &c. Hos autem neutiquam licere semper absolvere, etsi dicant se dolere, & proponere emendationem, constat, quia, Innoc. XI. sub n. 60. hanc damnavit propositionem: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Consuetudinario ergo, in quo nulla sit emendatio, debet Confessarius denegare absolutionem, primo quatenus Judex est, quia non potest satis judicare de vera pœnitentis dispositione, quoties ob continuam reincidentiam in peccata satis cognoscere facit, vel dat motivum prudens suspicandi ipsius propositum verum non esse. Nec refert pœnitentem dicere se dolore, & emendationem proponere; nam hujusmodi verba sunt contraria factis, quando nulla adest emendatio, adeoque non tenetur Confessarius illis credere. Prætetea Confessarius qua Medicus tenetur etiam futuros relapsus impedire, adeoque qua talis debebit differre absolutionem pœnitenti etiam rite disposito, quando judicet ita necessarium esse ad obtinendam emendationem. Quando ergo putet pœnitenti utilem futuram, quamvis non necessariam, absolutionis dilationem poterit illam, qua Medicus differre; atque utilis saltem non raro esse poterit Consuetudinario, dum etenim a Sacmmentis arceri videat, multoties magis pro emendatione laborabit. Neque dicas Pœnitentem dispositum jus habere ad absolutionem obtinendam, respondetur etenim jus habere ad eam habendam, sed non statim, si scilicet Confessarius judicet necessariam, vel utilem esse Pænitenti illius dilationem: *Carden. dissert. 39. c. 3. num.* 26.

R. II. Innoc. XI. sub nu. 58. sequentem damnavit propositionem: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Cum dixerimus non posse Confessarium recte fungi munere Judicis, & Medici, nisi cognoscat an pænitens sit Consuetudinarius, statim apparet obligatio consuetudinem manifestandi eum & pænitens debeat ex parte sua facere, ut Sacramentum rite administretur. In hoc ergo casu adest per accidens eadem obligatio peccata iterato clavibus subjiciendi non quidem ut de eis iterum judicetur, sed ut rite judicari possit de præsentibus peccatis, ipsisque conveniens remedium applicari.

R. III. Pœnitens, quamvis de consuetudine non interrogatus, ut plurimum tenetur ipsam fateri. Ratio mihi est, quia, ex ipsa consuetudine quam maxime dignoscitur indispositio pœnitentis, unde si pœnitens de ea non interrogatus consuetudinem non manifestet, peccabit, quia suo silentio causa erit, quod Confessarius non recte judicet de ipsius dispositione. Neque, ordinarie loquendo, satis est si ipse pœnitens se sufficienter judicet dispositum, nam sæpe videmus ipsos pœnitentes decipi: & ita si ipsorum judicio standum esset, non denegare deberemus absolutionem etiam iis, qui in proxima occasione peccandi jam a multo tempore versantur. Ulterius unusquisque tenetur adhibere media ad

pra-

pravam consuetudinem extirpandam; & quamvis pœnitens hoc sciat, & paratus sit ea adhibere, nihilominus facillime a proprio amore decipietur, & quæ vere efficacia sunt omittet. Ex his ergo in praxi puto fallum fere semper necessarium esse, ut pœnitens non interrogatus consuetudinem peccandi fateatur.

Q. VI. An deneganda sit absolutio mulieribus incedentibus pectore indecenter detecto.

R. Ex dictis *tr. 6. q. 3. cap. 6. quæs. 5.* istæ mulieres gravis scandali culpabiles sunt, adeoque omnino deneganda est illis absolutio, si nolint emendari. Ibidem dictis addo omnes supponere dari posse in mulieribus ornatum notabiliter ad libidinem provocativum, a quo proinde sub lethali debeant abstinere: si autem talis non sit indecens nudatio pectoris, & mammillarum, nescio videre quales mulieres ita incedentes, nullum quem possit, ornatum unittant, ut intuentium oculos ad se trahant. De hujusmodi ornatu inter alius agit eruditus Brocchi *c. 12.*

Q. VII. An possint absolvi ii, qui vulgo Cicisbeji, sive Cicisbejæ appellantur.

R. Ut hujusmodi nocentissima pestis repelleretur, non semel calamum sumpsi, ac pluribus demonstravi hunc conversandi modum semper peccatum mortale continere, adeoque a Sacramentis omnino arcendos dixi Cicisbejos, Cicisbejasque. Iterum an. 1720. integrum libellum scripsi contra hunc morem, quo tot animæ Diabolo mancipantur, ac publici juris feci. Unico innegabili principio rem totam confeci, & illud erat negari non posse graviter peccare, qui se gravi peccandi moraliter periculo exponit, cum convincatur, non curare de graviter Deo offendendo; immo ipsum peccatum amare, adeoque Eccles. 3. dicitur: *Qui amat periculum, peribit in illo*. In hoc autem periculo semper degere Cicisbejos primo demonstravi, quia ratione peccati originalis, & actualium magna est animæ nostræ debilitas; & e contra maxima etiam contra ipsos Sanctos libidinis vis; adeoque semper maximo periculo se exponeret, qui hujus generis tentationes veluti quærit, Cicisbejorum more cum mulieribus degendo.

Secundo, tale periculum demonstravi, quia etiamsi pares essent vires animæ in resistendo, & carnis in aggrediendo; nihilominus cum Cicisbeji carni vires addant, se a pietatis exercitiis elongando, molliter suum corpus tractando, ac denique ipsius genio indulgendo, quatenus ita conversantur, consequens est a carne animam subjiciendam. Tertio demonstravi, quia amor ipse Sanctus, & laudabilis erga sexum diversum in turpem degenerat, nisi a virtute intra suos limites diligentissime contineatur; degeneraturum proinde infallibiliter in vitiosum, & turpem Cicisbejorum affectum, qui si ab initio inhonestus non sit; undequaque saltem terrenus, & sensibilis dicendus est.

Quarto, quia ex Sacræ Scripturæ, Sanctorumque monitis unicum medium, quo etiam virtute præditi a lapsu se possint præservare, est, se elongare a personis diversi sexus, maxime dum tener affectus ad conversandum impellit: cum ergo Cicisbeji, Cicisbejæque omni virtute carentes, ac terrena, sensibilique affectione se prosequentes, quam fieri potest, frequenter simul commorentur, dicendum est non esse in levi peccandi periculo. Quinto, quia experientia, & monita Sanctorum nimis instruunt non esse sine gravi peccandi periculo diversi sexus conversationem; quando est solitaria, at non pauci ex Cicisbejis, remotis Arbitris, in cubiculis diu commorantur, nec sine magni affectus, & æstimationis mutua expressione; quid ergo timendum ni laxei sint? Quid timendum, si Cicisbejo liceret solitarie invisere Cicisbejam, dum adhuc in lecto commoratur? Sexto, quia non est sine gravi peccandi periculo, dum quis ex industria quærit, ac valde prosequitur, quod affert magnum ad libidinem incentivum: ita autem accidit Cicisbejis, eo quod Cicisbejæ, nullo omisso vano ornatu, soleant etiam deferre pectus indecenter detectum, quod nimis ad libidinem provocat, maxime eos, qui erga ipsas magno amore afficiuntur. Septimo, quia ex S. Scriptura, & SS. Patribus non est sine gravi periculo frequens & diuturnus obrutus inter personas diversi sexus, maxime dum inter eas viget amor; id autem continuo intervenit inter Cicisbejos, & Cicisbejas. Demum ingens Cicisbejorum periculum demonstravi, quia juste timere debent divino auxilio destituendos, cum Deus opituletur non iis, qui periculosas peccandi occasiones quærunt, sed iis, qui eas fugiunt.

Singula, quæ hucusque adnotavi, si considerentur ut vestita circumstantiis, quibus Cicisbeji insimul degunt, demonstrant hujusmodi conversationes non posse a gravi peccandi periculo separari, ut late in præfato libro probavi: quidni ergo dicendum, si simul sumpta considerentur, cum ut plurimum omnia præfata concurrant ad constituendum gravissimum periculum in Cicisbejorum conversatione? Quod si aliquis ita demens sit, ut hujusmodi periculum solum speculativum putet, nimis in praxi intervenire ex testimonio Cicisbejorum probavi; si etenim aliquando detur eis ex Divina Misericordia hujusmodi Sathanæ laqueos disrumpere, gemebundi fatentur hujusmodi conversationes causas fuisse morosarum delectationum, laidorum desideriorum, aliarumque turpitudinum, quas commodum est patrare. Adest ergo in Cicisbejorum conversationibus maximum mortaliter peccandi periculum; ergo ex hoc solum Cicisbeji, & Cicisbejæ sunt in continuo statu peccati mortalis; ergo nullatenus sunt absolvendi usquedum emendentur.

Ut autem omnem se defendendi Cicisbejis in dicto libro præcluderem viam, facio primo falsam suppositionem, nempe ipsorum aliquem nullam libidinis pravam cognitionem, vel sensum experiri; at neque in hoc casu ipsi licitam talem dico conversationem. Ratio evidens est, quia semper prudenter timere debet non ita evenire in alia Persona inter tot sensualitatis illicita, & id satis est, ut debeat ab ita conversando abstinere; neque enim potest sine peccato suum proximum in periculo peccandi constituere, cum nullum jus habeat ita conversandi.

Facio etiam falsissimam hypothesim, neque Cicisbejum scilicet, nec Cicisbejam in gravi esse periculo peccandi; nihilominus assero hujusmodi conversationes licitas non esse. Ratio item evidens est, quia unusquisque tenetur omittere, quod saltem aliis pluriam peccatorum origo est; maxime si nullum jus detur ad illud non omittendum. Nullum vero dari jus ad non omittendas conversationes Cicisbejorum probatur, quia nulla est Personarum conditio, cui rationabiliter competat ita conversare; sicuti mulieri competit decens ornatus juxta suum statum, quamvis forte ex eo aliqui sumpturi sint peccandi occasionem. Quod vero conversationes Cicisbejorum origo sint plurimorum peccatorum, quamvis in nullo peccandi periculo esse dicerent, probatur ea enumerando. Primo, ex eis oriuntur infinitæ famulorum, ac vicinorum graves detractiones: nam ex tali conversatione & animam, & honorem gravissime inquinari dicunt. Secundo, ex eis oritur non exiguum familiæ scandalum, quæ ex pravo exemplo talibus amoribus assuescens, facillime domus libidinibus undequaque repletur. Tertio, tepescit ex hujusmodi conversandi more amor uxoris erga maritum, & e contra, sicut experientia ipsa demonstrat, ex quo nemo non scit, quot peccata derivent. Quarto. Matres Cicisbejæ negligunt curam sancte educandi familiam; & quando id verbis facerent, totum destruerent exemplo. Ulterius solent esse alienæ a concionibus audiendis, & ab aliis pietatis exercitiis: vitam devotam solent criminari, ac a laborando quantum possunt abstinent. Quinto, ex more moderno conversandi videmus Oratoria, & Sacras Functiones derelictas: videmus Cicisbejos, Cicisbejasque continuo extra domum vagari: videmus Juvenes, scientiarum studium abhorrentes, summa ignorantia laborare, ac solum ingeniosos in puellis, mulieribusque seducendis. Cum ergo hæc, & quamplurima alia damna tam spiritualia, quam temporalia ex Cicisbejorum conversationibus derivent, nonne ratio statim dictat unumquemque gravem habere obligationem eas eliminandi, quamvis sibi videretur in eis nullum ad peccandum incentivum experiri?

Ex his etiam inferas nullatenus esse absolvendum Maritum permittentem uxori Cicisbejum; nam deficit in gravi obligatione removendi uxorem a gravi culpa. Nec suffragatur illi dicere habere uxorem rixosam, adeoque Cicisbejum permittere, ne in continuis jurgiis vivere cogatur. Hoc, inquam, non suffragatur; nam tanta sunt mala, quæ, ex dictis, ex permissione Cicisbejorum oriuntur, ut ad ea, & tot scandala removenda, magis expediat non habere uxorem pacificam, quam eadem tolerare. Cæterum quando Maritus vere vult esse mulieris caput, scit & Cicisbejum, & jurgia removere: aut infelicissimis hi-

ſce temporibus mulier, quæ creata fuit ſocia, facta eſt caput; & videntur Mariti cum infinito virilis ſexus dedecore non præcipere, ſed muliebri juſſui ſubmiſſe parere.

Q. VIII. An abſolvendi ſint Juvenes, & puellæ mutuo amore ſe proſequentes.

R. Certe abſolutio non eſt deneganda Juveni, qui puellam aliquo tempore inviſat animo cum ea Matrimonium contrahendi; ſicut nec puellæ ex tali fine Juvenem loco Amaſii admittenti. Neuter tenetur ducere perſonam ſibi ignotam; ſed poteſt per aliquod tempus experiri quibus moribus alter ſit præditus, & an etiam naturaliter pronus ſit ad iram, ad avaritiam, ad prodigalitatem &c. Oportet tamen ſolitarie non degere, & turpia colloquia non habere.

Si vero non animo matrimonium contrahendi juvenes, & puellæ amore mutuo ſe proſequantur, vel diu talem amorem protrahant ſub matrimonii colore, credo omnino incapaces eſſe abſolutionis. Frequentia ſe inviſendi, mutua colloquia non raro ſecreta, & non omnino honeſta, ſolitaria converſatio, quam nec Parentes etiam vigilantiſſimi ſatis removere poſſunt, maxime inter Amantes ruſticos, frequentes & moroſi obtutus, mutua magni amoris expreſſio &c. nonne, ut ita dicam, ipſam honeſtatem expugnarent? Continua etiam experientia tot ſtuprorum, tot puellarum prægnantium, & non raro etiam fœtuum abortivorum ſatis manifeſtant in his dari grave peccandi periculum. Quantum id magis luce meridiana omnibus pateret, ſi manifeſta forent peccata mortalia, quæ ratione talium amorum ob moroſas delectationes, prava deſideria, ac inhoneſta colloquia patrantur? Hi proinde Amantes & quia gravi periculo peccandi lethabiliter ſe exponunt, & quia fovent conſuetudinem gignentem tot turpitudines, tot rixas, tot ſcandala, & detractiones, omnino indigni ſunt abſolutione, ſi non reſipiſcant.

Multo magis id dicendum eſt de frequenti, & ſolitaria Sponſorum converſatione, quorum periculum augetur, quia futurum matrimonium illos reddit animoſiores ad turpia perpetranda. Alia perſonarum genera, quibus differenda, vel neganda eſt abſolutio recenſeam breviter in regulis ſtatim apponendis.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Non putet Sacerdos ſe vere eſſe bonum Confeſſarium eo quod facillime pœnitentes abſolvat, cum id oriri poſſit vel ab ipſius ignorantia, vel ambitione, vel avaritia: *Illi*, ait Cardinalis Bellarminus conc. 8. §. 2. & 3. *ſe Miniſtros, & Diſpenſatores non agnoſcunt, qui quaſi non eſſent Domino rationem reddituri, ſumma facilitate omnibus manus imponunt, & tam contritos, quam non contritos, quaſi propria poteſtate abſolvunt. Iſti ſua imperitia, & ſuperbia corrumpunt populos, & eis veræ pœnitentiæ viam præcludunt:* NEC ENIM ESSET HODIE TANTA FACILITAS PECCANDI, SI NON ESSET TANTA FACILITAS ABSOLVENDI. *Sed væ Vobis cum Dominus rationem ponet cum ſervis ſuis. Illi ambitione, vel pecuniarum cupiditate, vel utraque ſtimulante, viris divitibus, & nobilibus, nec ſolum viris, ſed etiam fœminis (quod nefas eſt, & horrendum) turpiter adulantur. Pudet profecto hæc referre, ſed quid agemus, cum multos non pudeat iſta facere, & ſeipſos, & eos, quibus ſerviunt, in Gehennam perducere?* Recenſebo modo particularia Perſonarum genera, quibus abſolutio deneganda eſt, vel differenda.

Ultra eos, quos prudenter credere non eſt vere dolere de ſuis peccatis, deneganda, vel differenda eſt abſolutio iis, qui ſequuntur. Ignorantibus non ſolum myſteria Fidei, quæ ſcire debent neceſſitate medii, ſed & quæ ſcire debent neceſſitate præcepti, ſi negligentes ſint in iis addiſcendis. Ignorantibus ea, quæ ſcire debent pro conditione ſui ſtatus, qualiter ſe habent indocti Confeſſarii, Judices, Advocati, Medici &c. Habentes inimicitias, qui tenentur reſtituere vel famam, vel res alienas, & qui amoribus implicantur, juxta monita Sancti Franciſci Xaverii *lib. 5. ep. 9.*, ordinarie loquendo, non ſunt abſolvendi, niſi prius adimpleant, quæ facere debent, nam poſt abſolutionem multories promiſſis non ſatisfaciunt. Multo magis id faciendum eſt, ſi alias promiſerunt, & non adimpleverunt. Idem dicas reſpectu eorum, qui exercent profeſſionem, vel artem, quam diu experti ſunt ab ipſis ſine gravi Dei offenſa non exerceri; ut facile evenire poteſt reſpectu Militum, Mercatorum, Advocatorum, Procuratorum, Chirurgorum &c. Iſti, juxta monita S. Caroli *in Inſtr. Confeſſ.*, ex conſilio pii, & docti Confeſſarii vel relinquere debent periculoſum exercitium, vel illud non exercere abſque ipſius licentia, remedia, quæ præſcribet, adhibendo. Mariti, vel Uxores reſpective, ſi ſeparatim vivant abſque mutuo conſenſu, vel authoritate Judicis competentis, non ſunt abſolvendi, ſi ſimul non habitent. Non ſunt abſolvendi Parentes, qui non præſtant, quæ neceſſe eſt, ut filii addiſcant Doctrinam Chriſtianam, vel ut ſancte educentur; ſeu etiam neceſſaria alimenta familiæ non ſuppeditant. Qui ſolent ſe inebriare: qui operibus ſervilibus dies feſtos prophanare; qui pecuniam dare ad uſuras: qui ex juſta cauſa ab aliis Confeſſariis dimiſſi ſunt ſine abſolutione, ſi aliud non ſuadeat emendatio, ſine abſolutione pariter dimittantur. Non ſine ſcandalo abſolverentur publici peccatores, qui publicum ſcandalum dederunt, niſi prius *cum emendatione vitæ malefacta publica benefactis reſarciant*, ait S. Carolus *in Inſtr. Confeſſ.* Arceantur item a Sacramento Pœnitentiæ, niſi prius emendentur, præbentes aliis occaſiones peccandi, quales ſunt tenentes forum aleatorium, in quo multæ impietates, blaſphemiæ &c. committuntur: excudentes, aut vendentes libros, vel ſcripta contra Fidem, aut bonos mores: facientes, aut vendentes Imagines, & picturas laſcivas, vel eas in propria domo expoſitas retinentes: mulieres ære alieno nimis gravantes maritos, ne ullo ornatu careant: mulieres incedentes pectore indecenter detecto. Verſantes in proxima peccandi occaſione: Ciciſbeji, & Ciciſbejæ: Juvenes, & puellæ, quæ amoribus implicantur: Sponſi, Sponſæque ſolitarie, vel nimis familiariter degentes. Demum deneganda eſt abſolutio quibuſcumque Confeſſariis vel ex ignorantia, vel alia ex cauſa non denegantibus, vel non differentibus abſolutionem quando id præſtare deberent.

II. Non tam facile credere debet Confeſſarius verum adeſſe dolorem, ac ſincerum adeſſe propoſitum in Conſuetudinario. Prava voluntas ex longa contracta conſuetudine non facile deponitur ut de ſeipſo teſtatur S. Auguſtinus *l. 8. Confeſſ. cap. 7.* Anteactæ etiam confeſſiones ſine ulla emendatione, in quibus Conſuetudinarius etiam proteſtatus fuerat ſuorum peccatorum ſincere pœnitere, dant prudens fundamentum de ſufficienti ſuſpicandi diſpoſitione; ex Sacramentis etenim rite peractis aliqua videtur conſurgere debere emendatio. Addendum repentinas magni peccatoris converſiones eſſe contra curſum ordinarium Providentiæ, ut notat *S. Th. 1. 2. q. 113. art. 10.*, adeoque, ordinarie loquendo, bene dicitur dimittendum eſſe Conſuetudinarium, ut melius ad obtinendum auxilium efficax ſe diſponat. Item, etſi putet vere dolere, videat Confeſſarius, an adhuc conveniens ſit differre abſolutionem, ut ex dilatæ abſolutionis memoria magis deinceps cautus ſit in cavendo relapſu: *Confeſſarios monitos volumus, ut donec emendationem perſpexerint, abſolutionem iis pœnitentibus procraſtinent, quos veroſimile eſt ad peccata iterum lapſuros, quantumvis polliceantur, ac ſpondeant ea ſe dimiſſuros*, ait S. Carolus.

III. Aliquando indocti Confeſſarii impertiuntur abſolutionem verſantibus in occaſione proxima peccati, aut Conſuetudinariis, quia timent illis infamiam imminere, ſi non accedant ad Euchariſtiam. At unuſquiſque vel mediocriter ſciens agnoſcit hos Confeſſarios peſſime operari, cum numquam liceat abſolvere, quem prudenter credere eſt non eſſe ſufficienter diſpoſitum; nam tunc deeſt materia proxima Sacramenti. Potius ergo ſinant hos conſulere per actum contritionis, ſi ſint in neceſſitate Euchariſtiam percipiendi. Neque dicendum eſſe capaces abſolutionis, ſi ſupponatur poſſe verum actum contritionis elicere; nam ad concedendam abſolutionem non ſatis eſt credere, abſolute loquendo, poſſe actum contritionis elicere, ſed ulterius debet Confeſſarius poſſe judicare hic & nunc externa ſigna doloris verum, internum, ac ſupernaturalem dolorem indicare. Id autem ex dictis difficile eſt judicare de conſtitutis in occaſione proxima voluntaria peccandi, ac ut plurimum etiam de conſuetudinariis; maxime dum accedunt ad confeſſionem ex timore infamiæ, &c. alias de ea non curaturi.

IV. Non raro Pœnitentes, dum ſibi denegari audiunt abſolutionem, Confeſſario mortis periculum exponunt, adeoque ægre ferre ſine abſolutione dimitti. At hæc nullatenus moveire debent Confeſſarium, quoties prudenter jud-

judicet vel negandam, vel differendam absolutionem. Consideret igitur tunc solum mortis timorem anteponere quando a tali timore oon exterriti, fortasse jam a pluribus annis in gravia peccata prolabi consueverunt. Reprehenderet deinde absolutionem nil forte ipsis profuturam propter ipsorum indispositionem, seque suo muneri graviter defuturum concedendo absolutionem, vel dum credit indispositos, vel dum existimat differendam ad emendationem obtinendam. Suadeat exercitium actuum contritionis, fidendo Deum non permissurum in peccato mortali decessuros, quoties humiliter sibi negari, vel differri absolutionem patiantur; ac interim magis curent se disponere ad eam assequendam.

QUÆSTIO VI.

De Sigillo Confessionis.

CAPUT I.

De Sigillo Confessionis: ad quas Personas se extendat: & quæ Penitentis licentia requiratur, ut cesset obligare.

Q. I. Quid sit Sigillum Confessionis.

R. Sigillum Confessionis ax *S. Th. 3. p. suppl. art. 3.* definitur: *Debitum confessionem celandi.*

Q. II. Ex quo jure consurgat obligatio ad servandum Sigillum confessionis: & ex qua confessione hæc obligatio oriatur.

R. I. Obligatio servandi secreti sacramentalis primo oritur a jure naturali. Observare igitur est, quod licet jus naturale rigorose sumptum, non respiciat id, quod supernaturale est, sed solum quod continetur intra limitea puræ rationis naturalis, nibilominus si sumatur minus rigorose, prout distinguitur a jure positivo, quod non attendit solum exigentia rei, hoc modo jus naturale divagatur etiam circa supernaturalia, quatenus ex ipsa natura rei supernaturalis infert, & dictat aliquam obligationem. Hinc dupliciter dici potest sigillum confessionis ex jure naturæ servandum essa. Primo, non quatenus Sacramentale est, sed quatenus consideratur materialiter; nam semper oritur obligatio secreti naturalis, quando vel ex modo aliquid revelandi, vel ex ratione rei revelatæ, constat de re revelata secretum committi: constat autem ex modo, quo in confessione dicuntur, & audiuntur peccata, sicut & ratione ipsorum peccatorum, de eis committi maximum secretum, adeoque jure etiam naturali servandum. Secundo, sigillum confessionis sumptum formaliter, & quatenus dicit ratione sigilli sacramentalis, dicitur pariter esse de jure naturæ; quatenus scilicet ipsamet natura Sacramenti exposcit pœnitentis peccata omnino reticeri, ne confessio fiat odiosa.

Secundo, obligatio servandi sigillum confessionis oritur ex jure divino. Ratio est, quia dicendum est Christum præcepisse confessionem, quæ sine ingenti difficultate posset exerceri, non vero durissimam, & intolerabilem; ita autem se haberet, si Confessarius posset ob bonum publicum, vel ad servandam vitam Innocentis &c. peccata revelare, unusquisque etenim timeret Confessarium aliquam investigaturum ea revelendi rationem, & ita quam plurimi, ac maxime mulieres, a confessione abstinerent.

Tertio, etiam Jus Ecclesiastieum præcepit non violari sigillum confessionis, injunctis gravibus pœnis Transgressoribus, ut constat *ex cau. Sacerdos de Pœn. disp.6. & cap. Omnis utriusque sexus §. Caveat.*

R. II. Certum est obligationem sigilli sacramentalis consurgere ex confessione, quæ vere sit Sacramentum, nam tale sigillum, ut dictum est, oritur ex ipsa Sacramenti natura; sicut etiam ex præcepto a Christo Domino ipsi supperaddito, ut ipsum Pœnitentiæ Sacramentum conservetur, ac facilior ipsius usus reddatur: semper cum proinde confessio est Sacramentum, indubitanter adest obligatio sigilli servandi. Verum indubitatum est consurgere obligationem sigilli sacramentalis etiam ex confessione, quæ sit sacramentalis ex intentione pœnitentis, licet aliqua de causa non perficiatur Sacramentum. Ratio constat ex perpetua praxi & consuetudine Ecclesiæ, qua reputatum est cadere sub sigillo omnia ea, quæ pœnitens manifestavit animo faciendi Confessionem sacramentalem, quamvis ex defectu doloris, vel alia ex causa non obtinuerit absolutionem: nemo autem negare poterit hujusmodi perpetuam Ecclesiæ consuetudinem optimam esse divinæ legis interpretem. Præterea si non caderent sub sigillo sacramentali, nisi peccata, quorum quis obtinuit absolutionem frustranens facillime redderetur finis a Christo Domino intentus in impositione sigilli, reddere nempe suavem, & faciliorem usum confessionis; multi etenim timere possent Confessarium, vel ex propria malitia, vel quia judicaret indispositos, absolutionem denegaturum, ac proinde peccata celarent, si tunc non caderent sub sigillo sacramentali. Hinc oritur obligatio Sigilli Sacramentalis etiam ratione confessionis factæ animo sese sacramentaliter accusandi ficto Sacerdoti. Ratio est, quia eum pœnitens sua peccata in ordine ad claves manifestaverit, reddidit confessionem saltem inchoative sacramentalem; ac proinde revelari non possunt peccata in ea manifestata sine injuria sacramenti: *Lugo de pœnit. disp. 23. sect. 2. num. 40., Suar. disp. 33. sect. 2. num. 3.* Eo quod autem consurgat obligatio sigilli sacramentalis, dum, quamvis erret pœnitens circa ministrum, ex se tamen putat & intendit facere confessionem a Christo institutam, merito dicitur consurgere obligationem Sigilli sacramentalis ex confessione facta Laico, in casu, quo pœnitens putaret esse legitimum Pœnitentiæ ministrum; ut evenire posset, si quis, absente Sacerdote, putaret in extrema necessitate posse absolutionem a laico obtinere: *Suar. in Sum. cap. 8. nu. 7., Dian. to. 1. tract. 8. resol. 34*

E contra sigillum sacramentale non consurgit e confessione, quæ nec inchoative sit sacramentalis, ut si fiat nullatenus ex animo se coram Deo accusandi, sed ex solo fine se conquerendi de Confessario, illum injuriis lacessendi, ad malum pertrahendi, vel aliquod secretum committendi &c. Ratio est, quia sigillum Sacramentale oritur ex confessione, quæ saltem sit sacramentalis ex intentione pœnitentis: *D. Thom. in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. quæst. 2, Suar. disp. 33. sect. 2. nu. 6. Lugo disp. 23. sect. 2. nu. 43. Bonac. de pœnit. disp. 5. qu. 6. sect. 5. p. 2. num. 5.*

Q. II. Quot peccata committat, qui frangit sigillum Sacramentale; & quomodo peccet.

R. I. Inviolatione sigilli primo intervenit peccatum sacrilegii; fit etenim injuria Sacramento, dum per fractionem sigilli redditur perdifficile, & odiosum, quod removere voluit Christus Dominus, sigillum præcipiendo. Secundo, committitur peccatum detractionis infamando pœnitentem. Tertio, peccatur contra fidelitatem, quatenus saltem implicite intervenit onerosa promissio inter Confessarium, & Pœnitentem non manifestandi peccata. Ista autem duo ultima peccata non intervenirent, quoties pœnitens jus ad famam, vel ad secretum non haberet.

R. II. In fractione sigilli Sacramentalis intervenire non potest veniale peccatum ex parvitate materiæ. Ratio est quia quæcumque fiat revelatio etiam peccati venialis, reddit valde difficile, & odiosum Sacramentum Pœnitentiæ; tum quia Pœnitentes semper timerent ex ignorantia Confessarii posse revelari quod in se grave est; tum quia non raro pœnitentes ægerrime ferreot atiam leve peccatum revelari; tum quia si admittatur posse cum sola culpa veniali revelari quod leve est, inferretur multoties solum leviter peccaturum Confessarium quædam gravia revelantem; nam aliqui minus ægre patiuntur aliqua graviora a se perpetrata revelari, quam aliis suas culpas veniales. Cum ergo quælibet fractio sigilli valde odiosum reddere possit Sacramentum, sequitur semper esse peccatum mortale.

Q. III. Quæ Personæ sigilli Sacramentalis vinculo ligentur.

R. Omnes illi tenentur ad Sigillum Sacramentale, qui habent notitiam peccatorum immediate, vel mediate ex confessione. Ratio est, quia Christus Dominus imposuit arctissimum sigilli præceptum, quia ita conveniens erat ob reverentiam Sacramenti, & ne odiosum redderetur, dum ex ipsius revelatione infamiam, vel aliud damnum subiret pœnitens; id autem convincit hoc sigillo nedum obstringi Sacerdotem, sed quemcumque alium, qui peccatorum notitiam aliquo modo habuerit ex confessione. Non ergo sufficienter reverentiæ Sacramenti provisum esset, nec satis odium confessionis amotum fuisset, si dum deberet tacere Sacerdos ratione talis sigilli, non prohiberentur loqui, qui occasione confessionis peccatorum notitiam habuerunt. Hinc præter Confessarium, qui primo & principaliter Sacramentali sigillo adstringitur, eodem sigilli vinculo ligatur Interpres,

quo medianti fit confessio: *D. Thom. in 4 d. 21. quæst. 3. art. 1. quæst. 3. & art. 2. ad 4.* ubi idem docet de Consiliario, cui Sacerdos gratia petendi consilii confessionem revelaverit. Quamvis autem aliqui dicant non ligari vinculo Sacramentalis sigilli Consiliarium, si Confessarius ipsum consuluit de consensu pœnitentis, communior tamen opinio tali vinculo etiam tunc ligari dicit. Ratio est, quia consensus pœnitentis de tali consilio petendo, non facit quod Consiliarius non habeat talem notitiam ratione confessionis, & quodammodo participet actum clavium, cognoscendo causam pœnitentis, & coadjuvando Sacerdotem in ordine ad consummationem Sacramenti, cum proinde notitia, quam habet Consiliarius, proveniat ratione Sacramenti jam inchoati, & ad illius complementum ordinetur, non potest non cadere sub sigillo Sacramentali: *Suar. disp. 33. sect. 4. n. 6. Lugo disp. 23. sect. 2. nu. 25. Laym. l. 5. tract. 6. cap. 14. n. 18. Bonac. dist. 5. qu. 6. sect. 5. par. 3. n. 4.* Quod dictum est de consiliario a fortiori verificatur de Prælato Superiore, cui Sacerdos inferior de consensu pœnitentis confessionem revelat ad facultatem obtinendam absolvendi a reservatis. Immo non inconsequenter loquuntur illi, qui dicunt Superiorem teneri etiam sigillo Sacramentali, quando ipse pœnitens per se exposcit ab eo facultatem, ut a reservatis absolvatur. Ratio est quia tunc manifestat sua peccata in ordine ad confessionem; & Prælatus gerit se, ut Judicem Superiorem peccatorum, influitque in absolutionem delegando facultatem absolvendi. Videtur ergo notitia, quam accipit Superior a pœnitente, esse quodammodo Sacramentalis, adeoque cadere sub sigillo: *Navar. in cap. Sacerdos nu. 42., Lugo sect. 2. a nu. 34. Ledesm. cap. 22. post concl. 7.*

Tenetur pariter sigillo Sacramentali, qui casu, vel ex necessitate, vel malitiose alicujus audivit confessionem: itemque ille, cui Sacerdos vel ex inadvertentia, vel inique alicujus peccata revelasset. Cum in his casibus notitia peccati ex confessione oriatur, consequens est cadere sub sigillo: *Lugo nu. 39., Dian. tom. 1. tract. 8. resol. 37.* & fere communiter. Non pauci tenent haud ligari sigillo Sacramentali illum, qui chartam invenit, in qua peccata alicujus scripta legit, cum talis Scriptura per accidens ad confessionem ordinetur; potest etenim quis sine scriptura peccata confiteri. Verum opinioni contrariæ adhæreo: sicut etenim ligatur sigillo Sacramentali, qui audit pœnitentem sua peccata Confessario manifestantem, ita & qui legit chartam, in qua sua peccata scripsit in ordine ad confessionem, re vera etenim eadem scripsit, ut ita Confessario manifestaret. Nec refert hujusmodi Scripturam non ita proxime referri ad confessionem, sicut ipsa actualis manifestatio; nam quamvis ita proxime non referatur, non tamen negari potest ex intentione scribentis Scripturam non assumi, ut medium ad manifestanda peccata in confessione, adeoque ad ipsam manifestationem relate ad confessionem pertinere; & ita dicendum est hujusmodi notitiam habitam ex scriptura cadere sub sigillo: *Anton. a Sp S. p. 1. tract. 5. disp. 19. sect. 3. nu. 1515.* & plures alii, quos sequitur Bassæus *v. Confessio nu. 10.* Quod dictum est multo magis verificatur, si peccata legantur in Scriptura in ipsa actuali Confessione; vel si Scriptura reperiatur in Confessionario post confessionem; vel si scripta fuerit a muto, qui aliter non potest sua peccata manifestare; vel si Scriptura facta sit a Pœnitente, ut expostulet a Superiore facultatem pro reservatis.

Q. IV. An Confessarius de licentia Pœnitentis prodere possit quæ audivit in confessione; & quid si concedat licentiam etiam manifestandi peccatum complicis.

R. I. Confessarius de licentia pœnitentis loqui potest de auditis in Confessione. Ratio est, quia cum sigillum impositum fuerit in favorem pœnitentis, juxta ipsius voluntatem servandum est. Id autem magis roboratur, quia dum pœnitens impertitur licentiam Confessario, intendit dare notitiam extrasacramentalem; sicuti si de talibus peccatis cum eo loquutus fuisset extra confessionem, adeoque Confessarius nullatenus fractor est sigilli ea revelando: *D. Thom. in 4. d. 21. quæst. 3. art. 2.*, quem communiter Theologi sequuntur. Quorumdam contraria opinio in eo fundatur, quod Sacerdos tenetur ad sigillum Sacramentale ex jure naturali, & divino, in quo jure non potest pœnitens dispensare. At hoc fundamentum ruit, dum intelligitur pœnitens, tribuendo licentiam Confessario de auditis in confessione, loquendi, dare illi etiam notitiam extrasacramentalem peccatorum; quæ proinde, cum ex hac ulteriori notitia extrahantur ab obligatione sigilli, liberum omnino erit ea propalare, si ita concedat pœnitens; vel solum juxta licentiam pœnitentis de iisdem limitate loqui. Advertere tamen est, quod si pœnitens concedat Confessario loqui de suis peccatis in ordine tamen ad confessionem; ut si concederet licentiam manifestandi Prælato suum peccatum ad obtinendam facultatem absolvendi a reservatis, vel viro prudenti ad accipiendum consilium, isti ex dictis supra sigilli vinculo obstringerentur.

R. II. Non frangitur sigillum, si de licentia Pœnitentis reveletur peccatum complicis, sive hoc fiat ob publicum bonum, sive ad ipsius correctionem. Ratio est, quia quamvis etiam peccatum complicis sub sigillo remaneat, non tamen cadit sub sigillo, quatenus est ipsius peccatum, sed quatenus spectat ad confessionem pœnitentis, qui illud detegendum putavit, ut proprium confiteretur peccatum, unde sufficit sola licentia pœnitentis, ut possit revelari. Addatur complicem nec secretum commisisse, nec illi odiosam reddi confessionem ex tali revelatione; nam non proinde evenit aliquando manifestanda peccata, quæ ipse in Confessione revelaverit: *D. Antonin. 3. p. tit. 14 cap. 19. §. 11. Lugo disp. 23. sect. 5. n 138. Suar. d. 34. sect. 3. & 4.* aliique, quos sequitur Diana *p. 5. tract. 11. resol. 24.*

Q. V. Qualis licentia Pœnitentis requiratur, ut Confessarius loqui possit de auditis in confessione.

R. Hujusmodi licentia debet esse expressa, libera, & non revocata: *D. Thom. in 4. d. 21. quæst. 3. art. 2.* Et quidem, si sufficeret præsumpta, facile accidere posset Confessarium in pluribus casibus eam præsumere, & tacite concessam credere, absque eo quod reveta ita esset; ac proinde pœnitens a confessione retraherentur ex timore quod Confessarius ipsorum peccata ob talem præsumptam licentiam revelaret. Idem sequeretur si sufficeret licentia extorta per dolum, metum, & preces importunas; nam multi pœnitentes, videndo saltem per metum reverentialem non negaturos petenti Confessario licentiam manifestandi peccata, vel confessionem omitterent, vel tacerent peccata, quæ crederent Confessarium petiturum, ut sibi concederetur posse manifestare. Oportet ergo hujusmodi licentiam non solum esse expressam, sed undequaque liberam.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Quædam reperiet Confessarius in antecedenti capite, quæ multi Theologi asserunt non inducere sigillum Sacramentale, quod nihilominus obligare ego affirmavi. At puto omnes debere meæ adhærere opinioni ex hac ratione reflexa: eo quod scilicet, cum sigillum Sacramentale inductum sit ad removendum odium a Sacramento, & ad alliciendos homines ad manifestanda peccata, quo rationabiliter fieri potest, est extendendum. Cum ergo quæcumque asserui inducere sigillum Confessionis, & quæcumque sub eo cadere asseram, & validis rationibus & classicorum Doctorum suffragio ita esse comprobetur, hinc est non eximenda a vinculo sigilli Sacramentalis. Hac eadem ratione evidens fit cadere sub sigillo quæ Confessarius dubitat, an sciverit notitia Sacramentali, vel alia via, sicuti quæ dubitat, an pœnitens explicaverit ex intentione confitendi, vel alio fine; nam nisi etiam ad hos, & similes casus sigillum Sacramentale extendatur, odiosum, & difficilius reddi potest Sacramentum.

II. Certum omnino est non cadere sub sigillo Sacramentali, quæ Personæ inductæ manifestant Sacerdoti, ut dicere solent, *in Confessione*, quamvis revera sine ulla ordine ad Sacramentum; cum neque sint in Confessionario, vel si ibi sint, voluntatem non habeant Sacramentaliter confitendi. Idem dicendum de iis, quæ dicuntur quandoquidem a Pœnitentibus, maxime mulieribus, non intentione confitendi, sed potius vel redarguendi Confessarium vel proprium animum alleviandi. At nihilominus cautus valde sit Confessarius in iis manifestandis; alias veluti sigilli transgressor traducetur. Quod si magna necessitas illum cogat uti tali notitia, ad removendum scandalum doceat hujusmodi non cadere sub sigillo confessionis, sed sub naturali secreto quod in quibusdam casibus non solum possumus, sed & tenemur violare.

III. Quamvis tutam credam illam opinionem, qua dicitur de licentia pœnitentis manifestari posse peccatum complicis, id tamen nullatenus faciendum est, nisi ita

sua-

suadeat vel bonum ipsius pœnitentis, vel complicis, vel necessitas gravis damni avertendi ; Usus istius notitiæ raro est sine scandalo, maxime apud rudes passim dicentes Confessarium notitia habita in confessione abuti. Quando igitur ex gravi causa putet Confessarius uti debere præfata licentia, opportuuum judicarem, ut induceret pœnitentem ad illi manifestandum peccatum complicis peracta confessione; ita enim facile removere posset omne scandalum, dicendo tale peccatum extra confessionem scivisse, ac proinde de eo loqui.

IV. Si Penitens ex proprio instinctu non concedat Confessario licentiam loqui de auditis in confessione, atque hanc licentiam ad ipsius instantiam concedat, advertere debet Confessarius, an omnino sponte concessere, alias ea uti non potest. Ut id dignoscat, considerer an pœnitens ægre tulerit hujusmodi licentiam expostulari; an concesserit ad repetitas Confessarii preces, & instantias; an talis conditionis sit, ut judicare debeat potius concessisse ex quadam pusillanimitate, metuque reverentiali, quam ex auimo. Semper enim igitur aliquod motivum prudens suadeat non omnino libere, & spontanee concessisse, caveat omnino Confessarius ab usu talis licentiæ.

V. Dum Confessarius utitur licentia habita a pœnitente loquendi de auditis in confessione, ita caute utatur, ut solummodo quod necessarinm est manifestet. Si e.g. monere debeat hæredes de aliquo restirutionis onere, quod habebat defunctus, illud ita manifestet, ut nullatenus ex ipsius verbis dignosci possit illud onus potius ex delicto contraxisse, quam ex alia causa.

CAPUT II.

De Obligatione nec indirecte revelandi audita in Confessione.

Q.I QUÆ sit indirecta confessionis revelatio; & an unquam licita.

R. I. Sicut dicitur directe revelari confessio, quando expresse manifestantur audita in confessione, ita datur ipsius indirecta revelatio, quando non explicite, sed ratione alicujus actionis, aut signi peccatum, & pœnitens manifestantur. Hoc autem numquam esse licitom, non solum habetur *ex cap. Omnis utriusque sexus §. Caveat*, sed etiam ex ipsa ratione. Cum igitur Christus Sacramentale sigillum instituerit, ut praxis Confessionis suavis, ac tolerabilis redderetur, consequens est quamcumque etiam indirectam sigilli violationem prohibuisse, neque etenim minus retrahereotur pœnitentea a Confessione ex hoc quod uno, vel altero modo ipsorum peccata manifestarentur.

Q. II. An liceat dicere, vel facere aliquod, unde ipse pœnitens dignoscat id fieri, vel dici ratione peccati auditi in confessione.

R. Cum ratione sigilli sacramentalis abstinere debeat Confessarius ab omni eo, quod reddere potest odiosum, & difficilius Sacramentum, consequens est nil posse facere, vel dicere, unde extra confessionem dignoscat pœnitens hæc præstare Confessarium ratione peccati, quod ipse confessus sit: constat etenim ex hoc gravius, & odiosum illi futurum Sacramentum. Hinc ob notitiam peccati habitam in confessione, Confessarius non solum non potest exprobare pœnitenti suum crimen, sed nec minus grate ei alloqui, nec vultum severiorem ostendere, aut qoid simile facere; hæc etenim omnia indirecte revelant auditam confessionem, ac odiosam reddunt. Non poterit pariter etiam in occulto politicum denegare commercium excommunicato vitando, quem talem esse novit ex confessione; sicut neque illi, quamtumvis indisposito, ex tali notitia etiam in occulto denegare Sacramenta: *Lugo disp.23. sect. 5. §. 3. pre tot., Suar. disp. 33. sect. 6. n. 4. Sanch. de Matr. lib.3. disp.16. n.15., Laym. l. 5. tr. 6. cap. 14. q. 2. n.* 22. Hæc autem magis roborantur ex iis, quæ infra dicam de prohibitionis usus confessionis in ordine ad externam gubernationem.

Q. III. An Sacerdos extra, vel in Confessione loqui possit cum pœnitente de peccatis ab eo confessis; & maxime ad supplendum defectum commissum in alia Confessione.

R. I. Certe non licet cum pœnitente loqui extra confessionem de ipsius peccatis; nam id non esset sine ipsius molestia, & rubore. Solum liceret cum eo agere de ipsius peccatis, quoties ipse primus inciperet de iis loqui; tunc etenim intelligeretur expressam concedere licentiam secum de iisdem loquendi: *Lugo disp. 23. sect. 5. §. 4., Palaus tr. 3. d. unic. p. 19. §. 3. n.* 14. Passim autem docent Theologi, quibusdam contradicentibus, ex rationabili causa posse Confessarium loqui in confessione de auditis in alia confessione, puta si id credat necessarium ad redarguendum pœnitentem de frequentia talium peccatorum, ad demonstandam illi sui propositi infirmitatem &c. Ratio autem est, quia eo ipso, quod pœnitens accedat ad hunc Confessarium censetur consentire, ut in ipsa confessione utatur quacumque notitia necessaria ad suam directionem; ut bene etenim dirigatur, & ipsius procuratur resipiscentia, ad Confessarium accedit. *Lugo n. 527., Adverf. de Pœnit. q. 18. sect. 6.* Ex hoc autem sequitur non posse sine rationabili causa Confessarium loqui in confessione cum pœnitente de auditis in alia confessione, quia tunc non censetur pœnitens consentire. Bene autem potest Confessarius incontinenti post datam absolutionem loqui cum pœnitente de iis, quæ audivit in confessione; quamvis etenim physice absolutum sit judicium, intelligitur nihilominus moraliter perseverare: *Anton. a Sp. S. de Sac. Pœn. disp. 19. sect. 5. n.* 1534.

R. II. Dum agitur de supplendo defecto confessionis, vel de removendo gravi damno, quod immineat innocenti, putarunt non pauci apud *Averf. q. 18. sect. 6.* licitum esse Confessario, petita, & non obtenta licentia, loqui cum pœnitente extra confessionem de auditis in confessione. Opinio tamen Contraria communior & vera est, tum quia quamvis ultro concederemus illam admonitionem esse complementum factæ confessionis, adhuc fieri non potest absque consensu pœnitentis, confessio enim pendet ab ipsius volunrate quoad initium, progressum, & complementum: Tum quia, revera judicium Sacramentale absolutum est, quamvis cum aliquo defectu; unde si Confessarius loquatur cum pœnitente de peccatis audiris ad illud supplendum, vere verificatur cum illo loqui de peccatis extra confessionem, & quodammodo ea exprobare. Demum ad quid necesse esset Confessarium debere petere licentiam loqoendi cum ipso de peccatis auditis in confessione, si etiam licentia non obtenta, adhuc posset de iisdem loqui? *Lug. disp. 23. sect. 5. n. 140., Fac. l. 6. in 2. pr. c. 4. n. 33., Ant. a Sp. S. loc. cit. n.* 1533.

Q. IV. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitente, quem sine absolutione dimisit, si schedulam confessionis exposcat.

R. Quamvis non pauci, quos sequitur Antonius a Sp. S. *n.* 1542., putent Sacerdotem posse schedulam denegare, qua non dicitur revellare confessionem, quoties omittit quod facere non tenetur; nihilominus in praxi opinio contraria amplectenda est, quoties sciatur pœnitentem ipsi confessum fuisse. Ratio est, qoia denegatio hujus schedulæ ostendendæ Parocho, Patri, Hæro &c. vehementem ingerit suspicionem vel casus reservati, vel indispositionis pœnitentis; adeoque eam negare est indirecte revelare confessionem. Tenetur igitur iste Sacerdos dare schedulam, qua testetur pœnitentem sibi confessum fuisse, quod verum est, nullum faciendo verbum de data, vel negata absolutione.

Q. V. An Sacerdos ad virandum grave damnum uti possit notitia habita in confessione.

R. Casus iste solet amplificari in Sacerdote; qui in confessione scivit venenum admixtum esse vino, quo debet celebrare; vel a Grassatoribus expectari in aliquo loco, quo pergit, & quærunt Theologi, an tunc liceat illi omittere Missam, vel aliam arripere viam. Omnes autem fatentur licite hæc ab ipso fieri, quoties exinde nullus cognoscere posset tale peccatum audivisse in confessione, & nullum gravamen pœnitens subiret. Sunt etiam qui asserant in prædictis casibus licere Sacerdoti abstinere a celebrando, quamvis exinde colligi possit, quis fuerit ille, qui hujusmodi in Confessione revelaverit, & etiam quamvis subire deberet grave damnum. *Coninch. disp. 9. d. 4. a. n. 53. Leander q. 69.* Verum hanc opinionem nunquam amplectendam suaderem; semper enim crediderunt fideles tantam deberi a Confessario reverentiam Sacramento, ut potios eligere teneatur mortem, quam directe, vel indirecte revelare Confessionem: Semper com ergo Confessarius sit in talibus circumstantiis, ut omissio Missæ, vel aliam eligere viam indicent quæ audivit in confessione, non poterit sine fractione Sigilli hæc facere. Falso autem putant Adversarii Confessarium ita agendo facere actionem indifferentem, vel solum indicare in

genere pœnitentem sibi confessum fuisse; nam suppono omittere Sacrum, vel aliam arripere viam in talibus circumstantiis, ut indicet peccatum auditum, immo ex eo quod indicet peccatum auditum, faciat cognoscere alicujus confessionem: quod ergo facit, quamvis de sua natura esset indifferens, tale non potest dici hic, & nunc, sed indirecte manifestativum peccati auditi in confessione. Non debet ergo ita agere etiam ad salvandam vitam; & si forte esset in peccato mortali, speret Deum suo auxilio præsto futurum, ut perfecte conteratur. Multo autem magis puto rejiciendam contrariam opinionem, quoties ex omissione Missæ &c. sequeretur gravamen pœnitentis, tunc enim, ultraquamquod indirecte revelaretur ipsius peccatum, illi valde odiosum redderetur Sacramentum: *Suar. disp. 33. sect. 7. nu. 6. Lugo d. 23. sect. 5. §. 2. nu.* 100. aliique, quos sequitur *Anton. a Sp. S. d. 19. sect. 6. nu. 1567.*

Ex hac autem doctrina non sequitur Sacerdotem non posse fugere a pœnitente, quem scit sibi scandalum allaturum. Ratio est, quia si occasio peccandi oriatur ex fragilitate ipsius Confessarii, jam vitando pœnitentem nullum ipsius manifestat peccatum. Si vero occasio oriatur ab ipso pœnitente, qui in præterita confessione ad malum sollicitaverit, nulla est fractio sigilli, si pœnitens cognoscat Confessarium fugere ob antecedentem sollicitationem; nam hæc fuit quidem peccatum commissum in confessione, non vero confessum in priore confessione, unde non cadit sub sigillo. Hac ratione potest Sacerdos fugere, & non redire, si pœnitens indispositus illum minitetur ob negatam absolutionem, quia minæ sunt peccatum commissum in confessione, non vero in ea manifestatum in ordine ad obtinendam absolutionem. *Lugo disp. 23. num. 116.*

Q. VI. An usus notitiæ habitæ in Confessione licitus sit ad externam gubernationem, si nullatenus reveletur peccatum.

R. Certum est nunquam licere uti notitia Confessionum, quoties pœnitens cognoscere posset aliquid a Superioribus fieri ratione peccati ab ipsis in confessione auditi; id enim esset indirecte illud revelare, ipsumque pœnitenti exprobare. Difficultas ergo solum potest esse, quando ita se gereret Superior, ut nec alii, nec pœnitens cognoscere possent aliquid fieri ratione peccati auditi in confessione; ut dum externe appareret aliqua causa, quamvis non revera, alicui denegandi suffragium, amovendi illum ab officio &c., at revera fieret ex notitia peccati habiti in confessione. At neque in his circumstantiis licitus est usus notitiæ habitæ in confessione: *S. Thom. quodl. 5. art. 13., Sanch. de Matrim. lib. 3. d. 16. Avers. quæst. 18. sect. 8., Lugo d. 23. sect. 5. numer. 93.* Ratio est, quia id omne sub sigillo cadere dicendum est, quod gravem, & odiosam reddere potest confessionem, ut apud omnes in confesso est: non solum autem gravis, & odiosa redderetur per hoc quod fieret aliquid, unde pœnitens dignoscere posset fieri ratione peccati in confessione manifestati, sed per hoc solum, quod generaliter sciret Confessarium, Superiorem &c. uti posse tali notitia ad illi denegandum suffragium, ad removendum ab officio, ad privandum honoribus, muneribus &c. Est igitur ex vi intrinseca sigilli uti non posse notitia confessionis in gravamen poenitentis; quamvis respectu Regularium id etiam postea lege Pontificia sancitum fuerit. Clemens igitur VIII. in decreto de casibus reservatis pro Regularibus expedito anno 1594. *cap. 4.*, hæc habet: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.*

Quidam putarunt licitum esse usum notitiæ confessionis, quoties nullatenus reveletur peccatum pœnitentis; & ulterius ex tali casu majus sequeretur bonum pœnitentis, quam gravamen. Exemplum sit dum Episcopus, eo quod aliquem ex confessione Beneficio indignum cognoscat, illud ipsi denegaret, absque eo quod tamen cognosci possit illud denegare ex notitia habita in confessione. Certe ex usu notitiæ confessionis majus bonum consequitur pœnitens, quam gravamen; quamvis enim a beneficio arceatur, hoc inæstimabile bonum consequitur, ut etiam arceatur a damnatione, quam vitare non posset, dum acciperet beneficium, cujus esset indignus. At neque in hoc casu licitus est usus notitiæ confessionis; unde S. Inquisit. Univers. Rom. de anno 1682. decrevit: *Ne quis publice, aut privatim doceat, aut defendat licere uti scientia ex confessione acquisita cum gravamine pœnitentis, quamvis secluderetur quæcumque ejus revelatio, & quamvis multo magis gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur, mandans etiam universis Sacramenti Pœnitentiæ Ministris, ut a tali doctrina in praxim deducenda prorsus abstineant:* Et quidem etiam in præfatis circumstantiis difficilis, & odiosa redderetur confessio, unusquisque etenim timeret Confessarium vel ex nimio zelo, vel ex ignorantia posse illum gravare ratione peccati auditi in confessione, falso sibi persuadendo majus futurum pœnitentis gravamen, si tali non utatur.

Remanet ergo Confessarium solum uti posse notitia confessionis, quando nullatenus ex tali usu pœnitentis peccatum innotescat, neque exinde aliquod pœnitentis gravamen possit oriri. Et de facto sæpe Sacerdotes discunt in confessione qualiter extra eam se gerere debeunt; quomodo agendum cum personis, a quibus pœnitens damnum acceperit; abstinendum a pluribus, quæ comperiuntur pœnitenti nocuisse &c.

Regulæ in praxi attendendæ.

I. Cautus valde sit Confessarius in custodiendo confessionis sigillo, sciatque nunquam sibi molestum futurum tacuisse. Interea quædam notet pro praxi, quæ fortesse non omni, qua par est, diligentia, a Confessariis observantur. Audierunt e.g. pœnitentem, cujus confessionis valde ipsos tædet vel ob multitudinem peccatorum, vel ob ipsius indispositionem; unde si redire videant, vel iterum ab eo vocentur ad confessionem audiendam, se celant aut aufugiunt, vel se excusant &c. Non nego posse celare, aut fugere, quoties a nullo videantur, nam tunc nullam suspicionem ingerunt peccatorum pœnitentis: at si videantur ab aliis se celare, & aufugere talem ingerent suspicionem, & multo magis pœnitens id reputabit esse tacitam suorum peccatorum exprobrationem. Idem dicendum, si vocatus se excuset, quando patens non sit justa causa se excusandi. Ordinarie igitur loquendo audire ipsius confessionem debebunt, at bene poterunt initio confessionis ipsius dispositionem examinare & si videant nihil proficere, moneant ne amplius innutiliter eum vocent. Quod si aliquis pœnitens communiter dignoscatur esse valde prolixus, inquietus &c. in aliquo exponendo, tunc quia clare appareret Confessarium fugere ne ab ipsius naturali prolixitate, inquietudine &c. tædio afficiatur, in talibus circumstantiis fugere non esset fractio sigilli.

II. Potest accidere Confessarium scire pravam inclinationem pœnitentis, & ex auditis in confessione, & ex iis quæ scit notitia extrasacramentali, ac interim titubare, an aliquid facere debeat in gravamen pœnitentis ex timore ita agendi ratione notitiæ Sacramentalis. Ut igitur possit operari sine hæsitatione animadvertat quod, si ea, quæ scivit in confessione etiam noverat ante confessionem, & nihilominus nil decreverat facere in gravamen pœnitentis, signum est moveri efficaciter ad illud faciendum ex notitia confessionis, adeoquo si faciat, violat sigillum. Si vero jam decreverat facere ante confessionem, & solum expectabat tempus oportunum; vel si pariter moveatur ex notitia habita post, confessionem tunc non facit contra sigillum. Caute tamen semper hujusmodi præstet, ne pœnitens, vel alii credere possint ad id moveri ex notitia habita in confessione.

III. Advertant Confessarii ne ex nimia curiositate aliquando peccent contra sigillum. Ita se haberent illi, qui, audito alicujus peccato, inquirerent personam complicis: ut si e.g. dum audierunt famulum peccasse cum famula, simul in eadem domo commorantibus, inquireret, data occasione, quænam mulier in illa domo famuletur. Utique sigillum confessionis obligat, ne extra illam inquiratur de complice, sicut nec intra illam, si aliqua necessitas non cogat; alias etenim valde otiosa redderetur. Idem dicendum de Confessario, qui dum audisset pœnitentem se accusantem de judicio facto, quod aliqua fœmina sit venefica, meretrix &c. inquireret extra confessionem quænam posset esse ista fœmina; cum etenim talis mulier fuerit objectum peccati pœnitentis, pertinet ad ipsius peccatum, adeoque vetat sigillum, ne de ea inquiratur.

IV. Advertere etiam debet Confessarius, ne etiam intra confessionem ita utatur ipsius notitia, ut eam reddat odiosam, & difficiliorem: ut si, dum audit in confessione suam famulam inhoneste vivere, illam in eadem confessio-

fessione cogere ad alium herum inquirendum. Vel si dum audiret a suo famulo falsa clave sibi pecunias ab eodem furari, adigeret in eadem confessione ad clavem tradendam &c. Quamvis igitur hæc fiant materialiter in confessione, nihilominus revera ad ipsam non pertinent; & Confessarius utitur notitia confessionis ad eam odiosam & difficiliorem reddendam. Solum exposcit confessio, ut eos sine absolutione dimittat, si videat indispositos. Idem, ut alias innui, dico de Confessariis, qui gravibus conviciis, ac modis valde asperis redarguunt pœnitentem; nam & hi utuntur notitia confessionis ad eam difficiliorem, & odiosam reddendam. Non nego tamen posse dure increpare, quando id non faceret ex ira, sed quia necessarium putaret ad pœnitentis emendationem; ad hanc tamen conducere non solent convincia, quæ adhiberi solent ad aliquem injurandum, ni eo solo fine adhiberentur, ut poenitens scilicet laerymabilem animæ suæ statum, ac emendationis necessitatem animadverteret. Universaliter verum est esse contra sigillum confessionis etiam intra confessionem uti illius notitia cum molestia poenitentis, quoties non sit illi necessarium, vel utile.

V. Bene etiam consideret confessarins sola taciturnitate posse violare sigillum Confessionis. Ponamus e.g. casum, in quo valde laudetur ratione honestatis aliqua fœmina, quæ apud ipsum confessa est, atque interim, dum alii illam commendant, Confessarius obmutescat; nam facillime tunc putabunt aliquid inhonestum ab eadem in confessione audisse, adeoque tacere. Debet ergo & ipse eam commendare si certo non cognoscat suum silentium non daturum aliquam suspicionem de ipsius peccato. E contra aliquando frangere posset sigillum commendando aliquam particularem poenitentem; ut si de aliqua particulari poenitente diceret eam peccata carnis non committere, ex quo posent audientes percipere non ita se habere alias mulieres, quarum excipit confessiones. Si vero ita commendaret poenitentem, ut solum significare vellet in ea esse singularem probitatem, hoc non esset contra sigillum, ex hoc etenim non indicaret alias poenitentes peccare, sed non esse tam perfectas.

CAPUT III.

De iis, quæ cadunt sub sigillo Confessionis.

Q.I QUomodo peccata cadant sub sigillo confessionis, & quid de peccatis futuris, & publicis.

R. I. Dum ex revelatione peccati potest innotescere pœnitens, tam peccata mortalia, quam venialia cadunt sub sigillo quoad numerum, species, & circumstantias; nam in se, & quoad hæc omnia sunt materia confessionis; adeoque modo dicto cadunt sub sigillo. Quamvis autem peccata mortalia etiam in genere cadant sub sigillo, unde dicere numquam potest Confessarius, *iste confessus gravia peccata*; non tamen in genere cadunt sub sigillo peccata venialia, nam qui confitetur, necesse est saltem habere peccata venialia. Poterit ergo Confessarius sine fractione sigilli dicere de aliquo: *confessus est peccata venialia*, numquam tamen licebit manifestare speciem peccati venialis, quod enim confessus est, neque peccata venialia fuisse plura, id enim esset prodere confessionem; cum ex eo quod aliquis confessus fuerit, non possit innotescere de quo peccato veniali in specie se accusaverit, neque an unum, vel plura commiserit.

R. II. Etiam peccata futura cadunt sub sigillo Confessionis, v. g. homicidium, quod pęnitens vult perpetrare. Ratio est, quia dum pęnitens non hæc dicat ad illudendum Confessario, sed animo se confitendi, quamvis careat propositio abstinendi ab aliquo peccato, adeoque talis confessio non sit complete Sacramentum, est tamen initiative Sacramentalis. Hinc ex dictis *cap. 1. qu. 2.* ex ea oritur sigillum obligans ad non manifestandum quidquid peccatorum manifestatum fuit in confessione, & quidquid potest esse in pęnitentis gravamen, adeoque & peccatum futurum in ea manifestatum. Accedit quod, quamvis non manifestetur peccatum futurum, ut materia præsentis confessionis, est tamen objectum pravi propositi, quod manifestatur, ut materia præsentis confessionis, sigillum autem obligat ad non revelandum quidquid connexum est cum peccato, de quo aliquis se accusat, cum ad ipsum aliquo modo pertineat; immo in casu nostro manifestari non posset futurum peccatum, quin simul innueretur pravum propositum, de quo aliquis se accusavit; ut de se patet. Demum peccatum futurum pertinet necessario ad judicium Sacramentale, cum in eo Sacerdos debeat etiam cognoscere de impedimentis quoad denegandam absolutionem, ipsius ergo revelatio esset manifestare, quod omnino pertinet ad tale forum, adeoque non esset sine fractione sigilli, D. Thom. *in 4. d. 21. qa. 3. art. 1. qa. 1. Lugo disp. 23. num. 53. Suar. disp. 33. sect. 3. n. 3. &c.*

R. III. Etiam peccata publica cadunt sub sigillo. Ratio est, quia omnia ea, quæ clavibus commissa sunt; cadunt sub sigillo, quamvis alias sint nota. Ita non potest Confessarius loqui cum complice, immo nec cum ipso pœnitente de iis, quæ audivit in confessione, quamvis illis nil diceret ipsis ignotum. Nec refert posse talem manifestationem cedere in laudem pęnitentis, dum dicatur ipsum confessum esse peccatum, quod alias publicum est, id enim est per accidens; & cum aliunde manifestatio Confessionis publici peccati posset aperire viam ad violandum sigillum, itemque ordinarie non fieret sine scandalo, hinc est numquam esse licitum: *D. Th. in 4. d. 21. qu. 3. art. 3. ad 2. Navar. in Man c. 8. n. 11. Lugo cit. nu. 61.*

Q. II. An cadant sub sigillo peccata commissa in tali Oppido, Civitate, aut Religione si non manifestentur personæ.

R. Si de hominibus amplæ Civitatis dicat Confessarius cognovisse ex Confessione in ea usuras committi, peccata carnalia &c., nulla intercedit revelatio sigilli. Ratio est, quia supposito de nullo in particulari oriri posse suspicionem, certum est in ampla multitudine semper esse homines usurarios, lascivos &c., unde nulla oritur Civitatis infamia, eo quod ita dicatur a Confessario, nec aliquis a confessione retrahitur. Idem dicendum, si ex notitia Confessionis dicat Confessarius de Religiosis amplæ Religionis, etiam inter eos esse Religiosos pravos; compertum est etenim in magno Religiosorum numero semper aliquos adesse, qui a recta vivendi ratione discedunt. Oportet tamen ita loqui apud personas, quibus scandalum non sit afferendum, nam personæ rudes, quæ fortasse putabant omnes illos Religiosos esse probatæ virtutis, ex tali loquutione non parum scandalizabuntur. E contra quamvis nulla designetur persona, non potest Confessarius dicere peccata, quæ committuntur in exiguo Oppido, Familia, seu Religiosorum Conventu. Ratio est, quia ita de quibusdam loqui redundat in infamiam totius exigui Oppidi, Communitatis &c., ideoque homines averti possent a confessione, & ita constat intervenire fractionem sigilli: *Lugo disp. 23. sect. 5. n. 64. Bonac. de Pœn. disp. 5. qu. 6. sect. 5. p. 5. n. 8.*

Q. III. An absolutio denegata cadat sub sigillo.

R. Quamvis aliqui negative respondeant, eo quod denegari potest absolutio non solum ex indispositione pœnitentis, sed etiam ex defectu materiæ, nihilominus, ordinarie loquendo dicendum est cadere sub sigillo. Ratio est, quia denegatio absolutionis solet ordinarie indicare indispositionem pœnitentis. Solum proinde liceceret Confessario dicere denegasse absolutionem, quando, ita loquendo, intelligerent audientes talem esse pęnitentis probitatem, ut in eo materiam absolutionis non adinvenerit: *Lugo num. 84. Bonac. n. 6. Laym. l. 5. tr. 6. c. 14. num. 8.*

Q. IV. An cadant sub sigillo defectus naturales, civiles, vel morales pęnitentis.

R. Omnes prædicti defectus cadunt sub sigillo, quoties manifestantur a pęnitente ad explicandum peccatum, quamvis talis manifestatio non esset necessaria ad illud explicandum. Ratio est, quia si possent manifestari prædicti defectus, quoties pœnitens illos necessario explicandos putet ad integritatem confessionis, confessio redderetur valde odiosa, & ab ea homines retraherentur. Quis etenim non videat, quam odiosa redderetur confessio, si manifestaretur e.g. defectus naturalium, occulta paupertas, impotentia &c. dum pœnitens explicasset in ordine ad confitenda sua peccata? Porro certum est cadere sub sigillo quidquid explicatum ast in ordine ad Confessionem, eamque reddit odiosam: *Lugo disp. 23. sect 3. n. 55.* aliique communiter, quos sequitur Diana *tract. 11. resol. 38.* Quoties vero explicentur defectus naturales, civiles &c. non ob manifestandum peccatum, sed incidenter, seu concomitanter ad confessionem, non cadunt sub sigillo, cum istud extendatur solum ad ea;

quæ manifestantur propter integritatem confessionis, non vero ad defectus, qui licet dicantur in confessione, non tam explicantur a penitente in ordine ad confessionem: *Suar. disp. 33. sect. 3. a. 10.* & communiter. Idem dicas de defectibus, de quibus poenitens non se accusat, sed quos deprehendit Sacerdos ex actionibus poenitentis, ut si cognoscat esse scrupulosum, tardiloquum, habetis ingenii &c. Ratio est, quia sigillum cadit solum super ea quæ dicuntur tamquam materia confessionis, vel tamquam quid pertinens ad materiam, non vero super defectus, de quibus poenitens non se accusat, sed cognoscuntur a Confessario ex actionibus poenitentis: *Lugo disp. 23. a. 60. Avers. q. 18. sect. 4. Fagund. in 2. præc. l. 6. c. 5. n. 17.*

Q. V. An virtutes, aliaque dona supernaturalia cadant sub sigillo, si manifestentur in confessione.

R. Dicendum est prædicta cadere sub sigillo, quoties manifestentur in ordine ad declaranda peccata; ut si quis talia dona manifestaret ad propriam erga Deum ingratitudinem manifestandam. Cum tunc igitur sint materia confessionis saltem in obliquo, quia manifestantur ut connexa cum peccato, consequens est cadere sub sigillo: *Lugo disput. 23. sect. 3. a. 58.* Remanet ergo non cadere sub sigillo Sacramentali, quoties manifestentur non ut connexa cum peccatis, sed ad detegendum Patri Spirituali statum propriæ conscientiæ &c. & tunc cadunt solum sub sigillo naturali.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Quamvis non frangat sigillum confessionis Sacerdos qui ita loquitur de auditis in confessione, ut non possit innotescere quis talia peccata commiserit, nihilominus Confessarius semper abstinere deberet a narrando audita in confessione. Si id bene perpendat, videbit non raro aliter faciendo, rudium scandalum oriri, quamvis poenitens non innotescat. Addo non semel accidisse ex quibusdam combinationibus vel tunc, vel postea factis ab audientibus, innotuisse eos, quorum peccatum Confessarius narravit. Putat Fagnanus *in cap. Officii de Pæn. & remiss.* esse contra S. Canones narrare peccata audita in confessione, quamvis nullatenus exprimatur Persona. Concludit demum, quod loqui de peccatis auditis in confessione, quamvis occultus omnino remaneat Poenitens, *raro faciendum est a viro gravissimo, rarius a viro gravi, rarissime a viro levi.*

II. Quamvis non cadant sub sigillo defectus naturales, qui non fuerunt a poenitente manifestati in ordine ad explicanda peccata, nihilominus suadeo Confessario nunquam etiam de iis loqui, præsertim coram rudioribus, & simplicioribus, qui scandalum acciperent, audiendo non tam sancte occultari, quæ in confessione manifestantur. Caveat proinde a dicendo aliquem poenitentem habere esse, scrupulosum &c.; ægerrime etenim ferunt poenitentes hujusmodi de se effari, eo quod tales illos cognoverit Confessarius occasione Confessionis. Prærerea Confessarii, qui tam faciliter conqueruntur de scupulositate suorum poenitentium, advertere debent scrupulos, qui a penitente tamquam peccata manifestantur, vel in ordine ad declarandum peccatum, vere cadere sub sigillo; unde si alia ratione non innotescit scrupulositas poenitentis, nullatenus est manifestanda. Quæ dixi de defectibus naturalibus applicanda sunt manifestationi virtutum &c. ipsius poenitentis.

III. Non raro accedit Confessarium interrogari, an aliquem confessus fuerit; unde in responsione cautus esse debet, ne frangat sigillum. Quamvis igitur, per se loquendo, non sit violare sigillum dicere aliquem confessum esse, id tamen posset evenire, si darentur circumstantiæ, in quibus fateri aliquem confessum esse, ingereret suspicionem gravis peccati ipsius poenitentis. Exemplum sit, dum aliquis, relicto proprio Confessario, furtive alteri confiteatur; in hoc casu, si Confessarius dicat ipsius confessionem audisse, facillime proprius Confessarius, Parentes, herus &c. de hoc interrogantes ipsum gravi culpa inquinatum suspicabuntur. Nec interrogatus ergo, nec sponte manifestet illius Confessionem audisse. Idem dicendum, dum ratione Confessarii, quem accersivit, suspicari posset penitentem casibus reservatis fuisse innodatum. Cautus pariter sit Confessarius in non manifestanda satisfactione imposita poenitenti quoties ex ea suspicari posset vel de gravi culpa, vel de multiplicitate venialium.

IV. Forte Parochi Pagorum, seu Oppidorum non sufficienter cauti sunt in loquendo de iis, quæ audierunt in confessione. Dum igitur de hujusmodi loquuntur, vel concionando reprehendunt ut in tali loco perpetrata; ordinarie scandalum sequitur in audientibus, qui investigant de qua persona in parvo Oppido loquutus fuerit Parochus, seu Concionator, dum asseruit ab aliquibus ex incolis committi usuras, quosdam ex juventute inhonesta perpetrare &c. Accedit quod si præsens sit ille, qui talia peccata Confessus est, rubore suffundetur, & sibi veluti exprobari sua crimina judicabit. Quondam ego ipse audivi duos incautos Parochos asserentes in suis Pagis paucas esse, quæ virginitatem usque ad Matrimonium servarent. Ita dicendo, sacrum confessionis sigillum violari ab ipsis cognovi, imprudentissimos judicavi, itemque lacrymabili ignorantia laborare, ac ex iis esse, qui zelo non ardent animarum; nam si suo exemplo, & efficacibus exhortationibus ad dirigendas in via Domini suas oves incubuissent, majori honestate Oppidi Juventus fuisset ornata.

V. Si Confessatius interrugetur, an aliquem absolverit, ego suaderem illi respondere: *hujusmodi interrogationes non esse faciendas Confessariis*, neque convenienς ipsis esse manifestare, quando aliquem absolverint, ne si aliquando dicere non possint aliquem absolvisse, ex hoc colligatur indispositio poenitentis. Et quidem si Confessarius, ut multi dicunt, respondeat: *Functus sum munere meo*, facillime aliqui, maxime si rudes sunt, suspicabuntur de indispositione poenitentis. Idem judicabunt; si respondeat; *Non absolvi, quia in eo non inveni materiam absolutionis*, intelligendo peccata non esse materiam absolutionis dum poenitens de iis vere non doleat. Quis etenim credet non esse in poenitente materiam absolutionis, nisi forte probatissimæ sit virtutis? Item facile audientes judicabunt de indispositione poenitentis, si Confessarius dicat; *Non absolvi, quia nimis adhæret suæ sententiæ, quam ego illicitam puto.* Videat etiam Confessarius, quod licet ipse poenitens dicat non fuisse absolutum, non potest id ipsum dicere Confessarius, nec etiam addendo. *Ipse dicit quod eum non absolvi*, nam ita loquendo videtur approbare veritatem denegatæ absolutionis.

QUÆSTIO VII.

De Casibus Reservatis.

CAPUT

De Reservatione, ejusque natura, & effectibus; seu & de peccatis, super quæ cadere solet reservatio.

Q. I. Quid sit reservatio; & an sit restringenda.

R. I. Reservatio ita potest definiri: *Prohibitio facta a legitimo Superiore aliquod peccatum absolvendi.* Poterit ergo Pontifex ita aliquos casus sibi reservare, ut non solum omnes Confessarii, sed nec ipsi Episcopi ab eis valeant absolvere; cum ipsi etenim sint inferiores, poterit illorum potestatem limitare. Hoc ipsum facere possunt Episcopi respectu omnium Confessariorum sibi subditorum. Eo quod vero ratione reservationis potestas absolvendi auferatur, sequitur simplicem Confessarium a reservatis absolventem nedum illicite, sed invalide etiam absolvere. Non peccaret autem, dum inculpabiliter ob ignoratam reservationem absolverit, sed nihilominus invalide id faceret, quia revera caret jurisdictione in reservata.

R. II. Reservatio non est adimplenda, sed restringenda. Ratio est, quia si consideretur quatenus saltem de secundario habet rationem poenæ respectu poenitentis, utique odiosa est. Item est odiosa, si consideretur quatenus est limitativa authoritatis, nam tollit quod est de jure communi, & quod limitat quod est de jure communi odiosum est: porro ex notis regulis odia sunt restringenda: *Sanch. in Decal. l. 1. c. 10. num. 74. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. p. 3. alleg. 51. num. 3.* & ex communi *Popo. in Corollar. de Sacr. Pænit. a. 702.*

Q. II. Quando cesset casuum reservatio.

R. Si reservatio lata fuit in Synodo per statutum Synodale, non cessat morte Episcopi, quia tunc habet rationem legis, de cujus natura est esse perpetua: *Pass. art. 1. qu. 187. n. 90.*; & communiter. *Si* vero lata fuit

per

per Edictum, non cessat morte Episcopi respectu illorum, qui fuerunt ab ipso approbati; cum approbati fuerint sine jurisdictione ad ea, quæ erant reservata. Confessarii vero approbati post ejus mortem, poterunt absolvere ab iis, quæ erant reservata; nam edicta Episcopi cum ipso expirant: *Quart. de cas. reserv. sect. 2. c. 4. n. 4.*

Q. III. Quæ possit, & debeat Episcopus sibi reservare.

R. I. Suppono quod licet Pontifex peccaret, indiscrete, & irrationabiliter plura reservando, adhuc tamen valida esset reservatio, quia omnium inferiorum jurisdictio a summo Pontifice dependet: *Suar. de Pœn. disp. 2. sect. 4. n. 6., Avers. q. 17. sect. 1.* Item suppono graviter peccare Superiorem indiscrete reservationem extendentem, quia potestate, quam habet, uti debet, in ædificationem, & utilitatem subditorum, non vero in destructionem, & damnum, sicut eveniret ratione indiscretæ reservationis. Difficultas ergo reducitur ad hoc, an valida foret talis reservatio. Et inter diversas Theologorum opiniones ita puto respondendum. Indiscreta reservatio omnino valida est respectu Confessariorum, quibus voluntarie jurisdictio delegatur: hæc etenim undequaque pendet a voluntate Delegantis: *Bon. de Sacr. Pœn disp. 5. q. 7. p. 5. §. 2.* aliique quamplures, quos sequitur *Leander disp. 12. q. 19.* Si vero reservatio comprehendat etiam Parochos, & ita sit indiscreta, ut quasi exercere non possint suum officium, invalidam reputarem quoad eam partem, quæ illos nimis a suo officio exercendo prohiberet. Et ratio est, quia supradicta reservatio haberet rationem remotionis a suo officio, quod Episcopus facere non potest, nisi ob suam ineptitudinem, vel in pœnam. Propter contrariam rationem valida esset etiam quoad Parochos reservatio, quæ solum aliquantulum excederet: *Lugo de pœn. d. 2. sect. 3., Avers. q. 17. sect. 1.*

R. II. Peccata, quæ Episcopi reservant, debent esse ex atrocibus, & gravioribus; ita etenim præscribit Tridentinum *sess. 14. de Pœnit. c. 7.* Ubi tamen advertere est Concilium non coarctasse Episcoporum potestatem, sed solum indicasse quid agere debeant.

Q. IV. An cadant sub reservatione peccata, si defectu plenæ advertentiæ sint venialia; si sint dubia; vel si dici non possint atrocia, quamvis sint mortalia.

Q. I. Quidquid sit, an Episcopus reservare sibi possit peccata venialia, aliis affirmantibus, aliis vero negantibus, certum est peccata venialia non intelligi reservata; unde si in aliqua Diœcesi homicidium e. g. sit reservatum, & in eo patrando aliquis solummodo leviter peccavit vel defectu advertentiæ, vel quia solum leviter excessit se defendendo, homicidium non erit reservatum ut communiter docent DD.

R. II. Si quis dubitet, an peccaverit mortaliter nec ne, immunis est a reservatione. Item immunis est a reservatione, qui scit se peccasse mortaliter, sed dubius est, an suum peccatum comprehendatur in lege reservante. Sive ergo dubium sit facti, vel juris, semper excludenda est reservatio, nisi in lege clare comprehendantur etiam peccata dubia. Et ratio est, quia ut ab initio innui, & docet etiam *Tambar. l. 5. de Pœnit. tr. de casib. reserv. c. 4. n. 1.* reservatio est strictæ interpretationis, adeoque intelligenda est solum de peccatis certo reservatis, non vero de peccatis dubie reservatis.

Sunt qui asserant casus dubie contentos in Bulla Cœnæ non posse a simplici Confessario absolvi, ex quodam Decreto authoritate Clementis VIII. mandato, ubi id expresse sancitur. Verum cum idem Pontifex aliud postea emanaverit Decretum prioris moderatorium, quo explicando casus Papæ reservatos, non dicit etiam ei reservari casus dubie contentus in Bulla Cœnæ; videtur horum casuum reservationem ad terminos juris communis reduxisse; & secundum tale jus, ex dictis, affirmari potest non esse reservatos, dum sint dubii, vel dubium sit juris, an scilicet casus in Bulla contineatur, vel dubium sit facti, dubitetur scilicet, an delictum fuerit patratum: *Dian. Coord. t. 1. tr. 5. resol. 43., Viva in 3. prop. ex damn. ab. Alex. VII. n. 9.*

R. III. Si quis peccet mortaliter, & nihilominus ita peccet, ut ipsius peccatum recenseri non possit inter atrocia, & graviora, tale peccatum non erit reservatum. Ratio est, quia cum dicat Tridentinum *sess. 14 de Pœnit. c. 7.* sola peccata *atrocia, & graviora* esse reservanda, præsumendum est Episcopos sese illi conformare voluisse. Notandum proinde quædam peccata atrocia, & graviora semper dici debere, nisi obstet defectus plenæ advertentiæ, quia juxta suam speciem semper sunt talia; puta homicidium voluntarium, blasphemia; maleficium &c. Alia vero talia sunt, ut dici non possint atrocia, & graviora, nisi intra suam speciem sint valde graviora. Ita non quodcumque furtum quod sit peccatum mortale, dicitur peccatum gravius & atrox sed solum si sit in notabili quantitate; vel si fiat cum circumstantiis valde aggravantibus Item non quæcumque retentio, pertingens ad peccatum mortale, quæ fiat ex iis, quæ debentur Ecclesiæ, est delictum gravius, & atrox, sed solum si gravitas sit valde considerabilis. Ex his constat, quando hujusmodi peccata caderent sub reservatione, si in aliqua Diœcesi essent reservata: *Tambur. de Pœnit. tr. de Cas. reser. l. 5. c. 6. §. 2. n. 3.*

Q. V. An qui absolutus fuit a simplici Confessario a casibus reservatis, quia dubii erant, debeat iterum absolvi ad habente jurisdictionem, si certo constet peccatum reservatum commisisse.

R. Tuto dici potest, quod licet iterum in confessione illud peccatum ut certum sit explicandum, ex dictis *q. 3. c. 2. q. 8.* nihilominus non est necesse pro reservatis accedere ad habentem jurisdictionem circa eadem. Ratio est, quia quamvis deinde constet peccatum certo fuisse commissum, nihilominus peccatum per absolutionem jam obtentam fuit sublatum; reservatio autem est de peccato certo, & quod adhuc perseverat: *Lugo disp. 20. n. 22., Avers. q. 17. sect. 2.*

Q. VI. An sola peccata externa cadant sub reservatione; & quomodo debeant se habere, ut sint reservata.

R. I. Ecclesia reservare posset etiam peccata mere interna; nam eo ipso quod ad illa absolvenda jurisdictio requiritur, posset eam non concedere Confessario: *Passer. q. 7. art. 17. n. 575.* Nihilominus communiter asserunt Theologi non reservari nisi peccata externa. Ratio est, quia reservatio ex sæpe dictis stricte est interpretanda, adeoque tantum intelligenda de peccatis externis. Tum quia, ut raciocinantur Salmanticenses *tr. 6. de Sac. Pœnit. cap. 12. p. 2. numer. 11.* alienum est a suavi Ecclesiæ gubernio mere interna reservare, adeoque dicendum est per reservationem solum punire velle culpam gravem perceptibilem, adeoque externam. Non effugiunt autem reservationem, si solum sint occulta; nam tunc revera sunt perceptibilia, eo ipso quod sint externa, quamvis, per accidens non innotescant, ut dixi, *tr. 4. c. 3. q. 1.*

R. II. Ut peccatum externum, quod reservatur vere cadat sub reservatione, oportet primo ipsam actionem externam non solum esse gravem ratione pravi animi; sed etiam quod ex se præseferat gravitatem. Ratio est, quia cum reservatio ex dictis respiciat peccatum grave, & externum, oportet ipsam actionem externam præseferre gravitatem, ut locum habeat reservatio. Hinc si e. g. reservatum esset peccatum circa castitatem, quamvis actio externa gravis denominaretur ex intentione graviter mala, non tamen caderet sub reservatione, si in se levis esset, atque externe talis reputaretur: ut si quis ex intentione graviter mala proferret verbum turpe ex se leve, vel leviter tangeret manum foeminæ &c. *De Lugo disp. 20. de Pœnit. n. 15., Palaus de Pœn. disp. unic. p. 15. §. 3. n. 4.* Secundo, oportet actionem internam concurdare cum externa in ratione peccati reservati, alias non verificabitur commissum esse peccatum reservatum. Exemplum sit in eo, qui ingreditur cum consanguinea, quam talem esse non cognoscit, vel si cognoscit, non credit esse peccatum diversum congredi cum consanguinea, ac cum alia foemina. Utique actio externa habet materialiter rationem incestus; at quia actio, seu malitia interna est solum contra castitatem, nec peccaminosa est ratione incestus, hinc est neque actionem externam, quæ ab interna desumit formalem malitiam, malam esse formaliter ratione incestus, ideoque nec cadere sub reservatione, quando incestus sit reservatus: *Mansi de Casib. reserv. p. 1. q. 1. n. 9.* & communiter. Tertio, ad inducendam reservationem oportet actum esse completum, & consummatum in ea specie, in qua prohibetur; ut dixi etiam *tract. 4. q. 1. cap. 3. quæst. 1. resp. 3.*; semper etenim redit illa regula quod odia sunt limitanda; adeoque reservatio restringenda venit ad peccata completa, & consummata in ea specie, in qua est reservatio, dummodo tamen Legislator non intenderit

sese

reservare etiam peccata attentata ; & non completa.

Demum ut peccatum externum sit reservatum, non sat est, si sit volitum in sua causa, sed debet esse volitum in se, dum actu committitur. Ita sequitur ex regula limitandi odia, ut scilicet non afficiant prohibita a Legislatore ; nisi in se formaliter sint, qualiter prohibentur, non vero si talia tantum sint in sua causa. Hinc non sunt reservatæ blasphemiæ prolatæ ex ignorantia culpabili, nisi tales cognoscantur, dum proferuntur. Idem dicendum de blasphemiis prolatis ex consuetudine, vel ebrietate, quamvis qui se inebriaverit cognoverit eas prolaturum; *Graff. in praxi l.* 1. *cap.* 10. *num.* 52.

Q. VII. An metus gravis excuset a reservatione.

R. Theologi, paucis demptis, loquuntur de reservatione, sicut de Censuris; ut videre est apud *Mazuchel. disp.* 1. *c.* 4. *n.* 66. *&* 67.; cum proinde dixerim *tr.* 4. *q.* 1. *c.* 5. *quæst.* 2. metum gravem excusare a Censuris, idem dico de reservatione. Et ratio utrobique est eadem, quia scilicet lex Ecclesiæ non intendit, ordinarie loquendo, cum gravi incommodo obligare; unde si quis ex metu gravis damni faciat quod ipsa prohibet, non violat legem Ecclesiæ, quamvis violare possit jus naturale, & divinum; adeoque non incurrit pœnam, sive odia, quæ Ecclesia imposuit suarum legum Trangessoribus. Accedit odia esse limitanda, adeoque reservationem afficere peccata plene voluntaria, non vero commissa ex gravi metu: *Graff. de caf. reserv. l.* 1. *cap.* 13. *numer.* 33. *Avers. de Pœnit. q.* 17. *sect.* 1.

Regulæ in praxi observandæ.

Si confessarius non satis sit versatus circa ea, quæ pertinet ad casus reservatos, vel nimis facilis erit in concedenda, vel nimis difficilis in neganda absolutione. Videat ergo in primis, an pœnitens peccaverit mortaliter; nam forte venialiter peccavit in subita ira blasphemando; in removendo infantulos a capsula, ut suo loco dictum est &c., & ita non haberet locum reservatio nostræ Diœcesis in ordine ad hos casus. Videat si saltem dubitari possit, an graviter peccaverit, nec ne, an detur alia circumstantia, ut dubitari possit, an inciderit in reservationem; stantibus enim talibus dubiis semper removetur reservatio. Videat, an talis sit ignorantia peccantis, ut non reputaverit suum peccatum gravius alio, quod sub eodem genere continetur; ut si non reputaverit gravius peccatum congredi cum consanguinea, vel affine, quam cum alia fœmina; quamvis etenim difficiliter dari posset talis ignorantia respectu primi, vel etiam secundi gradus consanguinitatis, non tam difficile est dari in rudibus respectu affinium, seu cognatorum, aut cognatarum spiritualium. Videat an peccatum sit tantum voluntarium in sua causa, ut si quis blasphemet ex culpabili consuetudine, non advertendo tamen ad blasphemias dum profert; vel ratione ebrietatis quamvis sciat se in ebrietate blasphemare. Videat, an peccatum, quod commisit pœnitens, sit plene consumatum; nam non raro in materia luxuriæ abstinent a consumando intra vas, ne fœmina impraegnetur, vel etiam ad evadendam reservationem. Videat etiam, an pœnitens excusari possit ratione gravis metus, quod evenire e. g. posset respectu Homicidæ, qui homicidium perpetraverit ob graves minas Personæ potentis. Ex his omnibus facile judicare poterit, quando in particularibus casibus interveniret reservatio.

CAPUT II.

De iis, qui incurrunt reservationem.

Q I. AN Peregrini, & Vagi subjecti sint reservationi; & quid dicendum de illis, qui cum inciderint in casum reservatum in propria Diœcesi, exeunt extra illam, ut absolvantur.

R. I. Vel Peregrini commiserint peccatum ex reservatis, dum erant intra Diœcesim reservatis, vel illud commiserint in alia Diœcesi, ubi non erat reservatum; adhuc reservatione ligantur; dum petunt absolutionem intra Diœcesim, in qua est reservatum. Ratio est, quia Confessarii talis Diœcesis non habent jurisdictionem quoad illud absolvendum; unde sicut peregrini absolvi non possunt a non habente jurisdictionem, ita nec a reservatis: *Salm. tract.* 6. *c.* 13. *n* 17, *Bonac. de cens. q.* 3. *p.* 5. *§.* 2. *n.* 11.

R. II. Qui habent casum reservatum in propria Diœcesi, & ad aliam accedat, ubi non est reservatus, potest ibidem absolvi, dummodo eo non processerit in fraudem reservationis. Ratio est, quia usus, & praxis invaluit in Ecclesia, ut pœnitentes etiam quoad peccata alibi commissa, judicentur juxta leges loci, ubi petunt absolvi: *Lugo disp.* 20. *n.* 70. Non poterunt vero absolvi, si eo processerunt in fraudem reservationis, unde illos non posse absolvi declaravit Clemens X. in Bulla *incip. Superna &c. §. Regularis*. Quamvis autem ibi Pontifex de Confessariis Regularibus loquatur, nihilominus cum id prohibuerit, quia nulli licet in fraudem legis operari, cum fraus, & dolus nemini debeant suffragari, consequens est nec posse absolvi a Confessariis Sæcularibus; ut patet etiam ex declaratione S. Congregat. apud *Dian. t.* 1. *tr.* 2. *resol.* 49. Tunc autem dicerem alio progredi in fraudem reservationis, quando nullum aliud esset motivum, vel principalem progrediendi motivum esset obtinere absolutionem a reservatis. Ratio est, quia fraus intervenire dicitur, ubi per indirectum, & cautelam lex redditur elusoria, ut ex Barb. *axiom.* 102. *num.* 4, facillime autem cautela esset pro illudenda lege reservante, si quis posset alibi absolvi, dum principalem motivum eo progrediendi aliunde non esset nisi petere absolutionem. Accedit in dubiis opinionibus illam esse amplectendam, per quam fraudes impediantur: *Barb. ibid. n.* 5.

Solet autem esse lis inter DD., an aliquis extra Diœcesim eundo possit ibi absolvi a censura in propria Diœcesi reservata, si ibi non sit reservata. Quamvis autem Passerinus *t.* 2. *q.* 187. *n.* 470. & alii dicant posse valide absolvi; si non adsit fraus, respondendum tamen est negative. Ratio est, quia tota facultas simplicis Confessarii a censuris absolvendi habetur *ex cap. nuper de sentent. excom.* ex eo autem habetur simplicem Confessarium absolvere non posse a censuris, quando sunt reservatæ: *Suar. de cens. disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 22., *Bon. de cens. q.* 3. *p.* 2. *n.* 6.

Q. II. An habentes in aliena Diœcesi facultatem absolvendi a reservatis, possint absolvere illos, qui cum commiserint casum etiam in propria Diœcesi reservatum, illuc procedunt in fraudem reservationis.

R. Casus exemplificari potest in eo, qui commisisset in Diœcesi Lucana e. g. homicidium voluntarium; & in fraudem reservationis accederet ad aliam Diœcesim, ubi etiam esset reservatum, sed adiret pro absolutione habentem jurisdictionem in reservata. At dicendum est non posse ibi absolvi etiam ab habente jurisdictionem in reservata, si eo vadat in fraudem reservationis propriæ Diœcesis. Et ratio est, quia potestas absolvendis reservatis Subditos alterius Episcopi fundatur in tacito consensu Prælatorum scientium, & non improbantium praxim, ut proprii Subditi etiam extra Diœcesim absolvantur; hæc autem praxis non toleratur semper cum pergant ad alienam Diœcesim in fraudem reservationis propriæ Diœcesis, ut constat ex Constitutione Clem. X. Secus esset, si transferret domicilium extra Diœcesim Episcopi reservantis.

Id ipsum docet P. Mansi *de caf. reser. p.* 1. *q.* 1. *n.* 19. de eo, qui in fraudem reservationis exiret extra Diœcesim ad committendum peccatum reservatum, & ad obtinendam postea ibi absolutionem; etenim eadem fraus committitur committendo peccatum intra Diœcesim, & quærendo extra eam absolutionem, ac eo fine exire a Diœcesi, ut alibi peccatum committatur, ibique absolutio obtineatur. Si proinde jura nolunt alicui suffragari fraudem, qua maxime directe, & ex industria lex proprii Superioris eludatur, nec suffragari videtur præfato ea intentionem peccanti extra Diœcesim, ut eludat legem Superioris.

Q. III. An proprius Parochus absolvere possit Parochianum in aliena Diœcesi peregrinantem, si commiserit in propria Diœcesi peccatum reservatum.

Q. Quamvis Parochus etiam extra Diœcesim excipere possit confessionem proprii Parochiani, nihilominus non potest eum a casibus reservatis absolvere. Ratio est quia Parochus extra Diœcesim non aliam habet jurisdictionem, quam eam, quæ habet in propria Diœcesi; cum ergo ibi absolvere non possit a reservatis, neque poterit extra eam absolvere.

Q. IV.

Q. IV. An reservatio afficiat eam ignorantes.

R. Non desunt, qui asserant ignorantiam reservationis ab eadem excusare, quibus novissime accessit Viva *t. 3. p. 6. qu. 9. art. 3. num. 3.* Isti considerant reservationem, quasi sic solum pœna; & sicuti quia censura est pęna non ligat ignorantes, idem dicendum putant de reservatione. Verum communior sententia asserit ignorantiam reservationis nullum excusare ab ea incurrenda. Ratio est, quia reservatio quamvis de secundario sit pęna, primo tamen, & per se est limitatio jurisdictionis in Confessario, e contra vero censura primo, & per se est pœna, quamvis annexam habere possit privationem jurisdictionis ex parte Confessarii, quando est reservata. Quia Censura primo, & per se est pœna, ut suo loco dixi, non ligat inculpabiliter eam ignorantes, quia non possunt dici contumaces contra legem, quam ignorant; si vero non incurratur censura, cessat etiam reservatio, quæ est illi accessoria. Quia vero reservatio primo, & per se non est pęna, sed habet limitare jurisdictionem in Confessario, non cessat ratione ignorantiæ ipsius pœnitentis; neque etenim ipsius ignorantia habet facere in Confessario esse jurisdictionem, quæ illi non fuit collata: *Passer. t. 2. qu. 127. art. 1. num. 474.*, *Tambur. de cas. reserv. cap.* 1. *num.* 2. Secus dicendum esset, si legislator intendisset aliquid reservare in solam pęnam; at observat Tamburinus citatus *num.* 4. semper credendum esse reservationem de se primo respicere limitationem jurisdictionis ob publicum bonum, nec credendam meram pœnam, si id expresse ex tenore legis non habeatur.

His tamen non obstantibus nescio videre quomodo saltem non dici debeat probabilis ea opinio, qua asseritur reservationem non afficere ignorantes saltem inculpabiliter reservationem, quam opinionem, aliis citatis, propugnant Salmant. *t.* 18. *de privil. cap.* 4. *a num.* 9. Cum autem id magis communiter admitti videatur quoad reservationem, quam constaret solummodo habere rationem pœnæ, remaner id probare quoad reservationem, quæ per se primo respiciat limitationem jurisdictionis, ut ipsius timore homines retrahantur a committendis peccatis, quæ Superiori reservantur. Id autem probatur, quia, dum ignoratur quod lex statuit ad retrahendum a peccato, ignorantia excusat a quacumque re imposita contra Transgressores talis legis. Et ratio est, quia tunc omnino cessat finis intentus a Legislatore, compescendi nempe peccantes, qui tamen nullatenus refrænantur, quoties ignorent talem legem, & in casu præsenti legem reservationis, ubi autem omnino cessat finis intentus a Legislatore, etiam cessabit ipsius lex. Hinc quamvis censura non habeat solummodo rationem pœnæ, sed etiam rationem medicinæ, imponitur enim ab Ecclesia, ut ipsius timore homines a peccatis retrahantur, nihilominus non ligat ignorantes. Item si quis voveat velle subire aliquam pœnam, e.g. si ludat, non teneretur eam subire, quoties ludat oblitus talis voti, & id præcipue, quia ex oblivione fit tale votum non posse illum retrahere a ludendo, adeoque in tali circumstantia, cum cesset omnino finis intentus a vovente, cessabit obligatio voti. Universaliter igitur verum videtur non obligare leges, quamvis non pure pœnales, sed etiam medicinales, quoties cessent esse medicinæ, atque ita cessare videntur, quoties ex ignorantia, seu oblivione non habeant retrahere a peccatis, a quibus voluerunt tales leges omnes cohibere. Quamvis ergo reservatio, ut pura pœna non consideretur, sed etiam ut medicina, qua Legislator intendat homines malos a quibusdam peccatis removere, ne scilicet cogantur accedere pro absolutione ad Superiorem, dicendum videtur non se extendere ad illam ignorantes, cum respectu illorum omnino cesset esse medicinalis. Et his rationibus hanc opinionem vere probabilem judicavi. Ex hoc etiam animadvertat Confessarius, an hic locum habere possit ea doctrina, qua *q. 5. cap.* 1. *qu. 9.* dixi pro administrando Sacramento Pœnitentiæ sufficere jurisdictionem probabilem.

Cæterum ex doctrina supra allata, ut notant iidem Salmant. *sub num.* 14. non licet inferre non remanere reservatum votum alias reservatum, puta si emittatur votum perpetuæ castitatis ab ignorante ipsius reservationem. Ista reservatio non imposita est, ut retrahantur homines a vovendo, qua ratione dici posset non efficere eam ignorantes, sed quia æquum est res magni momenti supremo Principi reservare, simulque impedire ne ipsarum relaxatio inducatur.

Q. V. An impuberes reservatione ligentur.

R. Quidam universaliter negant impuberes reservatione innodari, ea ducti ratione, quod sicut in foro exteriori minor ætas excusat a pęna ordinaria, ita & in judicio animæ: *Pallud. in 4. d. 24. qu. 2. art. 1.*, *Graff. t. 1. cons. l. 1. de adult. cons. 3. num. 13. Belloch. de Cas. reserv. p. 2. qu. 2. n. 203.* Alii dicunt impuberes non innodari reservatione quoad peccata carnalia, si quæ sint reservata. Et ratio est, quia, *ex cap. pueris 1. de delict. puerorum* bene dici potest Ecclesiam non imputare impuberibus peccata carnalia quoad pęnas ipsis correspondentes. Præterea pueri ante pubertatem ordinarie consummare non valent peccata carnalia, & si aliqui consummare valeant, non comprehenduntur a lege reservationis, quia leges respiciunt quæ communiter, non quæ raro accidunt: *leg. nam ad ea ff. de legat.*, *Bassæus V. Luxur. n. 1. Sanch.* aliique quos sequitur P. Mansi *de cas. reserv. p. 1. qu. 1. num. 23. & 24.* Alii demum dicunt quod semper cum reservatio non habeat meram rationem pęnæ, sed lata sit ad absterrendos, adeoque præservandos peccatores, afficit etiam impuberes, tali etenim præservativo non solum puberes, sed etiam impuberes indigent: *Anton. a Spir. Sanct. in Direct. Confessar. p. 1. tract. 5. disput. 14. sect. 3. a n. 929.* Ego autem considerans excludendam esse reservationem, semper cum est dubium vel juris, val facti, an ea sit attendenda, universaliter dicerem impuberes reservatione non ligari, eo quod ex fundamento primæ opinionis consurgere videatur dubium prudens, an eos comprehendat. Saltem ex hoc motivo pro certo teneo non comprehendi a reservatione quoad peccata carnalia.

Q. VI. An Novitii incidant in reservationem Episcopalem.

R. Cum Novitii in favorabilibus veniant nomine Religiosorum, sequitur quod sicut Religiosi Episcopali reservatione nan innodantur, ita nec Novitii: *Suar. de relig. t. 4. l. 2. cap. 19.* aliique, quos sequuntur Salmant. *tr. 18. cap. 4. n. 17.* Si ergo habeant licentiam a Prælato confitendi Confessario sæculari, vel intelligantur habere, ut dum sunt in itinere, poterit iste eos absolvere a quibuscumque peccatis, alias etiam Episcopo reservatis. Idem dicendum ex iisdem Salmanticensibus de Famulis commensalibus Conventus.

Q. VII. An Moniales sub Episcopali reservatione comprehendantur.

R. Quæstio non potest esse de Monialibus Episcopo subjectis, ut de se patet; unde solum difficultas est quoad Moniales ipsi non subditas, sed Regularibus. Non desunt autem qui affirment comprehendi sub Episcopali reservatione, & ratio ipsorum est, quia cum ex Constitutione Gregorii XV. Confessarii Monialium etiam Regularibus subjectarum sint ab Episcopo approbandi, intelliguntur ab eo approbari solum quoad peccata ab ipso non reservata, atque hanc doctrinam omnino sequendam docet Tambur. *l. 5. de Pœnit. tract. de cas. reserv. c. 3. a n. 3.* Verum allata ratio non satis convincit Moniales exemptas sub reservatione Episcopali comprehendi; quamvis etenim Gregorius voluerit etiam Confessarios istarum Monialium approbandos esse ab Episcopis, non tamen habetur ab eis obtinere jurisdictionem, sed bene dici potest jurisdictionem habere a suo Prælato, cui ipsi, & Moniales subduntur, sub conditione tamen ut Episcopis approbentur. Ad eum modum quoquamvis necesse sit Regulares pro audiendis Sæcularium confessionibus habere Episcopi approbationem, commode tamen sustineri potest jurisdictionem immediate habere a Papa: *Bordon. Var. res. p. 1. resol. 34. p. 4. & resol. 38. num. 6.*, *Passerin. t. 2. qu. 187. art. 1. num. 862.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Bene animadvertat Confessarius non raro evenire, posse habentes peccata in nostra Diœcesi reservata, ad vicinas Diœceses migrare, ut ibi absolvantur; atque id accidere facilius posse respectu Parochorum &c. qui habuerunt actus obscœnos cum Parochiana, & Confessariorum, qui cum pœnitentibus. At de istis facillime verificatur alio migrare in fraudem reservationis, adeoque invalide ibi absolvi. Et quidem quis negabit in fraudem reservationis, etiam occasione alicujus solemnitatis, extra Diœcesim quærere absolutionem, qui commiserunt casum reservatum animo petendi absolutionem, ubi non est reservatus? In fraudem etiam reservationis extra Diœcesim quærit absolutionem, qui non alia ratione ad alteram transit Diœcesim, nisi ut non petat absolutionem a suo Superiore, vel ab iis, qui sunt ad hoc

de-

deputati; vel saltem hoc est præcipuum, & principale motivum alio migrandi. Videat ergo Confessarius quid etedere debeat respectu præfatorum Patochorum, Confessariorum &c.

II. Quamvis toto conatu debeat confessarins removere impuberes a quocumque peccato, & maxime ex reservaria; nihilominus non obliviscatur tuto dici posse sub reservatione non comprehendi, & specialiter quoad peccata luxuriæ. Hinc absolvere poterit masculos impuberes sodomitice agentes, vel patientes, quamvis hujusmodi peccatum in nostra Diœcesi sit quoad masculos reservatum. Videat nihilominus, ne ex nimia facilitate absolvendi animosiores fiant ad iterum peccandum; & fortasse multoties optimum erit absolutionem differre, ut magia commissi criminis gravitatem perpendant.

C A P U T III.

De Absolutione a reservatis & de habentibus facultatem ad ea absolvendn.

Q. I. QUis possit absolvere a reservatis jure ordinario.

R. I. Is, qui peccatum reservavit, vel ipsi Superior in jurisdictione, vel ipsius Successor possunt absolvere a casibus reservatis. Ipse igitur Episcopus reservans potest a reservatis absolvere; ejusdem etenim est solvere, cujus est ligare. Hoc tamen pati aliquando potest limitationem, maxime quando a jure censuræ latæ ab Inferiore Superiori reservantur. Hinc qui non vult parere sententiæ definitivæ latæ a Delegato Papæ, & per annum in excommunicatione perseverat, a solo Papa potest absolvi: *cap. quærenti de offic. deleg.* Idem dicendum de Incendiariis ab Episcopo excommunicatis, & denunciatis: *cap. Tua nos de sent. excom.* Remanet pariter reservata Superiori censura lata ab Inferiore, quando Superior eam confirmando ex perfecta cognitione causæ, & certa scientia videtur eam sibi reservare; *Coninch. disp. 24. de excom. n. 656.*

Dixi etiam absolvere posse a reservatis ab Episcopo Superiorem ipsi Episcopo, pro quo intellexi Summum Pontificem, vel etiam Archiepiscopum in sulo tamen casu appellationis, vel in actu visitationis: *cap. perpetuo de censib. in 6., & cap. pastornlis de offic. ordin.* Potest atiam Successor absolvere reservata a tuo Prædecessora, cum habeat eamdem ac ille authoritatem.

R. II. Intelligitur etiam quandoque Inferior posset jure ordinario absolvere a reservatia Superiori; tunc scilicet quando id perpetuo concessum est suæ Dignitati. Ita Episeopi jure ordinario poterunt absolvere a quibuscumque casibus Pontificis occultis, quia id Episeopali Dignitati concessit Tridentinum: *Avers. q. 17. de Pœnit. sect. 4.* excipiuntur tamen casus Bullæ Cœnæ ut dixi *tr. 4. qu. 2. cap. 6. qu. 4.* Idem dicendum de concessione facta Prælatis Regularibus absolvendi a casibus Pontificiis: *Passer. de Elect. cap. 26. n. 128.* dummodo tamen ista delegatio sit specialis, & expressa, ut dicam etiam infra. Canonici Pœnitentiarii non absulvunt a casibua Episcopo reservatis de jure ordinario, sed solum ex Episcopi delegatione; neque enim competit illis facultaa absolvendi ex vi Officii uniti præbendæ, sed solum quia Episcopus prævio examine illos eligit pro absolvendis casibua reservatis: *Barbos. de Can. cap. 26. n. 16.* Quamquam autem *num. 18.* videatur dicere posse Canonicum Pœnitentiarium subdelegare in casu particulari suam authoritatem, quia hoc de jure videtur ei convenire, utpote delegato ad universitatem causarum in foro conscientiæ; nihilominus consuetudo est in contrarium innixa illi validæ rationi, quod Episcopus, dum dat facultatem Pœnitentiario, intelligit eligere industriam Personæ, adeoque non remanet locus, ut alteri etiam pro casu particulari suam facultatem subdeleget. Ita etiam a Sacra Congr. decisum fuisse refert P. Mans. *de Cas. reserv. p. 1. n. 32.*

Q. II. An habentes potestatem ordinariam teneantur aliquando eam delegare; quando id facere intelligantur; & quomodo talis concessio delegata sit interpretanda.

R. I. Certum est Superiorem non teneri concedere alteri licentiam absolvendi a casibus sibi reservatis, quoties ex facilitate absolutionis creditur pœnitens non emendandus, vel alii sumpturi sint occasionem facilius peccandi, vel Communitas occasionem sumptura legem reservationis non curandi. Si hæc non timeantur mala, debet Superior concedere Confessario facultatem a reservatis absolvendi, quando eam exposcit, maxime si pœnitens ex magno rubore impediatur per se ipsum ad Superiorem accedere. Ratio est, quia dum nulla timeantur mala, lex Charitatia obligat ad succurrendum pœnitenti optanti se ponere in statu Gratiæ. Immo si aliquod ex prædictis malia timeatur, non esset deneganda licentia absolvendi, sed concedenda, præscribendo simul aliquod remedium, ne facilitas obtinendæ absolutiona ad peccandum redderet animosiores. Advertendum tamen, quod si Superior requisitus sine justa causa nolit præfatam facultatem concedere, non proinde potest Confessarius a reservatis absolvere, quia negatio facultatia est certa, & valde incertum est, an in tali casu detur in Confessario facultas absolvendi, quidquid aliqui dicant; nam nullo jure habetur concedi facultatem absolvendi a reservatis quoties Episcopus sine justa causa deneget: *Avers. qu. 17. sect. 7. Passer. tom. 2 qu. 187. art. 1. num. 558.* Quid vero dicendum, si Prælatus Regularis deneget facultatem absolvendi a reservatis, videndum est capite sequenti.

R. II. Pro absolvendo a reservatis requiritur licentia expressa, cum ex praxi non præsumi possit concedi, nisi petatur, & nisi expresse concedatur, atque ita docent communiter Theologi, unde non sufficit tacita. Hinc non intelligitur concessa licentia obtinendæ absolutionis a reservatis ex hoc, quod alicui concessum fuerit sibi eligere quemlibet Confessarium: *Sur. pœnit. d. 30. sect. 1. num. 6.* nec per hoc. quod Superior dixisset Confessario: *Concedo tibi omnem meam authoritatem*; nam in hu formulia, si aliud non suadeant antecedentia, non venit expresse facultas absolvendi a reservatis, & aliunde quæ sunt speciali nota digna, vel Superior non esset verosimiliter concessurus, non veniunt in generali concessione: *cap. de pœnit. remiss. in 6.* Item si concedatur ab Episcopia potestas absolvendi a casibus reservatis, non intelligitur extendi ad censuras reservatas, & e contra; quia sunt potestates diversæ, ac una ab altera nondependet. Secus dicendum, dum concederetur potestas absolvendi a casibus Papæ reservatis, ut explicabitur capite sequenti.

R. III. Primo, certum est quantitatem, & qualitatem licentiæ absolvendi a reservatis mensurandam esse juxta formam petitionis, & tenorem concessionis; ex his etenim constare potest de intentione concedentis. Si nihilominus ex his constare non possit quousque se extendat, tunc omnino large interpretanda est, semper cum conceditur ob bonum publicum; ut evenit quando deputatur Confessarius ad absolvendum a casibus reservatis, sine respectu ad particulares Personas; vel dum conceditur ratione alicujus solemnitatis, vel Indulgentiæ. Quæ vero delegatur in gratiam particularium personarum, cum respiciat bonum particulare, & eximat ab obligatione legia, est stricte interpretanda: *Palaus de leg. disp. 5. part. 11. a num. 2.* Sunt qui putant esse distinguendum, & volunt facultatem absolvendi particulares personas a reservaria esse latæ interpretationis, si concedatur Confessario in gratiam ipsius, strictæ vero si concedatur in gratiam pœnitentis: *Sanch. l. 1. Mntr. disp. 2. n. 6.* Videantur quæ dixi de interpretatione legum, & privilegiorum.

Q. III. An aliqui intelligantur Delegati a jure pro absolvendis peccatis reservatia Superiori.

R. Quoad censuras reservataa vide quæ dixi *tract. 4. quæst. 1. cap. 6. quæs. 4. & seq.* Hic solum moneo in jure bene fundatam eam sententiam, quæ asserit temporaliter impeditum adire Papam, posse a simplici Confessario absolvi, nec necesse habere Episcopum adire pro absolutione a casu Papæ reservato. Id primo constat ex *cap. quod de bis de sent. excomm.*; interrogatua etenim Pontifex, an excommunicatus nolens pergere ad Sedem Apostolicam pro absolutione, posset a *simplici Presbytero* absolvi, respondit negative, ni forte sit in mortis articulo, vel alio impedimento prohibeatur Romam adire. Impropria autem, & valde diminuta fuisset Pontificis responsio, si dum fuit interrogatus, an prædictus excommunicatus absolvi posset a simplici Presbytero non declarasset recurrendum esse ad Episcopum, quando hic, & non simplex Confessarius haberet potestatem absolvendi ratione impedimenti perendi Romam. Præterea *cap. quamvis eod. tit.* dicitur impeditos adire Pa-

Papam posse absolvi ab aliis inferioribus, non determinando Episcopum, vel alium. Eodem modo dicitur *cap. 101, qui 22. de sentent. excommunic. in 6.* Hinc hanc sententiam omnino tenendam esse docet Passer. *de elect. cap. 26. num.* 149. Quare autem in casu præfato concessa fuerit simplici Confessario facultas absolvendi a casu Papæ reservato ea videtur esse ratio, quia agitur de impedimento, quod non eximit absolutum ab obligatione se Papæ præsentandi; ac interim bene erat, ut a nulla re retarderetur a Sacramentis recipiendis. Semper igitur meminisse debet Confessarius, ut dixi loco citato, & habetur ex præfatis textibus, in mortis articulo absolutos a censuris reservatis, vel absolutos ob aliud temporale impedimentum, cessante impedimento, onus habere accedendi ad sedem Apostolicam ad exhibendam Ecclesiæ satisfactionem, ad suscipienda remedia &c. Hoc onus autem se præsentandi Superiori non habet qui in articulo mortis, vel impedimenti perpetui, fuit absolutus a casibus Episcopo reservatis; nam in prædictis circumstantiis simplex Confessarius habet potestatem ea directe absolvendi, & aliunde pœnitens ratione casus reservati non debet Ecclesiæ, vel alteri satisfacere.

Hic etiam monitum velim Confessarium eam facultatem, quam cuicumque Confessario concedit Tridentinum *sess. 13. cap. 7.* pro absolvendis constitutis in articulo mortis, iis nempe, quibus mors certo imminet, vel fere est inevitabilis, extendunt communiter Theologi pro constitutis in periculo mortis, pro iis scilicet, qui habent mortis prudentem, & probabilem timorem. Reputantur autem versari in tali periculo mulieres prima vice parientes, vel quæ alias expertæ sunt partus difficiles, inituri navigationem plenam discriminis, vel si immineat gravis tempestas; inituri conflictum, probabiliter timentes se in amentiam lapsuros &c. His Theologi accensent bannitos, qui ubique possunt impune occidi; quod tamen puto verum esse, si in tali loco sint, ut prudenter mortem possint timere, non vero si sint in regione valde distante a Principe, qui eos proscripsit; maxime si tale non fuerit delictum, ut Principem valde illorum mortis intersit.

Q. IV. An habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus, & censuris Papæ reservatis, possint absolvere etiam ab Episcopalibus.

R. Plura sunt decreta inhibentia Regularibus habentibus privilegium in reservata Pontificia, absolvere a casibus reservatis Ordinariis locorum, ita nempe decrevit Sacra Congregatio 2. Januarii 1617. mandante Paulo V. quod deinde confirmavit Urbanus VIII., & Clemens X. Alexander vero VII. sub num. 12. hanc damnavit propositionem: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum licentia*. Verum tamen est, quod licet modo omnes concedant non vigere privilegia absolvendi a casibus, quos ipsi Episcopi sibi reservant, adhuc est dissidium inter Theologos, an sublata sit Regularibus facultas absolvendi a casibus, quos jus reservat Episcopis, qualis est levis Clerici percussio, excommunicatio procurantium abortum, casus papales occulti &c. In hac autem quæstione quamvis plures Theologi, quos sequitur Viva in propositionem supracitatam num 14., velint sublatam esse Regularibus facultatem in casus quocumque modo Episcopis reservatos, nihilominus alii apud ipsum volunt Decreta Pontificia respicere solummodo casus, quos Episcopi sibi specialiter reservant. Ratio ipsorum est, quia prima decreta auferentia talem potestatem respiciunt casus, quos Episcopi sibi specialiter reservant; & cum posteriora Pontificia decreta sint antecedentium confirmatoria, videntur & ipsa continere solummodo eamdem prohibitionem, absolvendi scilicet a casibus, quos ipsi Episcopi sibi specialiter reservant. Hæc, aliæque rationes saltem incertum reddunt, an sublata sint privilegia absolvendi a casibus a jure, vel consuetudine Episcopis reservatis; incerta autem ablatio non tollit privilegium certum bullarum, concessum Regularibus quoad hæc a Paulo III. sicuti ratiocinatur P. Mansi de cas. reservat. *part. 1. quæst. 1. num. 34.* Cæterum monent Theologi, quod etiamsi in bulla Jubilæi non exprimerentur reservata Episcopalia, sed solum Papalia, esset facultas etiam ad priora solvenda, cum intelligatur tunc Papa concedere quidquid potest, si non sit exceptum: *Viva de Jubil. quæst. 11. art. 2.*

Q. V. Quid facere debeat simplex Confessarius dum ad illum accedit pœnitens cum peccatis reservatis, & non potest omittere Communionem sine scandalo, aut infamia.

R. Si forte iste Pœnitens laborat impedimento perpetuo adeundi Superiorem; potest directe absolvi a quocumque simplici Confessario, ut dixi *tract. 4. quæst. 1. cap. 6. quæst. 4. resp. 3.* Si vero impedimento temporali laboret, hujusmodi pœnitens deberet aperire Confessario peccata tum reservata, tum non reservata, ut dixi *qu. 3. cap. 3. qu. 4.* & deinde a simplici Confessario absolvi, si sit convenienter dispositus cum onere se præsentandi Superiori, ut ab eo directe absolvatur, vel obtineat facultatem, ut possit ab alio directe absolvi quoad reservata: *D. Th. in 4. d. 17. qu. 3. art. 4. ad 3.* & magis communiter Theologi. Dixi absolvendum esse, si sit dispositus; neque etenim credi potest, ut dum e. g. puella non posset sine scandalo a Communione abstinere, ut eveniret in circumstantiis, in quibus non leviter Mater de ea suspicaretur, non potest, inquam, credi Ecclesiam velle nullatenus absolvi, vel se committere periculo Eucharistiam suscipiendi sine debita dispositione, cum non tam facile sit elicere actum veræ contritionis. Ex alia vero parte cum impedimentum sit temporale, bene judicatur velle Ecclesiam vel per se, vel per Confessarium comparare coram Superiore, ut possit directe absolvi, & ita lex reservationis non infringatur cum præjudicio animarum. Ideo autem dicitur a simplici Confessario indirecte absolvi quoad reservata, quia non habeat in ea jurisdictionem; at cum ex alia parte, quia supponitur disposita, ut recipiat virtute Sacramenti Gratiam justificantem; consequenter deleta remanent etiam peccata reservata.

Idem onus se præsentandi Superiori, quod dixi habere absolutum in præfatis circumstantiis a reservatis, habet ille, qui postea novit ex ignorantia propria, vel confessarii absolutum esse a reservatis a non habente facultatem: *Quarti sect. 1. c. 1. q. 50.*

Q. VI. An Pœnitens oblitus peccati reservati, dum confessus est habenti facultatem in reservata, possit deinde absolvi a quocumque simplici Confessario: & quid si habens reservata fecit confessionem invalidam.

R. Præfatus pœnitens potest a quocumque Confessario absolvi a reservatis oblitis. Ratio est, quia non potest præsumi Superiorem vel per se, vel per suum Delegatum, nolle quoad hunc pœnitentem rite dispositum facere quantum potest; adeoque cum dicendum sit velle quoad eum facere quidquid potest, reservationem oblitorum auferret, & ita a quocumque Confessario poterit deinde absolvi: *Lugo disp. 20. sect. 7. num. 9. Avers. de pœnit. q. 17. sect. 8. Passer. tom. 2. qu. 187. art. 5. num. 598.*

R. II. Qui oblitus est peccati reservati in confessione nulla propter gravem negligentiam in procurando dolore, & proposito, adhuc dici potest immunis a reservatione, si bona fide accesserit ad confessionem. Ratio est, quia respectu hujus pœnitentis, qui non accedit fraudulenter ad confessionem, bene dici potest Confessarium velle facere quantum potest, adeoque saltem tollere reservationem, si non potest peccata ob ipsius indispositionem: atque ita credi potest de benignitate Ecclesiæ respectu ipsius pœnitentis; *Lugo disp. 20. n. 106.* aliique apud *Dian. tom. 4. tract. 3. resol. 51.* Multo magis autem id verum est, si iste pœnitens, qui modo dicto fecit confessionem nullam, peccata reservata manifestavit; nam verificatur se præsentasse Superiori, vel ipsius delegato, & ab ipsis pœnitentiam, & remedia pro reservatis accepisse, atque ita obtentus est finis reservationis: *Tambur. lib. 5. de pœniten. capit. 9. §. 5.* Notat autem *Lugo numer. 102.* quæ fuerunt imposita a Superiore, vel ipsius Delegato in ista confessione invalida, esse omnino observanda, quia reservatio videtur ablata cum onere præstandi quæ imponuntur.

R. III. Dum Pœnitens fecit confessionem omnino voluntarie nullam, vel quia de industria grave peccatum vel reservatum, vel non reservatum tacet, vel quia aperte cognoscit non habere dolorem, aut propositum, nullatenus immunis remanet a reservatione. Ratio est, quia præsumi non potest Superiorem vel per se, vel per Delagatum velle hunc fraudulentum pœnitentem a reservatione absolvere, cum nemo velit peccantem ex sua fraude, & dolo commodum reportare. *Lugo disp. 20. n. 106., Salmant. tr. 16. c. 53. n. 43.* atque hanc sententiam omnino veram credo.

Q. VII.

Q. VII. An Pœnitens absolvi possit a reservatis post facultatem obtentam commissis.

R. Si licentia ita a Superiore concessa intelligatur, ut pro illa vice concesserit facultatem Confessario absolvendi a quocumque reservato, vel pœnitenti, ut a quocumque pariter peccato absolvatur, tunc poterit absolvi ab omnibus reservatis commissis ante absolutionem, quamvis fuerint commissa post obtentam facultatem, quia tunc censetur concessa licentia absolvendi in omnibus, quæ in confessione exponentur: *Passer. tom. 2. quæst. 187. art. 1. num. 542. Gabr. a S. Vinc. disp. 9. quæst. 5. §. 2.* Ubi tamen observandum, quod dum conceditur ista generalis licentia pro una vice absolvendi, intelligitur a Superiore limitari tempus ad hanc absolutionem obtinendam pro reservatis in posterum commissis; neque etenim credi potest velle Superiorem, ut possit pœnitens per longum tempus nova reservata committere, ac deinde ex facultate obtenta ab iisdem absolvi. Quanto vero tempore perseverare præfatam licentiam dicendum sit, debet Confessarius colligere ex rationabili mente concedentis; adeoque si concederet intuitu alicujus festi, eo transacto, cessabit: si solum in favorem pœnitentis, reputabitur durare aliquo tempore, ut commode se possit ad confessionem disponere, & prorogatio ad mensem non erit diuturna, ut notat etiam P. Mansi *de cas. reserv. p. 1. q. 1. num. 50.*

Quod si facultas absolvendi fuit petita pro aliquo determinato peccato, quod aliquis commiserit, tunc non extenditur ad reservata commissa post obtentam facultatem. Ratio est, quia non reputatur Superior concedere nisi id, quod petitur, unde si petatur licentia pro absolvendo particulari peccato, non intelligitur concessa pro iis, quæ postea committuntur. Adde cum P. Mansi *num. 48.* facultatem quoad reservata postea commissa esse dubiam, & odiosam; utpote non concessam ob bonum communitatis, sed personæ privatæ, adeoque limitandam ad sola reservata commissa ante obtentam facultatem.

Q. VIII. An ipse Confessarius absolvi possit a reservatis ratione facultatis ab ipso obtentæ in ordine ad reservata.

R. Quocumque modo iste Confessarius petierit, & obtinuerit talem facultatem, puto non posse pro se uti, nisi expresse id petat. Ratio est, quia semper Superior putat a Confessariis sibi expostulari licentiam pro aliis absolvendis, adeoque ipsius intentio est in ordine ad aliam personam diversam a Confessario: *Pass. qu. 187. art. 1. num. 556.*

Q. IX. Quas pœnas incurrant absolventes sine facultate a casibus reservatis, vel a censuris reservatis.

R. I. Ex decretis S. Congr. editis an. 1601. & 1602. authoritate Clem. VIII. & 1607. authoritate Pauli V. quicumque Confessarii præsumentes ex prætextu privilegii absolvere a casibus reservatis Papæ, vel Episcopis incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, & privationem Officiorum, & Beneficiorum. At quia Decreta loquuntur de præsumentibus absolvere, ideo a prædictis pœnis excusaret ignorantia etiam crassa, sicut etiam eas non incurrerent malitiose absolventes, sed non prætextu privilegii: *Passer. tom. 2. q. 187. num. 597.*

R. II. Ex Clementina I. *Religiosi &c.* Confessarii Regulares præsumentes absolvere ab excommunicationibus reservatis, sive Canonicis, sive Episcopalibus latis per statuta Synodalia, sive Provincialia, incidant in excommunicationem Papæ reservatam. Cum autem textus loquatur de excommunicationibus latis per præfata statuta, consequens est non incurrere dictam excommunicationem Religiosos absolventes ab excommunicationibus reservatis Episcopis per sententiam generalem, sive particularem: *Bonac. tom. 3. disp. 2. quæst. 9. punc. 5. num. 17.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Si Confessarius essem alicujus Prælati, difficiliter suaderem denegare facultatem absolvendi a reservatis. Ad quid ergo sibi ea reservabunt, respondebit aliquis? At ego subdo semper obtineri posse finem reservationis, coercere nempe homines a peccatis reservatis committendis, etsi facilis sit in delegandâ potestate ad ea absolvenda. Hujusmodi facilitas nullum afferet præjudicium, quoties Superior, dum suam potestatem delegat, assignet, si judicet opportunum, Delegato remedia præscribenda Pœnitenti, ut cesset a peccando. Hinc fiet irretitos casibus reservatis facile a pravo suo statu recessuros, & ex alia parte non futuram damnosam facilitatem obtinendæ absolutionis.

II. Solent Confessarii scire sibi non deesse in articulo mortis facultatem absolvendi a casibus, & censuris quibuscumque reservatis: at non omnes vidi sufficienter instructos quoad ea, quæ tunc debent præstare. Cum igitur in periculo mortis cesset omnis reservatio, adeoque pœnitens directe absolvatur a casibus reservatis, sicut a cæteris peccatis, nulla ei remanet obligatio, si tale periculum evadat. Quoad censuras vero reservatas tenetur adire Superiorem, vel ut etiam in foro externo absolvatur, si tantum pro interno fuit absolutus; vel si pro utroque foro fuit absolutus, adhuc debet se præsentare Superiori, ut Ecclesiæ obediat, ejusque audiat mandata. Quod si ita absolutus non se præsentet Superiori, ipso jure reincidit in censuram: *cap. eas qui de sentent. excom. in 6.* & dixi *tract. 4. quæst. 1. cap. 5. quæst. 4. resp. 2.* ubi & quid præstandum sit ab eo, qui absolvit a Censuris.

III. Si Confessarius dum petit facultatem absolvendi ab aliquo reservato, quod ipsi exposuit pœnitens, limitate petat, non poterit absolvere a novo peccato reservato, si quod commiserit pœnitens eo tempore intermedio. Ita eveniret, si exposceret facultatem quemdam absolvendi ab aliquo reservato, si absolvendi a tertio, vel quarto casu &c. sibi jam exposito; nam cum hujusmodi, & similibus formulis designetur peccatum jam sibi expositum, & non subsequens; si quod forte committatur, intelligitur concessa facultas ad tenorem petitionis; & proinde solum in ordine ad peccatum jam auditum. Ne ergo in angustias redigatur, videat exposcere pro una vice amplam facultatem a reservatis absolvendi. Ubi etiam obiter volo adnotare licentiam semel concessam pro absolvendo ab aliquo reservato jam Confessario exposito se habere ad instar gratiæ factæ, adeoque de se esse perpetuam: *De Lugo de pœnitent. disput. 20. num. 125. Sanch. l. 8. de Matr. disp. 28. num. 85.* Quousque vero durare possit licentia, quæ etiam se extendat ad reservata commissa post obtentam facultatem, dixi capite præcedenti.

IV. Confessarius bene perspectum habeat qui sint casus, & quæ censuræ reservatæ; dum etenim obtinetur facultas a casibus reservatis absolvendi, non intelligitur concessa pro absolvendo a censuris reservatis. Hinc si accedat ad Confessarium nostræ Diœcesis e. g. Sponsus, qui sine debita licentia pernoctaverit sub eodem tecto cum Sponsa, non potest eum absolvere, si habeat, vel petierit solummodo licentiam a casibus reservatis absolvendi; nam prædicto peccato annexa est excommunicatio reservata.

V. Denique hic adnotandum censui in nostra Diœcesi omnino sublatam esse Confessariis facultatem absolvendi socium criminis, & eos, quorum peccato cooperati sunt. En verba prohibitionis: *Confessarii socium criminis, & a peccato, in quo ipse participans, seu cooperans fuit, numquam absolvant, in his enim casibus illos omni facultate privamus.* Ut Confessarius dicatur participasse, seu cooperasse alterius peccato, requiritur cooperatio formalis, scilicet cooperari alterius actioni, ut peccaminosæ. Hinc Confessarius præbens arma alicui, quibus non prævidit usurum ad patrandum homicidium, non dicitur vere, & formaliter cooperasse ipsius peccato, sed tantum materialiter. E contra semper judicavi cooperatorem, & complicem alterius peccati illum, qui aliqua dicit, vel facit, ex quibus prævidet aliquem peccaturum, quamvis ipsius peccatum non intendat. Exemplum sit in Confessario, qui bene prævidet ex verbis obscœnis, quæ profert, aliquem peccaturum; quamvis enim non intendat illius peccatum, dici debet cooperator, & complex; utpote qui de facto est causa illius peccati. Vide etiam quæ dixi *tract. 6. quæst. 3. cap. 6. quæs. 2.*

Sunt pariter cooperatores, & socii criminis Confessarii, qui quamvis immediate non participent in ipsa actione peccaminosa, ipsam tamen mandarunt, suaserunt, &c., & quamvis per mandatum & consilium non influxissent, verificatur tamen in foro conscientiæ socios fuisse in crimine, quod alii patrarunt. Idem dico de Confessario, qui approbavit commissum crimen coram delinquente, vel coram aliis, quos

præ-

prævidit suam approbationem Delinquenti relaturos. Ratio est, quia ultraquamquod approbator peccati proprie dicatur illius participans, tali approbatione Confessarius potest esse causa novi peccati ipsius pœnitentis, quatenus ex tali approbatione facillime concipiet complacentiam de patrato scelere. Præterea etsi non daretur istud novum peccatum, adhuc subsistit ratio præfatæ prohibitionis, quæ est, ut infra explicabo, non convenire confessionem peccati fieri coram Confessario, qui illud approbavit.

Difficultas nihilominus est, an supradicta prohibitio respiciat Confessarios, qui fuerunt socii, vel cooperatores in quocumque crimine, an vero solummodo intelligenda sit de Confessariis sociis, & cooperatoribus in quibusdam determinatis criminibus. Non desunt qui illam extendant ad socium, & cooperatorem in quocumque crimine. Verum Bossius, quem sequitur P. Mansi *in append. ad casus reserv. numer. 3.*, vult intelligendam de socio criminis in omnibus peccatis luxuriæ, quoad peccata vero alterius generis, dicit comprehendere Confessarios complices in delictis gravioribus, quæ solent cum socio patrari, puta in furto, homicidio &c. Ratio est, tum quia hujusmodi peccata proprie veniunt criminis appellatione. Tum quia generalis prohibitio, ne Confessarii absolvere possint quæcumque peccata, in quibus fuerunt Socii, vel cooperatores, esset in grave præjudicium animarum, ut constat respectu Parochi ruralis, si non posset e.g. absolvere mulierem, cum qua peccatum detractionis commisit. Tum quia apud eumdem P. Mansi dantur declarationes Episcoporum, qui dicunt prohibitionem, de qua modo loquimur, solummodo comprehendere Confessarios socios in præfatis criminibus. Quamvis autem eadem declaratio non sit in nostra Diœcesi, bene dici potest esse subintelligendam, utpote quia sit juxta naturam talis prohibitionis, universaliter etenim accepta, ut dixi, esset in destructionem, non in ædificationem. Illud omnes concedunt, Confessarium nempe posse absolvere peccata venialia, in quibus fuit socius, seu cooperator; ea etenim non veniunt criminis appellatione: *Bonac. de Sacr. Pœnit. d. 5. quæst. 7. p. 5. §. 5. nu. 12.* Item si quis jam absolutus fuerit ab alio Confessario quoad crimen commissum, potest iterum idem peccatum exponere Confessario, qui fuit Socius, vel particeps in eodem crimine, etenim cum jam directe fuerit absolutum, non obstat non esse in illo Confessario potestatem illud absolvendi, nisi indirecte. Secus si prius confessus esset sua peccata alteri Confessario; & oblitus fuerit criminis, cujus secundus Confessarius fuit complex; cum etenim in præhabita Confessione non absolutum fuerit nisi indirecte, oportet illud fateri Confessario, qui habeat potestatem illud directe absolvendi, & talis non est, qui fuit socius, & particeps criminis: *Mazuch. disp. 1. q. 4. a num. 115.*

Illud demum advertant Confessarii in ordine ad eos, in quorum peccati fuerunt socii, cooperatores, seu participes, taliter se habere, ac si non fuissent approbati: unde in Synodo dicitur quod illos *numquam absolvant*, sicut nec peccatum, in quo fuerint socii &c. adeoque talis Confessarius nullam habet auctoritatem & circa crimen complicitatis, & circa personam complicis. Ita etiam suadet ratio talis prohibitionis, ideo etenim prohibentur Confessarii ab absolvendo socio criminis, tum quia timeri potest deesse in pœnitente sincerum dolorem, dum peccatum fatetur Confessario, quem in eodem habuit socium, vel cooperatorem; tum quia si refricetur memoria de peccato cum illo commisso, maxime si sit in genere luxuriæ, periculum adesse potest in lethalem complacentiam labendi; tum quia indicens est Judicem esse peccati illum, qui in eo fuit cooperator: *S. Thomas in Suppl. q. 20. art. 2. ad 1. Caren. de offic. inquis. p. 2. tit. 12. num. 310.* Hæc autem suadent omnino auferri potestatem a Confessario in ordine ad totam illam confessionem, in qua explicandum est peccatum, cujus fuit Socius &c. Hinc non posset Confessarius absolvere socium criminis, etiam dum pœnitens esset in periculo infamiæ, cum respectu illius se habeat; ac si non fuisset approbatus. Adde me credere, quod etsi in aliqua Diœcesi non prohiberetur Confessariis excipere Confessionem socii in crimine, nihilominus id semper de sua natura esset intelligendum; in generali etenim approbatione, quam habent Confessarii, ex notis regulis non veniunt quæ sunt speciali nota digna, & talis profecto est approbatio quoad excipiendas confessiones etiam socii in crimine.

CAPUT IV.

De Casibus Papæ reservatis, & de casibus reservatis pro Religiosis.

Q. I. Qui sint casus Papæ reservati.

R. Non instituo hic sermonem de casibus a jure Episcopo reservatis, cum de facto nulli dentur, ut ex *Passer. t. 2. q. 187. art. 1.* & si qui videntur ipsi reservati, ut de abortu &c. potius dicendum est quoad eosdem casus Episcopos esse Delegatos, quam ipsis esse reservatos, quamvis suam facultatem subdelegare possint, ex dictis capite superiori. Quæsitum proinde limitatur ad casus Papæ reservatos, & principaliores sunt sequentes. 1. Violatio clausuræ Monialium ad malum finem. 2. Violatio immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Gregorii XIV. 3. Duellum. 4. Simonia realis. 5. Simonia confidentalis. 6. Percussio Clerici.

Q. II. An casus Papales habeant semper annexam censuram; & an solum ratione ejusdem censuræ referventur.

R. I. Communior est ea opinio, qua dicitur de facto nullum peccatum Papæ reservari, nisi quæ habent annexam censuram eidem reservatam. Et quamvis aliquando videatur illius mentionem non fieri, nihilominus sufficienter interpretatur eam adesse: *Sanch. lib. 2. sum. c. 8. num. 5. Palaus tr. 23. disp. unic. p. 15. §. 2. Boss. de Jubil. sect. 1. cas. 2.*

R. II. Casus Papæ reservati non solum sunt reservati ratione censuræ, sed etiam quoad ipsam culpam; cum etenim Pontifex in suis reservationibus illimitate loquatur, non est cur dicamus solum sibi reservare annexam censuram, non vero ipsum peccatum: *Lugo de pœnit. disp. 20. sect. 2. num. 26.* aliique, quos congerit *Leand. de pœnit. disp. 11. q. 14.* Hinc autem fit quod si quis habens casum Papalem accedat bona fide ad simplicem Confessarium, qui putaret posse ab illo absolvere, quærere deinde deberet absolutionem non solum a censura, sed etiam ab ipso peccato, quod verum non esset, si & ipsum non esset reservatum; nam tunc absolutum fuisset directe, adeoque non esset necesse pro eo novam absolutionem exposcere: *Sanch. cit.*

Q. II. Quis possit absolvere a casibus Pontifici reservatis.

R. I. Si quis ob aliquam causam, puta ob ignorantiam, gravem timorem &c. non incidat in censuram annexam casui Pontificio, potest a quocumque simplici Confessario absolvi. Ratio est, quia quamvis non solum censura, sed etiam ipsa culpa, ut dictum est, sit reservata, nihilominus ex praxi, & consuetudine Ecclesiæ, amota censura, intelligitur etiam amota reservatio quoad culpam: *Passer. tom. 2. quæst. 157. art. 1. num. 580.*

R. II. Confessarii Regulares existentes extra Italiam possunt absolvere virtute suorum privilegiorum ab omnibus casibus Papalibus, exceptis casibus Bullæ Cœnæ, ut videre est apud *Pass. tom. 2. qu. 187. art. 2. num. 443.* Etiam Confessarii in urbe existentes eamdem habebant facultatem; at Clemens XI. in suo Decreto edito 13. Maii 1711. sancivit nullum Confessarium, quamvis intra urbem existentem, posse etiam pro solo foro conscientiæ absolvere publicos violatores Clausuræ Monialium ad malum, seu inhonestum finem, publicum Presbytericidam; publicum violatorem immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Bullæ Gregorii XIV. vel etiam occultum; si publica authoritate violetur.

R. III. Generaliter dicendum est omnes Confessarios Regulares virtute suorum privilegiorum, exceptis casibus Bullæ Cœnæ, aliisque supra enumeratis, posse absolvere ab omnibus casibus Papæ reservatis: *Passer. quæst. cit. num. 440.* Nec refert Urbanum VIII. in suo Decret. sub die 25. Novembris 1628. dixisse existentes extra Italiam posse absolvere a casibus Papæ reservatis, exceptis casibus Bullæ Cœnæ, ex hoc enim non infertur derogasse privilegiis Regularium intra Italiam existentium. Et ratio est, quia privilegium idem est ac privata lex, legi autem non dero-

rogatur per tacitos intellectus; sed per expressos, ut docet Glossa *in cap. capientes*. Solum limitatur, quod dictum est, quoad Regulares Confessarios in Diœcesi Neapolitana, quibus ex eodem Passarino *numer.* 464. sublata fuit omnis potestas absolvendi a quibuscumque casibus papalibus; at cum hujusmodi prohibitio novum jus condiderit quoad præfatos Confessarios, non obstat Regularibus alibi existentibus; quod etenim speciale est pro aliquibus, non trahitur ad generale: *cap. sane de priv.*

Q. III. Quos casus possint sibi reservare Prælati Regulares.

R. Ex Decreto Clementis VIII. die 26. Maii 1593. & ex Constitutione 28. Urbani VIII. ejusdem Decreti confirmatoria, Superiores Regulares solummodo possunt sibi sequentes casus reservare 1. Apostasia a Religione sive habitu dimisso, sive retento 2. Veneficia, incantationes, & sacrilegia 3. Nocturna, ac furtiva a conventu egressio 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale 5. Juramentum falsum in judicio legitimo 6. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam non secuto effectu 7. Falsificatio manuum, aut sigilli conventus 8. Furtum de rebus Monasterii, quod sit mortale. 9. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10. Occisio, seu vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ 11. Maliriosum impedimentum, vel retardatio, vel apertio literarum a Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores. Nullum casum exceptis præfatis possunt sibi reservare Superiores Regulares, & quamvis aliqui dixerint posse ultra prædictos casus aliquid præcipere sub excommunicatione sibi reservata, id nihilominus quamplures negant. Ratio est, quia cum Pontifices apposuerint prædictam limitationem authoritati Superiorum Regularium, ne ipsorum Subditi ea nimia reservatione in periculum damnationis ducantur, consequens est voluisse nec per censuras aliquid sibi reservare; ita enim contra mentem Summorum Pontificum possent ad sui libitum reservationem ampliare, quia absolutio censuræ ab homine latæ, de jure Superiori, aut Judici ferenti reservatur: *cap. nuper de sentent. excom.* Adde causam finalem legis ampliare, vel restringere legem ad sui limites: *leg. cum pater. §. Dulcissimus digestis de legat.* 3. unde cum causa finalis Pontificiorum Decretorum fuerit, ne quocumque modo a Superioribus Regularibus amplietur reservatio ultra casus prædictos, sequitur nec ampliari posse mediante censura. Favet huic opinioni declaratio Sac. Congregationis apud *Donat. tom.* 2. *tract.* 10. *quæst.* 24 *& Tambur. lib.* 5. *cap.* 8. *§.* 2. *num.* 11. Verum tamen est, quod si Regulares putent expedire alium casum reservare, possunt ex dictis decretis id facere in Capitulo generali pro toto Ordine, ac in provinciali pro tota Provincia. Quod si id faciant particulares Superiores, nulliter faciunt: *Passer. tom.* 2. *quæst.* 187. *art.* 1. *num.* 585.

Q. IV. An Regulares possint aliquando absolvi a casibus Superiori reservatis ab inferioribus Confessariis, & quid dicendum de Novitiis.

R. I. Ex Decreto Clementis VIII. & Urbani VIII. habetur a Superioribus Regularibus deputandos esse in quocumque monasterio duos, tres, aut plures Confessarios *doctos, prudentes, ac charitate præditos*, qui absolvat a non reservatis, *& quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarias judicaverit*. Item habetur, nolentibus Superioribus dare facultatem absolvendi a reservatis, posse prædictos Confessarios *illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta facultate, absolvere*. Insurgit modo duplex difficultas. Prima est, an alius Confessarius, qui non sit ex supradictis duobus, vel tribus Deputatis, sed qui nihilominus habeat a Superiore facultatem excipiendi Confessiones aliquorum Regularium, possit eos absolvere a reservatis, petita, & non obtenta licentia. Secunda, an Confessarii, ut supra Deputati, possint absolvere, petita & non obtenta licentia, toties quoties, vel solum pro una vice.

Ad primam autem respondeo negative; nam in Decretis Pontificiis solum conceditur facultas absolvendi Regulares a reservatis, petita, & non obtenta licentia, illis duobus, vel tribus Confessariis, qui designandi sunt a Superioribus pro audiendis confessionibus Religiosorum, & id, si judicaverint sibi esse concedendum; quia nempe non officiat proximo, bono publico Religionis, vel ipsi pœnitenti. Puto tamen præfatos Confessarios absolvere posse Regularem a reservatis, petita, & non obtenta licentia, quamvis ipsi non sint Deputati ad absolvendum a reservatis, sed solum ad absolvendos Religiosos Monasterii a non reservatis. Ratio est, quia hujusmodi facultas conceditur a Pontifice Confessariis a Superiore deputandis, quibus subdit committendam facultatem absolvendi a reservatis. En ergo facultatem absolvendi, petita, & non obtenta licentia, dari Confessariis a Superiore deputatis, nec necesse esse fuisse deputatos ad casus reservatos; ita plures apud Dianam *tom.* 7. *tr.* 1. *resol.* 109.

Quoad secundam difficultatem puto Confessarios deputatos, non obtenta facultate, non posse absolvere Regulares a reservatis toties quoties, sed una vice tantum. Ratio est, quia si in decreto non posita esset ea clausula *illa vice*; Confessarii prædicti, petita, & non obtenta licentia, absolvere potuissent toties quoties: dicendum proinde est illa verba apposita fuisse ad limitandam facultatem juxta sensum talium verborum, adeoque solummodo pro ea vice Confessarios pro Regularibus deputatos, habere facultatem absolvendi a reservatis, ea petita, & non obtenta. Et quidem frustranea esset reservatio apud Regulares, si toties quoties absolvi possent a suis Confessariis, etiam facultate a Superiore non obtenta: *Peyrin. tom.* 3. *q.* 1. *cap.* 21. *in fine*, *Lezan. v. casus num.* 13. aliique contra Tambur. *lib.* 5. *de casibus reserv. cap.* 7. *§.* 2. *num.* 34.

R. II. Quamvis Novitii absolvi non possint a Confessariis Regularibus quoad reservata in religione, utpote quia quoad ea non habeant jurisdictionem, bene tamen absolvi possunt a Confessariis Sæcularibus, si eadem peccata non sint etiam ab Episcopo reservata. Huic sententiæ refragatur Passerinus *tom.* 3. *qu.* 189. *num.* 43 aliique. Ratio horum potissima est, quia Novitii in ordine ad Sacramenta subduntur potestati Prælati Regularis, unde casibus ab ipsis reservatis possunt ligari, adeoque ab ipso solum ut proprio ipsorum Sacerdote, absolvi. Verum hæc ratio non satis convincit intentum; etenim cum Novitii exempti sint a jurisdictione Episcopi propter Religionis privilegia, nil obstat ea posse acceptare pro ea parte, qua sibi sunt favorabilia, & respuere quatenus ipsis nocent; & ita dicitur in odiosis non venire nomine Religiosorum. Poterunt ergo velle absolvi ab Episcopo, vel Confessariis ab eo approbatis, quando sibi reputent odiosum non posse ab illis absolvi, & ita a quocumque Confessario ab Episcopo approbato absolvi a reservatis in Religione, si non desit illi facultas, quatenus etiam sint inter reservata Episcopalia: Tambur. *de jur. Abb. tom.* 2. *d.* 13. *q.* 5., *Avers. qu.* 16. *sect.* 7., Bossius *de Jubil. sect.* 3. *c.* 4. *n.* 13.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Bene sciat Confessarius, ut alibi etiam notavi, ex praxi, & consuetudine Ecclesiæ, non remanere reservatos casus Pontificios, quoties peccans excusari potest a censura, & tunc absolvi posse a quocumque simplici Confessario. Hinc potest accidere rudes aliquo peccato ex reservatis in Bulla Cœnæ innodari, & tamen absolvi posse a simplici Confessario; quia propter ignorantiam non inciderunt in censuram illi annexam. Ut tamen absolvi possit a simplici Confessario, oportet non esse etiam ab Episcopo reservatum; nam uno jure remisso, nempe Pontificis, aliud remissum non intelligitur, nempe Episcopi, ac uno impedimento sublato, non est necesse & aliud tolli; *cap. tuoram de author. & usu pallii*, *l. si domus ff. de servit.* Hinc in nostra Diœcesi si quis propter ignorantiam non incurreret censuram annexam abortui, ut suo loco dictum est, non proinde absolvi posset a simplici Confessario propter specialem reservationem nostræ Diœcesis.

II. Quamvis communis opinio, & consuetudo ferant, ut casus Papales nullatenus reservati remaneant,

neant, si peccans immunis sit a censura, non tamen ita loquuntur Theologi de casibus, quibus Episcopi adnectunt excommunicationem sibi reservatam, Magis communiter docent quod etsi peccantes ob ignorantiam &c. non incurrant censuram reservatam, remaneat Episcopis reservatus casus illi adnexus, cum non detur consuetudo, ut cessante censura non amplius reservatus reputetur. Præterea videntur Episcopi æque immediate sibi casum, & censuram reservare; unde una reservatione ablata, altera posset remanere: *Suar. de pænit. d.3. sect.3. n. 11., Laym. l. 5. tr. 5. p. 2. c. 6. num. 10., Boss. de Jubil. sect. 1. cap. 8. num. 2* Secus dicendum si ex littera reservationis appareret reservationem cadere tantum supra censuras.

QUÆSTIO VIII.

De Confessario Sollicitante.

Contra immane sollicitationis flagitium plura SS. Pontifices ediderunt Decreta, at quia Gregorius XV. in sua Constit. *Universi Dominici gregis*, præcedentes confirmat, & ampliat, ideo juxta eam in hac materia est discurrendum.

CAPUT I.

Examinantur omnia ea, ex quibus oritur obligatio denunciandi.

Q. I. Quid sit sollicitatio, & qualis sollicitatio inducat obligationem denunciandi.

R. I. In præsenti sollicitata idem significat ac provocare ad actus illicitos, & inhonestos, quod cum fieri possit verbis, precibus, tactibus, nutibus amatoriis &c. hinc est in præsenti significari provocationem ad inhonesta quocumque modo fiat: *Bord. t. 1. c. 23. a n. 13.* & communiter.

R. II. Ut ex sollicitatione oriatur obligatio denunciandi, oportet eam intervenire *in actu Sacramentalis confessionis, sive ante, vel post immediate, sive occasione, vel prætextu confessionis; etiam ipsa non secuta*, vel etiam *si fiat extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, ub confessiones sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire*. Ita ex Constitutione Gregorii. Hæc tamen omnia in sequentibus magis explicabuntur.

Q. II. An omnes sollicitantes sint denunciandi.

R. I. Certe verus Confessarius comprehenditur in Bullis editis contra sollicitantes, ut cuicumque ipsas legenti constare potest. Immo ipsi Episcopi (quod Deus semper avertat) si pœnitentes sollicitarent, dum commode denunciari non possent summo Pontifici, ipsis Inquisitoribus essent denunciandi. Ratio est, quia quamvis Inquisitores non possint contra ipsos judicialiter procedere, *ex cap. cum Matthæus de hæreticis*, possunt tamen quoad hoc delictum excipere testimonia, ut moneant Summum Pontificem: *Hurtad. tr. 4. c. 7. resol. 18. Anton. a Spirit. San. tr. 5. de pænit. disp. 18. num. 1453.*

R. II. Etiam Sacerdotes non habentes jurisdictionem comprehenduntur in Constitutionibus editis contra sollicitantes. Ratio est, quia Gregorius vult quod denuntientur *omnes*, & singuli, Sacerdotes tam sæculares, quam regulares cujuscumque dignitatis, & præeminentiæ &c. Cum igitur Pontifex utatur verbo *Sacerdos Confessarius* dicendum est suam Constitutionem extendere voluisse etiam ad simplices Sacerdotes, qua ratione Bordonius *in Man. sect. 25. num 5.* retractat contrariam, quam docuerat sententiam. Hic tamen obiter advertas quod dum Pontifex subdit Inquisitorum jurisdictioni Sacerdotes *cujuscumque Dignitatis &c.* illis non subdit, ut paulo ante dixi, Episcopos, & notat etiam Barbosa *in cap 5. sess. 24. Trident.*

R. III. Clerici non Sacerdotes, vel laici fingentes se Confessarios, & in Confessionario sollicitantes non sunt denunciandi ex vi Constitutionum contra sollicitantes. Ratio est, quia Bullæ animadvertere volunt contra Sacerdotes abutentes Sacramentali Confessione, ut patet ex verbis paulo ante relatis, præfati autem non sunt Sacerdotes; & ulterius non intervenit abusus Sacramentalis confessionis, quia tunc nulla intervenit Sacramentalis confessio; *Sanctarell. de hæres. cap. 45. num. 9., Bordon. in trib. cap. 23. qu. 12. num. 63. & in Manual. sect. 25. num. 6., Boss. de confess. sollicit. dub. 0.* Nec refert quandoque leges in criminibus atrocibus velle puniendum ipsum conatum, quamvis effectu non obtento; nam quando id vult lex non desinit exprimere, quod non facit in casu nostro. Cæterum quamvis præfati non essent denunciandi ex vi Constitutionum editarum contra Confessarios sollicitantes, essent tamen denunciandi ex vi Constitutionis 21. Gregorii XIII. subjicientis Inquisitoribus eos, qui cum non sint Sacerdotes, Missas celebrant, aut confessiones sacramentaliter audiunt.

Q. III. An sint denunciandi Confessarii sollicitantes ad peccata, quæ non sint venerea; & an quæcumque sollicitatio ad venerea importet obligationem denunciandi.

R. I. Cum in pœnalibus non sit facienda extensio de casu ad casum, & de delicto ad delictum, ut dixi *t. 3. quæst 4. cap. 2. quæst. 5. respons. 3.*, hinc est quod cum constitutiones Pontificiæ ex communi consensu de sollicitantibus ad venerea loquantur, non sunt extendendæ ad sollicitantes ad alia peccata: *Carena. de offic. Inquis. p. 2. tit. 6. §. 4. numer. 19.; Boss. in append. de Jubil. confess. sollicit. dub. 2. numer. 4.* & alii, quos sequitur Diana *part. 1. tract. 4. resol. 20. & part. 4. tract. 9. resol. 72.* Nec dicas dari multa peccata venereis atrociora, adeoque saltem subjiciendum iisdem pœnis Confessarium ad ipsa sollicitantem. Contra etenim est, quia bene stat aliquando pœnam minori delicto imponi, & non graviori; tunc scilicet quando homines ad delictum minus grave sunt magis proni, ut evenit respectu venereorum, adeoque expedit pœna tale delictum coercere; ut etiam advertit *S. Th. in 4. d. 37. q. 2. art. 2. ad 2.*

R. II. Non melius explicari potest de qua sollicitatione loquantur Pontificiæ constitutiones, quam adducendo verba Gregorii XV. Dum ergo interveniat sollicitatio, de qua in secunda responsione primi quæsiti, vult denunciandos omnes, *qui personas, quæcumque illa sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet patranda...... solicitare, vel procurare tentaverint; aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint*. Ex prædictis verbis primo habetur denunciandum Confessarium vel mulieres, vel masculos ad inhonesta sollicitantem, nam denunciandus est *quascumque personas sollicitet: Del Bene p. 2. d. 237. sect. 2. numer. 3., Boss. de Confess. sollicit. dub. 1.* & communiter. Secundo, est denunciandus Confessarius vel mulierem instiget, ut secum peccet vel cum aliis, ut clare habetur ex illis verbis *sive inter se, sive cum aliis*. Tertio, est denunciandus Confessarius habens cum pœnitente inhonestos sermones, quamvis intendere non videatur solicitationem. Quarto, est denunciandus habens cum pœnitente inhonestos tractatus; ut si vellet ab ea sibi accommodari domum, ut peccet cum sua concubina, vel ut induceret aliquam feminam ad peccandum &c. Hæc omnia constant ex verbis citatis.

Q. IV. An sit denunciandus Confessarius, quando dubium est, an sollicitaverit.

R. Stando in terminis rigorosi dubii, quando nempe non sunt validiores rationes pro credenda sollicitatione, quam pro ea non credenda, censerem non esse obligationem denunciandi Confessarium. Ratio est, quia jura universaliter volunt dubia in meliorem partem esse interpretanda: *cap. estote 2. de reg. jur.*, in eis benigniorem faciendam esse interpretationem: *cap. fin. de trans.* & id præsertim in pœnalibus: *reg. 49. jur. in 6.*; & proinde dum jura partium sunt obscura, volunt potius favendum reo, quam Actori: *reg. 2. jur. in 6.* Cum autem ista jura sint etiam juxta lumen naturale, & bene dicatur non minus justius, quam tutius esse dubia in meliorem partem interpretari: *leg. 155. de reg. jur.*, hinc est in casu veri dubii, an Confessarius sollicitaverit, putarem non esse denunciandum: *Bordon. in Tribun. cap. 23. q. 28. & in Man. qu. 17.* Accedit obligationem denunciandi aliquod crimen, non esse intelligendam de crimine, quod non minoribus rationibus credere possum non fuisse, quam fuisse patratum. Adhærerem vero contrariæ opinioni, quam docent plures Theologi, quando licet solli-

ſolicitatio non eſset certa, nichilominus vehementia indicia ſuaderent adfuiſse, ſi etenim tunc expectanda eſſet notitia omnimodo certa hujus criminis, in grave præjudicium boni communis, ſalutis animarum, reverentiæ Sacramenti &c. poſſet in pluribus caſibus eludi lex tam neceſſaria de denunciandis Confeſſariis ſolicitantibus: *Del Bene p. 2. dub. 237. ſect. 3. nu. 24.* Hinc quamvis verba dubia in cauſa Fidei ſint in ſenſu catholico interpretanda: *Menoch. l. 2. conſ. 82. num. 10., Rimmald. l. 4. conſ. 686. num. 6.*, interpretantur nihilominus in ſenſu hæretico, dum valida occurrunt indicia per ea hæreſim fuiſſe explicatam: *Pegna in DirFctor. Comment. 3. verſ. verum tamen.*

Q. V. Quando intelligatur Confeſſarius ſolicitare *in actu Sacramentalis confeſſionis.*

R. Communiter docent DD. tunc dari ſolicitationem *in actu Sacramentalis confeſſionis*, quando Confeſſarius invitat ad turpia pœnitentem, poſtquam acceſſit ad Confeſſarium paratum excipere ipſius confeſſionem, ac incœpit ſua peccata narrare; immo ſi pœnitens facto ſigno crucis incœperit confiteri: *Trull. l. 1. c. 3. dub. 18. num. 97., Fagund. l. 6. in Decal. cap. 12. num. 16.* Nec refert ex malitia Confeſſarii, vel ex indiſpoſitione pœnitentis non impertitam eſſe abſolutionem; nam ultraquamquod in caſibus prædictis intelligatur incepta Confeſſio Sacramentalis, adeoque verificetur ſolicitationem in actu Sacramentalis confeſſionis interveniſſe, Gregorius XV. vult denunciandum ſolicitantem *occaſione confeſſionis, etiam ipſa non ſequuta.*

R. II. Intelligitur ſolicitare in actuali confeſſione, qui ibi apponit media, quibus poſtea pœnitentem ad inhoneſta perducat. Ratio eſt, quia, quamvis poſt aliquod tempus velit inhoneſta patrare, nihilominus verificatur cauſam appoſuiſſe in actuali confeſſione, adeoque ibi revera ſolicitaſſe, quamvis poſtea ipſius prava intentio cognoſcatur. Præterea, dum in actu confeſſionis apponuntur media, quibus Confeſſarius utitur ad inhoneſta pertrahendum, redditur valde odioſum Sacramentum, ac datur ipſius abuſus in perniciem animarum, quæ intenderunt removere Pontifices pœnis indictis contra ſolicitantes. Propter allatas rationes Alexand. VII. ſub num. 6. ſequentem damnavit propoſitionem: *Confeſſarius, qui in Sacramentali confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam: in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſolicitaſſe in confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.*

Ex dictis certe intelligitur in confeſſione ſolicitaſſe, non ſolum qui in confeſſione aliquod facit, vel jubet, quod de ſua natura ſit ad venerem provocativum, ſed etiam ſi in confeſſione apponat medium indifferens, quod poſtea cognoſcatur appoſitum ad ſollicitandum. Eſt e. gr. quid de ſui natura indefferens expoſcere a pœnitente ubi ſit ſuæ habitationis domus; illam munere ut domi illum expectet, quia vult illam de aliquo negocio alloqui; imponere, ut ſola domum adeat Confeſsarii &c. Nihilominus ſi poſtea ex effectibus cognoſcatur hæc in confeſſione dixiſse, ut poſset poſtea in propria, vel in pœnitentis domo ad venerem provocare, vere reus eſt ſolicitationis. Ratio autem eſt, quia verba indifferentia per actus ſubſequentes limitantur, & determinantur ad ſuam ſignificationem, actus enim externus, cum fieri ſoleat in executionem interni, declarat qua mente, & intentione aliquid fuerit prolatum: *Bordon. in Man. ſect. 25. quæſt. 11. numer. 65. & qu. 12. n. 83. & in Trib. cap. 23. qu. 3. num. 13.*

Quod dixi de alloquente mulierem in confeſſione per verba indifferentia, intelligendum eſt de Confeſſario donante in actu confeſſionis aliquid mulieri, ſi poſtea domi, vel alibi ad turpia ſolicitet, ut ex dictis paulo ante infertur. Cæterum diverſimode loquuntur DD. dum univerſaliter loquuntur de Confeſſario donante aliquid in confeſſione mulieri pœnitenti. Quidam univerſaliter aſſerunt Confeſſarios donantes in actu confeſſionibus pœnitentibus nullatenus eſſe denunciandos, utpote quia dona, quamvis moveant ad amorem, non habent ad benevolentiam potius inhoneſtam, quam honeſtam movere, unde de ſua natura non exprimunt ſolicitationem. *Bordon in Manual. ſect. 25. qu. 14. & in Tribun. c. 23. q. 30. num 61.* Alii abſolute ſuſtinent quodcumque donum collatum in actu confeſſionis, ſive magnum ſcilicet, ſive parvum habere rationem ſolicitationis, ſi non appareat cauſa honeſta illud tradendi, qualis e. gr. eſſet paupertas pœnitentis quia dona magis ſolicitant, quam verba: *Trimarc. de Confeſſ. ſolicit. diſp. 2. ſect. 4.* Alii, quos ſequitur Diana *p. 5. tract. 9. reſolut. 50. num. 3.*, dicunt parva munuſcula non habere rationem ſolicitationis; bene vero magna, ſi non appareat honeſta cauſa, qua tribuantur, quia hæc & non prima vim habent alliciendi, & provocandi ad malum. Ego vero, dum per ſe non appareat cauſa honeſta donorum, puto conſiderandum ex circumſtantiis quo fine dicendum ſit Confeſſarium talia donaſſe. Si Confeſſarius alias habuerit ſermones inhoneſtos cum pœnitente, vel eos deinde cum ea habeat, ac ad turpia ſolicitet, poteſt omnino dici illi dona rationem ſolicitationis habuiſſe, cum revera alliciant, adeoque ex præcedentibus, vel ſubſequentibus dici poteſt data fuiſſe ex intentione prava, nempe ad turpia ſolicitandi. Neque in tali caſu putarem in meliorem partem interpretandam intentionem Confeſſarii, quamvis mulier ſit pauper; nam ex una parte dantur vehementes præſumptiones dona collata fuiſſe animo ſolicitandi, & ex alia credere non eſt hujuſmodi inhoneſtos Confeſſarios ex motivo miſericordiæ dona elargiri. Si vero nec ex antecedentibus, nec ex ſubſequentibus conſtaret de prava intentione Confeſſarii, non facile illum judicarem reum ſolicitationis; nam qui hoc ardent impuriſſimo igne non poſſunt omnino celare, quin aliquo pacto foris prodeat; & alterius ſunt aliqui adeo prodigi, ut ſibi ſatisfaciant res ſuas elargiendo.

R. III. Incidit in pœnas contra ſolicitantes Confeſſarius, qui in confeſſione ſolicitatus a pœnitente ad copulam, divertit eam ſolummodo ad tactus, & amplexus. Et quidem hæc opinio omnino eſt amplectenda, etenim quamvis daremus Confeſſarios non eſſe denunciandos ex eo præciſe quod conſentiant ſolicitationi; omnino videntur denunciandi, dum ipſi evadunt ſolicitantes; quod conſtat intervenire in caſu noſtro, dum ipſi ſolicitant ad inhoneſta, ad quæ non ſolicitavit mulier. Præterea ſunt denunciandi Confeſſarii, qui habent *illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus* cum pœnitente; atque ita certe evenit in caſu noſtro, quia eſt ſolicitator ad tactus & oſcula: *Bordon. in Man. ſect. 25. q. 45. n. 172., Dian. p. 4. tract. 5. reſol. 13.* & apud ipſum alii.

Magis vero in controverſia eſt apud Theologos, an ſit denunciandus Confeſſarius, qui nihil aliud facit, quam conſentire ſolicitationi. Non pauci ſuſtinent etiam in terminis Conſtitutionis Gregorii XV. hunc Confeſſarium non eſſe denunciandum. Et ratio eſt, quia, ſi eſſet denunciandus, id faciendum eſſet, quia conſentiendo verificaretur inhoneſtos tractatus cum muliere ſolicitante habuiſſe, ut ſupra dictum eſt: Huic autem rationi videtur aliquibus poſſe reſponderi, quod cum ſimus in pœnalibus, & odioſis, verba Bullæ ſunt ſtricte interpretanda, adeoque intelligenda de illicitis ſermonibus, & tractatibus, quorum ſit Author Confeſſarius. Præterea juxta communem intelligendi ſenſum; non videtur dici Author alicujus tractatus, qui ſolum tractatui ab altero expoſito conſentit: *Bordon. in Tribunal. cap 23. quæſt. 16. a numer. 72. & in Man. ſect. 25. quæſt. 43. numer. 169., Sanctarel. de hæreſ. cap. 46. numer. 2.* & alii relati a Diana *par. 5 tract. 9. reſolut. 56.*, ubi hanc opinionem dicit tutam, & probabilem. Quamplures tamen huic opinioni refragantur, quos ſequuntur Salmanticenſes *tract. 21. cap. 4. part. 3. numer. 42.* putantes tantum conſentiendo verificari inhoneſtos tractatus, & ſermones cum Pœnitente habuiſſe.

Hic autem obiter contra aliquos advertas non eſſe denunciandam mulierem ſolicitantem; nam Conſtitutiones Pontificiæ diriguntur contra Confeſſarios ſolicitantes; & ulterius in pœnalibus rejicitur argumentum a pari, a ſimili, a contrario ſenſu &c. ut dixi *tract. 3. q. 4 cap. 2. quæſ. 5.*, & pluribus docet Diana *part. 5. tract. 9. reſol. 55.* Item non eſt par ratio de muliere, ac de Confeſſario ſolicitante; nam rariſſime accidere poteſt ſolicitatio ex parte mulieris; & minus etiam peccat, ſi ſolicitet, quam Confeſſarius: *Sanctarel. de hæreſ. cap. 46. num. 4, Graff. l. 2. caſ. reſerv. cap. 11. num. 38.*

Q. VI. Quando detur obligatio denunciandi ratione ſolicitationis habitæ *ſive ante, ſive poſt immediate.*

R. I.

R. I. Cum ex Constitutione Gregorii detur obligatio denunciandi Confessarium solicitantem *immediate ante*, *vel immediate post* confessionem, dubium oritur quæ solicitatio dicenda sit *ante*, *vel post confessionem immediate*, præscindendo modo ab obligatione denunciandi, quæ orriri possit ex solicitatione facta in Confessionario, vel occasione, aut prætextu confessionis. Dico ergo quod si inter solicitationem, & confessionem nihil mediet, taliter quod nec Confessarius, nec pœnitens ad alia se divertant, verificari potest solicitationem factam esse immediate ante confessionem. Si igitur postquam aliquis petiit confiteri, a Confessario solicitetur, intelligitur solicitatio intervenire immediate ante confessionem, quamvis postea nulla fiat confessiu: *Passerin. in 6. Decret. lib. 4. & 5. de hæretic.*, *cap. Ut Inquisitionis numero 94.*, *Bordon. in Man. sect. 25. numero 31.*, *Del Bene de Offic. Inquis. part. 2. dub. 237. sect. 9. n numero 4.* Hinc omnino denunciandus Confessarius, qui mulieri petenti confessionem suadet in aliud tempus illam differre, ac interim provocat ad venerem: *Boss. de Confessar. solicit. dub. 12.*, *Diana part. 5. tract. 9. resolut. 43. aliique* quos sequuntur *Salmanticenses tract. 21. cap. 4. part. 3. numero 49.* Si vero mulier dixisset se velle in crastinum confiteri, ac interim ad venerem Confessarius eam solicitaret, dicendum est esse denunciandum, si solicitatio fiat in Confessionario, vel prætextu confessionis, de quibus postea, non vero quia verificetur solicitationem factam esse immediate ante confessionem cum esset in diem crastinam facienda: *Bordon. in Man. sect. 25. numer. 33.*

R. II. Nonnulli ly *immediate* post confessionem sumunt physice; itaut velint solicitationem non dicendam factam immediate post confessionem, si post absolutionem mulier, vel Confessarius ad aliquem actum extraneum se divertant, & solicitatio eveniat, postquam ita ad actum extraneum saltem aliquis ipsorum se divertesit: *Passer. in cap. ut Inquisitionis citat. numero 93. Del Bene Offic. Inquisitionis part. 2. dub. 237. sect. 9. numero 2.*, *Boss. de Confess. solicit. dub. 15. numero 38.* & alii. Et quidem cum simus in pœnalibus ly *immediate* sumendum videtur secundum propriam illius significationem, & ea est, quod denotet id, quod fit sine medio, reiiciendo omne intervallum: *Barbos. de Diction. usu freq. dict. 150.* Non pauci tamen affirmant ly *immediate* in Constitutione Gregorii idem significare ac *incontinenti*, quæ dictio non excludit aliquod intervallum inter unam, & aliam rem, quæ dicitur *incontinenti* fieri post antecedentem, ut ex *Barbos. dict. 155.*, ac proinde censent intervenire solicitationem prohibitam in Pontificiis Constitutionibus, quamvis sequatur post aliquod breve tempus post obtentam absolutionem: *Lezan. in Sum. qq. Regul. cap. 19. numero 34. Graff. de cas. reserv. lib. 2. cap. 12.* & alii. Quam autem sequi debeamus explicationem illius dictionis *immediate* in hac materia pęnali, alii videant. Illud mihi dicendum videtur, quod si e. g. Confessarius statim post confessionem docat puerum in suum cubiculum, ibique solicitet, omnino sit denunciandus; qoia ex post facto dignoscitur statim post confessionem apposuisse medium ad puerum postea solicitandum; adeoque solicitatio est illi imputabilis ab eo instanti, in quo posuit tale medium ut in simili dixi supra, & doeent in præsenti cum aliis Salmant. *tract. 21. cap. 4. part. 3. numer. 50.* An vero solicitatio, quæ eveniat post aliquod intervallum a confessione, dicenda sit facta occasione confessionis, infra explicabo.

Q. VII. Quando detur obligatio denunciandi ratione solicitationis *factæ occasione*, *vel prætextu confessionis*, *etiam ipsa non sequuta*, ut dicitur in Constit. Gregorii.

R. I. Dio *occasione* importat causam remotam & impulsivam, etiam non veram, & sine ratione; ac proinde dici solet occasionem quærere, hoc est non veram, qui vult discedere ab amico: *Barbosa dict. 236.* Qui ergo ratione confessionis impulsum habuit ad fœminam solicitandam, dicendus est solicitasse occasione confessionis. Hinc dicitur solicitare *occasione* confessionis, qui mulierem petentem confiteri ad alia divertit, & differendo in aliud tempus confessionem, interim solicitat. *Salmat. tract. 21. cap. 4. part. 3. num. 52.* Idem omnino puto dicendum de Confessario, qui cognoscens ex confessione aliquam mulierem esse levem, inde movetur ad eam postea in Ecclesia, vel alibi solicitandam, sive id faciat per se ipsum, sive per litteras, sive per lenonem. Et quidem in utroque casu ex confessione habet impulsum ad solicitandum, adeoque verificatur solicitasse occasione confessionis: *Lezan. in sum. qq. regular. tom. 1. capitulo 19. numero 34.*, *Boss. de Confess. solicit. dub. 15. num. 40.*, *Bordon. in man. sect. 25. num. 38.* Contrariam opinionem ut veriorem defendunt Salmant. *tract. 21. cap. 4. part. 3. nu. 51.* at, meo videri, non satis probant solicitationem vere dici non posse habitam fuisse *occasione confessionis*.

Item credo denunciandum Confessarium qui obtinuit a muliere assensum copulæ, quam petebat, quia promisit se postea ipsius confessionem auditurum. Esto igitur incæpisset solicitationem sine ulla occasione, vel prætextu confessionis, nihilominus dum obtinuit consensum mulieris ex verecundia renuentis, quia promisit se illam auditurum in confessione, solicitatio completa fuit occasione confessionis postea faciendæ, adeoque verificatur intervenisse occasione confessionis, & intercessit irreverentia Sacramenti. Bene tamen dici potest non esse denunciandum Confessarium, si extra omnem circumstantiam Bullæ solicitet mulieram, qua renuente, audiat postea ipsius confessionem: *Boss. de Confession. solic. dub. 12. numero 31. Del Beno de offic. inquis. par. 2. dub. 237. sect. 9. num. 6.*

R. II. Cum *prætexere* nil aliud sit quam unum agere, & aliud omnino diversum exterius ostendere, *ex leg. sua prætextu in cap. de transact.* tunc interveniet solicitatio *prætextu confessionis*, quando sub ipsius velamine Confessarius ad inhonesta solicitaret. Hinc esset denunciandus Confessarius, qui extra Confessionarium existens, ut mulierem ad venerem pertraheret, ipsam interrogaret, an vellet cum eo confiteri, ac deinde solicitaret; hic etenim vere sub confessionis prætextu illam solicitat: *Bordon. in Man. sect. 25, numero 39.* E contra non videtur denunciandus Confessarius, si sub prætextu confessionis vocatus a muliere se fingente ægrotam, cum eadem solicitante peccat; nam prætextus confessionis non fuit ex parte Confessarii, quem principaliter prohibere voluerunt summi Pontifices: *Salmant. tract. 21. cap. 4. §. 4. numer. 54.* & upud ipsos plures DD. Oportet tamen inceptam non fuisse confessionem, in quo casu aliqui excusant Confessarium solicitationi consentientem, solummodo quando ex vi gravis metus consentiret; ut si fœmina ipsi renuenti diceret se exclamaturam, ac affirmaturam sibi ab ipso violentiam intentatam. Et ratio ea esse videtur, quod gravis metus excuset a pœnis lege Ecclesiastica inductis: *Del Bene sect. 13. petit. 10.* Alii nihilominus omnino rejiciunt hanc opinionem: *Carena de offic. Inquis. part. 2. tit. 6. §. 9.* ac judicatam suisse improbabilem refert Cozza *de Confess. solicitat. dub. 11. num. 70.*

Multo minus sunt denunciandi illi Confessarii, qui conveniunt cum fœmina de venereis domi agendis, & ut facilius licentiam exeundi obtineant a suis Superioribus, vel ipsi petunt licentiam sub prætextu confessionis, vel fœmina ipsos vocar sub eodem prætextu. Ratio est, quia obligatio denunciandi oritur ex solicitatione facta sub colore, & prætextu confessionis cum ipsa pœnitente, & idem dicendum de solicitationo, quæ facta fuerit occasione confessionis; in casu autem prædicto prætextus confessionis est respectu tertiæ personæ, non vero respectu Pęnitentis: *Bordon, in Tribun. quæst. 7. numero 58. Salmant. citat. numero 55.* Oportet tamen non simulare coram domesticis facere, seu audire confessionem ex statim dicendis.

Q. VIII. Quando oriatur obligatio denunciandi propter ea verba Coultitutionis Gregorii XV. *Extra occasionem confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire.*

R. Prædicta verba tria loca, in quibus audiri possunt confessiones, designant. Primus est ordinarium Confessionale. Secundus, alter quicumque locus, ubi audiuntur confessiones; & ita se habent quædam cellulæ in primis Monasteriorum claustris, ubi sunt genuflexoria cum Crucifixi Imagine designata ad audiendas confessiones Sæcularium. Tertius est locus quicumque extra prædicta ad audiendas confessiones a Confessario electus; ita etenim designant illa ver-

ba, seu ad *confessionem audiendam electo*, alias fuissent superflua, quod dicendum non est ex dictis *tract. 3. qu. 4. cap. 2. quæst. 3. resp. 3.* Porro omnes conveniunt adesse obligationem denunciandi Confessarium, si solicitet in prædictis locis revera confessionem simulando, ut clare patet ex verbis in quæsito appositis. Simulatio vero intervenit, quando ita externe se gerit Confessarius, ut adstantes putent hic & nunc audire confessionem; ut si ita simularet se applicatum, sicut facere solet, quando audit confessionem; seu extenderet manum erga pœnitentem, quasi vellet absolvere. Non puto tamen sufficienter simulari confessionem ex sola mulieris genuflexione in confessionario, cum plura ibidem soleant genuflexæ cum Confessario pertractare, absque eo quod confiteantur sua peccata. E contra dicendum est sufficere solam simulationem confessionis ex parte Confessarii, quia verba Bullæ ad Confessarios diriguntur: *Simulantes ibidem confessiones audire*. Ulterius non est necesse simulationem ex animo intervenire, sed sat est, si facto ipso demonstretur: *Passerin. in 6. Decretal. cap. ut Inquisit. in 6. numer. 95.* & communiter.

Difficultas autem non levis, & discrepantia apud DD. est, an solicitans in Confessionario non simulando confessionem, sit denunciandus. Et quidem ex Constitutione Gregorii solum denunciandus est solicitans in prædictis locis, si simul simulet confessionem, ut constat ex verbis relatis; at non pauci volunt solicitantem in Confessionario esse denunciandum, quamvis non simulet confessionem, ex quodam Decreto Pauli V., qui solicitationem factam in Confessionario, nulla simulationis confessionis mentione facta, voluit esse denunciandam. Hunc proinde Confessarium esse denunciandum, docet Bordon. *in man. sect. 25. num. 50.*, & plures alii. Nihilominus cum non pauci DD. putent Gregorium XV. reduxisse deinde Decretum Pauli V. ad terminos simulationis, & cum pariter versemur in pœnalibus de sua natura restringendis, videtur dicendum non carere sua probabilitate ea opinio, quæ vult hujusmodi Confessarium non denunciandum, si solicitet in Confessionario, non simulando confessionem. Et hoc etiam confirmari potest, quia tunc nulla intervenit injuria Sacramenti, quam voluerunt removere Summi Pontifices, unaque curare, ne eo abuterentur Confessarii in perniciem animarum: *Lezan. in Sum qq. regul. tam. 1. cap 19.*, *Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 9. part. 8. num. 4.*, *Del Bene dub. 237. sect. 11.*, *Salmat. tract. 21. cap. 4. part. 4. part. 4. num. 58.* *Passer. in 6. Decretal. cap. ut Inquisitionis num. 95.* & apud ipsos alii. Si proinde Confessarius de inhonestis ageret, vel perpetraret cum pœnitente in Confessionario, non simulando ullo pacto confessionem, quia e. g. nullus esset præsens; vel si ita cum pœnitente pertractaret de iisdem, ut omnes cognoscere possent nullam intervenire confessionem, puta, quia Confessarius sedet in Confessionario, & mulier stat, vel sedet coram ipso &c. in istis, inquam, casibus juxta allatam opinionem, non esset obligatio denunciandi Confessarium.

Q. IX. An sit denunciandus Confessarius non præmissa fraterna correctione, vel si sit emendatus.

R. Prædictum Confessarium esse denunciandum, etiam non præmissa fraterna correctione, vel etiamsi emendatus reputetur, constat ex dictis *tract. 6. capitul. 6. quæst. 2. & 3.*, eædem rationes militant in casu præsenti. Et quidem cum quam maxime expediat atrox hoc delictum ab Ecclesia omnino proscribere, non acquiescerem authoritati aliter sentientium, cum validissimæ sint rationes pro adstruenda obligatione denunciandi, & non exiguus DD. numerus id asserentium, ut videre est apud Salmaticenses *tract. 21. cap. 4. §. 2. num. 78. & §. 3. num. 99.*

Q. X. An sit denunciandus Confessarius solicitans, si de tali crimine non fuerit diffamatus.

R. Non desunt DD. apud Salmaticenses *numer. 80* volentes non esse denunciandum Confessarium, qui de solicitatione non fuerit diffamatus, quia Summi Pontifices Pius IV., Clemens VIII., & Paulus V. volunt Inquisitores procedere contra Confessarios de solicitatione *quomodolibet diffamatos*. At hanc opinionem omnino rejiciendam puto, & ratio est, quia, quamvis simus in pœnalibus, nihilominus verba legis late sunt interpretanda, quoties ex stricta interpretatione inutilis redderetur. Ita autem eveniret in casu nostro, si non esset denunciandus Confessarius, nisi hujus criminis infamia laborans; secretissime etenim committitur & solum notum est mulieri solicitatæ. Ulterius infamia oriri non posset, nisi ipsa solicitata aliis solicitationem manifestaret, ac proinde onus denunciandi fundatum esset a lege in alterius peccato, quod omnino dicendum non est: *Bordon. in Man. qu. 33. sect. 25. nu. 115.* *Del Bene de Off. inquis. par. 2. dub. 237. sect. 13. nu. 4.* Ne ergo lex imponens denunciationem inutilis reddatur, diffamatio in præsenti debet latissime interpretari; atque ita innuere videntur ipsi Summi Pontifices, dum volunt procedendum contra Confessarios de hoc crimine *quomodolibet* diffamatos; hoc etenim adverbium designat infamiam, etiam apud solam personam solicitatam, ut observat Paulus *tract. 4. disp. 9. part. 10. n. 10.* *Sanctarel. de hæres. cap. 44. num. 8.*, *Del Bene loc. citat. n. 5.* Accedit ad adstruendam obligationem denunciandi Confessarium stricte non diffamatum, non teneri Denunciantem ad probandum delictum, ut dixi *tract. 6. q. 5. cap. 6. q. 1.*, *& tract. 15. q. 2. cap. 4. q. 1.*

CAPUT II.

De Causis, quibus aliquis excusari potest a denunciando confessarium solicitantem.

Q. I. AN teneatur denunciare Confessarium solicitantem, qui timet grave damnum sibi, quia e. g. putat suam infamiam sequuturam, maxime quia ipsa consenserit solicitationi.

R. I. Si vere, & rationabiliter ex denunciatione grave timeatur damnum in vita, fama & rebus temporalibus, excusari posset pœnitens a denunciando. Ratio est, quia datur jus naturale ad hæc damna præcavenda, contra quod jus non prævalet jus positivum Ecclesiæ, quæ ulterius non solet obligare cum gravi incommodo ad suarum legum observantiam: *D. Th. 2. 2. quæst. 147 art. 3. ad 4.*, *Sanch. de matr. l. 4. d. 4 num. 9.*, *Farinac. de hæres. q. 557. num. 53.* Accedit leges imponentes denunciationem de sua natura non obligare cum gravi incommodo, quia non habent illud de sua natura adnexum, uti se habent e. g. præcepta facta militi de non relinquenda statione, vel Parocho de assistendo infirmis peste laborantibus. Quando autem lex de sua natura non exposcit cum gravi incommodo adimpleri, cessat obligare, si istud grave incommodum superveniat, ut constat de lege imponente jejunium, auditionem Sacri &c.

Bene autem Salmanticenses *tract. 6. cap. 4. a num. 89.* dicunt etiam cum quocumque damno faciendam denunciationem, quoties ex hoc crimine orietur despectus hujus Sacramenti, & animarum pernicies. Hoc autem quamvis posses non intercedere, quando certo cognosceretur aliquem semel solicitasse non ex despectu Sacramenti, sed amore libidinis, utique eveniret quando solicitatio oriretur ex parvipendentia Sacramenti, vel si solicitans esset vir potens, & frequenter solicitaret. In his ergo casibus ratio boni communis, & præcavendi damnum Religionis, præponderat cuicumque privato damno, adeoque numquam esset omittenda denunciatio.

R. II. Etsi fœmina solicitationi consenserit, non est excusanda a denunciatione, ut ex Decreto Congregationis S. Officii, quod legere est apud Genet. in calce Tomi 4 editionis Venetæ. Ratio est, quia in Tribunali Inquisitionis ipsa non consideratur ut complex, quæ, regulariter loquendo, non tenetur manifestare alterius delictum, in quo fuit complex; & ideo non consideratur ut complex, quia Constitutiones Apostolicæ non sunt contra mulieres consentientes solicitationi, sed contra Confessarios. Hinc non potest ab Inquisitoribus interrogari de suo consensu; & si ipsa ex simplicitate manifestet, non attenditur, ut ex eodem Decreto Supremæ Inquisitionis. Cum autem aliunde Confessarius contra Constitutiones Pontificias deliquerit, non est cur non sit denunciandus: *Sanctarell. de hæres. cap. 44. numero 12.*, & alii, quos sequitur *Diana part. 5. tract. 9. resol. 16. & 54.* Propter easdem rationes mulier tenetur denunciare Confessarium, etsi ad invicem se solicitaverint: *Salmant. tract. 21. cap. 4. num. 67.*, & alii apud ipsos.

Ca-

Cæterum si non induci possit mulier ad denunciandum, vel quia timet a Confessario suum peccatum manifestandum, vel ex verecundia &c. tunc, si id accidat in Urbe, consulenda est S. Officii Congregatio; si extra Urbem, consulendi Episcopi, vel Inquisitores, qui, si rationabile judicent, concedant Confessario facultatem absolvendi cum obligatione denunciandi, cessante impedimento; quam tamen facultatem absolvendi renuentes denunciare non de facili debeant tribuere. Si vero & ipsi difficultatem habeant, consulant præfatam S. Congregationem. Ita ex ejusdem Dectetis apud Cozaam *de Confessar. solicit. dub.* 42.

Q. II. An Pœnitens, qui non denunciavit teneatur denunciare Confessarium jam punitum.

R. Utique est denunciandus Confessarius punitus propter aliam sollicitationem: etenim præceptum est de denuncianda quacumque sollicitatione: unde si punitus fuit pro solicitatione Bertæ, adhuc urget præceptum denunciandi sollicitationem factam Cajæ. Nec refert præsumendum esse emendatum ratione sequutæ punitionis; etenim rarissime constare potest de hujusmodi emendatione, quia perversi difficile corriguntur. Præterea præceptum denunciandi non minus respicit emendationem delinquenti, quam punitionem delicti, multiplicatæ autem solicitationes gravioribus pœnis puniuntur: *Del Bene part.* 2. *sect.* 13. *petit.* 7. *numer.* 5. Quod si aliquo modo certo constaret Confessarium punitum etiam fuisse pro sollicitatione, quam aliqua mulier non denunciaverit, sed quæ nihilominus iis, ad quos spectat, innotuerit, tunc excusari posset a denunciatione facienda, utpote quia videtur inutilis, cum idem delictum bis in judicium non revocetur: *Salmant. tract.* 21. *cap.* 4. *num.* 74. aliique apud ipsos. Secus dicendum, si ex omissa denunciatione delictum non fuit plene probatum; nam tunc Inquisitores jus habent ut fiat denunciatio pro plena delicti probatione: *Del Bene loc. cit.*

Hinc etiam obiter advertas non excusari mulierem a denunciando, eo quod certo sciat Confessarium spontanee denunciasse seipsum, nam obligatio denunciandi imponitur personis solicitatis. Deinde si cessaret ex hoc capite obligatio denunciandi, eludi posset omnino lex; facillime etenim Confessarii deciperent mulieres affirmando spontanee seipsos denunciasse. Demum diminute possent seipsos accusare, & deinde modo dicto impedire ne Tribunal plenam haberet cognitionem delicti. *Cozza dub.* 45.

Q. III. An dentur aliqui, qui excusentur ab onere denunciandi.

R. I. Cum Filii magis nascantur Patriæ, quam Parentibus, ut dicit Glossa *in lib.* 1. *§. Et generaliter ff. de Ventr. in possess. mitten. v. Reipublicæ*, omnes fatentur nec ipsos filios excusari a denunciandi parentibus, quoties periclitaretur publicum bonum, & maxime spirituale. Hinc omnes conveniunt teneri filios; maxime si non adsint, qui id faciant, denunciare Parentes in crimine hæresi, læsæ Majestatis, &c. quamvis, regulariter loquendo, Agnati, & Cognati non teneantur ad testificandum contra sibi affines, & Consanguineos intra quartum gradum, ut dixi *tract.* 15. *quæst.* 3. *cap.* 2. *quæs.* 5. Insurgit modo non levis difficultas, an hujusmodi doctrina eximat a testificando in criminibus inducentibus suspicionem hæresis, inter quæ est solicitatio. Ego autem inter opinionum diversitatem, loquerer in præsenti, sicuti dixi supra de obligatione denunciandi, etiam in casu timoris gravis damni. Si igitur ex pravitate vitæ, & communi æstimatione credendum sit Confessarium solicitare ob despectum Sacramenti, & non semel eodem abuti in perniciem animarum, tunc ratione gravis, & communis damni spiritualis, dicerem a quocumque esse denunciandum. Si vero ipsius mores, & communis hominum æstimatio faciant dignoscere amore potius libidinis semel solicitasse tunc putarem a prædictis non esse denunciandum; tum quia ex talia denuntiatione facillime orirentur inter Cognatos, & Agnatos gravissimæ rixæ, & discordiæ, quæ malu unusquisque jus habet præcavendi, si jus fortius non urgeat; quia jus naturale vult denunciatione non violandum mutuum amorem, seu teverentiam, quæ intercedere debent inter tales personas, si aliud jus validius non cogat tale jus violare. Exceptis igitur formaliter hæreticis, quoad mere suspectos de hæresi non esse obligationem eos denunciandi, docent *Bordon. in Tribun. cap.* 31. *quæs.* 10. & 11., *Dian. Coordin. tom.* 5. *tract.* 9. *resol.* 11. & plures alii.

R. II. Qui audivit a levibus personis aliquem Confessarium sollicitasse, non tenetur illum denunciare. Quamvis igitur in favorem Religionis in Officio Inquisitionis admittantur ad testificandum etiam Personæ alias inabiles: *cap. in fidei favorem de hæretic. in* 6. nihilominus credi non potest velle Pontificias Constitutiones aliquem se exponere evidenti periculo proximum infamandi, quod certe eveniret, si denunciarem ex solo dicto levis personæ. Omnes vero conveniunt denunciandum Confessarium, quem personæ non leves dixerunt solicitasse, quia Edicto Inquisitionis non solent solummodo obligare scientes, sed etiam audientes: *Dian. part.* 5. *tr.* 9. *resol.* 69. & alii apud ipsum.

R. III. Aliqui excusant a denunciando illum, qui sub secreto naturali commisso scit alicujus Confessarii sollicitationem, cum enim obligatio servandi secreti naturalis sit de jure naturæ, videtur prævalere obligationem inductæ jure positivo, qualis est obligatio denunciandi Confessarium sollicitantem: *Fragos. de Republica Christ. tom.* 2. *p.* 2. *l.* 5. *disp.* 14. *§.* 1, *n.* 11. Verum ex dictis *tract.* 13. *q.* 4. *cap.* 4. *quæs.* 3. constat infirmam esse hujusmodi rationem, quia ipsum jus naturæ dictat secretum, etiam juramento firmatum, non esse debere in damnum tertiæ personæ, & multo magis in damnum commune; & cum hæc incommoda evenirent, si servandum esset secretum de commissa sollicitatione, hinc est in tali casu omnino cessare obligationem naturalem servandi secretum, & consurgere obligationem præfata damna removendi. Si vero sollicitatio esset manifestata causa petendi consilii, tunc non crederem onus esse denunciandi; quam maxima etenim orirentur damna quoad bonam commune temporale, & spirituale, si timere possent homines violandum secretum rei manifestatæ causa petendi consilii. *Palaus tract.* 4. *disp.* 9. *part.* 10. *num* 5. *Trull. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *nu.* 90., aliique quos sequitur Leander *de pænit. tr.* 5. *d.* 13. *quæst.* 45.

R. IV. Quidam putarunt modum evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis esse, si persona sollicitata confiteatur cum sollicitante. At Alexander VII. sub *numer.* 7. hanc damnavit opinionem; quamvis etenim iste Confessarius non teneretur monere mulierem de obligatione denunciandi adversus seipsum, certum est quod statim ac postea sciret hanc obligationem, deberet ipsi satisfacere. Cæterum non desunt asserentes ab hoc Confessario monendam Pœnitentem de obligatione denunciandi; quia sibi imputare debet se in has angustias reduxisse *Anton. a Spir. S. in Direct. Conf. part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 18. *§.* 7. *num.* 5467.

Q. IV. An cesset obligatio denunciandi ex eo quod transactum sit longum tempus.

R. Quoad delictum hæresis numquam præscriptio datur favore delinquentis contra Judicem: *can. sane* 6. *caus.* 24. *qu.* 2. unde etiam post mortem hæreticus est denunciandus *Bord. in Man. sect.* 18. *part.* 31. *num.* 60., *Caren. part.* 2. *tit.* 19. In aliis vero delictis cessat obligatio denunciandi per mortem delinquentis, qui etiam tempore quinquennii præscribit adversus Judicem, ne procedere possit contra suum crimen: *Bordon. in Trib. cap.* 30. *a num.* 8. Hinc si persona sollicitata vel culpabiliter, vel inculpabiliter omisit per integrum quinquennium denunciare, excusari poterit a denunciatione, quando aliter non præscribant particularia Diœcesum Edicta. Ex his etiam haberi potest, an teneatur denunciare fœmina, quæ ab initio non percepit verba Confessarii inducere ad turpia, si post aliquod tempus fuisse sollicitatam cognoscat. Hæc excusari non potest a denunciando, ni integrum elapsum fuerit quinquennium.

Q. V. An Confessarii teneantur monere pœnitentes de obligatione denunciandi Confessarios sollicitantes; & quam pœnam incurrant pœnitentes huic obligationi non satisfaciendo.

R. I. Quoad obligationem, quam habent Confessarii monendi pœnitentes de denunciandis Confessariis sollicitantibus, hæc leguntur in Bulla Gregorii: *Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos*

noverint fuisse ab aliis, ut supra solicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis; quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios solicitantes, seu tractantes ut supra, iidem locorum Ordinarii, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

R. II. Ex Decreto S. Romanæ Universalis Inquisitionis Pęnitentes nolentes denunciare Confessarium solicitantem, incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ, eidemque Tribunali reservatam. In nostra Diœcesi Ordinarii sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ipsisque reservatæ, percipiunt denunciari intra quindecim dies hæc, aliaque crimina in Edicto contenta.

An vero excusentur a denunciando, & consequenter a præfatis pęnis, si non possint personæ sollicitatæ per seipsas personaliter convenire Ordinarios, vel Inquisitores, disputat hinc inde Viva, explicando propositionem septimam inter damnatas ab Alexandro VII. Inclinat autem ad asserendum denunciationem faciendam per epistolam, vel per interpositam personam, si non expediat, vel fieri non possit per seipsam a persona solicitata. Ego etiam adhærerem ipsius opinioni, non quia impeditus adire Superiorem teneatur ipsum adire pro absolutione a reservatis, & a censuris, eo tamen modo, quo dixi *tract. 4. q. 1. c. 6. quæst. 4.*, & superiori quæstione; sed quia in præsenti materia specialis militat ratio. Ea autem est, quia agitur de denunciando crimine, quod sæpe ipsæ personæ solicitatæ non possunt facere per seipsas, accidit enim ut plurimum in ordine ad mulieres, vel puellas, quæ si certe absint a loco, ubi sunt Ordinarii, & Inquisitores, difficillime per seipsas poterunt denunciare. Non raro etiam difficillime denunciare poterunt, quamvis morentur in talibus locis, & maxime puellæ, quæ sunt sub cura parentum. Cum igitur valde frequenter frustraneæ redderentur Bullæ Pontificiæ, si cessaret obligatio denunciandi, quoties denunciatio fieri non posset immediate ab ipsa persona solicitata, hinc dicendum est mentem fuisse Pontificum, ut præfatæ personæ per alios saltem denunciarent. Accedit agi etiam de crimine, quod valde officit communi bono spirituali; unde Justitia Legalis, sive Charitas exposcunt ut eo modo, quo fieri potest, impediatur.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Bene sciat Confessarius casus, in quibus adest denunciandi obligatio, ut bene satisfacere possit suo muneri quoad hoc delictum eliminandum. Sciat igitur monendos pœnitentes de obligatione denunciandi Confessarios, si solicitent in confessione; si immediate ante, vel immediate post confessionem, si occasione, vel prætextu confessionis; si solicitent in Confessionario, aut in quocumque loco, ubi confessiones audiuntur, seu electo ad confessionem audiendam, simulando ibi confessionem. Porro in prædictis casibus adest obligatio denunciandi, si solicitatio sit ad venerea, vel perpetranda cum ipso Confessario, vel cum aliis; aut si Confessarius habeat cum pœnitente sermones, aut tractatus inhonestos.

II. Quamvis Confessarius ex opinione vere probabili posset non monere pęnitentem de denunciatione facienda, quia scilicet detur opinio validis innixa rationibus, talem sollicitationem in Pontificis Constitutionibus non comprehendi; nihilominus abhorreat a laxioribus opinionibus, cum curandum sit hoc crimen tam perniciosum ab Ecclesia eliminari. Id autem maxime observet quoad eas opiniones, quæ, quamvis speculative loquendo verosimilitudinem præseferre videantur; nihilominus in praxi adinvenitur sufficiens fundamentum non habere. Adinveniet e. g. vigintisex DD. docentes apud Leandrum *tract. 5. disp. 3.*, excepto hæretico dogmatizante, non esse denunciandos quoscumque alios criminosos, quos credere est emendatos. Adinveniet legitimum esse signum emendationis per tres annos a crimine abstinuisse: *Passer. in 6. Decretal. lib. 5. c. 18. n. 123.* At quomodo in praxi mulier e. gr. solicitata habere poterit istam prudentem credulitatem, Confessarium nempe per triennium a crimine sollicitationis abstinuisse? An fortasse, quia Confessarius quamdam externam pietatem demonstret? An quia ipse affirmaverit mulieri, jam a pluribus annis ab hoc crimine abstinuisse &c.? Ob hæc fallacia signa ita credere emendatum, ut cesset obligatio denunciandi, esset viam aperire ad committenda impune crimina atrociora; adeoque in praxi ex hoc capite cou cessare obligationem denunciandi, melius docent alii Theologi, ut videre est apud Albritium *de Inconst. in Fid. capit. 35. numer. 49.*; *Bordon. in Tribun. quæst. 26. numer. 98.*

Pariter speculative verum est rationabiliter timentem damnum grave vel in persona propria, vel persona non sibi remote conjuncta, excusari a denunciando, nisi aliter exposcat bonum commune: *Passer. citat. numer. 130.*, *Del Bene Inquis. part. 1. dub. 20.* Pariter verum est accidere posse, ut hic & nunc rationabiliter, & prudenter tale grave damnum timeatur ratione denunciationis a muliere solicitata in persona propria, seu Mariti, filiorum &c. At nihilominus quoties in praxi hæc gravia damna solummodo sunt in apprehensione personæ solicitatæ; & fortasse hujusmodi vani timores repræsentantur Confessario, eo fine, ut non adesse obligationem denunciandi pronunciet.

III. Veram pariter reputavi sententiam, qua dicitur, quod quando dubium est, an facta, vel verba Confessarii importent solicitationem, non sit obligatio illum denunciandi ex rationibus supra adductis: ultraquamquod Bullæ Pontificiæ emanatæ sunt contra solicitantes, solicitatio vero dubia non est dicenda solicitatio; sicut delictum dubium non reputatur delictum, ut probat *Sanch. lib. 1. Sum. cap. 10. num. 74.* At in praxi ex circumstantiis, quod speculative dubium est, indubium multoties apparebit. Lis e. g. est inter Authores, an sit solicitatio laudare pœnitentem a pulchritudine; at ni appareat finis honestus ita laudandi, ut si Confessarius diceret mulieri se prostituendo facere injuriam suæ pulchritudini; difficillimum est excusare a denunciatione Confessarium ita laudantem. Et quidem de sua natura talis laus habet mulierem solicitare; ad quid ergo sine fine honestu in Sacramento ita laudare? Ad quid laudare, fortasse etiam quemdam affectum, & propensionem erga mulierem demonstrando? Clare etiam appareret esse denunciandum, si audiendo confessionem Ancillæ, pulchritudinem Dominæ laudaret, mandaretque ipsi referre; ita etenim agendo habet cum illa inhonestos tractatus, ut de se patet: *Bordon. in Man. quæst. 119. nu. 115.* Idem dico si Confessarius dicat mulieri pœnitenti: *Si non essem Sacerdos, ducerem te in uxorem, &c.* hujusmodi etenim expressiones impertinentes sunt ad Confessionem, & aliunde habent vim ad turpia alliciendi, idem etenim significant, ac si Confessarius diceret pœnitenti: *te amo, mihi grata es &c.* Quid ergo in praxi sentiendum de his, & similibus expressionibus, quamvis aliqui contradicant? Idem sentio de illis verbis a Confessario dictis pœnitenti: *Memento mei, quia te ex corde amo*; cum etenim non conveniat Confessario ita loqui, atque hujusmodi modi loquendi magis communiter pro alliciendo ad amorem lascivum usurpentur, non est sufficiens ratio in praxi, credendi Confessarium exprimere voluisse amorem honestum, & spiritualem.

IV. Advertat etiam Confessarius quandoque dari veram sollicitationem, quam tamen subdolus Confessarius palliare procurat, ut si diceret mulieri volenti confiteri: *Nolo te in confessione audire, peccare etenim timeo, cum amore tuo captus sim.* Hæc verba dicta immediate ante confessionem, vel occasione confessionis, important sollicitationem prohibitam in Pontificis Constitutionibus, quia vere vim habent solicitandi, quamvis Confessarius id palliare curaverit: *Palaus tract. 4. part. 7. num. 6.* Eodem modo credo omnino loquendum de sequentibus formulis prolatis a Confessario in circumstantiis a Bulla prohibitis: *Ex affectu, quo te prosequor, me totum commovere sentio.... Audienda tua venerea peccata incidi in polutionem involuntariam &c.* Utique hæc verba important obligationem denunciandi, non solum quia important sermones inhonestos, sed quia revera habent solicitare, & tentare mulierem ea audientem: *Bordon. in Tribun. quæst. 3. num. 54.*

num. 54. Ad eamdem palliatam, sed veram sollicitationem pertinet, si Confessarius fœminæ pœnitenti ipsum sollicitanti respondeat: *Deest ne locus & tempus de hujusmodi loquendo?* hæc etenim verba clare significant optare cum ipsa peccare, at nolle ibi exprimere suum animum timore pœnarum. Idem credo dicendum, si Confessarius pœnitentem se accusantem de turpi tentatione, & asserentem ipsi assensum non præbuisse, interrogaret *an peccatura fuisset, si aliquis ipsi pecuniam tradidisset?* si igitur fœminam affirmative respondentem non objurget; vel etsi objurget, adeat postea ipsius domum, ac oblata pecunia sollicitet, facit cognoscere sub talibus verbis sollicitationem celasse.

Puto pariter celari veram sollicitationem, si uxorem conquerentem de tepido viri amore, Confessarius doceat modos lascivos ad illum alliciendum; isti etenim sermones valde habent ad venerem provocare. Præterea est denunciandus, qui habet sermones inhonestos cum pœnitente; *Albit. de inconst. in Fid. cap.* 35. *numer.* 5. Cautus etiam sit Confessarius in faciendis interrogationibus quoad peccata inhonesta; si etenim superfluæ sint, & indecentes, ut sollicitator facile denunciabitur. Multo magis sollicitator reputandus Confessarius, si in circumstantiis a Bullis Pontificiis prohibitis, pœnitenti manum premat, pedem vellicet, digitos intorqueat &c. hæc etenim immunia esse non possunt saltem a gravi sollicitationis præsumptione: Videatur Del Bene *p.* 2. *dub.* 237. *sect.* 3.

V. Si Confessarius ex repugnantia, quam demonstrat mulier sollicitata prudenter timeat non denunciaturam Confessarium sollicitantem, absolvere non debet, antequam denunciet. Si vero elapsum sit tempus, intra quod denunciare debebat, tunc si excusari non possit ex ignorantia, vel aliqua alia causa, non potest illam absolvere ratione censuræ reservatæ. Si nihilominus denunciet etiam postquam incurrit censuram, ex aliquorum opinione absolvi posset a quocumque simplici Confessario; neque etenim excommunicatio reservata reputatur, nisi durante contumacia: *Lupus ad Edict. S. Offic. l.* 7. *dist.* 2. *art.* 1. *diff.* 1. Vide quæ dixi *Tr.* 4. *qu.* 1. *cap.* 6. *quæst.* 3.

VI. Occurrunt non raro tales circumstantiæ, ut personæ ipsæ denonciatæ non possint coram Ordinariis, vel inquisitoribus se præsentare, ut evenire potest respectu conjugatæ, puellæ &c. maxime si distent a Civitate; & in his casibus solent Ordinarii concedere ipsis Confessariis facultatem excipiendi denunciationem. Ego autem semper suaderem Confessariis, si fieri possit, se ab hoc onere eximere; nam accidere potest ex loquacitate fœminarum deinde patefieri per ipsos Confessarios denunciasse atque ita non paucis detractionibus exponuntur, sive etiam periculis.

VII. In hac materia etiam præ oculis habendum est Confessarium incidentem in quamcumque sollicitationem Pontificiis Constitutionibus prohibitam, incidere pariter in secundum casum in nostra Diœcesi reservatum; in eo etenim reservatur Sacramentorum abusus, ac ratione talis abusus Pontifices in sollicitantes tam graves pœnas statuerunt. Addendum tamen, quod licet Bullæ Pontificiæ limitentur quoad sollicitantes ad venerea in solo Sacramento Pœnitentiæ, casus tamen reservatus extenditur ad quemcomque abusum cujuscumque Sacramenti, nec comprehendit solos Confessarios, sed quascumque Personas iisdem abutentes, unde & ipsa mulier sollicitans incidet in hunc casum. Videatur P. Mansi in expositione ejusdem casus.

TRACTATUS XX.

DE SACRAMENTIS EXTREMÆ UNCTIONIS, ET ORDINIS.

ULtima Sacrarum Unctionum, quas Dominus Jesus Ecclesiæ suæ commendavit, est Sacramentum Extremæ Unctionis, ut ipsummet nomen demostrat. Merito autem ait Tridentina Synodus, hoc Sacramentum *non modo Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia esse debet, consummativum existimatum esse a Patribus*; quapropter etiam complementum, & consummatio Pœnitentiæ appellatur. Per ipsum autem semper magis nobis innotescit Dei nostri Misericordia, cum hoc medio voluerit nobis exhibere medicinam pro anima, & corpore sanando, sicuti etiam in extremo agone firmissimum præsidium præbere.

Post explicationem autem eorum, quæ pertinent ad hoc Sacramentum, in alia quæstione ad Sacramento Ordinis differendum. Eo mediante voluit Deus nos habere Pastores, a quibus Sacramenta reciperemus, ac de documentis salutis pro Æterna Vita assequenda instrueremur.

QUÆSTIO I.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT UNICUM.

De essentia, Effectibus, Ministro, & Subjecto Extremæ Unctionis.



Q. I. QUID sit Sacramentum Extremæ Unctionis.

R. Hoc Sacramentum, ut advertit Catechismus *Conc. Trident. part. 2.*, ideo Extrema Unctio appellatur, quia ultima est unctionum, quas Christus Dominus Ecclesiæ suæ commendavit; post sacras etenim unctiones, quas recipimus in Baptismo, in Confirmatione, vel etiam in Ordine Sacro, instante morte hanc ultimam recipimus unctionem. Illud autem fuisse a Christo Domino institutum, a D. Marco insinuatum, & D. Jacobo commendatum, & promulgatum, docet *Trident. sess. 14. de Sacramento Extremæ Unctionis cap. 1.* Verba Apostoli, quæ habentur *cap. 5.* ipsius epistolæ, ita se habent: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittuntur ei.* Hoc autem Sacramentum potest ita definiri: *Extrema Unctio, Sacramentum a Christo Domino institutum ad conferendam infirmo de vita periclitanti salutem animæ, vel etiam corporis.*

Q. II. Quæ sit materia hujus Sacramenti.

R. I. Materia remota Extremæ Unctionis est oleum ex baccis olivarum eductum; cum etenim ex perpetua Ecclesiæ traditione ipsius materia sit oleum, ut docet etiam Tridentinum *sess. 14. cap. 1.*, id intelligendum est de oleo olivarum, hoc etenim absolute intelligitur olei significatione. Quapropter S. Carol. *Act. part. 4. Instruct. Extremæ Unctionis* vult quod si per errorem infirmus ungeretur oleo Catechumenorum, seu Chrismate, Sacramentum iteretur sub conditione oleo infirmorum, cum præfata olea ratione admixtionis aliarum rerum non dicantur simpliciter oleum. Præterea oleum, ut sit sufficiens materia hujus Sacramenti, debet esse benedictum, ut docet Tridentinum supra citatum; & antea docuerat Eugenius IV. in Instructione Armenorum. Adducit vero S. Thom. *in Suppl. 3. part. quæst. 29. artic. 9.* aliquas congruentias, cur voluerit Christus hoc oleum esse benedictum; quia nempe ipse numquam suo contactu sanctificavit oleum, sicut in Jordane sanctificavit aquam, adeoque conveniens fuit benedictione sanctificari. Item eo ipso quod sit benedictum, melius designat effectus, quos producit hoc Sacramentum; sicut etiam ex hoc intelligitur sanationem corporis, si aliquando accidat, non esse tribuendam virtuti naturali materiæ. Quamvis autem non pauci velint non esse idoneam materiam hujus Sacramenti oleum benedictum a simplici Presbytero, quamvis ex Papæ commissione, sed necessario debere esse benedictum ab Episcopo, hæc nihilominus opinio mihi satis non probatur. Ratio est, quia Græci in administrando hoc Sacramento utuntur oleo a simplici Presbytero benedicto, ut ex Arcudio *l. 5. de Extrem. Unction. cap. 2.*, quam praxim utique condemnare debuissent Romani Pontifices, dum Græcos ritus examinarunt, si contraria esset validitati Sacramenti, quod tamen non fecerunt.

Duo alia remanet adnotare: Primum est in administratione hujus Sacramenti illicitum esse usum olei veteris; nam id prohibetur *can. literis de consecr. 3.* Excusaret tamen necessitas a quocumque peccato, dum nempe administrandum esset hoc Sacramentum, & non adesset nisi oleum vetus; *Dian tom. 2. tract. 4 resol.* 8. cum aliis. Usus vero talis olei extra casum necessitatis magis communiter reputatur peccatum grave, quamvis alii solummodo in hoc culpam venialem agnoscant, cum in præfato canone non videatur ipsis adesse rigorosa prohibitio. *Pasqual. in oper. posth. quæst. 386. Leand. hic d. 1. quæst.* 11. Secundum est, quod si intra annum dubitetur oleum benedictum non futurum sufficiens, & non possit oleum benedictum haberi, debet superinfundi oleum non benedictum in minori quantitate: *can. quod in dubiis de consecr. Eccles. Ritual. Rom. de Sacram. Extremæ Unction.* Immo communior opinio Theologorum censet oleum non desinere esse materiam sufficientem pro hoc Sacramento; si ex eo quod pluries superinfusa fuerit modica olei quantitas, quamvis non benedicta superet totam quantitatem ab initio benedictam: *Pasqual. quæst. 136. num. 4.* aliique apud Dianam *tom. 2. tr. 4. resol. 3.* Ratio autem ea esse potest, quia, prima minor quantitas superinfusa reputatur, & ipsa benedicta, cum, ut habet *Sanct. Tom. in 4. disp. 23. quæst. 1. art. 3. & opusc. 65.*, majus dignum trahat ad se minus dignum; unde eadem ratio probat censendum benedictum etiam subsequens oleum, quod in minori quantitate superinfunditur. Ego tamen numquam judicarem fieri posse extra casum necessitatis, quia non desunt asserentes, quod si quantitas non benedicta, diversis vicibus infusa, superet quantitatem ab initio benedictam, tale oleum desinit esse materia sufficiens ad valorem hujus Sacramenti.

R. II.

R. II. Materia proxima hujus Sacramenti est applicatio materiæ remotæ, nempe unctio, quæ *aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægroti inungitur, repræsentat*; ita *Trident. sess. 14. de Sacr. Extr. Unct. c. 1.* In hac autem materia quædam sunt extra controversiam, non esse nempe de necessitate Sacramenti facere unctionem in modum Crucis, nec unctionem pedum, & renum, nec geminam unctionem in geminis partibus v. g. in utroque oculo. Dissidium autem est, an sit de necessitate Sacramenti unctio quinque sensuum. Et quidem magis communiter affirmative respondent; & ratio est, quia formæ partiales hujus Sacramenti exprimunt actualem unctionem quinque sensuum, qui sunt januæ peccati: *S. Th. in 4. dist. 23. q. 1. & in supplem. q. 32. n. 6. Palaus tr. 29. p. 3. n. 6. Avers. hic sect. 4 §. Jam.* Hæc opinio omnino vera est reputanda extra casum necessitatis; nam in Sacramentis conferendis tutiorem partem debemus eligere. Extra casum etiam necessitatis illicite omitteretur gemina unctio, quia esset in re gravi variare usum, & ritus Ecclesiæ. Hæc autem gemina unctio incipienda est a parte dextera, & facienda in modum Crucis, simulque attendendum ne Sacramenti forma absolvatur, priusquam geminæ partes ungantur. Quod si ægrotus careat aliquo membro, in quo unctio facienda erat, ungenda est pars ei proximior; ut enim ait *S. Th. in 4. d. 23. q. 2. art. 3. q. 3. Quamvis non habeat membra, habet tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur, saltem in radice, & interius peccare potest per ea, quæ ad partes illius pertinent, quamvis non exterius.* Quoad unctionem pedum, & renum attendenda cujuscumque Ecclesiæ consuetudo: *Barbos. de potest. Paroch. p. 2. cap. 22. num. 29.* omittenda tamen est unctio renum in fœminis ratione honestatis, ut præscribit Rituale Romanum. Eamdem consuetudinem *num. 32.* dicit attendendam quoad unctionem manuum Sacerdotis in exteriori, vel interiori parte, quamvis putem communiter externam ungi, utpote, quia interior sacro oleo in ordinatione fuit inuncta, & ita præscribit Rituale Romanum.

In casu necessitatis licite, & valide administratur Extrema Unctio unum tantum ex geminis sensibus inungendo, ac inunctionem in modum Crucis omittendo; in quo tamen casu, dum velociter unus oculus, una auris &c. inungitur, exprimendi sunt singuli sensus, dum verba formæ semel eo tempore proferuntur. Si vero periculum sit in mora, unus tantum sensus inungi possit, vel potius caput, dicendo; *Per istam sanctam unctionem &c. indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum deliquisti.* Ita valide conferri hoc Sacramentum docent Theologi, quos sequitur *Diana t. 2. tr. 4. resol. 10.* At quia communior opinio vult unctionem quinque sensuum esse de necessitate Sacramenti, ideo in tali casu Sacramentum solummodo sub conditione esset administrandum, si nempe ea ratione valide fieri possit. Item sub conditione, si vivat, administrandum illi esset, de quo dubitaretur an amplius viveret.

Q. III. Quæ sit Forma Sacramenti Extremæ Unctionis.

R. Forma hujus Sacramenti traditur in Decreto Eugenii, & est hujusmodi: *Per istam sanctam Unctionem, & suam pissimam Misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti.* Illa verba: *per istam sanctam Unctionem*, cum explicent actionem Ministri, quæ omnino exprimenda est ad salvandam formam, necessaria sunt ex communiori sententia ad Sacramenti valorem. Quia tamen satis exprimitur, etsi omitteretur ly *Sanctam*, ideo hoc adjectivum non est necessarium ad essentiam formæ: *Palaus tr. 26. p. 4. num. 3.* Quidam putant non esse de essentia hujus formæ ea verba *& suam pissimam misericordiam*, cum satis Dei Misericordia, quæ operatur in hoc Sacramento, exprimatur per illud verbum: *indulgeat*. Ita Theologi, quos sequitur Leander *de Sacr. Extr. Unct. d. 1. q. 19.* At utraquamquod si fieret extra necessitatem, variaretur in re non levi ritus Ecclesiæ, adhuc in omissione talium verborum daretur gravis culpa, quia exponeretur Sacramentum periculo nullitatis, cum tot Theologi velint esse de essentia hujus formæ illam explicitam expressionem D. Misericordiæ. Illud certum est ly *pissima* non esse de essentia formæ. Putant etiam aliqui probabile, non esse de essentia formæ exprimere nomina sensuum, qui unguntur, ut apud *Dian. t. 2. tr. 4. resol. 14.* at communior opinio est talem expressionem esse de essentia formæ, quia per eam exprimendus est effectus Sacramenti respectu sensus inuncti: *Leand. disp. 1. q. 21., Avers. sect. 4. §. Jam.* Demum notandum formam hujus Sacramenti consistere debere in verbis deprecativis nam S. Jacobus qui promulgavit hoc Sacramentum ait: *Orent super eum, & oratio fidei &c.* Invalida igitur esset, si modo indicativo proferretur dicendo: *Per istam &c. indulget tibi Deus &c.* vel modo imperativo: *Per istam &c. remittatur tibi &c.*

Q. IV. Quis sit Minister hujus Sacramenti.

R. I. Ordinarius Minister hujus Sacramenti est solus Parochus; & ne Regulares hoc ipsorum jus usurpare audeant, adest excommunicatio Papæ reservata in *Clement. 1. de privileg.* contra Religiosos præsumentes ministrare hoc Sacramentum Sæcularibus. Ipse vero Parochus tenetur sub gravi administrare hoc Sacramentum; & quidem ex justitia, cum ratione officii teneatur. Disputant autem Theologi, an teneatur illud cum periculo vitæ administrare; quamvis omnes conveniant etiam cum tali periculo esse ab eo administrandum, quoties infirmus nullum aliud receperit Sacramentum; nam tunc Extrema Unctio, ordinarie loquendo, est, si non extreme, saltem graviter necessaria: qui autem tenetur ex officio, debet etiam cum periculo vitæ opitulari proximo, quoties est in gravi animæ necessitate, ex dictis *tr. 6. q. 3. c. 2. resp. 2.*

Dum vero Infirmus alia receperit Sacramenta, excusatur a pluribus Parochus, si illud cum periculo vitæ non administret; cum tunc non videatur Extrema Unctio infirmo tam necessaria: *Palaus tr. 26. p. 8. num. 6. Gabr. a S. Vinc. q 3. §. Ego*, aliique quos sequitur Barbosa *de Offic. Paroch p. 2. cap. 22. a num. 16.* Ubi etiam notat, quod si alio modo vitare non posset periculum infectionis, maxime tempore contagii, uti posset virga argentea oblonga ad ungendum a loco remotiori, quod ultra alios ab eo citatos, notat etiam Leaana *V. Extr. Unct. num. 5., Dian. tr. 2. tom. 4. resol. 33.*

R. II. Si Parochus absit, vel per manifestam injuriam dare nolit hoc Sacramentum, nec adsit tempus Ordinarium adeundi, tunc quivis Sacerdos Sæcularis, vel Regularis administrare potest Extremam Unctionem, nam in tali casu vel Ordinarius, vel Summus Pontifex censentur licentiam impertiri, ne infirmus in extrema animæ lucta careat Sacramento tam utili, & forte necessario: *Barb. cit. num. 6.* Immo si ageretur de infirmo, qui nullum aliud recepisset Sacramentum, & ex personis rudioribus esset, itaut non posset cum fundamento credi sibi providere posse per perfectam contritionem, tunc quivis Sacerdos ex Charitate teneretur sub gravi etiam cum periculo vitæ hoc Sacramentum illi administrare; nam judicandus esset in Extrema spirituali necessitate, cui solum mediante hoc Sacramento occurri posset, ut ex attrito fieret contritus: *Laym. c. 8. n. 7.* & dixi *tr. 19. q. unic. c. 2. q. 3.*

Hic etiam adnotare volo S. Pium V. in sua Constitutione 31. Theatinis concessisse, absque petita, nec obtenta Parochorum licentia, posse administrare Extremam Unctionem mercenariis, famulis, operariis, servis, ac hospitibus etiam sæcularibus, quos contigerit intra ipsorum habitationem esse in mortis periculo, vel de illo dubium fuerit. Hoc privilegio ex communicatione privilegiorum gaudent etiam alii Regulares, ut ex Passerin. *tom. 2. de Stat. q. 187. art. 1. n. 694.*

Q. V. An hoc Sacramentum possit a pluribus Sacerdotibus administrari.

R. Certum est unicum Sacerdotem sufficere ad Extremam Unctionem administrandam, ut ex *cap. quæsivit de v. sign.* Item certum est extra casum necessitatis illicite hoc Sacramentum a pluribus administrari, quia fieret in re gravi contra usum, & praxim Ecclesiæ. Verum communiter docent Theologi, quos sequitur Barbosa *de Offic. Paroch. c. 22. n. 7.*, valide Extremam Unctionem a pluribus Sacerdotibus simul administrari, itaut unus unum sensum inungat, prolata ab eodem debita forma, alter eodem modo alterum sensum. Ratio autem ea esse potest, quia, cum forma hujus Sacramenti in orationibus deprecatoriis consistat, sicuti oratio dividi potest, & a pluribus fieri, ut constat in Horis Canonicis; ita hoc Sacramentum poterit a pluribus ministrari: *Laym. cap. 6. numer. 3. Bonac. de Extrema Unct. p 3. num. 7.* Si tamen unus ungeret unum oculum, & alter alterum, in multorum opinione invalidum esset Sacramentum, quamvis etenim bene dividi possint unctiones, & a diversis proferri formæ diversorum sensuum,

suum, non tamen videtur dividi posse, adeoque a diversis proferri forma partialis super unum sensum proferenda, e. g. super oculos: *Diana tom. 2. tr. 4. resol. 21.* aliique apud ipsum. Eo quia valide plures Ministri administrare possunt hoc Sacramentum, sequitur quod si unus Minister perficere non possit omnes unctiones, alter ipsi succedere debeat; quamvis aliqui dicant posse ipsum omnes unctiones repetere, nihilominus dicendum est nil repetere debere, sed solum adjicere, quæ supererant: *D. Ant. p. 3. tit. 14. c. 15. §. 5., Barb. de Offic. Paroch. p. 2. c. 22. a. n. 8.* Ex eadem ratione si quia videatur infirmus jamjam moriturus, non possit unus Minister omnes unctiones perficere, poterunt in eodem tempore facere plures Sacerdotes, ita ut unus ungat oculos proferendo formam eis correspondentem, alter aures &c. *Barbos. cit. n. 9.*

Supersedeo ab adnotandis iis, quæ a Ministro observanda sunt in hujus Sacramenti administrationem; nam hæc unusquisque legere potest in Romano Rituali, & insimul attendere debet usum, seu Constitutiones suæ Ecclesiæ. Solum adverto non deesse qui condemnent peccati mortalis Parochum crebro, & sine necessitate retinentem domi Oleum S., cum concipiant in hoc gravem irreverentiam; sicut eamdem gravem irreverentiam intervenire dicunt, si sine stola, & superpelliceo administretur, concedentes solum in casu necessitatis cum sola stola, vel solo superpelliceo administrare.

Q. VI. Quis sit Subjectum hujus Sacramenti.

R. Is, qui recipere debet hoc Sacramentum, primo necesse est esse infirmus; quamvis etenim in Ecclesia Græca etiam sanis conferatur, talis mos numquam viguit in Ecclesia Latina, cum solis infirmis esse ministrandum suadeant illa D. Jacobi verba: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros &c.* Quamvis autem graviter peccaret Extremam Unctionem non infirmo administrans, utpote quia faceret in re gravi contra Ecclesiæ ritum; ego nihilominus non auderem asserere invalide hoc Sacramentum administrare, quia nullibi vidi condemnatum contrarium Ecclesiæ Græcæ ritum. Cum subjectum Extremæ Unctionis sint solum infirmi, ideo hoc Sacramentum negatur inituris quam primum prælium, suscepturis periculosam navigationem, ultimo supplicio mulctandis &c.

Secundo, suscepturi hoc Sacramentum debent esse ratione infirmitatis in gravi vitæ periculo. Ita fuit, & est praxis Ecclesiæ; unde fere ubique consuetudo viget, ut, dum fieri potest, Extrema Unctio ultimo loco inter Sacramenta morituro conferatur, vocaturque etiam Sacramentum exeuntium. Hanc consuetudinem servandam esse notat *Barb. num. 36., & Laym. l. 5. tr. 8. c. 8. n. 4.*, eamque præscribit Romanum Rituale; quamquam nec improbanda, ubi vigeret praxis ultimo loco conferendi Eucharistiam, utpote quæ est Viaticum animæ mox migraturæ, ac finis, & perfectio reliquorum Sacramentorum. Hic tamen advertas, quod dum dixi subjectum Extremæ Unctionis esse infirmos in periculo vitæ constitutos, non intellexi administrandum esse hoc Sacramentum, dum salus omnino sit desperata, & multo minus quando infirmus omnino sensibus sit destitutus; nam tunc minori certe fructu perciperet hoc Sacramentum, ac omnino impediretur a recuperanda salute, mediante hoc Sacramento, cum illam non conferat per modum miraculi, sed causas naturales coadjuvando: *Barb. de Offic. Paroch. c. 21. n. 19.* Inter infirmos autem, quibus administranda est Extrema Unctio, præter eos, qui ex quocumque morbo, seu peste, veneno, vulnere &c. periculose decumbunt, sunt etiam senes, qui absque alia infirmitate senectute conficiuntur; sicut etiam mulieres jamjam in partu deficientes; *Barb. n. 8.*

Tertio subjectum Extremæ Unctionis debuit esse capax peccandi, alias verificari non possent illa verba formæ: *quidquid deliquisti*. Hinc non est administranda pueris ante usum rationis, bene vero omnibus post usum rationis; nec scirem approbare consuetudinem, qua major ætas ad hoc Sacramentum administrandum expectetur. Cum igitur Christus instituerit hoc Sacramentum ad tollendas reliquias peccatorum, ut infra dicetur, & ad roborandam animam luctantem contra Dæmonem in mortis periculo, nescio videre cur hoc Sacramento privandi sint pueri statim ac adepti fuerunt usum rationis; cum difficile sit saltem non peccasse venialiter; & aliunde non habemus fundamentum dicendi hoc Sacramento non indigere ad majus robur accipiendum. Immo si dubium esset, an puer habeat usum rationis, censerem illi hoc Sacramentum sub condicione administrandum, ut ita simul consulatur reverentiæ Sacramenti, & saluti pueri. *Diana tom. 2. tr. 4. resol. 43.* Administrandum autem, meo videri, non est puero adepto usum rationis, quando constaret, (quod tamen difficillimum est) nullum peccatum commisisse. Scio non paucos Theologos apud *Barbos. num. 12.* velle esse ei administrandum ad robur contra Dæmonem accipiendum; at hæc ratio me non convincit, cum non videam quomodo administrari possit hoc Sacramentum illi, in quo verba formæ non possunt verificari, atque talis est, qui numquam peccavit, neque etenim illi aptari possunt ea verba: *quidquid deliquisti: Averf. de Extrema Unct. sect. 8.*

Sicuti pueris ante usum rationis non est hoc Sacramentum administrandum, ita nec perpetuo Amentibus. Si vere inciderint in amentiam post usum rationis, & non constet in amentiam incidisse in statu peccati mortalis, tunc non est illis denegandum. Ratio est, quia ex continua praxi Ecclesiæ ad recipiendum hoc Sacramentum satis est posse concipere fuisse in subjecto implicitam voluntatem illud recipiendi, quæ implicita voluntas concipitur in mente, qua dam habebat usum rationis, credere est christiane mori optasse. His autem Phreneticis etiam vi conferendam Extremam Unctionem docent Theologi, maxime quando aliud non receperint Sacramentum: *Barbos. de Off. Paroch. p. 2. cap. 22. num. 13.*

Q. VII. An necesse sit recipere Extremam Unctionem; & quando possit iterari.

R. I. Quamvis magis communiter doceant Theologi cum S. Thom. *in 4. d. 23. q. 1. art. 1. q. 3. ad 1.* non dari præceptum positivum saltem obligans sub gravi ad recipiendam Extremam Unctionem; nihilominus puto in praxi difficiliter excusari posse a gravi culpa, qui commode posset hoc Sacramentum recipere, & renueret. Primo, mihi videtur graviter deficere contra charitatem erga seipsum, nam unusquisque ex una parte non potest non esse conscius suæ infirmitatis, & ex alia Diabolum tempore mortis vehementius *omnes suæ versutiæ nervos intendere ad nos perdendos*, ut ait *Trident. sess. 14. in Doctr. de Sacram. Extrem. Unct.* quomodo ergo non peccabit graviter contra charitatem erga seipsum, nolens eo tempore uti medio specialiter a Christo Domino instituto ad eum roborandum? Nec obstat recepisse Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; nam si ea eisdum & Extremam Unctionem possumus recipere, satis spiritualium virium in puncto mortis voluisset Christus nos accipere, non instituisset ulterius ad hunc effectum Sacramentum Extremæ Unctionis. Quod si commode recipi non posset, tunc certe credendum esset aliis mediis Deum nobis opem laturum. Altera ratione quare putem peccare mortaliter respuentem Extremam Unctionem est, quia id fieri non posset sine gravi adstantium, & audientium scandalo.

R. II. Ex Tridentino *loc. cit. c. 3.* potest hoc Sacramentum iterari, si infirmus post illud susceptum convaluerit, ac deinde in aliud simile vitæ discrimen inciderit. Ut igitur iterum conferri possit hoc Sacramentum, debet infirmus reperiri in periculo diverso ab eo, in quo jam recepit Extremam Unctionem; unde non satis est infirmum quatuor, vel quinque diebus ita se melius habuisse, ut videatur mortis periculum evasisse; nam si post tale breve tempus iterum in mortis periculum incidat, hoc novum periculum non censetur moraliter diversum ab altero, ut communiter docent Theologi. In infirmitate vero diuturna, qualis solet esse Ethica, & Hydropisis, ut monet S. Thomas in *suppl. q. 33. a. 2.* non debet fieri unctio, nisi quando videtur perducere ad mortis periculum. Quod si infirmus illud periculum evadat, ac eadem infirmitate durante ad similem statum reducatur, iterum potest inungi, quia jam quasi est alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.

Q. VIII. Quæ dispositiones requirantur in suscipiente hoc Sacramentum; & quos producat effectus.

R. I. In recepturo hoc Sacramentum primo, ut supra dixi, necesse est posse concipi adfuisse saltem implicitam voluntatem illud recipiendi. Deinde requiritur status gratiæ; nam Extrema Unctio est Sacramentum vivorum. Quamvis autem præcise pro recipienda Extrema Unctione non sit necesse se ponere in statu gratiæ per confessionem, sed satis sit per contritionem; nihilomi-

lominus aliud servandum est in praxi, cum difficiliter constare possit aliquem talem habuisse contritionem, ut potuerit justificari. Accedit in periculo mortis urgere præceptum divinum de Sacramento Pœnitentiæ adimplendo. Hoc igitur Sacramentum *imponentibus, & qui in manifesto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & nondum baptizatis pœnitus denegetur*, ait Rituale Romanum. An vero administrandum sit tempore Interdicti suo loco dictum est.

R. II. Hoc Sacramentum primo auget gratiam sanctificantem, ut faciunt omnia Sacramenta vivorum: Deinde habet roborare animam contra Dæmonem, qui eo tempore totus est in nobis perdendis, & hunc effectum puto innuisse D. Jacobum, dum de suscipiente hoc Sacramentum, ait: *Et alleviabit eum Dominus*. Idem significatur dum dicitur removere *reliquias peccatorum*, nempe animi languorem, torporem, tristitiam, anxietatem, aliasque affectiones relictas, vel roboratas a peccatis actualibus, quibus anima veluti infirmatur, ita ut non habeat perfectum *vigorem ad actus vitæ, gratiæ, vel gloriæ*, ait S. Thom. *in suppl. q. 30. art. 1.* His ergo sublatis, ægrotus concipit magnam de Divina misericordia fiduciam, & *morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis, facilius resistit*, ait Tridentinum *sess. 14. c. 2.* Habet tertio remittere peccata, ut denotant ea verba formæ; *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*, & illa D. Jacobi; *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*, ac definivit Tridentinum *sess. 14. can. 2.* Quamvis igitur hoc Sacramentum primo, & per se institutum sit ad augendam gratiam; nihilominus voluit Deus etiam posse delere peccata, quando infirmus non haberet copiam Confessarii, vel quando invincibiliter ignoraret esse in statu peccati mortalis, dummodo tamen haberet dolorem supernaturalem suorum peccatorum. Non diffiteor hoc idem concedi a Theologis cæteris Sacramentis, ut dixi *tr. 16. q. unic. c. 2. qu. 3.* at ex S. Scriptura specialiter constat de Extrema Unctione. Demum habet restituere sanitatem infirmo, juxta ea Jacobi verba: *Oratio fidei salvabit infirmum.* Hic autem effectus potest impediri, vel quia administratur infirmo jamjam morituro, unde non potest sine manifesto miraculo convalescere; vel quia infirmus non recipit Sacramentum cum debita dispositione; vel quia non expedit ipsius æternæ saluti convalescere, ut monet *S. Th. in 4. d. 23. q. 1. art. 2. q. 2.*

Regulæ in praxi attendendæ.

I. Parochus diligentissimus sit in hoc Sacramento administrando, nam alias privabit infirmum tot auxiliis, ac utilitatibus, quas consequi posset ratione hujus Sacramenti. Hinc S. Carolus ad excitandos Parochos illis proponit in V. Mediolanensi Concilio exemplum S. Malachiæ, cui tam grave fuit quamdam mulierem sine hoc Sacramento decessisse, ut jugibus lacrymis a Deo impetraverit tanto tempore ad vitam revocari, quantum necesse erat ad hoc Sacramentum administrandum.

Dum vero administrare debet hoc Sacramentum, vult infirmum hortandum ad abjiciendam omnem hujus mundi cogitationem, & ad mentem in Deum erigendam, sperando se in Æternam Vitam vocandum. Monet etiam Parochum in tertio Mediolanensi Concilio, ut ante administrationem hujus Sacramenti instruat infirmum, & adstantes de vi, & utilitate ipsius, tam respectu animæ, quam respectu corporis; adeoque & debet illos monere de necessariis dispositionibus ad illius effectus recipiendos. Debet præsertim excitare infirmo supernaturalem peccatorum dolorem, ne si forte non sit in statu gratiæ, possit mediante hoc Sacramento justificari. Optimam quoque dispositionem ad utilius recipiendum hoc Sacramentum esse dicit fiduciam in ejus virtute habere, & se ea fide ungendum præbere, qua se sistebant Christo, & Apostolis, qui ab eis animæ, corporisque sanitatem impetrare gestiebant. Ita monet S. Carolus *Act. p. 4. Quæ præparat. ad extr. unct. adhib.*

II. Summopere objurgandi sunt illi Parochi, qui ut morem gerant Medicis, seu domesticis, plus quam par est, de corporis salute solicitis, vel ex quadam criminanda erga infirmum Magnatem reverentia, vel ex timore infirmum contristandi, expectant ultima vitæ momenta ad administrandum hoc Sacramentum; seu ita protrahunt, ut sensibus sit destitutus. Ita agendo omnino impediunt corporis sanitatem fortasse consequendam virtute hujus Sacramenti; nam illam per manifestum miraculum non restituit. Deinde toto illo tempore privant infirmum illis spiritualibus viribus, quas consequutus fuisset virtute Sacramenti ad perferenda patienter infirmitatis incommoda, & ad resistendum Dæmoni; unde fortasse ipsi non resistit, dum nondum erat sensibus destitutus, & damnabitur; ita permittente Deo quia & ipse infirmus de hoc recipiendo Sacramento non fuerit solicitus. Tertio, cum eo uberiores fructus ex Sacramentis recipiamus, quo major est nostra dispositio, expectando pro administratione hujus Sacramenti tempus, quo infirmus non potest se disponere, privatur majori gratia sanctificante &c. adeoque majori gloria. Demum expectando tale tempus, potest ex hoc oriri infirmi damnatio; nam forte non erat in gratia, & gratiam acquisivisset, si administratum illi fuisset hoc Sacramentum eo tempore, quo potuisset elicere actum doloris supernaturalis. Ex his omnibus puto graviter peccare Parochum administrationem ex sua negligentia hoc Sacramentum infirmo jamjam morituro, vel sensibus destituto, utpote graviter deficientem in munere Pastoris, & Medici animarum sibi commissarum.

QUÆSTIO II.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

De Essentia Ordinis; de Ordinum numero; eorumque materia, & forma, & effectibus.

Q. I. Quid sit Ordo.

Ordo ex *S. Th. 3. p. q. 34. art. 2.* bene ita definitur. *Ordo est Sacramentum, per quod spiritualis potestas traditur ordinato.* Quæ autem sit ista spiritualis potestas, quæ ratione cujuscumque Ordinis confertur, ex infra explicandis constabit. Dicitur autem Sacramentum, quia Ordinem unum esse ex septem Ecclesiæ Sacramentis semper docuit Ecclesia, & novissime definivit etiam Tridentinum *sess. 23. can. 3.*

Q. II. Quot sint Ordines; & an Prima Tonsura, & Episcopatus sint Ordines.

R. I. Omnes docent inter Ordines sequentes esse adnumerandos: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, & tradit Tridentinum *sess. 23. c. 2.* Hujus autem divisionis rationem assignat *S. Th. in suppl. q. 37. art. 2.* Addit vero Tridentinum ad dignitatem, & majorem venerationem ministerii Sacerdotalis consentaneum fuisse diversos esse ministrorum Ordines, qui Sacerdoti ex Officio deservirent. Illud etiam notandum, quod quamvis omnes Ordines sacri sint; nihilominus peculiari ratione tres ultimi sacri appellantur, ut notat *S. Th. in 3. d. 24. q. 1. art. 1. q. 3.* Subdiaconatus igitur dicitur Sacer, quia habet actum circa vasa consecrata: Diaconatus vero, quia saltem mediate; & Sacerdotium, quia immediate habent actum circa Corpus Christi, & Sanguinem consecratum. Considerantur etiam peculiari modo ut sacri, quia annexum habent cælibatum. Hi tres Ordines dicuntur etiam Majores, quia ordinati sunt ad majus officium circa Eucharistiam exercendam, & reliqui Minores, quia ad officium inferius.

R. II. Fere omnes Canonistæ asserunt primam Tonsuram esse Ordinem, & inter eos Fagnanus in *cap. Cum contingat a num. 45. de ætat. & qualit. Præficiend.* pro hoc probando viginti duas affert rationes. At, meo videri, dicendum omnino est cum Theologis proprie non esse Ordinem, sed præparationem ad Ordines. Est quidem præparatio ad Ordines, quia transfert laicos ad statum Clericalem, & per eam de sorte domini efficiuntur; *can. duo sunt 12. q. 5.*, & *can. Cleros dist. 21.* Illis item conceditur privilegium fori, quo non amplius a Judice sæculari, sed dumtaxat ab Ecclesia possunt in judicium trahi: *can. si Imperator d. 49.* Obtinent pariter privilegium Canonis; unde illos injuriose percutientes incidunt ipso facto in excommunicationem latam *can. si quis suadente 17. qu. 4.* Demum Tonsurati obtinere possunt Beneficia, & sunt capaces jurisdictionis Ecclesiasticæ tum ordinariæ, tum delegatæ. Hæc autem omnia bene quidem probant laicos ratione Primæ Tonsuræ ad Ordines præparari; at nullatenus convincunt Primam

Ton-

Tonsuram esse Ordinem. Probatur etiam ratione desumpta ex *S. Th. q. 40. supplem. art. 2.* quia scilicet Ordo confert ordinato potestatem exercendi specialem actum Ecclesiasticum, seu aliquod ministerium ad Eucharistiam ordinatum, quam potestatem nullatenus reperire est in Tonsurato. Hinc primam Tonsuram non esse Ordinem, docent communiter Theologi cum S. Th. & S. Bonaventura in *4. d. 24. qu. un. in fin.* & nonnulli etiam ex Canonistis, scilicet Cardinalis de Luca *de Regalib. disp. 60. n. 12. Pignatell. tom. 2. consf. 66. n. 11. & tom. 8. consult. 146. n. 7.* & apud ipsos alii. Neque refert quandoque Primam Tonsuram apud sacros Canones ordinem appellari; ita enim in lata significatione appellari dicendum est, atque habemus fundamentum relinquendi rigorosam verborum significationem, cum primæ Tonsuræ stricte, & proprie Ordinis definitio non competat. Et de facto *can. 1. d. 77. can. a Subdiac. d. 93., can. feriatim d. 33.* ubi ordines proprie dicti numerantur, nulla primæ Tonsuræ mentio fit.

R. III. Nullatenus dubitari potest Episcopatum esse Ordinem supremum, ut habet Tridentinum *sess. 23. de Ord. c. 4.*, unde solum difficultas est, an sit Ordo distinctus a Presbyteratu. Ego autem dico quod si incomplete sumatur, dici potest diversus, quatenus Ordo Episcopalis importat potestatem ordinandi, & confirmandi, quam non importat Presbyteratus. Si vero complete sumatur, dici debet Episcopatum non esse distinctum a Presbyteratu, utpote quia hunc includit, ipsique addit præfatas potestates; adeoque dici potest per Ordinem Episcopalem quodammodo extendi, & perfici Ordinem Presbyteratus.

Q. III. An omnes Ordines sint Sacramenta.

R. Certum est Presbyteratum esse Sacramentum; nam primo est ex divina institutione, prout communiter docent SS. PP. ex illis verbis, quæ Christus Dominus dixit Apostolis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; ac proinde esse ex divina institutione, tradit Tridentinum *sess. 23. c. 1. de Sacram. Ord.* Constat præterea aliquo signo sensibili, ut dicemus explicando materias, & formas Sacramentorum; ac insuper per ipsum non solum conferri potestatem super Corpus Christi verum, & mysticum, sed & produci Gratiam, indicant quoque illa verba: *Accipite Sp. S. &c.* Certum pariter est Episcopatum esse Sacramentum, quia Ecclesiastica Hierarchia, in qua, ut docent Tridentinum *sess. 23. can. 6.*, primum locum obtinent Episcopi, est ex divina institutione. Ulterius in Episcoporum ordinatione adest signum sensibile gratiæ, manuum nempe impositio, quod non pauci innuisse volunt Apostolum, dum *ad Timoth. 4.* ait: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum.* Demonstratur etiam conferri gratiam in ordinatione Episcoporum illis verbis: *Accipite Spiritum S. &c.*

De Diaconatu item, uno aut altero excepto, communiter docent Theologi esse Sacramentum. Et quidem esse ex divina institutione dignosci potest, quia a Christo Domino est Ecclesiastica Hierarchia, quæ cum constet Episcopis, Presbyteris, & Ministris, saltem horum nomine intelligi debent Diaconi. Præterea in ipsorum ordinationem datur signum sensibile gratiæ, impositio nempe manuum Episcopi dicentis. *Accipe Spiritum S. &c.* De Subdiaconatu vero non est ita certum esse Sacramentum; nam *cap. a multis de ætat. & qualitat. Præficiend.* dicitur esse Sacer ex Ecclesiastica institutione; ac insuper nullibi de eo fit mentio in S. Scriptura. Ulterius jam conferri poterat etiam a Choepiscopis, ut constat ex *can. 10. Synod. Antioch. & ex can. 13. Synod. Ancyr.*, quibus tamen fas non erat conferre Presbyteratum, & Diaconatum; ex quo videtur hos solos Ordines reputatos fuisse Sacramenta, adeoque solis Episcopis competere illos conferre. Ex his non desunt, qui denegant Subdiaconatum esse Sacramentum & plures sunt, qui ita loquuntur de Ordinibus Minoribus. Verum Theologi magis communiter non solum Subdiaconatum, sed etiam Ordines Minores, cum constent materia, & forma, docent esse Sacramenta cum *S. Th. in 4. d. 24. art. 1. q. 3., & 3. p. q. 37. art. 2.* Cum igitur hæc res sit incerta, non est diutius in ea immorandum, ut ait *Laym. de Ord. c. 4. assert. 4.* Unum hic advertendum Ordines specie ultima non idem, sed diversa esse Sacramenta, cum constent diversa materia, & forma; unde si omnes Ordines sint Sacramenta, qui omnes recipit, septem recipit diversa specie ultima sacramenta, quamvis omnia sub eodem genere sint, eumdemque suo modo finem respiciant, conficere scilicet Eucharistiam: prout igitur omnia sunt sub eodem genere, ac ad eumdem finem ordinantur, quodammodo dici possunt esse unum Sacramentum.

Q. IV. An Christus Dominus materiam Sacramenti Ordinis instituerit.

R. Non potest in dubium revocari Christum aliquo modo materiam Ordinis instituisse, & determinasse; nam cum de fide sit omnia Sacramenta instituisse, consequens est etiam instituisse ipsorum materiam, utpote quæ est pars essentialis Sacramenti. Difficultas autem est, an eam in specie determinaverit, destinando Ordinibus suas particulares materias, vel solum in genere, præcipiendo nempe Ecclesiam uti debere in conferendo Sacramento Ordinis materia, & forma, aptis ad designandos ejusdem effectus, & potestatem ex eis derivantem, ac deinde ipsi relinquendo determinare res aptiores pro eodem conferendo. Valde utique probabile est solummodo in genere determinasse; nam videmus Ecclesiam Latinam, & Græcam non esse semper conformes in ritibus essentialibus, quibus conferunt Ordines, & tamen certum est utramque valide conferre. Addit noster Campionius *Instruct. Cleric. c. 36.* non opus fuisse in Sacramento Ordinis materiam a Christo determinari. Et ratio ipsius est; quia, ut docet etiam *S. Th. in 4. d. 24. q. 1. art. 1. q. 3. ad 1.* potestas, quæ ab Ordine in Ordinatum derivat, non provenit ab ipsius materia, sed ab Ordinante, cum conveniens sit potestatem inferiorem a superiore derivare: si proinde in aliis Sacramentis necesse sit materiam fuisse a Christo determinatam, quia instrumentaliter causat Sacramentum effectus, id non erat necesse in Sacramento Ordinis, quia effectus Sacramenti ab ipsius materia non oritur. Verum hæc ratio non satis mihi satisfacit; quamvis etenim verum sit potestatem spiritualem, quæ est unus ex Ordinis effectibus, non a materia Sacramenti, sed ab Ordinante provenire, non tamen videtur negandum augmentum gratiæ sanctificantis æque in hoc Sacramento, ac in aliis a materia derivare: unde si ex hac ratione necesse fuit materias aliquorum Sacramentorum fuisse a Christo determinatas, ita dicendum necesse fuisse aliquo modo ab eodem determinatam fuisse Ordinis materiam.

Q. V. Quæ sit materia, & forma Ordinis Episcopalis, & Presbyteratus; & an physice tangenda sit.

R. I. Suppono hic distinctionem materiæ in proximam, & remotam, de qua re *tr. 16. q. unic. c. 3. qu. 2.*, adeoque in præsenti instrumentum dandum Ordinandis in signum spiritualis potestatis erit materia remota, proxima vero traditio illius; atque his suppositis, dico materiam Ordinis Episcopalis esse impositionem manuum Episcoporum, ejus vero formam illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Quamvis autem, ordinarie loquendo, Episcopus sit a tribus Episcopis ordinandus, ut *ex cap. ne Episcopi de tempor. ordinat.*, nihilominus, dispensante Summo Pontifice, ab unico poterit ordinari: *Laym. l. 5. tr. 9. c. 5. n. 1.* & alii apud ipsum.

R. II. Ordo Presbyteratus duplicibus partialibus materiis, & formis perficitur. Prima est patena cum hostia, & calix cum vino, & aqua, suppositus patenæ, cui correspondet illa forma: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo &c.*, ut ex Florentino in Decreto Eugenii *§. Sextum Sacramentum*, & ex Pontificali. Altera partialis materia est impositio manuum Episcopi, cui correspondent pro forma illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata &c.* Hanc manuum impositionem, ac verba eis correspondentia non pertinere ad essentiam Presbyteratus, sed esse cæremoniam accidentalem, docent non pauci Theologi cum *S. Th. 3. p. q. 37. art. 5.* Sed contra est, tum quia in Ecclesia Græca per solam manuum impositionem Presbyteri ordinantur; unde non videtur dicenda accidentalis cæremonia in Ecclesia Latina. Tum quia Ordo Sacerdotalis adæquate sumptus non solum importat potestatem supra Corpus Christi verum, quæ designatur traditione prioris materiæ, ac verbis illi correspondentibus, sed etiam potestatem supra Corpus Christi Mysticum; & hoc est, supra fideles; hæc autem videtur conferri per impositionem manuum; nam talis impositio per illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris &c.* determinatur non solum ad significandam gratiam Sacramenti, sed etiam potestatem supra Corpus Christi Mysticum. Aliunde etiam, verba in Sacramentis efficiunt id, quod significant. *Palaus de Ord. p. 3. n. 7., Laym. c. 5. n. 2. Coninch. disp. 20. q. 7. num. 70. &c.* Ex hac autem duplici Sacerdotum pote-

state

state quale sit ipsorum officium dignoscitur consecrare nempe Corpus, & Sanguinem Christi, & absolvere, & retinere peccata.

Quia tamen quod posterius est pendet a priori, non vero e contra; ideo cui traderetur secunda potestas sine priori, invalide traderetur: cui vero prior sine posteriori, valide traderetur. Esset tamen omnino supplenda, alias talis Sacerdos illicite consecraret; Christus etenim imposuit sacrificare Sacerdotibus utramque potestatem habentibus.

R. III. Jam probabilis videbatur opinio, qua dicebatur sufficere, si Ordinandus non physice, sed moraliter tangeret materiam, quia per ipsius exhibitionem factam ab Ordinante, & per signum acceptationis factum ab Ordinando, sufficienter demonstrari videbatur spiritualis potestas, quæ illi confertur. Nihilominus omnino modo dicendum est intervenire debere physicum contactum materiæ, quia ex condemnatione primæ propositionis facta ab Innoc. XI. habemus illicite nos sequi in materia Sacramentorum opiniones probabiles relicta tutiore. Requiri autem hunc physicum contactum, docent plures Theologi cum S. Thoma *in 4. d. 24. qu. 1. art. 1. quæst. 5. ad 3.*, eo innixi fundamento, quod non solum ita ferat Ecclesiæ consuetudo, sed etiam quia dum Minister illis formæ verbis dicit: *Accipe &c.* præcepit Ordinando actu tangere externum simbolum, seu materiam, quæ illi porrigitur. Si proinde quis in sua ordinatione non tetigerit calicem, in quo sit vinum, unaque patenam, in qua sit hostia, cum dubium sit, an valide collatus fuerit Ordo Presbyteratus, eo quia non intervenerit omnis contactus physicus, qui a sententia tutiore in ordinatione Presbyteri desideratur, esset hujusmodi Ordo sub conditione iterandus ad vitanda tot pericula, & mala, quæ sequerentur, si non fuisset valide ordinatus. *Dian. tom. 2. tract. 5. resol.* 11. & communiter. Idem cum aliis docet *resolut.* 16. de eo, qui tetigisset, postquam fuit forma prolata; nam cum jam pertransierit, non potest certo affirmari formam cecidisse supra materiam, seu contactum. Hic etiam advertendum dubium esse, an calix, in quo non esset vinum, sit materia sufficiens Presbyteratus, adeoque iterum sub conditione conferendus esset, quoties collatus esset cum calice vacuo.

Q. VI. Quæ sit materia, & forma Diaconatus.

R. Mihi arridet ea opinio, qua dicitur impositionem manus Episcopi cum traditione alicujus rei, quæ designet ejus potestatem, esse materiam Diaconatus, formam vero verba prolata ab Episcopo. Impositionem manus ad materiam Diaconatus pertinere probatur, tum quia, dum *Act. 6.* Apostoli primos Diaconos consecrarunt, manus impositio recensetur; tum quia in Ecclesia Græca manus impositione ordinantur; tum quia colligitur esse sacramentalem, quia una cum ea ab Episcopo illa verba pronunciantur: *Accipe Spiritum S. &c.*, tum denique, quia si esset cæremonia mere accidentalis, non videretur necesse eam postea supplere, dum fuisset omissa, & supplendam esse definitum habemus *cap. Presbyter de sacram. non iter.* Dicendum etiam est Librum Evangeliorum, qui traditur Ordinato esse hujus Ordinis materiam, eaque designatur ipsius potestas, & officium, quod est solemniter canere Evangelium in Missa, afferendo super Albam stolam decussatim positam super humerum sinistrum pendentem sub latere dextro. Pertinet etiam ad ipsius officium immediate inservire Sacerdoti celebranti. An vero ipsi competat baptizare, & administrare Eucharistiam, dixi *tract.* 17. *q. 1. cap. 3. quæst. 1. & tract. 18. qu. 1. cap. quæst. 2.* Licet autem ei explanare Evangelium, *non tamen e loco superiori, ut intelligatur hoc non esse proprium muneris ejus*, ait Catechismus.

Q. VII. Quæ sint Materia, & forma Subdiaconatus, ac aliorum Minorum Ordinum.

R. I. Calix cum patena vacua est materia Subdiaconatus, ut habetur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii, & forma sunt verba tunc prolata ab Episcopo. Alii addunt librum Epistolarum, quem volunt esse aliam hujus Ordinis materiam simulque aliam formam partialem verba, quæ in illius traditione profert Episcopus. Opinantur vero alii traditionem hujus libri dumtaxat pertinere ad complementum, & integritatem hujus Ordinis, ut videre est apud Salmanticenses *tract. 8. c. 3. p. 3.* Item lis est inter Theologos, an calix, & patena debeant esse consecrata; & cum valde probabile sit tamen esse debere, ut apud Salmant. cit. *n.* 22., quia Subdiaconus in sui ministerio calice utitur consecrato, hinc est sub conditione iterum ordinandum Subdiaconum, qui calice non consecrato fuisset ordinatus. Ex prædictis apparet etiam quale sit officium Subdiaconi, inservire nempe Diacono in Missa solemni, vasa Sacra præparando, atque in eadem Missa legere Epistolam. Hæc autem munera debet præstare, maxime habendo manipulum in brachio sinistro; nam hic est propria, & distinctiva Subdiaconi vestis.

R. II. Materia Ostiariatus, qui est primus inter Ordines Minores, sunt quæcumque claves aptæ aperire; nam si aptæ non essent aperire non possent designare potestatem, quam habet ex Officio Ostiarius, claudendi nempe, & aperiendi Ecclesiam. Forma sunt verba prolata ab Episcopo in ipsarum traditione. Ratione prædictæ potestatis non solum erit officium Ostiarii aperire, & claudere portas Ecclesiæ, sed etiam dignos admittere, ac indignos, excommunicatos nempe vitandos, excludere, & monere celebrantem, si nolint discedere.

Materia Lectoratus est liber, in quo continentur lectiones Veteris, & novi Testamenti, & forma sunt verba prolata in ipsius traditione. Ex hoc constat Lectorem potestatem accipere legendi Lectiones Veteris Testamenti in Missis quatuor Temporum, & ubi in Missa sint plures Epistolæ, ad ipsum pertinet eas legere, excepta ultima, quæ pertinet ad Subdiaconum. Prædicta ergo præstare erit ipsius officium, sicut etiam legere in Choro lectiones primi Nocturni, ac fidei rudimenta docere.

Materia Exorcistatus est liber continens Exorcismos, forma autem sunt verba prolata in ipsius traditione, quæ traditio materiæ est materia proxima cujuscumque ordinis, ut alias dictum est. Cum Exorcista potestatem accipiat exorcizandi, ejus officium erit Energumenos exorcizare. Non potest tamen statim tale officium exercere, quia quamvis habeat potestatem Ordinis, illi deest potestas jurisdictionis, quia nempe nondum assignati sunt illi subditi, super quos exerceat suam potestatem.

Materia Acolyratus sunt urceoli vacui, & candelabrum cum cereo extincto; illius vero forma, verba prolata ab Episcopo in utriusque materiæ traditione. Dici proinde potest hunc ordinem habere duplicem materiam, & formam partialem. Ipsius autem potestas, & officium erit præparare ex officio luminaria pro Sacrificio; deferre cereum accensum, dum canitur Evangelium in Missa; præparare ampullas vini, & aquæ pro Sacrificio Missæ, easque porrigere Subdiacono.

Q. VIII. Quos effectus producat in Ordinato Sacramentum Ordinis.

R. Supposito Ordinatum esse in gratia, hoc Sacramentum producit in eo augmentum ipsius Gratiæ Sanctificantis, quod commune est omnibus vivorum Sacramentis. Deinde dat gratiam Sacramentalem, quædam nempe auxilia, quæ tempore opportuno a Deo intuitu Sacramenti conferuntur ad rite exercendas Ordinis functiones. Tertio, imprimitur character in anima, ut docuit Eugenius IV. in Decret. pro Instruct. Armenor., & definivit Tridentinum *sess. 7. can. 9. & sess. 23. de ordin. can. 4.* Hoc charactere ministri Christi, & Ecclesiæ designantur, atque ex eo oritur potestas faciendi, quæ ad quemcumque Ordinem spectant.

CAPUT II.

De Ministro Sacramenti Ordinis; ubi etiam quis sit proprius Episcopus quoad Ordines suscipiendos; & quo tempore possit Ordines conferre.

Q. I. QUis sit Minister Sacramenti Ordinis.

R. Minister ordinarius Sacramenti Ordinis est solus Episcopus, ut patet ex perpetua Ecclesiæ traditione, & docet Eugenius IV. in Instruct. Armenorum. Hinc Trident. *sess. 23. can. 7.* anathema dicit asserentibus potestatem, quam habet Episcopus ordinandi, illi communem esse cum Presbyteris. Minister vero Extraordinarius ex privilegio summi Pontificis, respectu ad Ordines minores potest esse simplex Presbyter. Hanc facultatem concessam fuisse Abbatibus in ordine ad suos subditos regulares habetur *ex can. quoniam d. 69., & cap. cum contingat de ætat., & qualitat. Ordinandor., & Trident. sess. 23. c. 10. de refor.* Quoad Ordines vero Sacros censet S. Thom. *in 4. d. 25. qu. 1. art. 1.* cum majori Theologorum numero non posse, nisi ab Episcopo conferri;

ferri; putat etenim esse de jure divino ab ipso solum conferri, utpote quia habent immediatam relationem ad Corpus Christi. Verum habemus Innocentium VIII. concessisse Abbatibus Cistercii posse conferre suis subditis Ordines Diaconatus, & Subdiaconatus, adeoque dicendum est alios ab Episcopis capaces esse hujus potestatis, ut docet Antonius a S.S. *tr.9.d.3.n.46. Dian. tom.3.tract.1.resol.70.* aliique.

Q. II. Quisnam dicatur proprius Episcopus in ordine ad Ordines conferendos.

R. I. Cum unusquisque a proprio Episcopo sit ordinandus, ut præcipit Tridentinum *sess.23. cap.8. de reform.* hinc est videndum quis vere dicendus sit proprius Episcopus respectu Ordinum. Ex *cap. autem cum nullus 3. de temp. ordin. in 6.* ex triplici capite potest quis fieri subditus Episcopi quoad Ordines recipiendos, ratione scilicet originis, domicilii, & beneficii. His addit Tridentinum *sess.23.cap.9. de reform.* alium titulum, triennalem nempe cum Episcopo familiaritatem. De his ergo loquendo.

R. II. Ut Episcopus ordinare possit aliquem ipsi non subditum ratione domicilli, vel originis ad titulum Beneficii, necesse est jam actu & pacifice in ipsius Diœcesi ab ordinando Beneficium possideri, ac insuper, detractis oneribus, sufficiens esse debere ad congruam vitæ sustentationem, vel juxta taxam synodalem, vel juxta morem regionis: & si ita sufficiens non sit, non potest suppleri, quod deest, adjectione pinguis patrimonii, in quacumque sit Diœcesi. Insuper si præfatus, titulo beneficii ordinandus, jam promotus erat a proprio Episcopo ad primam Tonsuram, seu etiam Ordines Minores, non potest titulo beneficii ab altero Episcopo ordinari, nisi prius habeat literas testimoniales proprii Episcopi tam originis, quam domicilii, super suis natalibus, ætate, moribus, & vita, easque exhibuerit Episcopo ordinanti, conservandas in actis illius Curiæ. Ita, quidquid olim diversimode senserint DD., faciendum statuit Innoc. XII. in sua Constit. edita 4. Novembr. 1694. incip. *Speculatores Domus Israel &c.*

R. III. Ille dicendus est subditus ratione originis, adeout possit ab Episcopo ordinari, qui naturaliter natus est in ejus Diœcesi, dummodo ibidem non natus sit ex accidenti, e. g. ratione itineris, officii, mercaturæ &c. Debet tamen afferre epistolas testimoniales Episcopi Diœcesis, in qua per accidens natus est, si ibidem tamdiu fuerit commoratus, ut potuerit canonicum impedimentum contrahere. Quod si Pater eo loco, ubi filius natus est, tamdiu, & eo animo permanserit, ut ibi vere de jura contraxerit domicilium, tunc quoad ordinationem Filii, non origo Patris, sed domicilium ab eo contractum attendendum est. Ita Innoc. XII. in cit. Const.

R. IV. Ut aliquis ratione domicilii intelligatur subditus alicujus Episcopi ad effectum Ordines suscipiendi, oportet demonstrasse animum perpetuo permanendi in Diœcesi, in qua degit, vel quia jam ibi per decennium fuerit commoratus, vel quia eo transtulerit majorem partem rerum suarum, ac ædes instruxerit, & insuper debet jurejurando affirmare se animum prædictum habere. Quod si ea ætate a loco originis discesserit, ut potuerit ibi contrahere canonicum impedimentum, debet exhibere literas testimoniales Ordinarii originis. Ita Innoc. XII.

R. V. Eadem Constitutione decernitur nullum Episcopum posse ordinare suum familiarem alienæ Diœcesis, vel ad primam Tonsuram, absque literis testimonialibus Episcopi originis, vel domicilii, & nisi ipsum per integrum triennium in suo actuali servitio retinuerit, ac propriis sumptibus aluerit, juxta Trident. *sess.23. de ref. cap.9.* Insuper præscribitur ut intra mensem a die factæ ordinationis illum provideat de Beneficio sufficienti, eo modo, quo in secunda responsione dictum est. In testimonio vero ordinationis mentio facienda est familiaritatis, ac prædictarum literarum.

Addit Pontifex quemcumque Episcopum sive originis, sive domicilii, examinare posse quoad scientiam suum subditum ab alio Episcopo promotum, recognoscere item, gratis tamen, literas testimoniales ordinum ei collatorum, ad se certiorandum adimplera fuisse, quæ ipse Innocentius in sua Constitutione præcepit; ac suspendere demum posse ab Ordinum collatorum exercitio, si intra terminum assignatum ea adimplesse non demonstraverit. Vult demum Episcopum non servantem quæ in sua mandat Constitutione, eo ipso ab Ordinum collatione per annum esse suspensum, & ordinatum ab executione ordinum susceptorum ad arbitrium sui Ordinarii.

Q. III. Quisnam sit Episcopus, a quo Regulares sint ordinandi; & quæ requirantur ut ab Episcopis ad Ordines admittantur.

R. Cum ex Tridentino unusquisque a proprio Episcopo sit ordinandus, dicendum est proprium Regularium Episcopum illum esse, in cujus Diœcesi habent Monasterium: *arg. cap. cum nullus §. fin. de temp. ordin. in 6.* juncto Trident. *sess.23. cap.10. de reform.* Hinc S. Concilii Congregatio 15. Martii 1596. edidit de mandato Clementis VIII. Decretum, quo sancitur Regulares ordinandos esse ab Episcopo Diœcesano, nempe ab eo, in cujus Diœcesi est Monasterium. Si vero hic ordinationem non sit habiturus, poterunt Superiores Regulares concedere literas dimissorias suis subditis ad quemcumque alium Episcopum. Præcipitur autem Regularibus ne de industria differant concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Diœcesanus vel absuturus est, vel non habiturus ordinationem. Imponitur demum Regularibus transgressoribus hujus Decreti pœna privationis officii, vocisque activæ & passivæ, & aliæ etiam pœnæ ad arbitrium Summi Pontificis, ipsique reservatæ. Hoc Decretum legere est apud Barbosam *part. 2. de offic. Episc. alleg. 7. num. 18.* Quod si Monasterium sit in loco nullius Diœcesis, tunc Religiosi in eo degentes dimittendi sunt ad Episcopum viciniorem pro ordinibus suscipiendis: *Fagnan. in cap cum olim n. 16. de Præscrip. Passerin. de Stat. hom. tom. 3. qu. 189. art. 10. n. 807.*

R. II. Nullus Regularis est ordinandus sine literis dimissoriis sui Prælati, seu Superioris localis. Ratio est, quia ex Tridentino *sess. 23. cap. 8. de reform.* nullus est ordinandus, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Ordinarii vero Religiosorum sunt ipsorum Superiores, ut *ex cap. Abbates 3. de privil. in 6.* Verum tamen est, quod ex supracitato decreto, si Diœcesanus absit, vel ordinationes non habeat, debent Superiores Regulares exprimere in literis dimissoriis vel absentiam Episcopi, vel ab eo ordinationem non haberi.

Q. IV. Quo tempore Episcopus habere possit ordinationem.

R. I. Prima Tonsura dari potest quovis die, ut cum communi docet Barbosa *de offic. Episc. p. 2. alleg. 11. n. 23.* Ordines Minores absque dubio conferri possunt non solum iis temporibus, quibus de jure communi habentur ordinationes, sed etiam post vesperas feriæ antecedentis, nam ab eo tempore Sabbathum incœptum reputatur: *Barbos. num. 21.* Diebus vero festis posse conferri ordines Minores, uni, vel duabus tantum personis, *ex cap. de eo 3. de tempor. ordin.* docent plures DD. *Fagn. in cap. cit. Passerin. in tom. 3. quæst. 189. art. 10. nu. 830.* aliique, quos sequitur Leander *disp. 11. qu. 5.* Aliis vero placet posse Episcopum plures diebus festis ad ordines promovere, dummodo tanti non sint, ut videatur ordinatio generalis: *Sanch. lib. 7. consil. cap. 1. dub. 52. num. 8. Diana tom. 2. tract. 5. resol. 98. & 99.* Non adhæreo tamen eidem Dianæ, aliisque volentibus pro diebus festis, quibus licet Episcopo conferre ordines minores, intelligi etiam posse festum duplex juxta rubricas. Ratio est, quia dies festus, de quo in citato capite *De eo*, proprie intelligitur dies festus, quo ab operibus servilibus cessatur: *Fagn. cit. num. 42. Barb. de pot. Episc. p. 2. alleg. 11. num. 22. Lugo in respons. moral.* afferens Decretum Urb. VIII.

Pro conferendis Ordinibus Sacris omnino consueta tempora ad ordinationem servanda sunt. Item duo Ordines Sacri eadem die nulli sunt conferendi; & quoad hoc Tridentinum revocavit quæcumque privilegia: *sess. 23. cap. 13. de reform.* Immo nec licet duos Ordines Sacros duobus diebus non interpolatis conferre, ut *ex c. literas de tempor. ordin.* Hinc & si quis obtinuerit a Sede Apostolica posse ordinari tribus diebus festivis, id intelligendum est de diebus interpolatis: *Gobat tr. 8. Theolog. Experiment. num. 464.* Solummodo aliqui volunt apud eumdem *num. 465.* ordinatum e. g. die Sabbathi in Sacerdotem posse die sequenti in Episcopum ordinari, quod tamen negant plures Canonistæ in cit. *c. literas.* Cæterum Ordo Episcopalis die tantum dominica est conferendus: *can. 1. d. 75.* Quæ autem Interstitia servanda sint, dicam capite sequenti.

R. II. Regulares ex vi suorum privilegiorum possunt extra tempora a jure statuta ordinari. Hoc Regularium

pri-

privilegium constat etiam ex novissimo Concilio Romano celebrato sub regnante Pontifice Benedicto XIII. ac etiam ante ipsum videbatur omnino admittendum. Et omittendo modo privilegia Regularibus quoad hoc concessa ante Tridentinum, quæ aliquibus placet ab hoc Concilio non fuisse revocata, certum est Gregor. XIII. in sua Bulla incipiente *Pium, & utile &c.* 21. Septemb. 1581. concessisse Regularibus Societatis Jesu posse extra tempora tribus diebus festivis, sive continuis, sive interpolatis S. Ordines, & etiam Presbyteratum recipere. Addatur Gregor. XIV. in sua Bulla *Illius, qui pro gregis.* 1. *Octobr.* 1591. concessisse Clericis Regularibus omnia alia privilegia etiam Societati Jesu concessa, Idem concessit Urban. VIII. Fratribus discalceatis Ordinis SS. Trinitatis in sua Bulla *Redemptoris nostri J.C.* 28. Martii 1634. atque Ordini B. Mariæ de Mercede Clemens X. in sua Bulla *Redemptori &c.* 22. Octob. 1678. exprimendo se tali Ordini non solum concedere privilegia Societati Jesu specialiter concessa, sed & omnia ea, quæ in generali concessione non veniunt, quibuscumque contrariis derogando. Quamvis ergo cæteri Religiosi ordinari non possent extra tempora in vi privilegii concessi a Gregor. XIII. Societati Jesu, ipse etenim voluit ab eodem cæteros Regulares excludere, possent ordinari extra tempora ob communicationem in privilegiis aliorum Ordinum, quibus, ut dictum est, collata fuere etiam privilegia specialiter concessa eidem Societati. Neque obstat a Gregor. XIII. fuisse hoc privilegium limitatum ad solos Religiosos Societatis, nam non potuit ligare manus suis Successoribus, quin alios facerent talis privilegii participes: *Barbos. part. 3. de potest. Epis. alleg.* 17. *n.* 6., *Passerin. tom.* 3. *q.* 189. *tr.* 10. *n.* 831., *Donat. t.* 2. *tr.* 7. *q.* 8. & plures alii. Refragatur huic opinioni Monacellus erga privilegia Regularium non semper satis æquus, quia, inquit, non communicantur inter Regulares privilegia, quæ lædunt jus tertii, sed tu vide quæ *tr.* 3. *q. ult. c.* 3. *quæs.* 3, Adde ex ibidem dictis in dubio Regularium privilegia in ipsorum favorem esse interpretanda.

CAPUT III.

De subjecto Ordinum; de Scientia, Probitate, ac ætate quæ in eo requiruntur; itemque de Interstitiis servandis; ac de non suscipiendo Ordines sine literiis dimissoriis, vel per saltum.

Q. I. QUÆ necesse sit esse in Subjecto Ordinum ad valide eos recipiendos.

R. Primo, necesse est esse Masculum; nam ordinandi sunt, qui in Ecclesia possunt habere eminentiam dignitatis, potestatis, ac officii præ aliis fidelium, præsertim in ordine ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium, hæc autem competere non possunt mulieribus, quæ debent esse viris subditæ, & quibus proinde præcipitur ab Apostolo 1. *ad Cor.* 14. in Ecclesia tacere; nec eis ab eodem 1. *ad Timoth.* 2. permittitur docere, aut dominari in virum, sed esse in silentio. Hinc communiter asseritur mulieres jure divino esse incapaces sacræ ordinationis, cum Christus solum viros ordinaverit, atque id fecerint Apostoli a Christo Domino edoti: *S. Th. in* 4. *d.* 25. *q.* 2. *art.* 1. Addendum nec ex Summi Pontificis dispensatione mulieres capaces fieri posse Primæ Tonsuræ. Ratio est, quia cum Prima Tonsura aliud non sit quam deputatio Tonsurati ad statum, ex quo ad Ordines possit ascendere, sequitur quod qui incapax est jure divino Ordinum, nec possit deputari ad statum, qui sit via ad Ordines.

Deinde ad valide suscipiendos Ordines oportet Ordinandum esse baptizatum, quia Baptismus est janua Sacramentorum. Hinc si aliquis se non esse baptizatum deprehenderet, & fuisset ordinatus, esset baptizandus, & iterum ordinandus: *cap. si quis de presbyter. non baptiz.*

Q. II. An valide conferatur Ordo non habenti usum rationis, vel Adulto, qui sit invitus.

R. Utique Amens, seu infans non habentes usum rationis incapaces sunt Sacramentorum Pœnitentiæ, & Matrimonii, quia hæc Sacramenta confici non possunt sine actibus suscipientium, quorum prædicti sunt incapaces. Item non potest puero nondum septenni administrari Sacramentum Extremæ Unctionis, ex dictis quæstione præcedenti *cap. unic. quæs.* 6. At aliorum Sacramentorum perpetuo amens, vel puer non habens usum rationis sunt capaces, quia cum non habeant usum rationis, non exigitur in eis voluntas ea recipiendi; & aliunde ipsorum actus non requiruntur ad valorem Sacramenti. Hinc possunt recipere Baptismum, & valide etiam confirmarentur, ut fit in Ecclesia Græca statim post Baptismum. Valide ergo, quamvis illicite, etiam ordinarentur: *D. Th. in* 4. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 2. *S. Bonav. ibid. art.* 2. *qu.* 2. Verum tamen est, quod si pueto collatus fuisset aliquis Ordo Sacer, non teneretur ad cælibatum; nemo enim tenetur ad servandas leges jure positivo annexas statui, quem libere non est amplexus; si aliunde & ipsum statum, & ipsas leges amplecti non tenebatur. Hinc quamvis puer non libere suscipiat Baptismum, tenetur postea se subjicere legi christianæ, quia obligat unumquemque statim ac illi sufficienter proponatur.

R. II. Adultus, qui penitus contradiceret, invalide ordinaretur, & idem dicas de Baptismo &c. atque ita definitum fuit *cap. majores extr. de Baptism.* Conveniens autem fuit voluisse Christum Sacramenta non valide recipi ab Adultis, contradicente ipsorum voluntate, quia susceptio Sacramentorum in adultis est actus moralis, adeoque debet aliquo modo oriri ab ipsorum voluntate. Valide autem ordinarentur aliquo pacto consentientes, alias non consensuri, ut qui minis in susceptionem Ordinis consentiret, alias non consensurus. Ita *ex cit. cap. Majores.*

Q. III. Quæ debeat esse scientia, & probitas in Ordinando, & an debuerit esse confirmatus.

R. I. Ex Trident *sess.* 23. *cap.* 11. *de reform.* volentes suscipere Primam Tonsuram, scire debent rudimenta Fidei, & legere, & scribere. Qui Ordines Minores, intelligere ulterius debent linguam latinam. Qui Subdiaconatum; & Diaconatum, & linguam latinam, & quæ pertinent ad ipsorum ministerium ignorare non debent. Qui Ordinem Presbiteratus, debent etiam scire docere populum necessaria ad saltem, nec non scire requisita ad Sacramenta rite administranda. De hac scientia constare debet Episcopo per examen; nec vult Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 3. & 8. a proprio Episcopo ad alium dimittendos suos subditos pro recipiendis Ordinibus, nisi ipsi per examen de ipsorum scientia constiterit. Hinc Episcopi examini subjiciuntur, etiam Regulares, ut habetur ex Lateranensi sub Leone X., ex Decreto Clement. VIII. capite superiori citato, aliisque, quæ allegat Passerinus *to.* 3. *qu.* 189. *art.* 10. *n.* 280.

R. II. Talis primo debet esse probitas Ordinandi, ut nulla censura, vel irregularitate fuerit innodatus, advertendo quod qui in excommunicatione suscipit Ordinem, ab eodem manet suspensus *ex cap. cum illorum de sent. excom.* Cum autem lis sit inter DD., ut videre est apud Layman *de Ordin. c.* 1. *n.* 13., an præfata suspensio, & etiam irregularitas afficiant solum suscipientem in excommunicatione Ordinem Sacrum, vel etiam Ordines Minores, dicendum est non habere locum respectu suscipientis hos Ordines, cum ex notis regulis pœnæ in dubio sint excludendæ.

Secundo, probitas Ordinandi debet elucescere in hoc, quod non ex fine humano, sed ratione Deo famulandi, suam & proximorum salutem promovendi, curet ad Ordines promoveri. Hinc debuit a Deo vocari, magnæ etenim præsumptionis esset velle ex solo ductu propriæ voluntatis gravia Ecclesiasticorum onera subire. Quod autem a Spiritu S. sit impulsus, quem aliquis ad statum clericalem experitur, dignosci potest ex conscientiæ puritate, ex desiderio non ditescendi, sed laboris ecclesiastici, maximeque propriam, & aliorum salutem promovendi. Deberet tamen expectare vocationem Episcopi, ad assumendum etiam ex hoc fine regimen animarum, præsumptuosum enim videtur aliquem præesse appetere *ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente*, ait *S. Th.* 2. 2. *qu.* 185. *art.* 1.

Explorati etiam ita deberent esse mores Ordinandorum, ut castitatem servatos esse sperari posset; nemo etenim ignorat, quantum nostrum vituperetur ministerium, quantum Sæculi dicteriis Ecclesiasticorum status vilipendatur ex ipsorum consortio cum mulieribus; & quid si nota sit incontinentia! Dictitent pleno ore Ecclesiastici se innocenter cum mulieribus degere; nam quamvis pleno ore non mentiri credere placeret, nonne ex sola mulierum frequentatione continuo de Ecclesiasticorum vita detrahitur? *Noxia est innocentia, quæ Sponsæ Christi officit famæ. Et cum Christus Agnus innocens,*

cens; imma ipse cœlestis innocentia, totum se contempserit pro Ecclesia, ut eam sine macula ulla, vel ruga redderet illibatam, qualis est Clericus, cui ad hoc Sponsa Christi committitur, ut pro unius fœminæ amore culpari totam Ecclesiam patiatur? Audemus dicere, a Deo Patre missus est Filius de sinu Patris, & Regna absens esse duravit, ut Ecclesiam faceret innocentem, & Clericus mulieris latus deserere non potest, ac Christi Ecclesiam reddat infamem? Ita Author de singularitate Clericorum inter Opera S. Cypriani. Cæterum quoad mores &c. Regularis ordinandi satis esse debet Episcopo, si habeat suorum Superiorum attestationem, ut ex declaratione S. Congregationis Passerinus *t. 3. de Stat. homin. q. 189. art. 10. num. 280.*

R. III. Volens suscipere Ordines, vel etiam Primam Tonsuram debet esse Confirmatos; ita etenim præcipit Tridentinum *sess. 23. c. 4. de reform.* Valide nihilominus tribuentur Ordines non confirmato; nam cætera Sacramenta de necessitate solummodo præexigunt Baptismum, utpote qui est janua Ecclesiæ: *S. Th. in 4. d. 24. q. 1. art. 2. q. 4.* Merito autem sancitum fuit ut nullus nec ad Primam Tonsuram assumeretur, nisi esset confirmatus; nam Status Clericalis perfectos solummodo admittit Christianos, & nemo perfectus censetur Christianus sine Confirmationis Sacramentu. Quamvis autem non improbabile sit solummodo venialiter peccaturum, qui Tonsuram non confirmatus reciperet, non tamen desunt qui id esse culpam gravem asserant; nam lea Ecclesiæ non videtur ipsis esse de re levi. *Bonac. de Ord. disp. 8, q. 5. p. 1. n. 10.*

Q. IV. Quæ ætas requiratur in promovendis ad Ordines.

R. Certum est nullum ad primam Tonsuram promovendum, nisi habeat usum rationis; unde si Episcopus ante illum Tonsuram conferat, ab illius collatione per annum suspensus est, *cap. nullus Episcop. de tempor. ordinat.* Quamvis autem Tridentinum pro initiandis prima Tonsura, aut pro promovendis ad Ordines Minores nullam definierit ætatem; nihilominus vult *sess. 23. c. 4. de reform.* quod nec ad primam Tonsuram ordinentur ii, *de quibus probabilis conjectura non sit, eo, ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.* Cum igitur difficillimum sit hujus vitæ instituendæ dari posse probabilem conjecturam, nisi saltem circa annum duodecimum, hinc est optimum esse consilium talem ætatem expectare, etiam pro initiandis prima tonsura. Nullus vero ad Subdiaconatus Ordinem ante 22., ad Diaconatus ante 23., & ad Presbyteratus ante 25. ætatis suæ annum est promovendus juxta Tridentinum *sess. 22. cap. 2. de reform.*, quos tamen annos sufficit attigisse, ut probat Ecclesiæ usus.

At quid dicendum, si aliquæ horæ deficiant ad supplendam legitimam ætatem, inchoata tamen sit dies in qua ordinandus legitimam complet ætatem? Quoad hunc casum aliqui me consuluerunt aliquibus ab hinc annis, cum etenim habenda esset ordinario die 17. Martii, quidam promovendus ad Presbyteratum expleat annum 24. hora 23. illius diei. Ego autem putavi posse ab Ordinario ad Ordines promoveri; & mea opinio sequenti innixa erat fundamento.

Habemus ex jure hanc regulam, diem inceptam habendam esse pro completa *l. 2. ff. de manumiss.* & quamvis juxta varios casus diversimode a DD. applicetur, nihilominus concors videtur sententia, ut notat *Fagnan. in cap. ad nostram de Regular. & in cap. Ego N.*, attendendam esse explicationem Glossæ *in l. 4. §. Minor. ff. de Minor., & in cap. cum in cunctis de elect. v. excegerit,* scilicet uno habendam esse pro completa, si favor sit tempus durare, & habendam pro completa, si favor sit tempus esse finitum. Hinc quamvis jus velit ad valorem Testamenti annos pubertatis debuisse esse completos: *leg. qua ætate 5. ff. qui testamentum facere*, nihilominus, cum simus in materia favorabili, idem jus statuit sufficere ultimam diem esse inchoatam: *leg. fin. C. de Milit. Testam.* Item eadem ætas completa ad valorem matrimonii requiritur *cap. continebatur de desponf. impuber., cap. attestationes, cap. ex litteris eod. tit.* & nihilominus satis est inceptam esse ultimam diem ultimi anni: *Sanch. de Matr. l. 7. d. 104. num. 2.* Quamvis autem aliquam difficultatem pati posset hæc doctrina, quando designatur tempus per dies, quia dies per horas numeratur, omnino attendendam est, quando designatur per annos, annus etenim per dies enumeratur; unde in favorabilibus sat est diem inceptam fuisse, ut annus omnino pro completo habeatur: *Nald. in Sum. v. tempus, Stephan. Gratian. Discept. Forens. c. 413.* His positis.

Cum in favoralibus dies incepta pro completa habeatur, quando favor est tempus non durare, hinc est pro completa habendam fuisse dies 17. Martii, in qua NN. exposcebat ad Presbyteratum promoveri; & si pro completa reputanda erat, verificabatur sufficienter attigisse ætatem, in qua poterat promoveri. Ex hoc habetur responsio ad contrariæ opinionis fundamentum, quo dicitur vitiari factum, ubi a jure tempus præfinitur, si vel una hora deficiat, cum tunc tempus veluti pro forma actus habeatur, Patet, inquam, responsio; nam vere adest tempus a jure præfinitum, cum ex eodem jure dies incepta pro completa habenda sit. Et quidem non minus ex eodem jure requiritur ad valorem testamenti Testatorem attigisse annos pubertatis, sicut & volentem contrahere matrimonium, quam attigisse annum 25. Ordinandum ad Presbyteratum; unde si in primis casibus nil de tempore a jure requisito deficere dicitur, quoties ultima dies sit inchata, idem dicendum in casu nostro: *Menoch. de Arbitr. cauf. 427. num. 25., Salmant. tr. 8. de ordin. c. 5. a. 31., Antonin. a Sp. S. de ord. tr. 9. disp. 4. sect. 3., Philibert. tr. 1. p. 5. c. 2. a. 7., Ledesm. t. 1. fam. c. 7, Girbaldus &c.* eamque probabiliorem vocat *Leand. tr. 9. disp. 6. q. 8.*

Hinc autem est observandum Episcopum, scienter ordinantem ante legitimam ætatem, esse suspendendum a collationem omnium Ordinum, ut constat ex *cap. vel non est compos de temp. ordinat.* Quod si de facto suspendatur, non irregularis fieret Missam celebrando, quia esset suspensus a collatione Ordinum, non autem ab alio actu, *Fagn. in d. cap. num. 45.* Qui vero scienter susciperet ordines Majores ante legitimam ætatem, esset ipso jure suspensus, ex constitutione Pii II. Incip. *Cum & sacrorum.* Non esset vero suspensus qui inculpabiliter Ordines suscepisset, neque irregularis fit in eis ministrasset; nam citata Constitutio loquitur de iis, qui scienter hoc fecerint, vel ministrare præsumpserint: *Barbos. in cit cap. non. est compos*; dum vero postea deprehendatur defectus ætatis abstinendum est usque da legitimam ætatem a ministrando in Ordine suscepto.

Q. V. Quæ interstitia observanda sint ab Ordinandis, & quibus competat in eis dispensare.

R. Ex Tridentino *sess. 23. de reform. cap. 11.* inter ipsos ordines Minores interstitia temporum servanda sunt, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur. Subdiaconatus non est conferendus nisi post annum a susceptione ultimi Ordinis Minoris: Diaconatus post annum a Subdiaconatu, & saltem annus integer in Diaconatu debuit ministrare, qui vult ad Presbyteratum promoveri. Ratio cur Ordines conferendi sint, servatis temporum interstitiis, assignatur ab eodem Concilio; ut nempe ordinandi interim accuratius observent, ac edoceantur de obligatione, & dignitate cujuscumque Ordinis, simulque ut in unoquoque exerceantur; atque ita fiat, ut cum ætate majorem probitatem, ac doctrinam assequantur.

Cæterum sufficit sit annus interstitiorum fuerit Ecclesiasticus, hoc est, si redierit idem tempus ordinationis, quo quis anno præcedenti fuit ordinatus. Hinc qui temporibus quadragesimæ anno antecedenti promotus fuit e.g. ad Subdiaconatum, potest sequenti iisdem temporibus ad Diaconatum promoveri, quamvis nondum expletus fuerit annus naturalis, qui continet tercentos sexaginta quinque dies *Barbos. p. 2. de potest. Episc. al leg. 18. num. 2.* Potest etiam sufficere annus naturalis: unde qui anno antecedenti promotus est ad Ordinem S. Sabbato Sancto, poterit in sequenti ad alterum Ordinem Sabbato *sitientes* promoveri, si annus naturalis elapsus fuerit; nam revera per annum versatus est in Ordine antecedente, ut præscribit Tridentinum.

R. II. Facultas dispensandi ab interstitiis competit Episcopo respectu sui Diœcesani, secus respectu non Diœcesani. Cum igitur ex Tridentino sæpe citato non sint dispensanda interstitia, nisi Episcopus judicet ita expedire ob necessitatem, vel utilitatem & cum hæc satis perspecta habere non possit Episcopus ordinans respectu Ecclesiæ alterius Diœcesis, consequens est solum ad proprium Episcopum pertinere in Interstitiis dispensare: *Barbos. cit. num. 5. & 9.* ex declarat. S. Congregationis. Idem eadem S. Congregatio declaravit apud Laurentium de Franchis *in controvers. inter Episc. &*

Re-

Regular. num. 256. eadem facultatem, absente Episcopo, transire in Vicarium Generalem babentem generale mandatum, atque etiam ad Capitulum, sede vacante.

Competit etiam Episcopis, non vero Prælatis Regularibus, dispensare quoad Interstitia Regulares ordinandos, quamvis judicare possit de causa, attenta sola Superiorum attestatione, qui eamdem causam ponere debent in literis dimissoriis: *Barbos. part.* 2. *de Offic. Episc. alleg.* 18. *num.* 10., *Passer. tom.* 3. *q.* 189. *art.* 10. *num.* 834.

R. III. Qui ordinantur non servatis Interstitiis, nullam penam incurrit, siquidem nulla pœna expresse habetur in jure contra ita ordinatos. Verum quidem est Sixtum V. in sua Bulla *Sanctum & salutare*, voluisse ita promotos incurrere suspensionem sibi reservatam: at Clemens VIII. in sua Bulla *Romanum* abstulit omnes pœnas extra jus commune latas a Sixto, exceptis pœnis contra simoniace ordinantes, & ordinatos. Ulterius nec ista pena suspensionis, neque alia censura habetur in Bulla Pii II. *Cum ex Sacrorum &c. Barbos. citat. numer.* 14., *Passer. citat. numer.* 840. Dicendum tamen omnino est cum eodem Barbosa *num.* 13. aliisque, peccaturum mortaliter, qui ordinaretur, sine dispensatione interstitiorum, utpote quia faceret contra Canones in re gravi.

Q. VI. An Ordinandus ab alieno Episcopo debeat habere literas dimissorias; a quo sint concedendæ, & quæ pœnæ statutæ sint contra ordinatos sine talibus literis.

R. I. Quamvis Episcopus debeat per seipsum suis subditis Ordines conferre, ut ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 3. *de reform.* nihilominus si ex legitima causa fuerit impeditus, ipsius subditus, ut ex Tridentino ibidem, poterit de ejus consensu ab altero Ordinario Ordines suscipere. Illæ autem literæ, in quibus talis Consensus, seu licentia exprimitur, dicuntur *dimissoriæ*, quia per eas unos Prælatus dimittit ad alium, vel etiam *Reverendas*, ut ex Tridentino *sess.* 7. *capit.* 10. *de reform.*

Antequam hujusmodi literæ concedantur, Ordinandus est examinandus a proprio Ordinario ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 3. *de reform.* & solum id posset relinquere Episcopo ordinanti, quando ex aliqua causa foret valde incommodum illud peragere. Verum tamen est Episcopum ordinantem posse, si velit, iterum examinare alienum subditum a proprio Ordinario examinatum: *Barbos. de potest. Episc. allegat.* 7. *num.* 29. Præterea, ot concedantur hæ literæ dimissoriæ, necesse est rationabilem causam intervenire ex Trident. *sess.* 7. *cap.* 11. *de reform.* Quorum vero Episcoporum literas dimissorias habere debeat Ordinandus, constat ex dictis capite superiori *quæst.* 2. Ibidem etiam dictum est Prælatos Regulares concedere posse suis subditis has literas, simulque explicatum ad quem Ordinarium dirigere debeant.

R. II. Capitulum, Sede Vacante, infra annum computandum a die vacationis, oon potest has literas dimissorias concedere: *Trident. sess.* 7. *cap.* 10. *de reform.* Excipit arctatos ratione alicujus Beneficii recepti, vel recipiendi. Illi autem dicerentur arctati ratione recepti beneficii, qui ratione ipsius tenentur Ordines recipere, uti esset assumptus ad regimen Ecclesiæ parochialis; obtinentes Dignitatem, vel Canonicatum, quia habent Ordinem annexum; seu habentes beneficium exigens servitium personale, cui non possit satisfieri, si aliquis Ordo non recipiatur: *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 7. *nu.* 11., *Garzias p.* 5. *de benef. cap.* 7. *num.* 98. Illi vero dicuntur arctati ratione beneficii recipiendi, qui habentes Primam Tonsuram per electionem, seu præsentationem acquisierunt jus ad aliquod beneficium, quod tamen obtinere non possunt, nisi habeant aliquem Ordinem Majorem: *Barbos. citat.* Idem dicendum, si Collator velit conferre, vel Patronus præsentare Laicum Beneficii incapacem. Hic intelligitur arctatus ratione beneficii recipiendi, quapropter Capitulum, Sede Vacante, potest illi dare dimissorias ad Tonsuram recipiendam: *Garz. cit. p.* 5. *c.* 7. *n.* 102., *Card. de Lug. de Benefic. disc.* 71. *n.* 7.

R. III. Ordinati absque literis dimissoriis suspensionem incurrunt ex Bulla Pii II. *Cum ex Sacrorum.*

Q. VII. An ordo servandus sit inter receptionem unius, val alterius Ordinis; & quæ pœna imposita sit Transgressoribus.

R. Cum Ecclesia instituerit ordinem, seu gradus, quibus ad Presbyteratum est ascendendum, utique sine gravi culpa non potest inverti talis ordo, utpote quia fieret in re gravi contra id, quod instituit Ecclesia. Præterea ita qui per saltum ordinaretur, suspensus remaneret ab Ordine per saltum suscepto, ut *cap. Tuæ Litteræ de Cleric. per salt. promot.*

De Temporibus, quibus Ordines suscipiendi sunt, & de pœnis contra Promoventes, seu promotos extra tempora a jure statuta, dictum est capite superiori.

Regulas pro praxi videas in fine capitis sequentis.

CAPUT IV.

De Titulis, ex quibus aliquis potest ad Ordines promoveri.

Q. I. EX quibus titulis possit aliquis ad Ordines promoveri; & de pœnis contra Promoventes, & Promotos sine titulo.

R. Cum non deceat Ecclesiæ Ministros mendicare, vel sordidum aliqoem quæstum exercere, inde est decrevisse Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* nullum promovendum ad Ordioes Sacros, nisi pacifice obtineat Beneficium, quo honeste possit sustentari. Vult deinde tale beneficium non posse resignari, nisi facta mentione ad illius titulum aliquam fuisse promotum; & resignatiooem nullam esse, nisi constet aliunde habere, unde commode vivere possit. Addit Concilium ordinari posse etiam obtinentes pensionem, vel patrimonium, quibus possint sustentari, si ita Ordinarius judicaverit pro necessitate vel utilitate Ecclesiarum suarum; unde hunc titulum solum dispensative fieri legitimom docet Fagoanus *in cap. Episcopus de Præbend. & Dignitat.*

Alter titulus est paupertatis, sive professionis Religiosæ pro Regularibus, qui tamen titulus solummodo veris Regularibus prodest, ot ex Balla S. Pii V. *Romanus Pontifex*: unde hic titulus non prodest non professis, vel etiam nulliter professis, ot ex Rotæ sententia docet Garaias *p.* 2. *de Benef. c.* 5. *n.* 11., *Barbos. de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 19. *a.* 5.

R. II. Episcopus ordinans aliqoem sine titulo, si non habeat unde vivat, tenetur illi necessaria alimenta præstare, *cap. cum secundum* 16. *de præbend.* Quod si aliquis promotus fuerit ad Ordines Sacros sine titulo a pluribus Episcopis, ad Subdiaconatum verb. grat. ab Episcopo originis, & Diaconatum ab Episcopo domicilii, uterque tenetur in solidum illi alimenta præstare: *Fagnan. in cap. cum secundum num.* 24. *de Præbend.* Idem dicendum de Episcopo concedente non habenti titulum literas dimissorias pro recipiendis Ordinibus ab alieno Episcopo; nam non debebat illas concedere, nisi prius inquireret de titulo, aliisque Ordinandi requisitis. Præfatam autem pœnam non incurrit Episcopus sine sua culpa aliquem ordinans sine titulo; quia ex. g. fuit deceptus; neque etenim in damnum revocanda est res, quæ culpa vacat: *Fagnan. cit. num.* 62.

Si vero Episcopus promovens aliquem sine titulo pacisceret cum Ordinato de non exigendis ab ipso Ordinante alimentis, Episcopus per triennium suspensus remaneret ab Ordinum collatione, & Ordinatus perpetuo ab Ordine sic suscepto: *cap. si quis ordinaverit* 45. *de Simon.* Ultraquamquod videtur hic Simonia intercedere; si etenim remittatur jus ad exigenda alimenta, ut Ordo obtineatur, idem est ac dare illud temporale pro spirituali consequendo, quod importat manifestam Simoniam.

Item S. Pius V. in sua Bulla 75. *Romanus Pontifex* decernit Episcopum ordinantem sine titulo Beneficii, vel Patrimonii Religiosum non professum, vel solum professum ad tempus, itaut possit ad sæculum redire, remanere ipso jure per annum suspensum a talium ordinum collatione, Ordinatum vero ab executione Ordinum, & fieri irregularem, si in iisdem ministraverit.

R. III. Non desunt qui putant generaliter verum esse omnes ordinatos sine vero titulo suspensos remanere, & hanc suspensionem haberi *can. neminem, can. Sanctorum* 70. *dist.* Et quamvis revocata videatur *cap. cum secundum de præben.*, ubi solum culpabiliter Ordinanti aliquem sine titulo gravamen imponitur illum alendi, nihilominus aliis placet apud Barbosam *de offic. Episc. p.* 2. *alleg.* 20. *nu.* 25., in eo capite solummodo auferri suspensionem ordinati, quoties solus Ordinans est in culpa; adeoque si etiam Ordinatus, fingendo titulum, fuerit in culpa, revera antiquam suspensionem incurreret.

Insuper juxta hanc distinctionem volunt intelligendum Tridentinum dum *sess. 21. cap. 2. de reform.* quoad hoc antiquorum Canonum rigorem innovavit. Favet declaratio S. Congregationis apud Fagnanum *in cap. cum secundum num. 69.*

Verum cum pauci Theologi, & Canonistæ apud Barbosam *num. 26.*, doceant Concilium non innovasse nisi pœnam contra Ordinantem aliquem sine titulo, atque etiam ita declarasse S. Congregationem testetur *Piasec. in prax. nov. Episcop. p. 1. cap. 1. num. 42.*; & cum pariter apud eumdem *num. 33.* non pauci, quibus alii addi possent, sentiant non satis constare ex jure promotum ad Ordinem sacrum mentiendo, & fingendo titulum, puta patrimonium, suspensum remanere, hinc est saltem dubium esse, an vere incurrat suspensionem: in dubio autem pœnæ, & censuræ non sunt admittendæ. Limitanda tamen hæc doctrina quoad Ultramontanos, qui si ordinentur ab Episcopis Italiæ sine titulo, aut cum titulo ficto remanent suspensi ex Const. Urban. VIII. *Secretis æternæ &c.* edita die 21. Decembris 1624.

Q. II. Quale debeat esse Beneficium, & Patrimonium, quorum titulo quis petat ordinarii.

R. Beneficium, ad cujus titulum aliquis vult ad Sacros Ordines promoveri, debet esse sufficiens ad honeste vivendum, ex Tridentin. *sess. 21. de reformat.* nec potest suppleri adjectione etiam pinguis patrimonii, si hoc sit extra Diœcesim, in qua quis possit ordinari ex dictis *cap. 2. sess. 2. resp. 2.* Præfata autem sufficientia regulanda vel arbitrio Ordinarii, vel juxta consuetudinem. Putarem autem quod si modicum quid Beneficio, aut Patrimonio deesset, puta unum, aut duo scuta, non proinde insufficientia essent judicanda; nam de modico non est curandum: *leg. si oleum §. fin., & l. seq. ff. de dolo*, & docet in hac materia *Candid. art. 21. num. 17. Dian. tom. 2. tract. 5. resol. 108.* Oportet item *ex Trident. citat.* Beneficium pacifice possideri, hoc est, sine lite. Dicendum nihilominus esset pacifice possideri, quoties lis non esset quoad dominium Beneficii, sed solum quoad aliquid pertinens ad ipsum Beneficium, puta domum, prædium &c. *Barbos. de Offic. Episc. p. 2. alleg. 19.*

R. II. Item Patrimonium, ad cujus titulum aliquis ad Sacros Ordines admittitur, oportet ex Tridentino sufficiens esse ad congruam sustentationem. Et cum debeat ad sustentationem Ordinati deservire, oportet esse constitutum super re immobili, nam res mobiles facile pereunt; & super re immobili certa, ut satis constare possit de ipsius redditu. Quamvis autem census redimibiles inter immobilia computarentur: *Clement. Exivi de v. s. §. Cumque &c.* atque ideo non pauci, quos sequitur *Barbosa alleg. 19. num. 55.*, putent patrimonium constitui posse super censu redimibili, nihilominus cum hujusmodi capitalia non raro pereant, optimum esset super iis patrimonia Ecclesiasticorum non fundari.

Item notandum hujusmodi bona immobilia fructifera, non debuisse esse hypothecata pro debito; nam tunc ordinatus non posset ex ipsorum fructibus sustentari, ut vult Tridentinum. Si vero Ordinandus sit ære alieno gravatus, cui tamen non sint sua bona hypothecata, talia bona poterunt ipsi pro patrimonio deservire, quia vere habet dominium ipsorum, & habet jus, ut fructibus sustentetur: *Barbosa cit. numer. 55.* Non expedit tamen hos ad Sacros Ordines promovere; & intervenit culpa gravis, ut ex aliis notat idem Barbosa, si ex hoc grave damnum interveniat Creditoribus.

Q. III. An liceat Patrimonium alienare, vel restituere ei, qui donavit; & an valida foret illius alienatio.

R. Certum est, absolute loquendo, nec Beneficium, nec Patrimonium, quorum titulo aliquis Ordinem susceperit, posse resignari, & alienari, ita etenim decrevit Tridentinum *sess. 22. cap. 2.* Solum posset restitui ei, qui tradidit, si de consensu Episcopi appositum fuisset pactum de eo restituendo, statim ac Clericus ordinatus habuisset aliunde, ex quo viveret. Ratio est, quia tunc restitutio non adversatur Tridentino, cui satis est, si Clericus possit honeste sustentari: *Barbosa p. 2. allegat. 59. num. 59., Diana t. 2. tract. 5. resol. 107.* Aliis placet restituendum patrimonium donanti, quando donatio facta est Clerico cum pacto de retrodonando, postquam Ordines susceperit. Id non placet Barbosæ *alleg. 20. num. 30.* & quibusdam aliis, eo ductis fundamento, quod hujusmodi pactum de retrodonando, utpote contrarium Tridentino, non teneat. At contraria opinio mihi magis arridet; nam donatio facta cum pacto præfato est donatio mere ficta, ex tali autem donatione non potuit transferri dominium in Clericum, vel ad summum ad tempus limitatum: unde, eo elapso, cum statim cessat dominium Clerici, necesse est patrimonium ita donatum primo dominio restituere: *Sanch. de Matr. l. 6. disp. 23. n. 8., Salmant. de Ordin. cap. 6. n. 82., Tambur. de Ord. c. 6. §. 4. n. 12.*

R. II. Alienatio patrimonii facta a Clerico non habente unde honeste sustentetur, irrita est, si fiat sine Episcopi consensu. Ratio est, quia Tridentinum dicit hujusmodi patrimonium sine licentia Episcopi *nullatenus* posse alienari; ea autem dictio *nullatenus* importat ipso jure nullitatem actus, ut docet Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 19. n. 75., & diction. 226. a n. 4.* Unde ruit fundamentum contrarium, quo dicitur talis alienatio valida, quamvis illicita, quia Tridentinum eam prohibet, non vero irritat. Ruit, inquam, quia cum Tridentinum dixerit *nullatenus posse* alienari, ex dictis non solum prohibuit, sed etiam irritavit alienationem. Eodem modo ac de alienatione discurrendum est de hypotheca, ut observat Barbosa *alleg. cit. n. 85.* est etenim quædam alienatio.

Si vero Clericus habeat aliunde unde vivat; valida censenda esset talis alienatio, quia cessat ratio quare Concilium irritavit talem alienationem factam sine Episcopi consensu. Immo non pauci putant, eo etiam deficiente, licitam esse; siquidem Tridentinum *sess. 24. cap. 2.* ponit particulam *donec*, quæ est restrictiva, & videtur significare hujusmodi alienationem sine Episcopi licentia fieri non posse, donec Clericus habeat, unde honeste sustentetur: *Azor. tom. 2. l. 3. c. 4. q. 3., Palaus tr. 27. p. 11. n. 13. Barbos. alleg. 19. n. 88.*

Regulæ in praxi attendendæ.

I. Non sinat Confessarius Adolescentulos, seu Juvenes, quorum saluti incumbit, Statum Ecclesiasticum assumere, nisi in eis Divinæ Vocationis signa elucescant. Perversi Cleri mores totam inficiunt Ecclesiam, cum cæteri, juxta Ecclesiasticorum exempla vivendo, tuto salutem consequuturos sibi blandiantur. Hanc Ecclesiæ ministrorum pravitatem esse veluti quoddam præambulum etiam ad novas hæreses, non pauci docuerunt. At qualis est fæculenta scaturigo illorum Ecclesiæ Ministrorum, in quibus non aliud esse dicerem veri Ecclesiæ Ministri, nisi Ordinis characterem? Non alia utique est nisi, quia vocati fuerunt a Deo, sed Ecclesiasticum statum elegerunt e. g. ex amore sibi victum, & necessaria comparandi, unde spectare videntur Ecclesiastica ministeria, sicut quæcumque alia sordida artificia, quæ ex solo fine sibi necessaria acquirendi exercentur. Alios ad Ecclesiam vocavit amor divitiarum, seu ambitio dignitatum: unde postea ita vitam instituunt, ut apud fidelem populum nil ipsis sit contemptius, & abjectius, ut Catechismus conqueritur. Jam autem antea suas querelas alte extulerat D. Bernardus, seu potius Gaufridus Abbas IV. Clarevallensis declamatione in Evangelium: *Ecce nos reliquimus omnia.* Postquam igitur observavit non paucos ex Ecclesiæ ministris non a Domino vocatos sed ab amore ditescendi, & honorum, vel etiam voluntate Parentum, aut Consanguineorum in Ecclesiam introisse, ita subdit: *Honorati incedere volunt, placere student hominibus, delectari, & superbire, & huic sæculo per omnia conformari. Audi querelas Domini quid super hac tanta hominum temeritate loquatur patiens redditor, pœnitentiam potius cupiens quam vindictam:* Ipsi (*inquit Oseæ 8.*) regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non vocavi eos. *Universis siquidem in ordinibus Ecclesiasticis, cæterisque ad Sanctuarium pertinentibus, honorem quærentes proprium, aut divitias, seu corporis voluptatem, postremo quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, manifeste prorsus, & indubitanter, non ea, quæ a Deo est, Charitas, sed aliena a Deo, & omnium radix malorum cupiditas introducit. Quid istud temeritatis, imo quid insaniæ est? Ubi timor Dei? Ubi mortis memoria? Ubi gehennæ metus, & terribilis expectatio illa judicii? Sponsa nec cubiculum, nec cellam ingredi, nisi Rege introducente præsumit: tu irrere-*

rere-

reverenter irruis nec vocatus, nec introductus: Trahe me post te, *ait illa Cant.* 1. in odorem unguentorum tuorum curremus: *Nunc autem trahit sua quemque voluptas, & odorem turpis lucri sectantes, quæstum æstimant pietatem, quorum certa est damnatio.*

II. Quamvis Tridentinum non explicet quos scientiæ gradus exposcat in Ordinando, solumque scientiam pro ratione Ordinum in eo exposcat; nihilominus dissuadeat Confessarius suo Pœnitenti inter Ecclesiæ ministros adnumerari, & maxime ad Sacerdotium ascendere, si studere nolit; vel si ita rudis sit ingenii, ut etiam studendo haud possit scientiam saltem mediocrem acquirere. Quidam qui vel studium abhorrent, vel studendi sunt incapaces, ea ratione etiam ad Presbyteratum admittuntur, quia dicuntur non habere voluntatem alios regendi, sed solum sibi vacandi. At instituti sunt ne a Christo Sacerdotes, & ab Ecclesia ordinari, ut sibi solis vacarent? Nonne ut dicitur *Malach.* 1.; lex ex ipsorum ore requirenda est, & scientia ex ipsorum labiis? Certe vetus Ecclesiæ disciplina otiosos Sacerdotes numquam amisit, ac proinde nec ipse Cathechismus vult Sacerdotio initiandos, qui non possint populos instruere. Ratio adducta solum aptari posset iis Religiosis, qui nullatenus curæ Animarum incumbunt, quales sunt Carthusiani &c. quamvis & ii ex defectu scientiæ possint proprio, & aliorum Religiosorum progressui non mediocriter obesse.

Ulterius quis spondere poterit dicentem ante ordinationem velle sibi soli vacare, adimpleturum postea promissa? Ego nullos indoctos audaciores vidi; atque ut obtineant facultatem confessiones saltem audiendi, nullum non movent lapidem. Interim qualia futura sint ipsorum consilia, & responsa in gravissimum animarum detrimentum nemo non videt. Quædam desumo ex D. Bernardo, qui exponens illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, ita insurgit in indoctos Sacerdotes: *Quomodo escusare ignorantia possit hominem, qui se magistrum infantium, Doctorem incipientium profitetur? Ignorans utique ignorabitur: immo & multos ignorare faciet, & ignorari. Quid enim periculi sit, ubi non invenit Pastor pascua, ignorat Dux itineris viam, Vicarius nescit Domini voluntatem, Ecclesia quotidie multipliciter, & miserabiliter experitur... Itaque hac dote* (scientia nempe) *carens, frustra sibi, tamquam per Christum introierit, blandiatur; Siquidem dicitur ignoranti. Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

III. Pius, & Doctus Confessarius semper suadeat Ecclesiæ Prælatis, ne faciles sint in promovendo ad Ordines ob Ministrorum penuriam: ut enim scribit Gelasius Papa ad Episcopos Lucaniæ, *Convenientia Ecclesiæ ministeria reparanda sunt, non inconvenientibus meritis ingerenda... Ne per occasionem supplendæ penuriæ Clericalis, vitia potius Divinis cultibus intulisse, non legitimæ familiæ Domini putemur procurasse compendia*: Ita *can. Monachus dist.* 77. contrariam praxim deplorans S. Bernardus in Tractatu *de Convers. ad Cleric. c.* 20. hæc inter alia habet: *Ditata videtur Ecclesia. Ipse etiam Clerici Sanctissimus Ordo, Fratrum numerus super numerum multiplicatus est. Verum etsi multiplicasti gentem, non multiplicasti lætitiam, dum nihil minus apparet decessisse meritis, quam numeri accessisse. Curritur passim ad S. Ordines, & reverenda ipsis quoque spiritibus Angelicis ministeria homines apprehendunt sine reverentia, sine consideratione.*

IV. Quamvis Ministrorum exiguus numerus, vel quia qui dantur Ministri minus sint idonei, inducere possint Ordinarium ad dispensandum in Interstitiis; id tamen non passim faciendum crederem, ut sufficienter vocatio, & Mores Ordinandorum probari possint. Minor quidem requiritur causa pro dispensando in Interstitiis a Subdiaconatu ad Diaconatum, quapropter Tridentinum *sess.* 23. *c.* 11. id arbitrio Episcopi relinquit: major nihilominus requiritur pro dispensando ab Interstitiis inter Ordines Minores, & Subdiaconatum; unde ad hanc dispensationem concedendam vult Concilium intervenire debere vel necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ. Et ratio est quia, cum ascendendo a Minoribus Ordinibus ad Subdiaconatum, status mutetur, nec liceat amplius ad sæcularem vitam redire, conveniens est Subdiaconatum majori cum ponderatione suscipere. Pro dispensando vero ab Interstitiis a Diaconatu ad Sacerdotium exposcit Concilium conjunctive necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ; cum etenim Sacerdotium sit Ordo tantæ excellentiæ, & dignitatis, exposcit longioris temporis præparationem. Inter alias dispensandi Interstitia causas ponitur causa studiorum, quæ reducitur ad utilitatem Ecclesiæ. Considerandum etiam ex Canonistis est, si ætas sit provecta, quod tamen intelligendum est, si simul cum ætate creverit etiam probitas vitæ. Innocentius XII. postquam in sua Constitutione *Speculatores*, commendavit in conferendis Ordinibus servare Ecclesiæ disciplinam quoad Interstitia, Tempora &c., inter alia hæc habet: *Ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur; nec umquam heri sacrilegi, hodie Sacerdotes, heri profani, hodie Sacrorum Antistites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes, Discipuli simul, ac Magistri pietatis creentur; sed ii tantum, juxta constitutas a Majoribus leges, ab humili gradu fidelis populi, ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum sæcularem diuturna conversatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ postmodum alios docere tenentur.*

TRACTATUS XXI.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

QUamquam feliciſſimi jure illi dicantur, qui ſectantes continentiæ virtutem, nulliuſque mundi curis diſtracti, cœleſtium rerum cogitationi, ac aſſequutioni incumbunt; nihilominus, quia ut Apoſtolus 1. ad Cor. 7. dixit: *Unuſquiſque proprium donum habet a Deo; alius quidem ſic, alius vero ſic*, unde non omnibus datur carnis rebellionem cœlibatu refrænare, hinc fidelibus eſt etiam Matrimonii ſanctitas exponenda, ut inviolatam ſervare ſatagant. De Matrimonio igitur, quod Chriſtus præſentia ſua approbavit, quodque ad ſublimem Sacramenti ſtatum evexit, modo Tractatum inſtituo, ut Parochi valeant edocere populos quomodo ſancte illud ſit contrahendum, & quomodo ſancte inter conjuges fides ſervanda; atque ita Apoſtoli effatum ad Hebr. 13. verificetur: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*.

UÆSTIO I.

De Sponſalibus.



UM Sponſalia ſint quaſi præambula ad Matrimonium, ideo antequam de eodem Matrimonio ſermonem inſtituamus, quæ pertinent ad Sponſalia veniunt explicanda.

CAPUT UNICUM.

De Eſſentia Sponſalium; & de requiſitis ad ea.

I. QUid ſint Sponſalia; & cur Matrimonio præmittantur.

R. I. Sponſalia proprie dicta bene definiuntur, ſi dicantur eſſe *Mutua promiſſio futuri Matrimonii*: Similis definitio habetur *can. noſtrates 30. q. 5. & leg. 1. ff. de ſponſal.* Hæc autem definitio melius innoteſcet ex quæſitis infra apponendis.

R. II. Matrimonio præmittuntur Sponſalia, ut interim ſponſus conſiderare poſſit ſtatum, mores & conditionem Sponſæ, & e contra; atque ita non ex cæco amore, ſed prudenti inquiſitione ineant poſtea indiſſolubilem contractum. Deinde hoc intervallo explorandum eſt, an aliquod forte inter eos adſit impedimentum. Tertio, ut eodem temporis intervallo Sponſi jugiter orationibus incumbant, ut nubere poſſint in Domino; atque ita deinde frui tranquilla pace; & patienter moleſtias ferre Matrimonii.

Q. II. Quæ intentio requiratur in contrahentibus ad valorem Sponſalium.

R. Qui promiſit Sponſalia non ſolum tenetur habere animum promittendi, ſed etiam debet habere animum ſe obligandi; nam promiſſio de ſua eſſentia importat obligationem, unde per hoc, quod aliquis nolit ſe obligare, deſtruit eſſentiam ipſius promiſſionis. Præterea actus agentium non operatur ultra voluntatem eorum: *leg. in agris 16. ff. de acquirendo rerum dominio leg. non omnis 19. ff. de reb. credit. ſi certum petatur, cap. fin. de præben.* unde ſi quis promittat ſine intentione ſe obligandi, nulla ex hoc oriri poteſt obligatio: *Sanchez lib. 1. diſputat. 9. n. 5., Bonacina de matrimonio qu. 1. p. 2. n. 5.* Id etiam verum eſt, etſi talis promiſſio fuerit jurata; nam etſi jurandi intentio perſiſtat, juramentum non obligat, quando deficit animus ſe obligandi: *D. Th. in 3. d. 39. q. 1. art. 3. q. 3.* & jam alibi dictum eſt.

Q. III. An promiſſio ad Sponſalia requiſita debeat eſſe mutua; & quam pariat obligationem, ſi mutua non ſit.

R. I. Cum ſponſalia ſint præambula ad matrimonium in quo intervenit mutuus contrahentium conſenſus, conſequens eſt ad ſui valorem expoſcere mutuam promiſſionem de matrimonio futuro; unde *leg. 1. ff. de ſponſal.* Sponſalia dicuntur repromiſſio, ideſt utrinque promiſſio. Præterea Sponſalia ſunt contractus onerolus ultro citroque obligans, adeoque neceſſaria eſt utriuſque promiſſio ad inducendam obligationem. Demum cum promiſſio ante acceptationem non inducat obligationem, ad valorem Sponſalium utriuſque partis acceptationem intervenire neceſſe eſt: *Sanch. de matr. l. 1. diſp. 9.* & communiter.

R. II. Si promiſſio non ſit mutua, ordinarie loquendo, nullam inducit obligationem. Ratio eſt, quia dum aliquis e.g. promittit aliquam ducere, videtur ea intentione facere talem promiſſionem, quod ſimul ſibi repromittat, ita etenim expoſcit natura Sponſalium, quæ intendit contrahere; & aliunde verba contrahentium accipienda ſunt juxta naturam contractus: *l. in conducto §. Papinianus ff. locati*, ſi proinde altera pars non repromittat, nulla conſurget obligatio. Dixi, ordinarie loquendo; nam nil obſtat aliquem voluiſſe facere promiſſionem omnino gratioſam de aliqua ducenda, abſque onere ipſius repromiſſionis: ut ſi quis fœminæ ob inſignem famulatum ſibi præſtitum in gravi infirmitate, gratioſe promitteret eam ducturum, abſque eo quod eam intenderet obligare ad repromittendum. In tali igitur caſu, ſi fœmina acceptet promiſſionem, promittens tenebitur eam ducere non in vi Sponſalium, ſed ſimplicis promiſſionis *Sanch. l. 1. de matr. diſp. 5. num. 12.* & fere communiter.

Q. IV. An Sponſalia metu extorta valida ſint.

R. I. Si Sponſalia inita ſint ex gravi metu injuſte incuſſo ipſo facto ſunt irrita. Ratio eſt, quia connexorum idem debet eſſe judicium: *arg. cap. Translato de Conſt.* unde cum matrimonium ex tali metu contractum ſit ipſo jure irritum, idem dicendum eſt de Sponſalibus: *Sanch. lib. 4. diſp. 19. num. 3.* Addendum quod licet alii contractus ex metu gravi, & injuſto initi non eſſent ipſo jure irriti, ſed irritabiles, hoc tamen non valet de contractu, ex quo, ſi validus reputetur, ſequitur damnum irreparabile, quod eveniret in præſenti; ſuppoſito etenim ſponſalia eſſe valida, ſtatim conſurgeret damnum irreparabile, impedimentum ſcilicet publicæ honeſtatis: *Reiff. in 1. Decretal. tit. 40. num. 45.* Nec refert tale impedimentum auferri poſſe papali diſpenſatione; nam, ultraquamquod damnum ſubortum ratione contractus ex præfato metu initi debeat poſſe de jure, ſeu per ſententiam Judicis reparari, id, quod fieri poteſt non de jure communi, ſed ſolum ex Papæ diſpenſatione impoſſibile dicitur, ut probat *Fagnan. in cap. de illis num. 42. de ſponſ. impub.* adeoque impedimentum per ſolam Papæ diſpenſationem auferibile, bene dici poteſt irreparabile.

Neque etiam valida forent talia Sponſalia, quamvis firmata fuiſſent juramento; nam ex dictis *tract. 8. q. 1. cap. 3. q. 5. reſp. 3.* juramentum firmare non poteſt contractus, quos jus vult irritos ob publicam utilitatem; & ex hac cauſa irritantur ſponſalia ex metu gravi injuſto inita, ut colligitur *ex cap. litteris de deſponſ.*

impuber. tradunt DD. quos sequitur Barbosa *in collect. t. 2. l. 4. tit. 2. c. 1. n. 4.*

R. II. Etiam Sponsalia ex levi metu inita sunt invalida quoad forum conscientiæ. Ratio apud me validissima est, quia non dantur sponsalia valida, nisi ex utraque parte oriatur obligatio contrahendi matrimonium, hæc autem obligatio non datur respectu illius, qui ex quocumque metu se obligavit; cum etenim passus fuerit injuriam, non tenetur in foro conscientiæ stare promissis, ut dixi etiam *tract. 14. qu. 1. capit. unic. quæst. 4.* & tradit quoad casum præsentem ex Navar. *Gabriel. a S. Vincen. disputat. 2. quæst. 5. numer. 49.* Tota ergo obligatio in Sponsalibus ex quocumque metu initis remanet penes illam partem, quæ sine metu fidem dedit, non quidem in vi Sponsalium; sed ratione liberæ promissionis ab alia parte acceptatæ.

Q. IV. Qui possint contrahere Sponsalia.

R. Ad valide contrahere sponsalia, requiritur contrahentes saltem septennium explevisse, ut ex *cap. litteras, capit. accessit, capit. ad dissolvendum de desponsf. impuber.*, & *capit. unic. eod. titul. in 6.* Ratio autem est, quia non dantur vera sponsalia sine vera promissione, quæ fieri non potest, nisi adsit usus rationis, qui non præsumitur adesse, nisi post septennium. Verum tamen est, quod si pauci desint dies ad septennium complendum, sponsalia forent valida reputanda; nisi manifeste constaret non adesse usum rationis, quia quando parum deest, quasi nihil deesse videtur, ait Sanctus Thomas *3. part. quæst. 43. in addition. art. 2. ad 7.* Item valida essent Sponsalia, si nondum expleto septennio, malitia suppleret ætatem. Ratio est, tum quia in tali casu etiam validum est Matrimonium contractum ante ætatem a jure requisitam, ut ex *capit. Juvenis de Sponsal.*, & *ex capit. unic. de desponsf. impuber. in 6.* Idem ergo dicendum est de Sponsalibus. Tum quia ad valorem Sponsalium sat est contrahentes intelligere, quod agunt: *leg. in Sponsal. 4. ff. de desponsf.* Tum quia jus exigit septennium ad valorem Sponsalium, quia præsumit ante talem ætatem non adesse usum rationis, si ergo adsit, jus cessat obligare, quia corruit præsumptio, in qua fundatur: *Sanchez lib. 1. disputat. 16. numer. 9.*, *Basilic. lib. 12. rapit. 5.*

Præterea in Contrahentibus Sponsalia nullum debet esse impedimentum sive impediens, sive dirimens Matrimonium; nam etsi impedimentum esset tantum impediens, illicite matrimonium contraheretur, promissio autem de re illicita numquam subsistit, etsi juramento firmetur, ut ex se constat.

Si vero hujusmodi impedimentum esset tantum ad tempus, ut si quis vovisset castitatem tantum ad tempus, valida essent Sponsalia si promisisset contrahere matrimonium pro tempore habili; nam tunc talis promissio nullum contineret peccatum. De consensu Parentum requisito ad contrahenda Sponsalia, dixi *tr. 10. q. unic. c. 1. q. 3.*

Q. V. Quomodo exprimenda sit mutua promissio requisita ad Sponsalia.

R. I. Primo, certum est talem promissionem externe esse manifestandam; nam alias acceptari non posset, adeoque nullam induceret obligationem: *Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 88. artic. 1.* Deinde cum Sponsalia importent mutuam contrahentium promissionem de matrimonio contrahendo, necesse est verba, quibus contrahuntur, juxta usitatum loquendi modum, significare eamdem promissionem: *Sanchez de matrimonio lib. 1. disputat. 18. numer. 4.* Non essent proinde sufficientia ad contrahenda sponsalia ea verba, quæ nudum propositum, seu propensionem significarent. Verba proinde apta ad contrahenda Sponsalia sunt hujusmodi: *Promitto tibi Matrimonium: ducam te: habeas me pro sposami, nisi ducam te: obligo me te ducere.* Idem puto dicendum de illis verbis, *promitto te non deserere*, si intercessit tractatus Matrimonii; nam tunc ea verba vel indicant, vel includunt Sponsalia; ex antecedentibus enim, & subsequentibus desumunt interpretationem: *Sanchez libro 7. de Matrimonio disputat. 18. numer. 19.*, *Gobat. tractat. 10. cas. 2. numer. 63.* Item putu vere contrahi Sponsalia per hæc verba: *Tu es mea uxor*; quamvis etenim talia verba potius videantur significare matrimonium de præsenti, cum nihilominus sciant contrahentes non posse contrahere matrimonium sine Parocho, & testibus, dicendum est per eadem voluisse solummodo contrahere Sponsalia.

Oportet tamen semper advertere, quod dum una pars aliquo ex modis præfatis promittit matrimonium, altera vere repromittat; nam non datur Sponsalia sine mutua promissione. Hinc quamvis sustineatur matrimonium, quando viro e. g. dicente *accipio te in uxorem* mulier responderet placet, quia matrimonium claudicare non potest, nec alia ratione acceptari, quam ut matrimonium: *Sanchez lib. 1. de matrimonio disputat. 5. numer. 6.* nihilominus non satis per ly *placet* exprimi mutuum consensum ad Sponsalia, docent non pauci DD. Ratio est, quia a muliere talia verba acceptari possunt in vi simplicis promissionis, quo pacto non repugnat claudicare. Tum quia in dubio magis præsumitur pro libertate, quam pro obligatione: *leg. Arrianus 47. ff. de obligat.* & *action*, & *leg. quidquid ff. de v. 15.* unde ex regul. 30. Juris in 6. habemus *In obscuris minimum est sequendum*. Nec refert *ex capit. Abbate de verborum significatione* haberi, verba interpretanda esse, ut res potius valeat, quam pereat; hoc etenim verum est, quando certus est consensus in aliquam rem, & controversia solum est de aliqua verborum ambiguitate, non vero quando ex verbis non constat de consensu: *Sanchez citatus numer. 5.*, *Engel. de sponsal. §. 2. numer. 8.*, *Ledesm. de matr. quæst. 43. artic. 1. dub. 2.*

Aliqui putant etiam verba, quibus duo clandestine matrimonium contraherent, quamvis non sufficiant ad valorem matrimonii, sufficere tamen ad valorem Sponsalium. Ego tamen omnino adhæreo contrariæ opinioni, quia ille contractus omnino caret forma illi essentiali ex dispositione Tridentinini *sess. 23. de reformat. matrimonium cap. 1.* Præterea Concilium illi resistit, & omnino annullat, quia est contra bonos mores: ubi autem contractui deest forma a jure requisita, ex omni parte irritus est: *argum. capit. quod in dubiis de renunciat.* sicut nulla oritur obligatio ex contractu, quem irritat jus, quia est contra bonos mores: *leg. non dubium Cod. de legibus.* Unde non attendenda hic ea ratio, quæ habetur *capit. unic. de desponsf. impuber. in 6.* qua dicitur quod actus, qui non valet ut fit, valere intelligitur ut fieri potest; nam talis ratio solummodo attenditur quando defectus solum se habet ex parte contrahentium, non vero quando actu; jus resistit illum annullando; vel quando ipsi deficit necessaria solemnitas, seu forma; hac etenim deficiente, deest ipsius essentia: *Sanch. lib. 1. disputat. 21. numer. 3.*, *Barbos. de potestate Episcopi part. 2. alleg. 32. numer. 143.* Ex præfata igitur ratione solum dici posset matrimonium clandestinum inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem habere vim sponsalium, ut ex *capit. unic. citat.* & *ex capit. ult. de desponsat. impuber.*; nam jus illi non resistit, cum Tridentinum solummodo annullaverit matrimonium clandestinum, quod alias de jure erat validum, quin immo favet, & vult considerandum in ratione sponsalium, ut patet ex prædictis capitibus. Oportet tamen contrahentes talem non habuisse intentionem, ut si ipsorum matrimonium subsistere non posset ratione matrimonii, nollent alia ratione non valere: *Sanchez citatus numer. 2.*, *Palaus disputat. 5. part. 4. numer. 3.*

R. II. Mutua promissio Sponsalium exprimi potest etiam signis absque verbis. Dum igitur talia interveniant signa, ut juxta communem æstimationem intelligantur significare mutuum consensum, per ea intelliguntur contrahi sponsalia; nisi etenim de mente constet, verba, & signa interpretantur juxta communem intelligentiam ac loci consuetudinem: *argument. leg. habeo ff. de suppel.*, *leg. semper in stipulat. 34. ff. de reg. jur. capit. ex litteris lib. 1. de sponsal.* Hinc si præcesserit tractatus de sponsalibus, immissio, & acceptatio annuli præsumuntur indicare mutuum consensum in futurum matrimonium: *Mascard. de probat. conclus. 1024. numer. 2.*, *Menochius de præsumpt. lib. 3. præs. 2. a numer. 1.*, *Sanchez lib. 1. de Spons. disputat. 22. numer. 3.* Idem quod de annuli traditione, si præcesserit tractatus de

de matrimonio, dici debet de missione, & acceptatione aliorum quæ inter Sponsos solent intervenire: *Sanchez num. 5., Gobat. tract. 10. cas. 2. num. 69.* Idem dicere solebant DD. si unus porrigat manum, & altera pars non retrahat; quando præcessit tractatus de Matrimonio, ut videre est apud eumdem Gobat. numer. 66. At cum infelicissimis his temporibus nimis frequens sit, & familiaris ista mutua manuum porrectio, non putarem per eam præsumendam mutuam matrimonii promissionem, sed esse signum valde æquivocum, ut loquuntur DD. de immissione annuli, aliorumque munerum, quando tractatus de matrimonio non intercessit.

Si vero sermo sit de silentio contrahentium, quando scilicet desumi debeat pro signo assensus, adversus *cap. unic. de desponf. impuber.* sanciri, silentium filiorum coram Parentibus pro ipsis contrahentibus pro consensu reputari. Si vero Filii absint, oportet ex eodem capite aliquo signo ab eis ratificari Sponsalia a Parentibus pro ipsis contracta. Verum tamen est, quod si per epistolam certiorentur a Parentibus de sponsalibus contractis, & ipsi non contradicant, taciturnitas haberi potest pro consensu. Ratio autem est, quia, si filii vere non consentirent, ex honestate deberent illico contradicere: *arg. can. honorantur 13. caus. 32.* Oportet tamen advertere dispositionem dicti capitis solum valere pro foro externo; nam pro foro conscientiæ standum est intentioni filiorum. Deinde quod dictum est, solum haber locum respectu filiorum tacentium coram Parentibus; ipsi etenim præsumuntur semper filiorum commoda, & utilitatem inquirere: *leg. nec in ea 22. §. final. ff. ad leg. Jul. de adult.*, unde silentium filiorum quoad ea, quæ Parentes gesserunt, bene usurpari potest pro consensu. Silentium vero filiorum coram Tutoribus &c. non interpretandum pro consensu, cum pro ipsis non militet eadem ratio, ac pro Parentibus, Patre scilicet, & Matre: *Sanchez libro 1. de Sponf. disput. 32. num. 7. & 9., Barbos. in capit. unic. de desponf. impuber. num. fin.*

Universaliter etiam verum est, excepto silentio filiorum coram Parentibus contrahentibus, silentium unius partis coram alia parte promittente, non reputari consensum in sponsalia; quamvis etenim dicatur, quod qui tacet consentire videtur, id solum verum est, dum agitur de solo favore tacentis vel in levissimum præjudicium: *arg. leg. qui patitur 18. ff. mandati, & leg. si absenti 4. Cod. si certum petatur*, non vero si agatur de ipsius præjudicio, & diminutione libertatis: *leg. in eo 45. §. Deinde in ff. de rit. nupt.*, & in tali casu summum attendenda ea regula 44. Jur. in 6. *Qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cum inter Sponsalia, & Matrimonium multum temporis aliquando intercedat, Confessarius, seu Parochus moneant Sponsos interim vacare debere orationi, aliisque pietatis operibus, ut ita dispositi accedant ad hoc Sacramentum recipiendum, ac Deum propitium habeant in oneribus matrimonii tolerandis: addendo insuper matrimonia, quibus via peccatis paratur, infelices exitus non raro habere. Id autem eo magis præstare debent quo magis tempus contrahendi matrimonii approximatur; unde S. Carolus in Instructionibus de Matrimonio hæc habet: *Parochus agat omni cohortatione cum Sponsis, ut ad Matrimonii celebrationem non accedant prius, quam peccata diligenter confessi, Sacramentum Communionis sumpserint, saltem triduo ante Matrimonii consummationem: omnino autem & jejunio, & aliis piis præparationibus ad hujusmodi Sacramentum pura mente accedant.*

II. Notet Confessarius, quod si aliqui ex Sponsis ficte promisit, vel nescisset ex promissione Sponsalium oriri gravem obligationem, vel noluisset se obligare sub gravi, sed tantum ex quadam honestate, seu decentia, si postea cogeretur in judicio stare sponsalibus; posset etiam juramento affirmare se sponsalia non contraxisse; nam quocumque ex prædictis modis intervenerit promissio, non est vera promissio, adeoque nec ex ea consurgere potuerunt vera sponsalia. Inter signa, quibus dignoscitur aliquem noluisse se sub gravi obligare, non solum est, si responderet negative, interrogatus, an vellet sub gravi obligari, sed etiam si renueret promissioni addere juramentum, quo posset ita eludere gravem obligationem.

III. Ut Sponsi removeantur ab insimul peccando, in nostra Diœcesi *sub numero* 10. sequens casus reservatur: *Copula carnalis actu consummata inter Sponsos de futuro*. Ad incurrendam autem istam reservationem necesse primo est copulam fuisse consummatam, hoc est, cum actuali pollutione intra vas Sponsæ. Deinde necesse est intervenire vera sponsalia; neque sat est talia solum fuisse reputata, nam ex sponsalibus solum putative veris, non sequitur dari veros Sponsos. Demum oportet Sponsalia esse absoluta, non conditionata; nam non dantur veri sponsi, nisi post adventum conditionis. Hinc non incurreret reservationem, qui cognosceret Bertam, quam promisit ducere sub conditione, quod consentiar in copulam. Ratio est, quia ante copulam ex defectu conditionis non erant adhuc absolute Sponsi, & solum tales facti sunt post ipsam copulam.

Quoad Sponsalia conditionata, vide quæ dicam quæstione sequenti cap. 2.

CAPUT II.

De Obligationibus, quæ oriuntur a Sponsalibus, sive veris, sive fictis maxime si intervenit copula: ubi etiam de pœna apposita resilienti a Sponsalibus.

Q. I. Quomodo obligent vera Sponsalia.

R. Ex veris Sponsalibus oritur gravis obligatio eadem adimplendi; cum etenim Sponsalia importent promissionem onerosam, mutuam, ac de re gravi, omnino sub gravi est servanda. Hinc jus vult compelendum censuris est standum Sponsalibus illum, qui vellet injuste ab eis resilire: *cap. ex litteris 10. de Sponsal.* sicut etiam vult censuris impediendum, ne quis contrahat cum aliqua alteri jam desponsata: *cap. præterea 2., cap. si inter 31. de Sponsal.*, quæ omnia supponunt gravem esse obligationem standi Sponsalibus contractis, nisi interveniat justa causa ab eis resiliendi, de qua re capite sequenti. Cum ergo ex jure supponatur vera Sponsalia obligationem gravem inducere puto quod si duo contrahentes vellent se tantum sub levi obligare, non consurgerent rigorosa sponsalia inducentia impedimentum publicæ honestatis: *Salmant tr. 9. c. 1. p. 7. n. 85.*

Q. II. Quo tempore contrahentes Sponsalia teneantur celebrare Matrimonium; & quibus pœnis cogi possint.

R. I. Si in Sponsalibus determinatum est certum tempus pro contrahendo matrimonio, utrique eo tempore est celebrandum; ita etenim sponsi se obligarunt, & pacta justa omnino servanda sunt: *leg. penult. Cod. de pactis*. Nec refert partem alteram non urgere, nam dies statuta interpellat pro homine, ut dicitur *cap. fin. de Locat. & Conduct.* Secus dicendum, si eo quod altera pars non urgeret, judicari posset remittere obligationem de contrahendo tali tempore.

R. II. Si certum tempus non sit præfixum ad matrimonium contrahendum, contrahi debet statim ac datur opportunitas, etsi altera pars non compellat. Hæc opinio verior omnino reputanda est, quamvis contradicant Sanchez, & alii. Ea autem primo colligitur ex jure, quo decernitur quod ubi dies non est apposita pro adimplenda obligatione, statim est adimplenda, nempe statim ac datur opportunitas: *leg. in omnibus obligat. ff. de regul. jur. leg. cum qui §. Quoties ff. de verbor. obligat.* Neque his clarissimis juribus obstat quod dicitur: *l. Debitores præsentes Cod. de pignor.*, nempe quod si non sit præfixa dies solutioni, debitor non debeat solvere antequam requiratur. Non, inquam, obstat quia in hac lege sermo solum est de debitoribus, qui pignora dederunt, & decernitur non

oon distrahenda hæc pignora, aut hypothecas a creditore nisi prius moneat debitorem. Dispositio proinde hujus legis solum in hoc casu attendenda, alias in legibus manifesta esset contradictio. Favet etiam ratio, quia sicut vota adimplenda sont statim ac quis commode posset, talis enim præsumitur esse rationabilis voluntas voventis, ita de Sponsalibus dicendum est: *Pontius lib. 12. cap. 6., Palaus dispat. 1. de Sponsal. part. 6. Ledesm. de Matr. dub. 13. Coninch. dispat. 21. num. 2.* Nimia proinde dilatio tunc solum licita esset, quando daretur justa causa talis dilationis, ut etiam habetur *l. sæpe ff. de Sponsal.*, vel quando silentium partis non compellentis posset judicari pro spontaneo consensu in talem dilationem.

R. III. Si quis renuat tempore debito contrahere Matrimonium, & non proficiant monitiones, & adhortationes, carcere, aut aliis pœnis compelli potest: *Faguan. in cap. pervenit de adulter. a num.* 10., *Barbos. in Trident. sess. 25. cap. 3. de reformat. num.* 19. atque iis etiam non proficientibus compelli potest per censuras: *capit. ex literis* 10. *de Sponsal.* Ubi observandum ad licite utendum in hoc casu censuris, oportet alia media fuisse inutilia; unde ex dispositione Tridentini hoc remedium modo solum est subsidiarium, dum scilicet alia non sint proficua: *Barbos. in Trident. sess. l. citat. num. 157., & de potestat. Episcop. alleg. 96. n. 39.*

Hic taman advertendum, quod si ex futuro matrimonio prævideantur futuræ inimicitiæ, scandala &c. debet Judex sive Ecclesiasticus, sive sæcularis abstinere a coactione maxime ultima, & finali; nam ita agendo favet etiam Actori, quem postea valde pœniteret contracti matrimonii: *Sanch lib. 1. dispat. 29. a n. 4. Covarr. de Sponf. p. 1. cap. 4. §. 1. na. 5.* Hinc quamvis Tridentinum *sess. 25. de Ref. cap. 3.* velit contra permanentem obdurato animo in censuris per annum esse procedendum, tamquam in suspectum de hæresi, id tamen non vult attendendum quando agitur in præfatis circumstantiis de cogendo aliquo ad Matrimonium contrahendum; nam jura contraria sunt hujusmodi finali, & nimiæ coactioni, & potius volunt tunc consulendum libertati matrimonii, ut *ex c. requisivit 17. de Sponf.* Secus esset si ageretur de dotanda seducta, vel de compensando damno, quod pateretur pars, cui injuste negaretur matrimonium.

Q. III. An liceat apponere pœnam resiliendi a Sponsalibus.

R. I. Utique non licet apponere talem pęnam ex justa causa resilienti a Sponsalibus. Ratio est, quia pęna non debet habere locum, ubi culpa non intercessit. Præterea talis pœna contraria est libertati matrimonii; quandoque etenim habens justam causam recedendi a Sponsalibus, forte iniret matrimonium, ne talem pœnam solvere cogeretur; eam autem libertatem fovere intendunt jura, ut statim videbimus. Hac ratione neque etiam amittit arrhas, quidquid scilicet datum est veluti in pignus servandi, quod in Sponsalibus promittitur, qui ab iisdem juste resilit, quia cum amissio arrhæ habeat locum pęnæ ob fidem non servatam, ea habere locum non potest, ubi non est culpa: *Sanch. li. 1. disp. 36. n. 4. Laym. lib. 5. tr. 10. par. 5. cap. 1. n. 8.*

R. II. Juste, & valide apponitur pęna solvenda ab eo, qui injuste resilit a sponsalibus. Hanc amplector sententiam, quia illi favet ratio, nec contradicit jus. Favet, inquam, ratio, quia sicut irrationabile esset apponare pœnam, ubi culpa non intervenitet, ut dicitur etiam *lib. Sancimus 22. C. de pœnis*, ita dictat ratio bene posse habere locum pœnam, ubi adest culpa; & hæc utique adest, ubi non est justa causa resiliendi a Sponsalibus. Deinde huic opinioni favet jus, quod licet velit in matrimonio contrahendo adesse contrahentium libertatem, nihilominus reprobat libertatem irrationabilem, qua scilicet quis velit sine justa causa resilire a promissis. Ita vidimus paulo ante jus concedere etiam censuris compellendum ad matrimonium contrahendum Sponsum, qui non habet justam causam non exequendi promissa. Deinde jus concedit Sponsalibus apponere arrham in quavis gravi quantitate, & convenire de triplo vel quadruplo reddendo ab injuste resiliente: *lib. arrhis 3. & lib. mul. 3. C. de Sponf., Palaus de Sponf. disp. 1. par. 52. §. 1. a num. 5., Sanch. lib. 1. de Sponf. disp. 35. a na. 9.* & communiter. Si ergo jus, ut quamcumque libertatem haberent, vellet contrahentes nullam debere subire pœnam, etsi injuste resiliant a Sponsalibus, non concessisset posse censuris puniri, nec gravissimam subire pœnam in arrharum amissione, ac restitutione in duplum.

Iis, quæ dicta sunt videtur adversari id, quod dicitur *cap. Gemma* 29. ubi ne læderetur libertas matrimonii, improbatur pęna adjecta Sponsalibus. At ibi sermo est de Sponsalibus invalidis, utpote infra septennium celebratis, a quibus, quia quivis juste poterat resilire, Pontifex merito improbavit pęnam iis sponsalibus appositam. Cæterum ridiculum esset credere Canones velle etiam censuris compescendam libertatem injuste resilientium, & postea credere nolle refrænari aliqua pęna pecuniaria.

Solent etiam in contrarium quasdam leges civiles allegari, improbantes pœnam adjectam Sponsalibus. At advertendum tempore antiquo Romanorum non solum licuisse pro libito resilire a Sponsalibus: *lib. 1. Cod. de Sponsal.* sed etiam dissolvere matrimonium, dummodo resiliens amittere vellet arrham, dotem, & donationem propter nuptias, ut ex tot *tit. de Divort. & lib. neque* 14. *Cod. de Nuptiis*. Demum hanc plenam libertatem resiliendi a Sponsalibus, & Matrimonio noluerunt aliqua alia pœna refrænandam *lib. 2. Cod. de inutil. stipulat. & leg. stipulatio* 19. *de V. S.* Cum igitur hæc plenissima libertas, quæ est ratio talium legum, non cohæreat cum lege Evangelica, & SS. Canonibus, nullatenus permittentibus resilire a Matrimonio, a Sponsalibus vero solum ex justa causa, hinc est quod cum cessaverit totalis ratio talium legum, & ipsæ leges corruerint, ut est omnium sententia. Accedit Novella 18. *Leonis Imperatoris* clare, & expresse concedit apponi pœnam Sponsalibus, & cum hæc Novella claram contineat dispositionem, attendenda est etiam in jure canonico. Quod, si nolumus dicere cum ea concordare, saltem non constat illi adversari; quando autem casus in jure canonico est obscurus, bene attenditur civile si in eo clarus sit, ut tradunt Canonistæ *argum. cap. de novi oper. nantiat.* Quam huc usque propugnavi sententiam tradunt, *Pontius de matrim lib. 12. c. 13 n. 3. Coninch. disp. 22. d. 5. Salmant. tr. 9 cap. 1. part. 3. a num. 99. &c.* Nec refert contrariam opinionem esse magis communem, cum unius sententia sit multorum opinioni anteponenda, si validiori innitatur rationi: *argum. lib. 1. §. 6. Cod. de Veter. Jur. enucl.* & nimium est parvi faciendus, ubi multi non alia ratione aliis subscribunt, nisi quia ita isti dixerunt: *Menoch. de præf lib. 2. præsump. 71. num. 39. Navar. in sum cap. 27. num. 289.*

Q. IV. An pars innocens possit petere aliquam pecuniariam compensationem a volente injuste resilire a Sponsalibus.

R. Certe si pars innocens aliquod patiatur damnum, eo quod altera injuste a Sponsalibus resiliat, istud damnum, etiam non cogente Judice, est compensandum, ut de se patet, quando libere non dimittatur a parte læsa. Quamvis vero pars innocens nullum pateretur damnum, adhuc posset exigere aliquid a parte injuste resiliente. At advertendum talem compensationem pecuniariam exigi non posse pro matrimonio dimittendo, cum sit quid spirituale, sed vel pro injuria sibi illata, aut inferenda, seu pro cessione juris conveniendi coram Judice injuste resilientem. Ex his igitur titulis moderata pœna a parte innocente exigi potest: *Gobath tr. 10. cas. 4. n. 177.*

Q. V. Quæ obligatio consurgat ex fictis Sponsalibus, maxime si sub promissione matrimonii fœmina ad copulam inducatur.

R. Jam in tractatu de Justitia & Jure *qu. 3. c. 2.* dictum est de obligatione, quam contrahit peccans cum fœmina sine spe Matrimonii, modo ergo dicendum est de obligatione peccantis cum fęmina sive Virgine, sive honestæ famæ, promissione Matrimonii. Certe igitur is non tenetur eam ducere ex vi promissionis, quæ nulla supponitur. Primo ergo potest teneri ad eam ducendam ex vi damni illati, ut si non amplius nubere posset; unusquisque etenim, qui damnum intulit, tenetur ante quamcumque sententiam illud compensare, ut de se patet. Nec satisfaceret, si se offerret ad eam dotandam, ut ita compensaret damnum illatum, nam promisit, quamvis ficte, illud compensare matrimonio; unum autem pro alio, invito creditore, solvi non potest: *lib. 2. §. Mutuum ff. de reb. credit., Sanch. de Sponf. lib. 2. disp. 10. n. 3. Pontius de Matr. lib. 12. c. 3. §. Unic. n. 4.*

At etiam quamvis mulier nullum ex copula patiatur damnum, adhuc qui ad eam induxit sub promissione matrimonii illam ducere tenetur; & hæc obligatio ori-

tur ex vi illius contractus onerosi *facio, ut facias*, qui etsi ab initio invalide fuerit contractus ab uno ex contrahentibus, debet nihilominus postea ab eo executioni mandari, si altera pars, quod sibi sub aliqua conditione postulatum est, adimplevit. Ita si inducam Petrum ad veniendum mecum Romam sub ficta promissione illum postea comitandi Neapolim, dum ille mecum veniat Romam, a quocumque Judice ego cogar cum eo Neapolim ire, & id quamvis damnum non passus sit mecum veniendo Romam. Ratio est, quia cum ipsum induxerim ad onus subeundum in gratiam mei, sub promissione aliud subeundi in gratiam ipsius, viget semper obligatio ita faciendi, ne detur inæqualitas, quam abhorret Justitia, quamvis obligatio præcise ex vi ptomissionis fictæ non oriatur. Ad eum modum quo, si quis permisisset sibi damnum inferri, eo quod damnificator promisisset damnum resarcire, iste ad id tenetur non vi promissionis, si fuit ficta, sed quia Justitia vult ponendam æqualitatem, adeoque damnum resarciendum: *Laym. l.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 11., *Coninch. disp.* 22. *sect.* 8. *concl.* 1., *Lugo de Just. disp.* 12. *sect.* 2. *num.* 20., *Molin. tract.* 3. *disp.* 106. *n.* 3.

Quod tamen huc usque dictum est aliquas admittit limitationes. Non tenetur ergo ficte promittens matrimonium ducere puellam, sive aliam honestam fœminam, quoties valde ipsius conditionem excedebat, & hoc sciebat puella; nam tunc bene cognoscere potuit non ex animo eam ducendi, sed ex libidine factam fuisse promissionem matrimonii, unde bene dici potest ipsam fœminam decipi voluisse: *Sanch. de Sponsal. lib.* 1. *disp.* 10. *num.* 5., *Less. lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. Idem dicendum, si ex verbis, aliisque conjecturis potuerit deceptionem cognoscere. *Sanch. num.* 7. *Laym. cit. num.* 11. Item fictus promissor non tenetur ducere puellam, si & ipsa decepit jactando se Virginem; nam tunc, ultraquamquod intervenit causa dissolvendi sponsalia, datur etiam mutua injuriarum compensatio: *Sanch. num.* 11., *Less. lib.* 2. *cap.* 10. *dist.* 3. *num.* 29. Item nec tenetur eam ducere, etsi non se jactaverit virginem, si ipsam Virginem putaverit, & postea talem non esse sciat. Ratio est, quia si id satis est ad dissolvenda vera Sponsalia, ut dicam capite sequenti, sufficiet etiam ad dissolvenda Sponsalia ficta; regula etenim generalis est, ut quidquid valet dissolvere Sponsalia vera, etiam ficta dissolvere valeat, eo quod si non sit major, eadem saltem videtur esse pro utriusque ratio: *Laym. l.* 5. *tract.* 10. *p.* 1. *cap.* 1. *num.* 11. *§. fin.*, *Sanch. l.* 1. *disp.* 10. *num.* 13. Docent vero non pauci DD. quod si hæc puella alias honestæ famæ ex copula damnum patiatur, deceptor eam dotare teneretur; tale etenim damnum oritur ratione doli, eo quod scilicet ipsi promiserit matrimonium: *Less. l.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. *num.* 31. Ad nihil vero tenetur, si damnum non patiatur, ex dictis in Tractatu de Justitia loc. cit.

Q. V. An quando mulier honesta seducta ficta promissione matrimonii cognoscere haud potuit deceptionem, Deceptor teneatur eam ducere, quamvis sit conditionis valde excedentis.

R. Iste casus accidere potest, si Deceptor, quia e. g. est Advena, occultet fœminæ honestæ suam conditionem, & se cum eadem ejusdem conditionis demonstret. Item intervenire posset, si fœmina suam viliorem conditionem exprimente, adeoque asserente se judicare ab eo promitti matrimonium solum ad extorquendam copulam, ille jurejurando affirmaret se sincere promittere, velle pauperem fœminam ob Dei amorem ducere, aliaque adderet, ut quisque prudens judicare posset ex animo matrimonium promittere. In his autem circumstantiis si supponamus non adesse justam causam dissolvendi sponsalia, puto deceptorem debere eam ducere. Ratio est, quia obligatio ducendi fœminam ita deceptam, oritur ex ipsis contrariis ex contractu innominato *facio, ut facias*, & quia justitia vult adimplendum istum contractum, non solum ratione sinceræ promissionis, aut damni, quod forte sequutum sit, sed etiam præcise per hoc, quod una pars onus sibi injunctum subjerit, nam statim consurgit in altera obligatio suum onus subeundi, quamvis ficte promiserit. Cum igitur in casu nostro supponatur honestam fœminam non ex se voluisse seduci, sed vere seductam fuisse matrimonii promissione a viro licet altioris ordinis, consequens est quod si ipsa ex parte sua consensit in copulam, vir teneatur eam ducere. Addendum ex contraria nostrina latam viam aperiri deceptionibus, & fornicationibus; quot enim honestæ, & pauperes mulieres numquam in peccatum consentirent, nisi spe Matrimonii inducerentur? Convenit ne ergo favere libidinosis, his promissionibus honestas mulieres ad copulam inducentibus? Ita contra Sanchez, & alios *Laym. lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 11. *Less. lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. *Henriq. de Matr. l.* 11. *cap.* 11. *num.* 2. *&c.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Si Parochus, vel Confessarius sciat mulierem velle juris remediis, vel Potentum minis cogere Sponsum, etiam injuste volentem a sponsalibus resilire, ad servandam promissionem, removeat quantum potest ab ita agendo. Non solum ex S. Canonibus, ut videre est *cap. requisivit* 17. *de Sponsalib.* sed etiam a continua experientia edocemur hujusmodi coactiones difficiles, & lacrimabiles exitus habere. Videmus proinde Maritos ita coactos ad aliquam ducendam cito uxoris tædere; ad alias se divertere; alimenta non sufficientia familiæ præbere; & non raro uxorem, ac filios dimittere, in alias regiones progrediendo. Ex hoc etiam sequi potest & ipsam mulierem vel odio Mariti alias amantis, vel libidine impellente, vel paupertate quasi cogente, aliis se prostituere. Dissuadenda proinde semper sunt matrimonia coacta.

II. Non minus infeliciora solent esse matrimonia inter Personas valde inæquales. Cum ad hujusmodi matrimonia pars valde dignior non soleat impelli, nisi a cæco amore, ac immodica libidine, evenire solet, ut defervescente postea æstu libidinis, digniorem pudeat valde sibi inæqualem duxisse, unde amor in odium degenerat, vilior vilipenditur, tempus contracti matrimonii maledicitur &c. Quis proinde tunc enarrare posset lites, jurgia, & scandala, quæ interveniunt? Videat ergo pius Confessarius semper removere nimis faciles puellas, & quæ de gradu altiori valde sibi complacent, ab hujusmodi matrimoniis, a quibus abesse solet honor Dei, & animarum salus. De Matrimonii disparitate plura habet Tiraquellus *De leg. Connub. lib.* 5.

CAPUT II.

De Causis, quibus dissolvuntur Sponsalia.

Q. I. AN per mutuum consensum dissolvi possint Sponsalia; & quid de Sponsalibus impuberum.

R. I. Cum omnis res per easdem causas, quibus nascitur, dissolvatur, ut dicitur *cap.* 1. *de regul. jur. in* 6. *& lib. nihil* 25. *de R. J.* consequens est, quod sicut Sponsalia ex mutuo consensu oriuntur, ex eadem ratione dissolvi possint. Accedit nullo jure prohiberi ipsorum dissolutionem mutuo consensu factam, ut tradunt communiter Canonistæ in *cap.* 2. *de Spons.* quamquis omnes velint in tali dissolutione intervenire non debere fraudem, dolum, aut metum gravem; cum etenim remissio proprii juris sit quædam species donationis, omnino libera esse debet: *Palaus de Sponsal. disp.* 1. *part.* 17. *num.* 2. *Sanch. de Matrim. lib.* 5. *disput.* 52. *a num.* 2. Quod si mutuo consensu Sponsalia dissolvantur, cessant esse firma, etsi firmata fuerint juramento; sicut enim sponsalia corruunt, ita necesse est corruere juramentum, quibus est accessorium: *D. Thom.* 2.2. *quæst.* 89. *art.* 9. *ad* 2. Ubi etiam obiter advertas, quod si quis jurasset Deo fœminam ducere, nullam determinando, cum tale juramentum cum voto coincideret, nullatenus esset validum, quia non esset de meliori bono; melior est enim cælibatus, quam matrimonium etiam cum paupere. Eo ipso autem quod tale juramentum non esset validum, nullam teneretur ducere; & si vellet nubere, non teneretur ducere pauperem: *Leand. hic d. q.* 22. *&* 23.

R. II. Quoad impuberes observandum non posse ante pubertatem a sponsalibus resilire, quamvis quilibet eorum statim pubes factus resilire possit, alterius non expectata pubertate: *cap. de illis, cap. a nobis de desp. impuber.* Oportet tamen reclamare statim, nempe saltem intra triduum: *leg. fin. Cod. de Jud.* alias præsumitur consentire in Sponsalia in impubertate contracta, quæ alias non opus est ratificare, cum fuerint, & perma-

maneant valida: *Tambur. lib. 8. cap. 5. §. 1. num. 13.* Pubes vero non potest ex suo libito recedere a Sponsalibus factis cum impubere; & bene stat non esse paris conditionis, cum contractus possit in favorem minoris claudicare: *lib. non quominus Cod. de Procurator.* & tradunt in præsenti *Sanch. lib. 1. disp. 51. num. 10., Reginal. lib. 31. num. 261.* Multi etiam docent non posse impuberem sine consensu alterius dissolvere in puncto pubertatis sponsalia in impubertate contracta, si illa juramento firmaverit. Et quidem ita decisum videtur *cap. ex literis de sponf.*, ubi dicitur duos impuberes jurantes Sponsalia compellendos esse ad ea adimplenda, utpote quia, quidquid sit de aliis contractibus, contractus Sponsalium inter ipsos validus est. Hinc non videtur hic habere locum illa ratio, qua dicitur juramentum habere easdem conditiones, quas habet contractus, cui adjicitur; quamvis etenim contractus Sponsalium habeat hanc conditionem, ut ab impubere, qui ad pubertatem pervenit, possit rescindi, non tamen habet hanc conditionem, ut deciditur *cap. cit.*, quando firmatus fuit juramento: *Sanch. l. 1. disp. 51. n. 22. Bonac. de Matr. q. 1. p. 6. n. 4.*

Q. II. An per absentiam Sponsi Sponsalia dissolvantur.

R. Certum est Sponsalia dissolvi per discessum Sponsi in aliam terram sine licentia Sponsæ animo non redeundi; ut constat *ex cap. de illis de Sponf.* ibique communiter DD. Et ratio est, quia ita discedens censetur renunciare juri suo. Si vero discesserit animo redeundi, volunt plures a Sponsa expectandum Sponsum per biennium, si sit intra provinciam *ex leg. 2. Cod. de Sponf.* & per triennium, si extra provinciam, *ex lib. 2. C. de repud.*, & donec causa cesset, si causa moræ sit necessaria: *lib sepæ de Sponsal.* Verum primæ leges non bene aptantur casui præsenti; nam illæ volebant expectandum illud tempus, ut Sponsa posset dissolvere Sponsalia, retinendo simul arrhas, & donationem propter nuptias. Illæ autem leges non cogunt Sponsam ad expectandum tale tempus, qooties velit præfata dimittere. Lex vero illa, qua dicebatur indeterminate expectandum Sponsum, usque dum cesset causa necessaria suæ absentiæ, correcta fuit *ex cap. citat. De illis*, ubi illimitate conceditur Sponsæ ad alia vota transire, si Sponsus sine sua licentia alio migret; lex autem universaliter loquens illimitate est intelligenda: *arg. cap. quia circa 22. de privileg.* Et quidem dum diuturna sit absentia, æquum non est cogi Sponsam diu expectare Sponsi reditum cum periculo incontinentiæ, & commodas nuptias amittendi. Confirmatur, quia ex diuturna Sponsi absentia supervenit talis mutatio, quæ ex dicendis sufficiens est ad dissolvenda Sponsalia: *Sanch. lib. 1. disp. 54 num. 6., Palaus de Sponsalib. disp. 1. part. 17.* Quia tamen non conveniens est statim ab absentia Sponsi velle Sponsam Sponsalia dissolvere, ideo arbitrio Judicis, seu viri prudentis quoad forum conscientiæ, determinandum esset tempus, quo ab ea expectandum esset.

Hic autem universaliter attendendum, quod dum una pars juste, vel injuste a Sponsalibus recedit, altera pars semper libera remanet, quia facto ipso intelligitur illi remittere obligationem cum ea nubendi. Ultraquamquod si injuste frangat fidem, & ipsi fides frangi potest: *arg. l. qui fidem 16. de transact.* & id procedit etsi quis fidem suam juramento firmaverit: *Barbos. de axioma Jur. V. fides num. 10.* Quod si aliquis injuste a Sponsalibus recedat, quamvis altera pars libera maneat, nihilominus injuste resiliens sine consensu partis innocentis a Sponsalibus non liberatur. Ratio est, quia nemo injusta actione liberari potest a sua obligatione, nec suo delicto meliorem facere suam conditionem: *l. non fraudantur ff. de reg. jur.*

Q. III. An Sponsalia per nimiam dilationem dissolvantur.

R. I. Si Sponsalia absque certi temporis determinatione contracta sint, intelliguntur dissolvi, dum una pars rationabiliter petit ipsorum adimpletionem, altera vero irrationabiliter recusat. Ratio est, quia si una parte rationabiliter petente, altera irrationabiliter renuat, ista videtur cedere juri suo, & compartis obligationem remittere: *Palaus disp. 1. p. 24. num. 3. Avers. de matr. q. 8. sect. 11.* Tunc autem una pars rationabiliter peteret, ac altera irrationabiliter renueret, quando arbitrio viri prudentis conveniens esset contrahere matrimonium, & commode contrahi posset. Addendum quod etiamsi aliqua pars ex justa causa, puta propter infirmitatem, nimis protraheret matrimonium, adhuc Sponsalia dissolverentur. Ratio est, quia contrahentes Sponsalia, etiam addito juramento, non intelliguntur velle se obligare ad expectandum tempore valde longo, cum & possit imminere periculum incontinentiæ, vel alias commodas nuptias amittendi.

R. II. Si Sponsalia contracta sint cum determinatione certi temporis ad ea adimplenda, non dissolvuntur quoties tempus non appositum sit ad finiendam obligationem. Observant igitur DD. quod dum alia ratione non constet, an tempus designatum sit ad finiendam, vel potius sollicitandam obligationem, sequentia observanda sunt. Si tempus assignatum sit antea contractum, & deinde deductum in pactum in celebratione contractus, censetur assignatum ad finiendam obligationem, utpote quia tunc tempus est quid intrinsecom contractui. Si vero designetur tempus post contractum complete initum, tunc reputatur quid extrinsecum contractui jam perfecte celebratn, ac proinde appositum ad obligationem sollicitandam. Volunt pariter Theologi judicari posse tempus suisse appositum ad finiendam obligationem, si ab utraque parte fuerit præfixum, ad sollicitandam vero, si ab una tantum parte fuerit assignatum, altera circa hoc negative se habente. His positis.

Sicut certum est non cessare Sponsalia, si tempus appositum fuerit solum ad sollicitandam obligationem, ita certum est elapso tempore dissolvi, si tempus appositum fuit ad finiendam obligationem; nam contractus ex conventione contrahentium legem accipere dignoscuntur: *cap. contractus 6. de reg. jur. in 6. & lib. 23. ff. de reg. jur.* Aliqui putant non dissolvi hujusmodi Sponsalia ex parte illius, qui culpabiliter omisit ea contrahere tempore determinato; alias enim commodum reportaret ex suo delicto, contra id, quod habetur *cap. Sedes, cap. plerumque de rescriptis.* Alii item putant non dissolvi Sponsalia, si neutrius culpa intra tempus præfixum non contrahantur, utpote quia tempus non currit impedito: *arg. quia diversitatem 5. de concess. præb. & lib. 1. §. fin. C. de Annal. Præscrip.* At his respondendum, quod si ex natura alicujus particularis obligationis sit, quod cesset elapso aliquo tempore, omnino dissoluta remanet, etsi per accidens aliquod commodum proveniat malitiose impedienti aliquam obligationem. Ad eum modum quo, quia de natura obligationis recitandi Horas Canonicas est, quod cesset elapso die, in quo erant recitandæ, hinc est culpabiliter ea die non recitantem, non teneri altera die, quamvis exinde perveniat per accidens commodum Officium non recitandi. Accedit quod culpabiliter omittens celebrare matrimonium tempore determinato, tenetur compensare damnum alterius partis, si quod ipsa patiatur. Ad illud, quod subditur, tempus non currere impedito, respondetur id verum esse, quando agitur de privando aliquem jure suo, vel de illo puniendo; id autem non verificatur respectu illius, qui sine sua culpa non potuit tempore determinato facere, quod debebat: *Laym. lib. 5. tract. 10. 1. part. cap. 1. num. 17. Palaus disp. 1. part. 24. num. 8.*

Q. IV. An dissolvantur Sponsalia per ingressum in Religionem; & an Sponsis liceat in Religionem ingredi.

R. I. Per ingressum in religionem etiam ante professionem dissolvuntur Sponsalia respectu illius, qui remanet in sæculo. Ratio est, tum quia ingrediens in religionem censetur juri suo renunciare, & alterum in sua libertate relinquere; tum quia nulla pars censetur voluisse se obligare ad ducendum aliquem, qui fiat Monachus, vel Monialis; nam tunc talis supervenit mutatio, ut unumquemque pudeat similem personam ducere; tum quia nemo præsumitur se obligasse ad expectandum totum tempus Novitiatus. Ex parte vero ingredientis in Religionem non dissolvuntur Sponsalia nisi sequuta professione. Ratio est, quia ex parte ipsius non dissolvuntur Sponsalia ex natura sua, cum adhuc egredi possit a Religione, & ducere uxorem. Item non dissolvuntur ex jura positivo; nam *cap. 2. & 7. de Sponf.* aliaque jura loquuntur de sola professione: & hæc dispositio, utpote odiosa quia alteri præjudicat, non est extendenda ad solum ingressum in religionem: *Palaus de Sponf. disp. 1. p. 18. n. 3. Engel. de Sponf. §. 3. n. 7. Pontius de Matr. l. 12. cap. 10. n. 3.* quamvis diversimode alii opinentur.

R. II. Utique licet ingredi in religionem post contracta Sponsalia, quia ita Sponsis permittitur a jure. Unde

de licet ingredi Religionem, etsi Sponsalia fuerint juramento firmata; nam juramentum sequitur conditiones contractus, cui adhæret. Neque contrarium fuit decisum *c. commissum de Sponsal.* ideo etenim dicendum est dixisse ibi Pontificem debuisse Sponsum prius adimplere juramentum de contrahendo matrimonio, ac deinde ad Religionem migrare, quia Sponsus non erat plene determinatus ingredi Religionem, & aliunde instabat obligatio juramenti adimplendi. In his igitur circumstantiis juramentum erat adimplendum, & deinde deliberare poterat Sponsus per bimestre sibi concessum a jure de ingressu in Religionem: *Sanch. lib. 1. disp. 43. nu. 3., Palaus disp. 1. par. 16. nu. 5.*

Limitanda præfata responsio in casu, quo tale damnum Sponsus intulerit Sponsæ illam violando, seu imprægnando, ut non sit reparabile nisi per Matrimonium. Ratio est, quia cum tunc Sponsus teneatur ex justitia damnum reparare, non potest licite ingredi Religionem: Præterea invalide profiteretur, tum quia votum, & juramentum de re illicita nullum est: tum quia non intelligitur religio acceptare professionem, quæ illicite fieret, & sine tali acceptatione professio est nulla: *Rein. ff. in l. 4. Decret. tit. 1. §. 8. num.* 224. Si vero damnum alia via, quam per Matrimonium sit reparabile, puta quia non sit nota violatio Sponsæ, nec necesse sit cum ea contrahere Matrimonium ad filios legitimandos, tunc etsi Sponsus promiserit Matrimonium, poterit in Religione profiteri, quia jus illi remittit hanc specialem obligationem, si alio modo ipsi satisfaciat: *cap. 2. & 7. de convers. conjug.*

Q. V. An valide, & licite dissolvantur Sponsalia per susceptionem Ordinum; & quid dicendum de voto ingrediendi Religionem, suscipiendi Ordines, vel etiam simplicis Castitatis.

R. I. Nullum dubium est per susceptionem Ordinis Sacri dirimi Sponsalia. Item puto dirimi etiam per susceptionem Ordinum Minorum, ex parte tamen solius Sponsæ. Ratio est, quia suscipiens Ordines Minores facto ipso remittit Sponsæ suam obligationem; nam suscipit statum, qui ordinatur ad Ordines Majores incompossibiles cum Matrimonio. Præterea talis est mutatio Sponsi, dum Ordinibus Minoribus initiatur, ut merito judicetur Sponsam noluisse so obligare ad illum ducendum, stante tali mutatione. Ex parte vero Sponsi adhuc viget obligatio, cum adhuc contrahere possit Matrimonium, nec alias ullo jure liberatur a sua obligatione, si Sponsa nolit illam remittere: *Gobat tract. 10. cas. 8. num. 321.*

R. II. Sponsus illicite post contracta Sponsalia suscipit Ordines. Ut igitur id ostendam, observa in votis quidem semper includi hanc tacitam conditionem: *nisi aliquid perfectius elegero*. Et ratio est, quia cum in votis Deus sit promissarius, censetur remittere minus perfectum si perfectius subrogetur. At hæc conditio non intelligitur de sua natura imbibita in promissione facta homini; hic etenim intendit sibi servari jus, quod acquisivit per acceptionem, & Deo gratum non est aliquid perfectius, dum alteri promissum non servetur, atque ita invalide, & illicite ageret, qui Deo, seu piæ causæ daret æquum homini promissum. Remaneret ergo eam conditionem dici posse imbibitam in Sponsalibus ex jure; at hoc omnino est falsum: nam jus solum facultatem dat dimittendi Sponsam ob transeundum ad Statum religiosum; quæ facultas, ut dixi, utpote odiosa, præjudicat enim juri tertii, non est ad alium casum extendenda. Immo ipsum jus non vult aliquem ordinari in præjudicium alterius, ut constat *ex Tit. de Oblig. ad ratioc. non ordinan.*, unde hanc opinionem unice veram judicarem: *Sanch. l. 1. disp. 47. n. 3. Palaus de Sponf. disp. 1. p. 19. Conin. disp. 23. dub. 3. n. 25. Engel. de Sponf. n. 8.*

R. III. Certe qui contraxit Sponsalia, sicut potest ingredi in Religionem, ita potest hac de re votum emittere. Ratione hujus voti altera pars utique remanet libera a Sponsalibus; qui enim vovit assumere Statum religiosum incompossibilem cum Matrimonio, censetur relinquere in sua libertate alteram compartem. Non puto vero ipsum voventem statim a sua obligatione per Sponsalia contracta liberari; nam ex jure solum per actualem professionem dissolvuntur Sponsalia ex parte utriusque, sicut & Matrimonium ratum. Aliunde autem potest accidere ita voventem Religionem nullibi acceptari, vel in Novitiatu non perseverate, in quibus casibus non apparet quare altera pars non possit prosequi jus in Sponsalibus acquisitum: *Palaus de Sponsal. disput. 1. p. 20. num. 4. Tamb. de Matr. lib. 8. cap. 5. §. 2. num. 6.*

R. IV. Cum dixerim illicite post Sponsalia Ordines suscipi, consequenter dico illicitum, & proinde invalidum esse votum de iis suscipiendis. Non obstante nihilominus talis voti invaliditate, dissolvuntur Sponsalia ex parte voventis. Ratio est, quia vovens per tale votum demonstrat se intendere assumere statum incompossibilem cum Matrimonio, unde & dicendum est se intendere renunciare Sponsalibus: *Sanch. lib. 1. disp. 47. num. 4.*

R. V. Votum continentiæ factum post Sponsalia validum, & licitum est, qua parte potest observari: *c. placet. de convers. conjug.* unde plene est adimplendum, si altera pars consentiat, vel si moriatur. Item ratione ejusdem voti vovens non posset petere debitum, ut magis suo loco explicabitur. Item omnes fatentur per hujusmodi votum dissolvi Sponsalia ex parte non voventis, quia merito judicatur voventem Sponsalibus renunciare; unde *cap. Veniens qui Cleric. vel voven.* non reprehenditur Vir alteri nubens, postquam cognovit votum continentiæ ex parte Sponsæ. Ex parte vero voventis puto nullatenus dirimi Sponsalia, quia Deus non acceptat quod est in præjudicium tertii, sicut enim non acceptaret domum alteri promissam, & ab eo acceptatam, & ita nec corpus, quod quis vellet illi per continentiam exhibere, dum jam alteri fuit per Sponsalia promissum, & ab eo acceptatum. Vidimus autem supra de sua natura non imbibi in Sponsalibus eam conditionem: *nisi statum meliorem elegero*, quod colligo etiam ex citato capite *Veniens*, ubi Papa vult puniri voventem castitatem post Sponsalia. Item dum dicitur non infringere promissa, qui mutat in melius, ut habetur *c. pervenit 3. de jurejur.* id verum est, si talis mutatio fiat de consensu Creditoris; dum vero Creditor est homo, non illi solet placere meliora fieri contra suum jus jam quæsitum, sicut nec semper illi meliora placent: *l. 1. Mutuum 2. §. 1. De reb. credit.* Hanc opinionem communiter docent Canonistæ *in citatum caput Veniens Sanch. l. 1. disp. 46. num. 9. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. nu. 6.* Cæterum si votum præcessisset Sponsalia, apud omnes constat plene esse observandum; nam posteriora Sponsalia, utpote continentia promissionem de re illicita, nulla essent.

Q. VI. An Sponsalia dirimantur per subsequens Matrimonium, vel per Sponsalia cum altera.

R. I. Qui post Sponsalia cum una contracta, cum altera init Matrimonium, utique illicite agit fidem datam violando, adeoque est puniendus: *cap. si inter 31. de Sponf. & cap. 1. de sponf. duor.*, at certum est valere Matrimonium, & Sponsalia priora dissolvi. Quamvis autem indubitatum sit omnino dissolvi ex parte alterius; qui etenim contrahit matrimonium, renunciat omnino prioribus Sponsalibus, mihi tamen ea opinio arridet, qua dicitur ex parte Contrahentis Matrimonium Sponsalia non extingui, sed suspendi; ac proinde si uxor moreretur, deberet novum matrimonium contrahere cum ea, cum qua Sponsalia contraxerat, si ita ipsa velit. Ratio est, quia nullus ex suo peccato debet commodum reportare; quod sequeretur, si omnino ratione matrimonii ab obligatione Sponsalium liberaretur. Ulterius, ut habetur *c. quæsivisti de his, quæ fiunt a maj. par. Cap.* peccata debent tenere solum suos Authores, quapropter peccatum contrahentis matrimonium post Sponsalia cum altera inita, non debet lædere jus, quod ratione Sponsalium pars innocens acquisivit. Sicut ergo, qui post emissum votum castitatis contraxit Matrimonium, mortua uxore debet integre votum observare, & qui promisit equum Francisco, si tradat Paulo, debet postea Francisco tradere, supposito quod Paulus, qui illius acquisivit dominium equum restituat, ita dicendum debere satisfacere obligationi per Sponsalia contractæ, qui ex morte uxoris fit potens illi satisfacere. Neque dicas obligationem semel extinctam numquam reviviscere; dico etenim obligationem per Sponsalia contracta non extingui; sed suspendi ut constat ex allatis exemplis: neque aliquo jure contrarium probatur, sed solum contrahentem Matrimonium non posse ab uxore separari, ut Sponsæ restituatur.

R. II. Certum est secunda Sponsalia de se non dissolvere priora, cum invalide promittatur; quod jam de jure alteri debetur. Nec refert, si secundis Sponsalibus accessisset juramentum; nam nullam parit obligatio-

gatio-

gationem, quando est de re illicita: *c. 58. de jur. in 6.* Nec pariter refert; si posterioribns Sponsalibus accedat copula, vel impraegnatio; namquod ab ioitio non subsistit tractu temporis oon firmatur, *ex reg. non firmatur de reg. jur. in 6. & reg. quod ab initio ff. eod. tit.* Et quidem id omnes conceduot, si secunda Sponsa sciverit Sponsum jam cum alia Sponsalia contraxisse, nam tunc, ultraqnamquod particeps fuerit delicti iniquae promissionis, adeoque non debeat commodum ex suo delicto reportare, non fuit decepta, sed voluit decipi. Multo magis id verum est, si etiam eum prima Sponsa copula intercesserit; quia tunc ipsius jus etiam ratione copulae est prius, adeoque potius, ex *reg. 35. Jur. in 6. Palaus de Sponf. disp. 1. p. 22. n. 5. Pontius de Sponf. lib. 12. c. 14.* Non nego tamen primam Sponsam non cedera debere juri suo, quoties ipsa recendendo a Sponsalibus nullum, vel exiguum damnum pateretur; secunda vero Sponsa, inscia priorum Sponsalium, grave pateretur damnum, solummodo per Matrimonium reparabile. At id facere debet, non quia posterioribus irrita reddantur Sponsalia priora, sed quia ita exigit Charitas, ut dixi *T. 6. q. 3. cap. 2. quaes. 3. resp. 3.*

Q. VI. An ratione fornicationis Sponsalia dissolvantur; & quid si Sponsa solummodo patiatur oscula, amplexus, aut tactus impudicos.

R. I. Si post Sponsalia contracta sciat Sponsus Sponsam antea fuisse corruptam, non tenetur stare Sponsalibus, quia ex hoc Sponsa notabiliter vilior evadit, adeoque talis tunc cognoscitur causa, ut ex infra dicendis bene possint dissolvi Sponsalia. Praeterea Sponsus eam ducendo notabile subiret incommodum, eo quod fieret bigamus. Quod si ante Sponsalia scivisset Sponsus se contrahere cum jam corrupta, non posset a Sponsalibus recedere, quia censetur in eam ut corruptam consentire; atque ita intelligendum *cap. quemadmodum 25. de jurejur.* Multo magis ex eodem capite dissolvi possunt Sponsalia, si post Sponsa fornicetur; ex hoc enim & vilissima redditur, & violat fidem Sponsalium, adeoque & fides ei non est servanda. Neque refert, meo videri, Sponsam vel ante, vel post Sponsalia omnino vi oppressam fuisse, in quo casu, eum potius dignosci potuerit ipsius honestas, aliqui volunt non adesse causam dissolvendi Sponsalia cum ea contracta. At etiam admisso hujusmodi casu, qui rarissime dari potest, scilicet opprimi mulierem nullatenus consentientem, adhoc puto dissolvi posse Sponsalia, quia quocumque modo corrumpatur foemina, valde vilior apparet, unde supervenit sufficiens mutatio dissolvendi sponsalia: *Salmant. tr. 9. c. 2. nu. 81.* Idem dicas, si Sponsa ante Sponsalia, & multo magis si post Sponsalia passa fuerit oscula, vel tactus inhonestos, quia ex hoc vilissima redditur, & cederet in magnum viri dedecus illam ducere: *Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. num. 11.*

R. VII. Si Sponsus fornicatus fuerit ante Sponsalia, non datur causa sufficiens ad ea dissolvenda, quia ex hoc Sponsus non redditur notabiliter vilior, sicut Sponsa; & proinde quoad hoc delictum non datur compensatio delicti pro delicto, com fornicatio respectu foeminae sit valde turpior: *arg. l. etsi crimine C. ad l. Juliam de adult. jun. Gloss. & l. palam ff. de rit. nupt. Pontinus l. 12. cap. 18., Conink. d. 23. dub. 7. nu. 62.* Idem tamen limitandum in casu, qno post Sponsalia Sponsae innotescat ita Sponsum solitum fuisse fornicari, ut ex hoc valde vitiosum esse dignoscat: *Pontius num. 2., Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. num. 11.* Limitandum pariter, si vir ex praecedenti fornicatione prolem haberet; nam exinde multae discordiae solent postea ioter Conjuges oriri, & non raro vir servat affectum erga feminam, ex qua prolem suscepit: *Conink. num. 62., Palaus de Spon. disp. 1. p. 29. num. 9.*

Si Sponsus fornicetur post Sponsalia, bene ex hoc dissolvi possunt a Sponsa, quia frangenti fidem fides servanda non est; eamque frangit Sponsus fornicando, nam per Sponsalia transtulerat in Sponsam jus ad rem io suum corpus. Si vero post Sponsalia habuerit osculum, vel tactum impudicum eum altera, non censetur dare causam sufficientem ad dissolvenda Sponsalia, utpote quia ex hoc vir valde vilior noo redditur: *Sanch. l. 1. d. 55. n. 5., Laym. cit.* Secus si tales actus abuisset frequenter nam per eam frequentiam notabiliter violare fidem Sponsalium reputaretur; & ulterius se valde vitiosum exhiberet, & justum horrorem in Sponsa causarar. Daretur ergo talis mutatio, ut ex statim dicendis sufficiens sit ad Sponsalia dissolvenda.

Q. VIII. Quae causae advenientes post Sponsalia, vel post ea primum cognitae, sufficiant ad dissolvenda Sponsalia.

R. Ut bene percipiantur quae statim dicam, necesse est observare, quod ea, quae forte non sufficerent ad rescidendos alios contractus, bene sufficere possunt ad rescindenda Sponsalia. Ratio mihi est, quia Sponsalia ad mutuum amorem ordinantur, & ad vinculum indissolubile contrahendum; quapropter de natura hujus contractus est, ut conttaheotes non intelligantur indissolubiliter obligari, quoties adveniat causa, quae non parum opponatur praefato mutuo amori, vel reddere possit valde gravem statum indissolubilem, qoem intendunt assumere. Juxta hanc explicationem mihi arridet ea doctrina, qua dicitur dissolvi posse sponsalia, si ex parte unios superveniat causa, quam, si altera pars scivisset, vel praevidisset, non contraxisset; *Sanch. l. 1. disp. 62. numer. 3., Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. nu. 18., Engel. de Sponf. num. 11.* Praeterea parum refert, si hujusmodi causa superveniat Sponsalibus, vel antecesserit Sponsalia, dummodo fuerit ignorata: nam in jure aequiparantur supervenire, & praecedere ignoranter; unde dicitur res fieri, quando innotescit: *c. pastoral. de excepe.* Et sicut jure parificantur non asse, & non apparere: *leg. duo sunt ff. de Testam. Tut., & leg. in leg. de contrah. empt.*, oportet e contra parificari esse, & apparere. Addatur, quod cum Sponsalia ex dictis imbibitam habeant conditionem de eis indissolubiliter non contrahendis, si aliquid detur valde contrarium mutuo amori, vel reddat valde gravem Statutum indissolubilem, semper verificatur posse dissolvi, si hojusmodi soperveniat, vel adfuerit ante sponsalia, sed fuerit ignoratum; eodem enim modo oppooitur mutuo amori, & difficiliorem reddit statum conjugalem; *Sanch. l. 1. de Matr. disp. 63. n. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. cap. 2. n. 19.* Denique advertendum, quod si aliquis dubitet, an contraxisset Sponsalia, si causa superveniens, vel qoae tunc primo apparet, fuisset praevisa, vel ignorata, judicandum est non fuisse contracturum, quoties illa talis sit, ut alii non contraherent; nam optima praesumptio desumitur abordinarie, & communiter contingentibus: *Rein. ff. in l. 4 Decretal. tit. 1. §. 8. n. 257.*

Ex dictis habetur dissolvi posse Sponsalia ex quocumque morbo superveniente Sponso, vel Sponsae, unde redderetur alteri valde grave cum Persona ita aegrotante contrahere. Tales sunt *ex cap. quemadmodum 25. de jurejur.*, lepra, paralysis, amissio oculi, nasi &c., similesque alii morbi seu contagiosi, seu incurabiles, seu valde longi; nam de similibus idem debet esse judicium: *arg. cap. Translato de constit.* Eadem ratione dissolvi possunt ex notabili superveniente deformitate, praesertim Sponsae, *Sanch. l. t. p. 57. n. 4.* Item si Sponsa fiat sterilis, vel Sponsus inhabilis ad rite congrediendum: *Menoch. cons. 786. n. 12.* Item dissolvi possunt sponsalia, si ex parte utriusque paupertas superveniat. Quamvis igitur duae Personae, quae jam erant panperes, non possint a Sponsalibus contractis resilire, quia nil eis supervenit, unde difficilius reddatur matrimonium, possuot tamen dissolvi, si uterque Sponsus pauper evadat, supervenit enim talis mutatio, ut contra ipsorum opinionem difficile valde eis reddatur sustinere onera matrimonii: non datur igitur in hoc casu compensatio paupertatis unius cum paupertate alterius: *Palaus de Sponf. disp. 1. part. 28. n. 4., Pontius l. 12. cap. 17. num. 8.* Idem dicas si paupertas non tantum superveniat. Et quidem si superveniat ex parte Sponsae, unde dotem afferre non possit, clarum est; nam promissio Matrimonii est sub conditione dotis consequendae. Si vero ex quacumque causa paupertas superveniat Sponso diviti, praebet illi motivum dissolvendi Sponsalia, utpote quia valde grave illi esset matrimonium, cum non posset ipsius onera sustinere: *Laym. l. 5. tr. 10. prat. 1. cap. 2. n. 18., Sanch. lib. 1. disp. 59., Menoch. de Arbitrar. l. 2. centur. 5. cas. 455. num. 6.* Quae dicta sunt de paupertate superveniente, extenduntur ad paupertatem, quae videtur soperventura; nam prudens timor talis paupertatis causat talem mutationem, ut valde grave omnino censeatur contrahere matrimonium; *Pontius lib. 12. c. 17. n. 8., Palaus de Sponf. dis. 1. p. 28. n. 4.*

Aliqui putant posse dissolvi Sponsalia, si uni parti ex inopinato adveniant magnae divitiae. At contrarium omnino asserendum est; nam cum tunc non possit dici alteram partem factam fuisse deteriorem, non est cur jure jam acquisitu sit expolianda. Ulterius sicut quando

do celebratus fuit contractus emptionis, res empta tradenda est emptori, quamvis interim ipsius pretium crevetit, idem dicendum, si post Sponsalia una pars ditior evadat: *Gutier. de Sponsal. & Matrim. c. 23. num. 4. Conink. d. 23. dub. 8. num. 29. Sanch. cit. n. 6., Palaur num. 5.*

Si mutatio ex parte bonorum fortunæ præbet justam causam dissolvendi Sponsalia, multo magis aderit, si superveniat, aut deprehendatur notabilis mutatio ex parte animi. Id accideret si aliquis ex Sponsis ob perpetratum delictnm fieret infamis; si ebrietati, aut ludo valde addictus, si moribus asper, ac sævus &c. &c. *Palaus p. 23. Gobat. tr. 10. cas. 8., Sanchez lib. 1. disp. 57. & 58., Gutier. c. 2.* Idem docent, si graves inimicitiæ, & aversiones inter Sponsos oriantnr; hujusmodi enim matrimonia infelicissima esse solent. Extendunt etiam ad graves inimicitias, & scandala, quæ prudenter timentur oritura inter Parentes, seu Consanguineos sponsorum.

Q. IX. Quaudu contradictio Parentum, vel Consaoguineorum præbeat justam causum dissolvendi Sponsalia.

R. I. Quamvis ex dictis *tr. 10. qu. unic. cap. 3. qu. 3.* peccent graviter filii contrahendo Sponsalia, sen Matrimonium inconsultis Parentibua; nihilominus cum valida sint Sponsalia ipsis inconsultis contracta, ex sola ipsorum contradictione neutri parti liberum est dissolvere Sponsalia: *Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. u. 14.* immo peccant Parentes, si velint sine justa causa talia sponsalia dissolvi, quia exigerent a Filio ne propriæ satisfaceret obligationi: *Laym. u. 14. Guttier. de spons. & Matr. c. 32. num. 29.*

Sicut autem Parentes non peccant, si juste contradicant, ita tunc ipsorum contradictio est justa causa dissolvendi Sponsalia. Tunc autem juste contradicerent, quando futurum Matrimonium in dedecus Parentum, & familiæ vergeret, adeoque quia tunc matrimonium mediis Sponsalibus promissum esset contra pietatem, & charitatem debitam Parentibus, & consanguineis, immo etiam contra Justitiam, utpote vergens in aliorum præjudicium, talis promissio nullatenus est attendenda, cum ex notis regulis juris in malis promissis non expediat fidem servare: *c. in malis de R. J. in 6.* & turpes stipulationes nullius sint momenti: *l. generaliter 26. ff. de V. S.* Immo quia promissiu; quæ adimpleri non potest sine peccato, ipso facto nulla est, bene dicitur præfata sponsalia ipso jure esse nulla, & invalida: *Guttier. l. 1. Can. qq. c. 20. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. a. 14. Menoch. cons. 66. Gobat. tr. 10. cas. 3. a n. 105.* An vero possit dari casus, in qno contrahens Sponsalia cum puella valde disparis conditionis, teneatur eam ducere, dixi supra.

R. II. Si contradictioni Parentum uniantur seriæ, & justæ minæ privandi filios quoad possunt hæreditate, dant justam causam dissolvendi Sponsalia. Ratio est, quia, si possint privari hæreditate non modica, valde difficilius redditur matrimonium ex hujusmodi privatione. Aliqui volunt Sponsum, vel Sponsam exhæredandam a Parentibus, vel Consanguineis, non posse a sponsalibus resilire, si etiam sine tali hæredirate habeant unde possint vivere juxta suum statum. Verum dum prudenter timeretur exhæreditatio non modicæ hæreditatis, non satis video qua ratione id timens resilire non possit a sponsalibus, cum videantur semper contrahi sub hac tacita conditione, si nempe nnn adveniat talis mutatio, unde grave sit contrahere matrimonium, ut ex SS. Can. & communi DD. dictum est: *De Luc. de matr. disc. 8. a. 10.* In duubus tantum casibus dicerem timorem prudentem pinguis amittendæ hæreditatis non esse justam causam resiliendi a sponsalibus. Primo, si Sponsa ex propriis velit, & possit supplere, quæ amitteret Sponsus, & e contra; nam tunc timor exhæredationis ex alia compensaretur. Secundo, si exhæredatio prævisa fuerit ante sponsalia, eamque timens illam spreverit, ut posset optata sponsalia contrahere. Ratio est, quia ita contrahens intelligitur renuntiare juri ea dissolvendi ex titulo exhæredationis; unusquisque autem juri suo potest renuntiare: *cap. si de terra 2. de privil.* nec amplius ad illud habet regressum: *l. si maritus 15. §. Si negaverint ff. ad l. Jul. de adulter.*

Q. X. An dissolvantur sponsalia per superveniens impedimentum; & an qui culpa sua impedimentum apposuit, teneatur quærere dispensationem.

R. I. Quomodo ratione voti, quod potest esse impedimentum impediens matrimonium, dissolvi possint, vel dissolnta remaneant sponsalia dixi supra. Certum autem est ob soperveniens impedimentum dirimens ex utraque parte dissolvi sponsalia, quia tunc nec licite, nec valide conttahi potest matrimonium: *Gutier. de Matr. c. 32. n. 1.; Sanch. l. 1. disp. 59.*

R. II. Qui culpa sua apposuit impedimentum dirimens, peccando e. g. cum consanguinea Sponsæ, tenetur petere dispensationem. Ratio est, quia ita agendo culpabiliter læsit jus alterius, unde eo modo, quo potest, debet illud reparare, *Sanch. n. 2., Ledesm. de matr. q. 43. art. 3.* Quod si ex tali læsione grave damnum pars innocens patiatur, in bonis famæ, aut fortunæ, omnes concedunt esse reparandum, etsi expensæ non ita modicæ necessariæ sint ad obtinendam dispensationem; utpote quia injustus damnificator tenetur etiam cum suo gravi incommodo grave damnum alteri illatum reparare. Ego autem putarem impensas non exiguas ab eo faciendas esse etiam ex hoc solum quod culpabiliter læserit jus alterius; nam jus ad matrimonium in se est magnum, & magno pretio æstimabile, unde & gravi incommodo est reparandum: *Ledesm. loc. cit. Palaus de Sponsal. disp. 1. p. 28.* Cæterum omnes sciunt, quod dum impedimentum ex copula occulta orietur, nullis impensis obtineri potest dispensa mediante S. Pœnitentiaria.

Q. XI. Quando Sponsi intelligantur renunciare juri, quod haberent sponsalia dissolvendi.

R. Cum ex supradictis unusquisque, cedere possit juri suo, etiam sponsi cedere possunt juri, quod alias haberent dissolvendi sponsalia, & subinde qui renunciavit, cogi potest ad ea contrahenda. Primo igitur intelligitur renunciare tali juri, qui ante sponsalia, cognito defectu in altera comparte, adhuc cum ea contrahit, facto etenim ipso demonstrat, non obstante tali defectu, velle cum ea contrahere. Secundo, intelligitur renunciare juri suo, si superveniente post sponsalia causa illa dissolvendi, adhuc nihilominus ratificentur ab eo, qui posset resilire. Idem dicas, si ratificet, dum primum post sponsalia cognoscant ante ea fuisse causam ea dissolvendi. Tertio, censetur renunciare juri dissolvendi sponsalia, qui habet, vel patitur copulam ab alia comparte, nam id censetur fieri affectu sponsalitio. Id tamen non valeret quod forum internum, quoties copula haberetur non animo sponsalitio, sed fornicario. Et quamvis conjuges, si habent copulam carnalem, postquam cognoverunt adesse causam divortii, admittant jus etiam pro foro interno petendi divortium, id tamen non valet de sponsis, quoties copulam haberent animo fornicario. Disparitas est, quia jus manifeste interdicit conjugibus petere divortium, si habeant copulam post cognitam causam divortii; at id non habetur respectu Sponsorum, & solum dicitur post copulam non posse resilire, quia præsumuntur illam habuisse animo sponsalitio, adeoque cessante tali præsumptione in foro interno potuerunt a sponsalibus resilire: *Tambur. tr. 8. c. 5. §. 8. num. 4.*

Q. XII. An laborans defectu occulto sufficiente ad dissolvenda sponsalia, possit eadem contrahere; & postquam contraxit alteram partem ad executionem compellere.

R. Sicuti male agit, & peccat contra Justitiam qui merces inutiles, & noxias vendit eas credenti bonas, & utiles, ita a fortiori male agit, si laborans defectu valde noxio, & valde grave reddente matrimonium, velit se tradere alteri mediantibus sponsalibus, & matrimonio. Dixi a fortiori, nam est gravissima deceptio velle cum gravi damno alterius contrahere statum indissolubilem, unde nullatenus sit reparabile damnum, & gravissimum incommodum, quod alteri affertur. Neque dicas neminem teneri prodere seipsum, id enim verum est, adeoque nec ego dico laborantem tali defectu debere illum manifestare. At dico debere abstinere a sponsalibus, & multo magis a matrimonio; nam si verum est non teneri prodere suum defectum, & verissimum pariter est non debere alteri grave damnum inferre. Si vero defectus occultus non valde noceat, nec valde difficilius reddat matrimonium, tunc eo laborans potest sponsalia contrahere; fert enim consuetudo, & communis rationabilis consensus, ut etiam cum his defectibus sponsalia contrahantur. Ita etiam non manifestari oportet minorem perfectionem mercium, quæ venduntur: *Poatius lib. 12. c. 18. num. 6. Conincb. disp. 23. num. 10., Gobat. tr. 10. cas. 9. num. 367.* Ex his patet

ana-

ot aliquando qui laborans aliquo defectu contraxit sponsalia, possit compellere aliam partem ad matrimonium contrahendum. Vide septimam regulam infra apponendam.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Observet Confessarius ideo quandoque Sponsom, vel Sponsam Sponsalibus contractis renuntiare, quia ad id adiguntur precibus non raro importunis, vel factis a Persona, quæ inducat timorem reverentialem. Si hac ratione una pars inducatur ad renunciandum juri in Sponsalibus acquisito, utique altera pars non potest in conscientia aliam, vel alium ducere; nam hujusmodi tenunciatio non fuit sufficienter libera. Id non tam raro in praxi evenit, adeoque bene notandum est.

II. Solet etiam accidere Sponsum aliquando pertæsum Sponsæ ducendæ, vel in longinquas regiones abire, ac tedium ex industria differre, vel irrationabiles dilationes apponere ad contrahendum matrimonium. Ita agendo intendit inducere Sponsam ad renunciandum Sponsalibus, ut ita ipse in sua libertate permaneat. At id omnino illicite fieri clarum est, neque revera in foro conscientiæ Sponsum assequi propriam libertatem. Ulterius tenetur ad quodcumque damnum, quod ex hac agendi ratione Sponsa pateretur.

III. Confessarius semper vigilet, ne diuturnum sit tempus Sponsalium, & quod cito matrimonium celebretur. Periculosissima est Sponsorum conversatio, ac sine peccato difficillime erit, si sit diuturna. Hac ratione S. Carolus *in Conc. Med. 6. quæ ad matrim. pertin.* voluit censuris compelcendos Sponsos, ne ante matrimonium *ullo quidem modo mutua consuetudine, commerciove utantur*. Alii item Præsules decrevere, ne post contracta sponsalia Sponsus ad domum Sponsæ accedat. Alii concessere solommodo per tres vices tempore Sponsalium posse Sponsos se invisere, & alloqui, & id per modicum tempus, parentibus tamen, seu consanguineis præsentibus. Alii voluerunt intra sex hebdomadas ad matrimonii celebrationem procedendum. Videatur Genet. *de Sacram. matrim. c. 1. q. 9.*

IV. Quandoque etiam evenit in praxi Sponsum cum altera fornicari ipsique etiam matrimonium promittere. In hoc casu Confessarius semper suadeat priori Sponsæ juri suo renunciare, & permittere Sponso, ducere eam, cum qua peccavit Sponsus: qui ita se gerit, pessimam demonstrat inclinationem, pravosque mores, unde gratum debet esse Sponsæ illum in plena libertate dimittere: quod si gravis diffamatio fœminæ violatæ immineat, puta ob imprægnationem, tunc ego sine absolutione dimitterem Sponsam, quæ sine gravi suo incommodo posset cedere juri suo, & nollet; ita etenim, ni mea me fallat opinio, certissime obligant leges Charitatis.

V. Frequenter ob motivum dissolvendi contracta Sponsalia adducuntur graves, & capitales inimicitiæ &c. orituræ inter Parentes, & Consanguineos Sponsorum, multa minitantes ob tale impediendum matrimonium. Si, omnibus compensatis, personæ prudentes judicent vere magna odia, & gravia scandala posse oriri, certe talia Sponsalia essent dissolvenda. At bene advertendum in praxi ut plurimum gravia minitari, & scandala pariter magni fieri, ut Sponsi desistant a matrimonio contrahendo; at videmus nil mali de facto oriri, si his non obstantibus matrimonium contrahatur. Ob hæc igitur pericula scandalorum, discordiarum, &c. non facile pars, quæ non contradicit, certo jure, quod habet, privanda est,

VI. Sicut bene agunt Ordinarii dispensando a denunciationibus, quando Parentes, vel Consanguinei injuste contradicunt, ne malitiose impediant matrimonium, ita male agerent ab eis dispensando, dum juste contradicont. Ratio est, quia cum in tali casu Parentes jus habeant impediendi tale matrimonium, & implorare etiam Judicis authoritatem, jam dispensando a denunciationibus, ut ita matrimonium occulte contrahatur, læderetur jus eorumdem Parentum.

VII. Cum pro certo teneam debere resilire a Sponsalibus, qui habeat occultum defectum, ex quo matrimonium reddendum sit valde difficilius, deberent ex hoc capite quærere dissolutionem Sponsalium Sponsi laborantes lepra, paralypsi, morbo gallico, vel alio contagioso; habentes perditos mores sine animo se corrigendi; laborantes ex aliquo delicto, vel alia ratione gravi infamia, quæ facile detegi possit, Sponsa sterilis, prægnans ex copula cum alio habita. Quod si altera pars instet pro Sponsalium executione, & quæ habet aliquem ex his defectibus, alia via non posset a Sponsalibus resilire, nisi illos manifestando, & alionde manifestare non possit sine gravissimo periculo, ut si Sponsa sine pericolo vitæ manifestare non posset se laborare morbo gallico, vel esse prægnantem, tunc ratione juris fortioris conservandi vitam videtur posse dissimulare, & contrahere matrimonium.

Cum e contra Sponsi non teneantur resilire a Sponsalibus propter defectus non reddentes valde difficile matrimonium, neuter Sponsorum tenebitur manifestare morbum gallicum, si talis sit, ut possint perfecte sanari, antequam contrahant matrimonium; nec pravos mores, si animum sincere emendationis habeant, sicut ignobilitatem, seo infamiam leviter tantum deturpantes honestam familiam. Item Sponsa non tenetur resilire a Sponsalibus, quia ab alio fuit corrupta, quod tamen limitarem in duplici casu, quando nempe juste timeret post matrimonium detegendum suum vitium, & ex hoc gravia jurgia, & odia oritura; nam tunc ratione charitatis deberet quærere rescissionem sponsalium. Item quando Sponsa se fingendo virginem induxisset Sponsum ad fidem matrimonialem; si etenim tunc cogere vellet ad matrimonium, continuaret injuriam illi factam.

VIII. Inter excommunicationes, quæ in nostra Diœcesi Archiepiscopo reservantur, hæc etiam habetur: *Sponsi de futuro sub eodem tecto pernoctantes sine nostra, vel Vicarii Generalis licentia*. Finis hujus excommunicationis est removere, quod de sua natura affert periculum peccandi, & quia de sua natura tale periculum est in pernoctatione hic prohibita, sequitur, etsi per accidens respectu aliquorum cesset, nihilominus adhuc vigere hanc prohibitionem, ut dicitur *tr. 3. q. 4. c. 1. q. 1.* Ita inciderent in hanc censuram Sponsi, qui simul pernoctarent, sed cum assistentia domesticorum ad periculum removendum. Item incidunt in censuram Sponsi in tertia domo pernoctantes, quia semper verificatur fieri, quod sub censora prohibetur. Idem dicas de Sponsu, qui inscia Sponsa in eadem domo pernoctat. Quod si etiam Sponsa sciat, & non possit Sponsum ejicere vel decenter, aut sine gravi incommodo ad aliam domum pergere, immunis erit a censura, ut de se patet. Debet tamen facere quantum potest, ut removeat peccandi periculum.

Cæterum ille in præsenti pernoctare diceretur, quã in domo Sponsæ veluti per totam noctem cohabitaret, non vero qui ibi degeret choreas ducendo, seu vacando ludis, aut confabulationibus; ita etenim pernoctare ut sæpe etiam evenit inter non Sponsos ex consuetudine optima legum interprete, non censetur in præsentĩ prohibitum. Ita pernoctare significat fere totam noctem in domo Sponsæ cohabitare, unde non incideret in hanc reservationem, qui duobus, vel tribus horis in nocte cum Sponsa cohabitasset, bene vero qui cum ea ita pernoctasset, ut solum dicessisset duabus, aut tribus horis ante auroram; nam iste pernoctasse moraliter diceretur. Addendum demum in littera textus sub censura prohiberi pernoctationem sub eodem tecto, pro quo intellige domum destinatam habitationi ejusdem familiæ, non vero si Sponsus e. g. pernoctaret in Superioribus ejusdem ædificii, & Sponsa inferioribus quando eo quod diversæ familiæ iis locis habitent, nulla est inter eas communicatio. Et ratio est, quia si nulla adsit inter hujusmodi habitationes communicatio, non adest illud periculum, quod præsenti censura intenditur prohiberi, adeoque dicendum est sub ea hunc casum non comprehendi. Demum advertendum hanc censuram non habere locum, quoties ex causa vere justa Sponsus in domo Sponsæ pernoctaret, & e contra; ut si ibi morbo corriperetur, unde non posset sine gravi incommodo ad suam domum redire, vel si ingenti pluvia domum redire impediretur, quod accidere posset ttiere, dum Sponsi domus non esset valde propinqua domui Sponsæ: Hæc omnia de se patent.

Quia tamen in Synodo *p. 2. c. 4. n. 16.* conceditur Parochis alterutrius sponsi audientis ipsorum confessionem pridie, vel ipsa die, qua celebrandum est matrimonium, absolvere ab hac censura, hinc consurgere potest dubium, an sub nomine Parochi veniat in præsenti rigorosus Parochus, cui nempe ex titulo beneficii competat habitu, & actus exercere curam animarum,

an

an vero etiam Capellanus curatus, cui etiam de licentia sui principalis competit generaliter administrare curam animarum. Ego autem omnino puto hujusmodi facultatem residere etiam apud Capellanos curatos. Ratio mihi est, quia etiam isti in lata quadam significatione dicuntur Parochi, & cum Synodus præfatam licentiam concesserit in favorem Sponsorum, ne scilicet cogerentur cum censura contrahere Matrimonium, talis dispositio venit late interpretanda, adeoque intelligenda etiam de Parocho, qui minus proprie sit talis, ex dictis *tr.3.q.4.c.2.q.6.* Præterea, dum constat de mente Legislatoris, recedendum est ab omnimoda rigorosa significatione verborum; atque de ejus mente hic potissimum constat ex motivo, seu ratione promulgandæ legis, quæ ipsius legis anima dicitur, ut constat ex dictis loc. cit. Cum igitur ratio impertiendi Parocho facultatem Sponsos a censura absolvendi, ea fuerit, ne deberent contrahere Matrimonium cum tali censura, oportet dicere talem facultatem etiam Capellano Curato competere; cum etenim & coram ipso frequenter contrahantur matrimonia; vel quia Parochus non vult interesse, vel quia abest, vel quia est infirmus, valde diminute providissent Episcopi supradicto inconvenienti, nisi etiam Capellano Curato intellexissent licentiam præfatam absolvendi concedere. Accedit quod, dum conceditur Parocho præfata licentia, non conceditur aliquod, quod specialiter exigat industriam Personæ; qua ratione nonnisi rigoroso Parocho possit competere; unde non habemus fundamentum dicendi eamdem licentiam non extendi ad quemcumque curam animarum exercentem.

QUÆSTIO I.

De Matrimonio secundum suam essentiam considerato, ut est nempe Contractus, & ut est Sacramentum.

CAPUT I.

De essentia Matrimonii, ejusque honestate; & an, & quando sit Sacramentum; ubi & de Matrimonio per Procuratorem contracto.

Q.I. Quid sit Matrimonium, & quotuplex.

R.I. Matrimonium prout præscindit ab esse Sacramenti, adeoque commune est fidelibus, & infidelibus, ita definitur: *Conjunctio maritalis viri, & mulieris inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.* Hæc definitio habetur ex utroque jure: *cap. Illud quoque de præsumpt. l.1.ff. de rit. nupt & Instit. de patr. potest. §.1.* traditurque etiam a *S.Th. in 4.d.27.q.1.art.1. & in Addition.3.p.q.44. art.3.* Dicitur *conjunctio maritalis*, quia ratio, & vis matrimonii consistit in obligatione, & vinculo, quo uniuntur in matrimonio mas, & femina. Dicitur *inter legitimas personas*, nam mas, & femina habiles esse debent ad illud contrahendum, adeoque nullum debent habere dirimens impedimentum. Illa verba *individuam vitæ &c.* illius denotant indissolubilitatem.

R. II. Matrimonium dividitur in legitimum, seu validum, ratum, & consummatum, quæ divisio desumpta est ex capite *Quanto de divort.* Matrimonium *legitimum* significat purum contractum validum matrimonii, non explicans rationem Sacramenti, quo pacto se habet matrimonium Infidelium. Matrimonium *ratum* significat matrimonium, quatenus contractui additur ratio Sacramenti; unde denotat matrimonium Fidelium, quod ratione Sacramenti est indissolubile, eo tamen pacto, quo infra dicetur. Matrimonium *consummatum* significat copulam carnalem; ordinatam ad generationem, quæ tamen copula non est de essentia Matrimoni, quod perficitur mutuo contrahentium consensu; adeoque Matrimonium inter B. Virginem, & S. Joseph fuit verum Matrimonium, quamvis nunquam copula intercesserit.

Q. II. An Matrimonium bonum sit; & quo fine sit contrahendum, ut sine peccato contrahatur.

R. I. De Fide Catholica tenendum est Matrimonium esse rem bonam, & licitam, unde Apostolus 1. *ad Cor.* 7. ait: *Qui Matrimonium jungit Virginem suam, bene facit.* &. *Si nupserit virgo, non peccabit.* Et ad Hebr. 13. *Honorabile connubium, & thorus immaculatus &c.* Hanc etiam veritatem pluries definivit Ecclesia ut videre est apud DD., simulque etiam ratione confirmatur. Cum igitur non solum necessaria esset filiorum generatio, sed etiam illorum honesta educatio, atque hæc, ordinarie loquendo, dari non possit, nisi vir, & mulier matrimonio indissolubiliter copularentur, parum enim curare solent homines de filiis per vagum concubitum generatis, hinc est Matrimonium bonum, & honestum esse, utpote non solum ad generationem, sed etiam ad honestam educationem ordinatum. Merito deinde ipsi Deo tribuitur, dum *Matth. 19.* dicitur: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Accedit, ipsum matrimonium non esse ex illis actionibus, quas necesse sit bonas fieri ex fine extrinseco, quia de se nullum dicunt intrinsecum bonum. Ex triplici intrinseco bono honestum redditur matrimonium. Primum est bonum Sacramenti, quo Conjuges diligunt se, sicut Christus Ecclesiam, atque gratiam recipiunt, qua facilius incommoda indissolubilis vinculi preferant. Secundum est bonum prolis; matrimonium enim de sua natura ad procreandam sobolem ordinatur, ut Deo famuletur. Tertium est bonum Fidei, quo Conjuges sibi mutuo obligantur ad debitum reddendum, & alteri cuicumque proprium corpus negando.

Quia tamen, quamvis matrimonium sit bonum, nihilominus melior est cœlibatus; ideo non datur præceptum singulos obligans ad matrimonium contrahendum. Ut igitur observat *S.Th.3.p. in add. q.41. art.1.*, præceptum de Matrimonio contrahendo solum totam Rempublicam obligat; atque ad Principes pertineret aliquos ad illud contrahendum ordinare, quando ex defectu generationis Reipublicæ exitium immineret.

R. II. Ut Matrimonium omnino sit honestum, contrahens debet intendere vel aliquem finem substantialem intrinsecum, vel saltem aliquem ejus finem accidentalem intrinsecum. Finis intrinsecus substantialis est mutua traditio, & radicalis obligatio ad copulam, quamvis non sit necesse istam intendere, & inter fideles vinculum sit indissolubile ratione Sacramenti. Cum igitur in hoc consistat essentia matrimonii, utique honestum erit ex his finibus illud contrahere; sicuti nullum esset matrimonium, si positive excluderetur; constat enim quod tunc destrueretur essentia matrimonii ut consideranti constabit: *D.Th. in 4. d.31. q.1. art.3.* Fines intrinseci accidentales sunt prolis procreatio, & remedium concupiscentiæ; & etiam honestum videtur ex his finibus matrimonium contrahere; nam de se honesti sunt, unde bonitatem, & honestatem refundunt in intentionem contrahentium. Neque dices intendendo hujusmodi fines accidentales, non vero primarios, semper intervenire aliquam deordinationem, utpote quia quod primarium est excluditur. Contra etenim est, quia semper cum finis intrinsecus primarius non excludatur, de sua natura opus primo, & per se illum tendit. Nec per hoc, quod operans primo, & per se illum non intendat, resultat actionem non esse honestam; nam necesse est esse honestam, quoties in finem honestum dirigitur, quamvis ab operante finis perfectior omittatur. Quod si dicatur hanc saltem intervenire deordinationem, ut quod primarium, & perfectius est, ad secundarium finem dirigatur, respondendum est neque hanc deordinationem intervenire. Qui igitur duceret uxorem in remedium concupiscentiæ, ut suadet etiam Apostolus 1. *ad Cor.* 7. dicendo: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*, non ordinat finem perfectiorem, qualis est procreatio prolis, ad finem minus perfectum, sed, eo non excluso, operatur propter finem minus perfectum, sed honestum, quod sufficit ad actionis honestatem.

Solum ergo remanet intervenire aliquam culpam, dum quis in contrahendo matrimonio intenderet finem de se non honestum, quamvis honestum non excluderet. Ratio est, quia bonitas operationis principaliter desumitur ex fine intento ab operante, ex dictis *tr.1. q.1. 3. c.1. q.3. resp.4.*, unde si hic de sua natura non dicat honestatem, necesse est in operationem aliquem esse defectum. Ita puto venialiter peccaturum, qui duceret uxorem ob ipsius pulchritudinem, & divitias, ob honorem, & exaltationem familiæ, & multo magis si intenderet voluptatem; nam præfata bona vel sunt solum utilia, vel delectabilia, unde si non referatur aliquo pacto in finem honestum, non poterunt honestam reddere operationem. Magis etiam id constat, dum pro fine intenderetur delectatio, ex dictis *tr.1. q.3.c.1.q.6.* Idem dicas de eo, qui duceret uxorem ob acquirendam sanitatem; nam hæc, si ulteriorem honestum

finem

finem non referatur, de se non explicat honestatem, sed solum rationem boni utilis.

Q. III. An Matrimonium sit Sacramentum.

R. De Fide est Matrimonium esse unum ex Sacramentis Novæ Legis; & quando id non sufficienter constaret ex Sacra Scriptura, satis superque haberetur ex divina Traditione; unde hanc veritatem post Florentinum *in Decreto Eugenii*, definivit Tridentinum *sess. 24. can. 1.* Ratione etiam probatur, quia Matrimonium bene dicitur importare rationem signi, significantis gratiam, eo quod *ad Ephes. 5.* dicatur significare unionem Christi cum Ecclesia illis verbis: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia*. Quatenus igitur Matrimonium est contractus naturalis, celebratus sive a fidelibus, sive ab infidelibus, significat quidem solam physicam unionem Verbi cum humanitate, & consequenter cum tota Ecclesia, sive cum omni humano genere. At Matrimonium, ut Sacramentum est, cum significet unionem Christi cum Ecclesia per dilectionem, qua ipsam amat, ac sancte gubernat, habet etiam significare unionem, quam hoc Sacramentum ponit inter Conjuges mediante gratia, & dilectione, si obicem non ponant. Habet etiam conferre gratias actuales, ut superentur tot difficultates, quas tolerare debent Conjugati ratione mutuæ cohabitationis, ratione servandi fidem maxime si una pars infirmetur, deformetur &c., sicuti & ratione educandæ prolis.

Non puto autem Matrimonium, ut Sacramentum est, consistere in illo vinculo, quod oritur ratione Matrimonii, ac perpetuum est, & indissolubile, & benedesignatur nomine Matrimonii, quamvis ab ipso etiam ut Sacramento derivet, ut dicam agendo de Matrimonii indissolubilitate. Puto igitur ut Sacramentum consistere in ipso fieri contractus; nam cum Matrimonium, quatenus Sacramentum, gratiam causet, atque intelligatur Matrimonium dare gratiam contrahentibus, dum ipsum mutuo consensu perficiunt, hinc est tunc habere veram, & propriam rationem Sacramenti: *Coninch. disp. 24. d. 2. nu. 11., Pal. disp. 2. p. 2. num. 3.*

Quoad tempus vero institutionis hujus Sacramenti dissidium est apud Anthores. Quamvis igitur in ratione contractus, ut habet Tridentinum *sess 24. cap. 1.*, ab initio mundi extiterit, ab eo scilicet tempore, quo, ut dicitur *Genes. 1.* Adam a somoo excitatus dixit *Evæ, Hoc nunc os ex ossibus meis*; nihilomius in ratione Sacramenti in Lege Gratiæ habuit initium. Alii igitur volunt a Christo institutum fuisse, quando interfuit nuptiis Canæ Galileæ: sed melius puto asseri, si dicatur institutum, qaando *Matth. 9.* illius declaravit indissolubilitatem dicendo: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*.

Q. IV. Quæ sint materia, & forma Sacramenti Matrimonii; & quis ipsius Minister.

R. Verba contrahentium habent rationem materiæ, & formæ, secundum tamen aliam, & aliam rationem. Prout significant traditionem, habent rationem materiæ, prout verba contrahentium habent tationem acceptationis, habent rationem formæ. Dum e.g. vir dicendo mulieri: *volo te in conjugem habere* exprimit traditionem sui corporis fœminæ, ipsius verba habent rationem materiæ; prout vero verba fœminæ intelliguntur acceptare talem traditionem, habent tationem formæ. E contra & ipsa verba mulieris habent rationem materiæ, prout habent exprimere traditionem sui corporis, quibus pro forma accedit acceptatio ex parte viri, quatenus nempe ipsius verba rationem habent acceptationis. Hinc io hoc Sacramento repetire est duplicem materiam, & duplicem formam partialem, nam utriusque contrahentis verba secundum diversam rationem habent rationem materiæ, & formæ: *D. Th. in add. q. 42. art. 1. ad 1. & 2., Sanch. lib. 2. disp. 5. n. 6.*

R. II. Ipsi contrahentes sunt ministri Sacramenti Matrimonii. Et quidem si, ut dictum est, verba contrahentium sunt forma hujus Sacramenti, consequens est ipsos esse ministros, nam ad ministrum spectat formam proferre. Preterea cum Christus elevaverit ad esse Sacramenti ipsum contractum matrimonii, dicendum est ipsos contrahentes esse ipsius ministros, cum ad ipsos contractum inite pertineat. Huc autem patet qua ratione specialiter competat huic Sacramento habere Ministros laicos, quia nempe cum ipse contractus elevatus fuerit ad rationem Sacramenti, exposcit Ministros laicos, cum ad ipsos tantum pertineat contrahere. Quod si apud SS. Canones aliquando Parochus dicitur hujus Sacramenti minister, advertere est ita appellari, quia coram ipso est matrimonium contrahendum, & ipsi competit nuptias benedicere. Cæterum Trid. *sess. 24. de matr. c. 1.* supponit antea rata, & valida fuisse matrimonia absente Parocho contracta.

Q. V. An in Matrimonio sit separabilis ratio contractus a ratione Sacramenti.

R. Suppono Matrimonium contractum inter non baptizatos, nullatenus habere rationem Sacramenti; nam janua cæterorum Sacramentorum est Baptismus. Hinc si dispensante Pontifice contraheretur Matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum, esset solummodo Sacramentum ex parte baptizati; nam non baptizatus incapax est Sacramenti. Loquendo ergo de Matrimonio inito inter baptizatos, non video qua ratione non possit in eo separari ratio Sacramenti a ratione contractus. Ratio est, quia nullo jure probatur inseparabilis ratio contractus a ratione Sacramenti; & cum alitnde non recipiatur ab adulto Sacramentum si nolit illud recipere, consequens est quod, si aliquis vallet celebrare Matrimonium in ratione contractus, & non in ratione Sacramenti; nullatenus contraheret Matrimonium prout habet rationem Sacramenti. Non est tamen negandum graviter peccaturum illum, qui contraheret Matrimonium absque intentione conficiendi, & recipiendi Sacramentum, nam poneret materiam, & formam Sacramenti, & nollet Sacramentum conficere: *Cano de Loc. Theolog. lib. 8. cap. 5.* & alii, quos sequitur Bonac. *de matr. q. 2. p. 5. n. 4.*

Q. VI. An Matrimonium contractum per Procuratorem sit Sacrameotum; & quæ conditiones requirantur ad ita contrahendum.

R. I. Quamvis non desint negantes Matrimonium per Procuratorem contractum esse Sacramentum, & dicant fieri Sacramentum, quando postea conjuges, dum sunt præsentes, præstant signa novi consensus, nihilominus bene dici potest Matrimonium esse Sacramentum, quando per Procuratorem inter absentes contrahitur. Ratio est, quia certum est omnes contractus, qui consensu perficiuntur, posse inter absentes per Procuratorem contrahi: *l. 1. §. Est autem ff. de contrahend. empt.* ac proinde Matrimonium per Procuratorem contractum tam jure canonico, quam civili semper validum fuit reputatum: *cap. fin. de procurat. in 6., & l. sufficit ff. de Sponsal.* Si ergo dubitari non potest de validitate Matrimonii inter absentes per Procuratorem contracti, videtur omnino dicendum etiam habere rationem Sacramenti, cum Christus Dominus elevavit ad rationem Sacramenti contractum validum Matrimonii. Hinc observare est discrimen inter hoc, & cætera Sacramenta. In cæteris igitur Sacramentis actio conficiendi eadem Sacramenta est personalis ipsius ministri, sicut est actio personalis operatio, qua recipiuntur; ita etenim exposcit natura ipsorum Sacramentorum, ut nec fiant, nec recipiantur mediante alio. At cum Matrimonium, eo quod elevatum fuerit ad esse Sacramenti, non amiserit naturam contractus, poterit alio mediante fieri, & recipi. Advertere tamen est quod, sicut tunc verba Procuratoris sunt materia, & forma hujus Sacramenti, quatenus referuntur ad consensum, & acceptationem mandantis, ita mandans est minister hujus Sacramenti, Procurator vero est ipsius instrumentum. Hinc Procurator non peccaret, si non esset in gratia, bene vero mandans, si non esset in gratia, dum putat verosimiliter Procuratorem Matrimonium contracturum. Nec refert si tunc dormiret: sicut enim peccaret mortaliter, qui in somno aliquem occideret, si prævidisset posse occidere, ratione pravæ voluntatis; ita dicendum in casu nostro. E contra sicut qui antea voluit suscipere Baptismum, illius gratiam reciperet, si forte in amentia baptizaretur, ita potest recipere gratiam qui contrahere voluit Matrimonium per Procuratorem, si forte contraheretur dum dormiebat: *Sanch. lib. 2. disp. 11. & 12. Basil. l. 1. cap. 10. Aversf. de matr. q. 5. sect. 4.*

R. II. Prima conditio necessaria ad contrahendum Matrimonium per Procuratorem est, quod Procurator habeat speciale mandatum de eo contrahendo; nam mandatum generale non extenditur ad casus extraordinarios, & longe majores eis, qui in ipso exprimuntur, inter quos certe est Matrimonium: *Clem. non potest de procur.* Item mandatum esse debet de contrahendo cum persona determinata, ut intelligatur mandans in ipsam consentire: *l. general. 34. ff. de rit. nupt.* Deinum, ni Procurator expresse habeat in mandato, ut possit alium substituere,

re debet per se matrimonium inire, censetur enim ad hoc electa industria Personæ. Hæc omnia habentur *cap. fin. de procur. in 6.*

Ibidem etiam requiritur mandatum non esse revocatum. Quamvis ergo reliqui contractus subsistant, si revocatio mandati illos contrahendi non innotuerit mandatario, quia jus supplere potest consensum partis: *Clement. unic. de renunciat.*, & *l. si mandassem ff. mandati*, id tamen non valet respectu Matrimonii, nam exposcit ad sui essentiam verum consensum ipsorum contrahentium, qui revera non adest, si mandatum fuit revocatum. Semper cum igitur retractetur prima voluntas etiam mentaliter, & multo magis si retractatio innotescat etiam verbis, aut facto ipso, ut dum quis cum alia Matrimonium tractaret; etiam enim factis voluntas demonstratur: *l. fin. §. Illud de divort.*, matrimonium contractum per Procuratorem, quamvis ignorantem talem retractationem, nullum esset: *Sanch. lib. 2. disp. 11. Basil. l. 2. c. 15.* E contra vero, si quis voluntatem non habuit contrahendi, cum dedit mandatum, si postea vere voluntatem habuit contrahendi, dum mandatarius contraxit, puto Matrimonium esse validum. Ratio est, quia verba procuratoris non significant consensum præteritum, nisi quatenus tunc censetur moraliter præsens; unde licet præteritus non adfuerit, sat est ad valorem Matrimonii si sit, dum contrahitur: *Sanch. cit. num. 33., Trull. l. 7. c. 3. d. 7. n. 12.*

Ultima conditio est ut mandatarius non excedat fines mandati: *l. diligenter ff. mandati.* Hinc si in mandatis habens ut contrahat cum tali dote, vel aliqua alia conditione, id non servet, nullum erit Matrimonium: *Sanchez cit. n. 3., Coninch. disp. 24. d. 9. n. 67.* Observandum tamen est, quod si mandato præscribatur aliquid, quod sit de jure, intelligendum est præscribi, prout præscribitur a jure, & solummodo certiorem fieri mandatarium de illa re facienda. Si proinde quis in mandatis haberet de contrahendo Matrimonio præmissis denunciationibus, adhuc illis omissis matrimonium esse validum, quia denunciationes præscribuntur a jure, non ut matrimonium valide, sed solum ut licite fiat: *Sanch. n. 18., Trullen. n. 14 Reginal. l. 31. n. 179.*

Aliqui addunt aliam conditionem, ut matrimonium per Procuratorem contractum sit validum, ut nempe qui dedit mandatum, postea non inciderit in amentiam. His & ego assentior, sed propter sequentem rationem, quia nempe alter conjux nullo pacto intelligitur consentire, nisi in personam mente sanam, solum etenim inter compotes rationis contrahitur matrimonium. Ratione ergo defectus consensus unius partis nullum erit istud Matrimonium.

Q. VII. Quomodo celebrandum esset matrimonium per epistolam.

R. Sicuti matrimonium contrahi potest inter absentes per procuratorem, ita constat & per epistolam contrahi posse. Oporret igitur saltem unum ex contrahentibus, e.g. Virum scribere mulieri, se illi in conjugem tradere, & ex tunc acceptare consensum pro eo tempore, quo illum præstiterit. Fœmina vero, si non & ipsa eodem modo rescribat, sat est si coram Parocho, & testibus legat hanc epistolam, eamque acceptet, simulque & ipsa præbeat suum consensum, ut sit scribentis conjux. Eadem ratione se debet gerere vir, si ad illum scribat mulier: *Dian. 3. p. tr. 4. resol. 250.* aliique apud ipsum.

CAPUT II.

De Consensu ad Matrimonium necessario: ubi & de consensu conditionato.

Q. I. AN ad Matrimonium requiratur mutuus consensus contrahentium; & quomodo sit exprimendus.

R. Matrimonium ut contractus utique exigit contrahentium consensum, quo exprimant se de præsenti velle matrimonio copulari, nam omnis contractus contrahentium consensu perficitur: *l. Labeo 2. ff. de verb. signif.* Hinc constat talem consentum exigi in Matrimonio, etiam ut Sacramentum est, tum quia habet pro materia ipsum contractum, tum quia ipsi contrahentes sunt Ministri hujus Sacramenti, quatenus suum exprimunt consensum. Præterea in matrimonio intervenit mutua corporis traditio, ita ut vir non amplius potestatem habeat sui corporis, sed mulier, & e contra; nemo autem potest expoliari re sua, nisi consentiat, ut alteri tradatur. Hanc veritatem docuit etiam Concilium Florentinum *in Decr. de Sacr. Matrim.* & Tridentinum *sess. 24. c. 9.* Ulterius hujusmodi consensum ita esse indispensabilem ad Matrimonium, ut neque ab Ecclesia possit suppleri, docent communiter Theologi. Ratio est, quia Matrimonium essentialiter importat vinculum mutui amoris, seu unionis amicabilis, & affectivæ, quod vinculum constat oriri non posse nisi ab ipsa contrahentium voluntate: *Sanch. l. 2. disp. 27. a n. 2., Avers. de matrim. q. 3. sect. 1.*

R. II. Hujusmodi consensus debet externe manifestari, ut colligitur *ex cap. licet de Sponsal. duor.*, & *cap. cum apud de Sponsal.*, & declaratum fuit a Concilio Florentino *in Decreto Eugenii*. Ratione vero probatur, quia si matrimonium consideretur ut humanus contractus, utique exigit mutuum consensum externe manifestatum; nam hominum operationes solum per externa signa innotescunt. Ulterius cum in hoc contractu intercedat traditio unius, & acceptatio alterius, & e contra, certe necesse est hæc externe manifestari; acceptari etenim non potest nisi quod externe manifestatur. Item necesse est externe manifestari consensum, si matrimonium consideretur in ratione Sacramenti; nam Sacramentum importat esse signum sensibile, adeoque aliquo pacto externus esse debet consensus, quo fit ipsum Sacramentum.

Non est tamen necesse consensum contrahentium verbis exprimi, sed sat est, si signis, vel nutibus sufficienter exprimatur. Ratio est, quia Christus elevavit ad esse Sacramenti ipsum contractum Matrimonii: competit autem cuicumque contractui non solum posse contrahi verbis, sed etiam signis, dummodo sufficienter exprimant consensum contrahentium. Specialiter etiam sancitur de Sponsalibus *l. fin. ff. de Sponsal.* Habetur etiam *c. is qui fidem de Spons.* quod Sponsalia per copulam in Matrimonium transibant, quod quamvis post Tridentinum non amplius verum sit, nihilominus manifestatur Matrimonium per signa contrahi posse; nam ideo Sponsalia per copulam in Matrimonium transibant, quia reputabatur signum consensus de præsenti. Eadem ratione *cap. unic. §. fin. de desponsat. impub.* in 6., dicitur ad Matrimonium filiæ sufficere consensum Parentum, si ipsa taceat, illis pro ea contrahentibus, quia ipsius silentium sufficiens consensus signum reputabatur. Aliqui nihilominus volunt peccaturos mortaliter contrahentes, si dum possint verbis, signis tantum velint exprimere suum consensum: *Avers. de Matrim. q. 3. sect. 2.* Nihilominus id nimis rigidum videtur, quamvis etenim graviter peccaret, qui suum consensum nutibus ambiguis exprimeret, quia in re tanti momenti ipsa natura dictat rem gravem esse non exprimere clare suum consensum: non tamen videtur gravis culpa intercedere, si signis indubitatis exprimatur, cum tunc parum referat, an verbis, vel nutibus innotescat. Quod si *c. tuæ Fraternitati* dicitur necessaria esse *quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia*; hoc est, ut adhibeantur non signa, sed verba, utpote quæ magis probate possunt consensum in foro Ecclesiæ, ut explicat *Sanch. lib. 2. disp. 3. num. 5.*; nihilominus intercedere non dicendum est gravem transgressionem, quoties & ipsa signa sunt clara, nam tunc fere purificantur verbis.

Q. II. An Contrahentium consensus simul apponendus sit simultate physica.

R. Non est necesse consensum contrahentium simul simultate physica apponi, ut docet *D. Th. in 4. d. 29. q. unic. art. 3.*; nam neque hæc simultas in reliquis contractibus requiritur: *l. 1. §. 1. ff. de v. s.* Sufficit ergo simultas moralis: at quamvis in hoc Sacramento, maxime per Procuratorem contracto, intercedere possit aliqua dilatio, nihilominus quam maxime variant Theologi in decernendo quanta esse possit. Alii admittunt dilationem unius diei, si contrahentes non dissent: *Dian. tom. 2. tr. 6. resol. 147.* alii integri septennii, si qui dedit consensum non retractavit: *Sotus in 4. dist. 27. qu. 1. tr. 3.* & alii dicunt sufficere, si ponatur quandocumque dummodo prior consensus non fuerit retractatus: *Navar. in Sum. c. 22. n. 80., Gabr. a S. Vinc. de matrim. d. 3. q. 2. a. 17.* Melius cum Sanch. *l. 5. disp. 23. a. 7. &* 8. relinquitur id arbitrio prudentum, qui ex particularibus circumstantiis dijudicent, quæ mora officere possit validitati Matrimonii.

Q. III.

Q. III. An judicandum fit habere sufficientem consensum, qui ex errore credunt habere impedimentum dirimens Matrimonium.

R. Ordinarie loquendo puto præfatos invalide contrahere Matrimonium. Ratio est quia contrahentes debent habere voluntatem tradendi alteri potestatem sui corporis, quam voluntatem non videntur posse habere, quoties credant, licet falso, non posse alteri tradere talem potestatem: Valide autem contraherent, si intenderent contrahere quantum possunt, hoc est, inire matrimonium, si inter ipsos fit possibile, vel si errent &c. *Sanch. l. 2. disp. 33. n. 2.*

Q. IV. Quid dicendum de consensu præstito sub conditione de futuro necessaria, universali, siva intrinseca Matrimonio.

R. I. Suppono conditionem de præterito, vel de præsenti non suspendere Matrimonium; nam stanta conditione stat Matrimonium, & ea non stante non stat, ait *S. Th. in 4. d. 29. q. 2. a. 3.* Et quidem cum consensus non alligetur conditioni expectandæ, sed quæ jam fuit, vel est, consequens est statim subsistere matrimonium, si est, & non subsistere, si non est: *§. Conditiones 6. Instit. de v. f.* Hinc hujusmodi conditiones, utpote non suspendentes valorem actus, inter veras conditiones non reputantur, *l. instituto 10. ff. de condit. instit.* Sermo ergo reducitur ad conditiones de futuro.

Quoad igitur consensum præstitum sub conditione de futuro necessario, dicendum de se non suspendare matrimonium, ut docet *S. Th. in 4. d. 29. qu. 2. a. 3. q. 3.* Et ratio est, quia tales conditiones videntur potius appositæ ad demonstrandam certitudinem consensus, quam ad illum suspendendum *arg. l. si pupillus 9. §. 1. ff. de Novat., & l. heres meus 79. ff. de condit. & demonstr.* Dixi *de se*; nam si contrahentes expectare intellexerint tempus talis conditionis usque ad adventum illius, matrimonium non subsisteret, utpote quia usque ad illud tempus suspensus fuisset consensus. Ita si aliquis contraxisset cum Berta, si die sequenti Sol orietur, intendendo expectare usque ad illud tempus ad dandum absolutum consensum, certe ante illud tempus Matrimonium non subsisteret. Ubi etiam advertendum quandoque aliquid apponi per modum temporis, & non per modum puræ necessariæ conditionis; & tunc ante tempus designatum Matrimonium non subsisteret; ut si quis diceret: *modo contraho tecum, ut post decem dies sis mea uxor*. Vel diceret, *contraho tecum, si Pater moriatur*, intendendo suspendere consensum usque ad mortem Patris. Tunc autem statim ac tempus designatum advenit, sine novo consensu perficitur Matrimonium: *Sanch. l. 5. disp. 19., Palaus disp. 2. p. 21. §. 2., Avers. q. 5. sect. 9.*

R. II. Conditiones generales, quæ omnibus contractibus insunt, *ut si consenseris &c.* sicut & conditiones intrinsecæ contractui, ut *contraho tecum, si non sit impedimentum dirimens*, de se habentur pro non appositis. Ratio est, quia nil de novo addunt contractui, cum absque illis consistere nequeat, adeoque æque se habent vel si exprimantur, vel non exprimantur: *Sanch. l. 5. disp. 1. num. 6. & 13.* Aliter dicendum, si aliquid illis superadderetur, unde non essent conditiones semper concomitantes contractum matrimonii: ut si aliquis contraheret, si probetur alterum consensum præbuisse, vel inter eos non esse impedimentum dirimens, nam quod hujusmodi probentur, non est conditio generalis, vel intrinseca contractui matrimonii: *Avers. q. 5. sect. 6.*

Q. V. Quid dicendum de conditionibus impossibilibus, aut turpibus, seu contrariis substantiæ; vel bonis matrimonii.

R. I. Conditiones sive natura, sive jure impossibiles, dum a contrahentibus possibiles reputentur, reddunt matrimonium omnino nullum. Ratio est, quia sicut consensus alligari potest conditionibus vere possibilibus, ita dicendum est alligasse suum consensum conditionibus alias impossibilibus, qui illas reputavit possibiles; cum autem revera numquam talis conditio in esse ponenda sit, consequens est numquam posse subsistere matrimonium. Hac ratione, quamvis & conditiones impossibiles a jure habeantur pro non adjectis in testamentis: *leg. obtinuit ff. de condit. & demonstrat., & in Instit. §. Impossibilis de hered. instituend.* nihilominus attenditur conditio impossibilis, si pro possibili tam habuerit Testator; & quia numquam potest verificari. Testamentum declaratur nullum: *l. servo manumisso ff. de condit. indeb. junct. Gloss., Sanch. l. 5. d. 3. n. 9., Trull. l. 7 c. 8. d. 2. num. 3.*

R. II. Si conditio, sub qua aliquis consensum præstat, sit impossibilis, & talis ab eo cognita, habenda est pro non adjecta, quoties adfuerint signa probabilia, aut indicia saltem dubia consensus absoluti in contrahenta. Advertere igitur est conditiones impossibiles ita vitiare cæteros contractus, ut omnino nulli judicentur *l. impossibilis ff. de v. o., & in Instit. §. Si impossibilis de inutil. stipulat.* Et ratio est, quia contrahens sub conditione impossibili videtur clare dicere se nolle contrahere, & ita intelligeremus nolle contrahere qui diceret: *contraho tecum, si cælum digito tangam, vel si volabo*. Idem etiam intelligeremus, si apponeret conditionem de jure impossibilem, dicendo e.g. *contraho cum mea nepte, si possum*. Cum igitur consensus sub conditione impossibili præstitus de sua natura dissensum significet, Ecclesia præsumere non potest assensum fuisse, & matrimonium esse validum. Dum igitur Ecclesia voluit conditiones impossibiles habendas esse pro non adjectis matrimonio, ut expresse habetur *cap. fin. de condit. appos.* dicendum est solum voluisse favere matrimonio, quoties saltem dentur signa probabilia consensus, nam tunc voluit non attendendas tales conditiones, adeoque Matrimonium, cujus dissolutio non est sine multis inconvenientibus, judicandum validum, quod non fit respectu aliorum contractuum. Ita puto interpretandum præfatum caput cum Aversa *q. 5. sect.*, *Ledesma 3. part. q. 47. art. 5. §. His ergo* & aliis.

Dices conditiones impossibiles reputandas pro non adjunctis matrimonio, etsi non dentur signa probabilia consensus, quoties contrahentes non ignoraverint jus illas voluisse pro non adjectis; nam si hoc sciebant, videntur potius joco apposuisse. Sed contra est, quia neque in tali casu satis constat tales conditiones fuisse joco appositas, cum bene potuerint apponi ad dissensum demonstrandum: *Basil. l. 3. c. 4. n. 8.* Cæterum jus non potuit velle conditiones impossibiles habendas pro non adjectis, quando contrahentes scirent rejici a jure; nam voluit favere matrimonio in casibus, qui communiter possent accidere: frustra autem favisset Matrimonio, si contrahentes debuissent scire hanc juris dispositionem, communiter etenim ignoratur, maxime a mulieribus: *Ledesm. cit.*

R. II. Idem quod de conditionibus impossibilibus, disponit jus de conditionibus turpibus: *c. fin. de Condit. appos.* præscindendo modo ab iis, quæ sunt contrariæ substantiæ Matrimonii. Diversimode autem discurrendum de conditionibus turpibus de præsenti, & de futuro, ac de præterito. Conditiones turpes de præsenti, & præterito non rejiciuntur, ut si quia diceret, *contraho tecam, si furtum fecisti, si Petro inimica es, vel fuisti &c.* Et ratio est quia, cum hæ conditiones non incitent ad peccatum, sed solum illud supponant, non rejiciuntur a jure: *D. Th. in 4. d. 29. q. unic. a. 3. q. 3., & 3. p. in suppl. qu. 47. art. 5.* Conditiones vero turpes de futuro *ut contraho tecum, si adulteraberis, si furaberis &c.* a jure rejiciuntur, quia ad peccatum incitant. Nihilominus & quia istæ conditiones veluti impossibiles reputantur; nam id possumus, quod jure possumus *l. nepos Proculo ff. de v. o.*, & quia ita contrahentes videntur potius nolle contrahere, solum etenim esset perditi viri, vel mulieris serio apponere tales conditiones, hinc est & tales conditiones tunc solum censendas non appositas, quando alias darentur signa probabilia consensus, ut dixi de conditionibus impossibilibus; neque etenim credi potest Ecclesiam velle reputandum Matrimonium validum, quando alias invalidum esset reputandum. Cæterum si quis serio animum suum conditioni turpi alligasset, in foro conscientiæ suspenderetur matrimonium usque ad adventum conditionis, sicut statim validum esset, si solum joco apposuisset. Remanet proinde reputandas ut non adjectas, quando intervenerunt aliqua signa consensus, quamvis dubitetur quo animo fuerint appositæ: *Lugo de contr. disp. 22. sect. 13. num. 368. Sanch. l. 5. d. 16. num. 1., Aver. q. 5. sect. 5.*

Quæri hic solet, an quod disponit Jus de conditionibus impossibilibus, aut turpibus in ordine ad matrimonium, extendendum etiam sit ad sponsalia. At quamvis affirmative respondendum videtetur, si attendenda esset authoritas multorum; nihilominus puto omnino negative respondendum. Ratio est, quia non videtur

dispositum de sponsalibus quod disponitur de matrimonio, si pro illis non militet eadem ratio; at proinde quamvis nullum sit matrimonium clandestinum, non tamen nulla sunt sponsalia clandestina. Cum igitur jus voluerit conditiones impossibiles, aut turpes habendas pro non adjectis matrimonio, quia ex ejus dissolutione multa oriri possunt gravia inconvenientia, id de sponsalibus dicendum non est, quia ipsorum dissolutio non importat talia incommoda. Ultarius quod exorbitat a jure communi non est in consequentiam trahendum: *cap. quæ 20. de reg. jur. in 6.* videmus autem exorbitans esse a jure, conditiones turpes aut impossibiles habendas esse pro non adjectis matrimonio, & testamentis. Demum si a communi juris dispositione excipiuntur matrimonium, & testamentum, consequens est cætera non excipi; nam exceptio firmat regulam in contrarium: *Rebell. t. 2. qu. 10. sect. 5.*

R. III. Conditiones turpes contra substantiam Matrimonii, & bona illius reddunt matrimonium omnino nullum. Ratio est, quia nihil consistere potest sine propria substantia; & cum de substantia matrimonii sit societas conjugalis, quidquid contra illam erit, nullum reddet matrimonium. Cum igitur indissolubilitas pertineat ad societatem conjugalem, quatenus est Sacramentum, & ad eamdem pertineat fides, & procreatio prolis, consequens est nullum esse matrimonium contractum sub conditione, qua unus, vel ambo contrahentes se obligent ad aliquid contra prædicta: *c. fin. de condit. appos., can. solis 32. qu. 2., D. Thom. in 4. d. 29. q. unic. art. 3. & in suppl. q. 47. art. 5., Sanchez l. 5. d. 9. n. 3.* Dixi, si se obligent; quamvis enim non sit de substantia matrimonii, ut actu non committatur adulterium, non suscipiatur proles &c. est tamen contra ejus substantiam obligatio ad adulterandum, ad non suscipiendam prolem, ad eam occidendam, mutilandam, & ad non educandam &c. *Sanchez a n. 9., Basil. l. 3. c. 9. a n. 11. & c. 11. num. 3., Bonac. de Matr. q. 2. p. 10. a num. 8.* Advertendum etiam præfatas conditiones annullantes matrimonium, annullare etiam Sponsalia, quæ sunt via ad illud, quoties apponantur adimplendæ post contractum matrimonium: *D. Th. in 4. d. 27. q. 2. art. 1., & in suppl q. 43. art. 1., Sanchez disp. 24. n. 3.*

R. IV. Conditio etiam alias honesta, sed contraria substantiæ, seu bonis matrimonii illud omnino irritum reddit. Huic responsioni non pauci refragantur, volentes solum conditiones turpes, de quibus in præcedenti responsione, irritum reddere matrimonium, quia ita a jure disponitur. At nostra responsio efficaciter probatur, quia non stat dari matrimonium sine potestate ad copulam, unde conjuges ratione matrimonii sui corporis potestatem amittunt, sed vicissim jus proprii corporis in alium transferunt; si autem in contractu Matrimonii apponeretur conditio, alias honesta, numquam se cognoscendi, & emittendi votum castitatis, vel profitendi in religione, jam poneretur conditio destruens talem potestatem, immo obligatio vitandi prolem, adeoque & irritum redderetur matrimonium: *D. Th. in 4. d. 28. qu. unic. art. 4. ad 3. & in supp. q. 48. art. 1. ad 3., Sanchez l. 5. disp. 10. n. 2., Laym. l. 5. tract. 10. p. 2. c. 7. num. 9.* Advertendum igitur non esse contra substantiam matrimonii, si conjuges ante ipsum mutuo se voto castitatis adstringerent, adeoque se privarent jure petendi, & reddendi, bene vero esse contra matrimonii substantiam, si obligatio non petendi, nec reddendi deducatur in pactum in ipso matrimonii contractu. Est igitur essentiale matrimonio, quod ex eo urgeat potestas petendi, & reddendi ex justitia, quam potestatem ex justitia non destruit votum castitatis factum ante matrimonium, vel post matrimonium; nam tunc solum ex religione consurgit obligatio votum servandi; at dum conditio faciendi tale votum, vel non petendi, aut reddendi addatur ipsi contractui matrimonii, & in pactum talis contractus deducatur, tunc clare opponetur obligationi ex justitia consurgenti, ex tali contractu, ac proinde nullum redderet; sicut nullus est quicumque contractus initus sine animo se obligandi ad id, ad quod ex natura sua obligat ipse contractus. Quod si *c. fin. de condit. appos.* dum sermo est de conditionibus irritantibus matrimonium, solum sermo est de conditionibus, quæ alias sunt turpes, non ideo dicuntur irritare matrimonium, quia turpes, vel inhonestæ sunt; adeoque cum illud irritent, quia ipsi contrariæ, eodem modo discurrendum est de turpibus, ac non turpibus, dummodo illi sint contrariæ.

Q. VI. Quid dicendum de Matrimonio contracto ab habentibus impedimentum dirimens sub illa conditione *si Papa vel Episcopus, in casibus, scilicet quibus potest, dispensaverit.*

R. Non pauci putant nullum omnino esse tale matrimonium, quia jam de se nullum est ratione impedimenti dirimentis, & aliunde conditio apposita videtur habenda ac si non fuisset apposita; quæ etenim de jure fieri nequeunt, & si fieri possint Principis dispensatione, impossibilia reputantur: conditiones autem impossibiles a jure habentur pro non adjectæ matrimonio: *De Luc. in annot. ad Trid. disc. 27. Dian. p. 11. tr. 2. resol. 70.* ubi affert plures Authores, & Decisiones. Verum tale matrimonium, adveniente conditione, validum omnino reputandum credo. Aliud est igitur apponere actui conditionem de jure prohibitam, quamvis in ea Papa, vel Princeps possit dispensare, aliud est actui de jure prohibitio apponere conditionem non prohibitam sed licitam, & honestam. Prima quidem a jure habetur pro impossibili, adeoque reputanda pro non adjecta matrimonio ut bene ex jure probant Adversarii, At ista conditio *si Papa dispensaverit*, intelligendo de casibus, in quibus valide, & licite potest dispensare, non est a jure prohibita, adeoque nec rejicienda ut impossibilis a Matrimonio, Unde nil obstat ipsius validitati, si sub tali conditione contrahatur, ac adveniente conditione in absolutum transibit: *Sanch. l. 5. disp. 5. a n. 12., Engel. hic n. 16. Perezius lib. 3. c. 15. n. 2.* ac ita in tribus instantiis decisam fuisse refert Gobat. *tr. 10. de sponsal. n. 165.*

Quamvis autem non desint qui doceant nullum ex præfatis contrahentibus teneri ad dispensationem impetrandam, quia neuter videtur ita contrahendo assumpsisse talem obligationem; nihilominus melius affirmatur utramque partem debere procurare dispensationem, & teneri ad expensas pro rata, quia agitur commune negocium, & credendum est utramque partem noluisse actum inutilem facere, quando contraxerunt Sponsalia, vel matrimonium sub conditione obtinendæ dispensationis: inutilem autem fecisset, si neuter voluisset assumere obligationem eam impetrandi: *Sanch. lib. 5. d. 5. n. 36.* Quod si unus tantum ex contrahentibus tale matrimonium optaret altero indifferenter se habente, tunc obligatio procurandi dispensationem penes illum tantum esset, ageretur etenim de negocio, quod fere totum ad ipsum pertinere judicaretur. Alter nihilominus teneretur expectare tempus conveniens, quo possit obtineri dispensatio; nam ita se obligasse judicatur, dum contraxit cum conditione obtinendæ dispensationis: *Gobat. tr. 10. cas. 4. n. 164.*

Q. VII. Quando intelligatur perfici Matrimonium contractum sub conditione honesta; & an adveniente conditione necessarius sit novus consensus.

R. I. Non loquor de conditione de præsenti, vel de præterito; nam hæc ex dictis non suspendit matrimonium, id est, vel non est, si sit, vel non sit conditio, cui consensus contrahentium fuit alligatus: *D. T. in suppl. q. 47. a. 5.* ubi advertendum satis esse, si conditionem positam de præterito tamdem verificatam fuisse cognoscatur; ita etenim præsumitur fuisse contrahentium voluntatem. Exemplificatur id in eo, qui diceret: *contraho tecum, si Patri tuo placuit*, & postea placuit, hoc satis videtur ad valorem matrimonii, contrahens enim sub illa conditione, videtur solum intendere quod tamdem ita fuerit, & nulla Patri molestia afferatur. Si vero conditio sit de præsenti, videtur necessarium tunc verificari, vel satis est, si verificetur postea; nam consensus alligatus est illi conditioni, ut præsenti. Exemplum sit in eo qui contraheret cum aliqua, *si pater ipsius consentiat*. Si tunc pater non consentiat, vel saltem statim ac fuit matrimonium contractum, nullum erit, etsi post dissensum postea consentiat, nam dum apponitur talis conditio de præsenti, alligatur consensus contrahentium consensui patris, tunc ponendo, non vero ponendo postea: *Sanc. l. 5. d. 7. n. 4. & 6.*

Loquendo autem de conditione honesta de futuro, hujusmodi conditio suspendit matrimonium usque ad adventum conditionis: *c. de illis, c. super eo de condit. appos.* atque ita suspendit omnem alium contractum: *l. si stipulatus ff. de v. s.* Oportet tamen istas conditiones apponi vel ante, vel in ipso contractu matrimonii. In aliis igitur contractibus etiam post illorum celebrationem possunt apponi; quia sicut contrahentes possunt illos rescindere, ita & apponere novas conditiones, a quibus va-

valor ipsorum pendeat: at matrimonii valor post illius celebrationem nullatenus pendet a contrahentibus, unde non possunt tunc novam conditionem pro illius valore apponere. Verificata autem conditione apposita, vel ante, vel in ipso matrimonio, statim matrimonium perficitur, etsi contrahentes nescirent illam adimpletam fuisse; nam alligarunt suum consensum conditioni, non vero notitiæ adimplementi conditionis: *Palaus disp.2.p.11.§.1.n.3.*, *Sanch.l.5.d.7.n.2.* adeoque & cæteri contractus perficiuntur per adventum conditionis, etsi contrahentes id ignorent: *Inst.§. Conditio de v.s.*, *& l. cum ad præsens 30.ff.si certum petatur.* Duo tamen hic notare oportet. Primum est, quod si apponatur conditio de futuro exequenda ab agente libero, non sat est, si eam apponat, postquam posuit contrarium. Unde si contractum est matrimonium sub conditione, si alicui placuerit, non sat est illi placere postquam primo displicuit; nam sermo prolatus da prima vice solet intelligi; *leg. beves §.Hoc sermone ff. de v.sign.*, unde cum deficiat conditio matrimonii ratione displicentiæ primo appositæ, extincta remanet obligatio contrahentium, nec potest resurgere per hoc quod postea placeat; nam obligatio semel extincta non reviviscit: *l.cum ex causa C. de remis. Pign.Coninch.disp.26. dub.3.* Secundum est, quod licet conditiones appositæ in specifica forma sint adimplendæ: *l. qui heredi, & l.Mævius ff.de condit. & demonstr.*, nihilominus attendendum est quid in intentione habuerint contrahentes. Hinc bene potest validum esse matrimoniam celebratum sub hac conditione; *si Pater consentiat*; qoamvis Pater nec consentiat, nec dissentiat, sed taceat; nam contrahentes per eam conditionem bene potuerunt intelligere, non si Pater positive consentiret, sed si non ægre ferret, vel ipsi non displiceret: bene autem demonstrat non ægre ferre, quoties potens sine incommodo dissentire, tacet; *Sanch. l.5. disp.7.num.12, Bonac. q.2.p.10. n.20.*

R. II. Purificata conditione, sub qua contractum est matrimonium, non est necessarius novus consensus. Et ratio est, qnia contrahentes de præsenti dependenter a futura conditione, vere habent consensum, & supposito quod in eo saltem virtualiter perseverent, ac perficiatur conditio, vere datur consensus non amplios pendens a conditione; nam hæc fuit adimpleta: consensus autem de præsenti non amplius conditionalis, & saltem virtualiter perseverans, omnino sufficiens est abique altero consensu ad valorem matrimonii. Hinc, adimpleta conditione, cæteri omnes contractus, absque novo consensu perfecti reputantur: *leg. hæc venditio ff. de contrah. empt. l. potior 12.ff. qui potior.*, unde idem dicendum de contractu Matrimonii, quem Christus Dominus elevavit ad esse Sacramenti. Ita etiam declarasse S. Pium V. refert Natalis Alexander *de matr.reg.16.* sicut etiam S. Congregationem testatur Fagnanus *in c. super eo tit. de condit. in disp. appos. in in l.4. Decret.* Item *Gobat. tr.10. de spons.n.165.* refert decisum fuisse pro valore Matrimonii contracti sub conditione, *si Papa dispensaverit*, etsi probari non potuerit post dispensationem adhibitum fuisse novum consensum. An vero coram Parocho, & Testibus adimplenda sit conditio, dicam dum agam de impedimento Clandestinitatis.

Q. VIII. An Contrahentes sub conditione, debeant expectare illius adventum, & quanto tempore.

R. I. Cum Matrimonium sub conditione contractum non perficiatur, nec transeat in absolutum nisi post adventum conditionis, utique si contrahens ante ipsius adventum retractet consensum, vel cum alia absolute contrahat, statim matrimonium conditionatum fit nullum. Nihilominus contrahentes sub conditione intelliguntur se obligare ad expectandum illius eventum, unde graviter peccabunt; si id non præstent: *Sanch.n.8.*: *Molin. de Just. disp.285.concl. 4.* Id tamen verum esse judico, dum adsit justa causa consensum retractandi, de quibus causis loquutus sum, agendo de causis dissolvendi Sponsalia: *Avers. de Matr.q.4. sect.1.§.3.*

R. II. Dum apposita sit conditio cum præfixione temporis, expectandum est usque ad illud tempus, si tempus designatum fuit ad finiendam obligationem, ut dixi quæstione superiori *cap.3. qu.3.* Si vero nullum præfixum sit tempus, expectanda est temporis opportunitas ad eam adimplendam, & si tunc non adimplearur ab eo, a quo est adimplenda, non amplius expectare necesse est: *leg. hæc conditio ff. de condit. & demonstr. Avers. qu.5. sect.6. V. Quarto.* Hoc tamen intelligendum est de conditione positiva, ut si quis contraxisset cum Berta, si dotem solveret. Conditio vero negativa sine temporis præfixione vana reputatur, & non attendenda, ut si quis contraheret cum Berta, *si numquam mentiretur*; nam si expectandæ essent hujusmodi conditiones, usque ad mortem forent expectandæ.

Q. IX. Quid juris de sponsalibus vel matrimonio contractis sub modo, sub causa, & cum demonstratione.

R. I. Tunc contraherentur Sponsalia, seu matrimonium sub modo, quando contraherentur imponendo aliquod onus contrahentibus; Modus autem in hoc differt a conditione, quod consensus intelligitur ab hac pendere, onde non habetur pro perfecto, nisi ante adventum conditionis. E contra ante modum datur perfectus consensus contrahentium, & proinde ante ipsum subsistit contractus, eique advenit: *leg. cum ab eo 41. ff. de contrah. empt.* Conditio explicari potest particula *si*, ut contraho tecum, *si iveris* Romam, modus vero particula *ut*, si nempe dicatur; *contraho tecum, ut eas Romam.* Hoc posito dicendum est nullum modum suspendere Sponsalia, & matrimonium, non solum si sit honestus, ut si quis contraheret cum aliqua obligatione afferendi dotem, sed etiam sit impossibilis, vel turpis, seu etiam contra substantiam matrimonii, ut si quis contraheret cum aliqua cum onere impediendi generationem. Ratio est, quia jam ante modum datur contractus completus, & perfectus; unde nullus reddi potest per hoc quod addatur onus contrarium substantiæ matrimonii; & quod dicitur de conditionibus contrariis substantiæ matrimonii, ad modum extendi non potest, cum ab illis pendeat consensus non vero a modo: *Palaus de Spons.d.2.p.11.§.5.n.3. Ledes. de Matr.q.47. ar.5. dub.3.*

R. II. Sponsalia, & matrimonium contracta sub causa, exprimendo nempe causam quare contrahuntur, ut si quis diceret se contrahere cum Berta, *quia est nobilis*, seu contracta cum demonstratione, designando e.g. qualitatem personæ, cum qua contrahitur, ut si quis diceret: *contraho cum Berta, quæ est nobilis*: Sponsalia, inquam, seu matrimonium contracta cum causa, & cum demonstratione, etsi hæc sint impossibilia turpia &c., non vitiantur, dum error non transeat in personam, ut dicam loquendo de impedimento erroris: *Sanch.l.5.disp.19. per tot.*, *Palaus de Spons.d.2.p.11. §.5.n.2.*, & si falsa sint, a jure habentur pro non adjectis: *argum. l. falsa 34.*, *& l.Cum tale 72. §.6. de condit. & demonstr. junct. §.Longe 31. Instit. de Legat.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Advertat Parochus, quod etsi matrimonium nutibus clare designantibus consensum contrahi posset, nihilominus a Rituali Romano præscribitur, ut si contrahentes mutui non sint, debeat ab ipsis exigere, ut verbis suum consensum manifestent: nimis etenim refert, ut clarissime constet de ipsius validitate, & nil contra ipsum opportuni valeat.

II. Numquam Parochi admittere debent Matrimonia conditionalia propter quamplura inconvenientia, & difficultates, quæ circa hujusmodi Matrimonii validitatem possent oriri. Præterea, cum matrimonium ita contractum non transeat in absolutum, nisi purificata conditione, cur expectari prius non poterit adventus conditionis, & tunc illud absolute per verba de præsenti celebrari? Non nego dari posse casum, in quo possit expedire hujusmodi matrimonium conditionatum celebrare, ut si aliquis peccasset cum Consanguinea, & ad ipsius vitandam infamiam necesse esset, ut illam duceret; interim tamen timere esset, ne mutaret voluntatem eam ducendi, si protraheretur Matrimonii celebratio ad adventum conditionis. Tunc igitur videretur expedire, ut statim celebraretur matrimonium sub conditione: *si nempe ii, ad quos pertinet, dispensabunt.* Dum tamen possit, Parochus in similibus casibus semper consulat Ordinarium.

Cæterum disseruisse de conditionibus, quæ apponi possunt consensui Contrahentium matrimonium, deservire potest ad elucidanda quæ pertinent ad consensum conditionatum Sponsalium, facilius est etenim hæc contrahi sub conditione.

CAPUT III.

De Matrimonii Indissolubilitate.

Q. I. AN Matrimonium, quod inter Infideles contrahitur, sit indissolubile.

R. I. Matrimonio infidelium, quod non habet rationem Sacramenti, competit de jure divino naturali aliqua indissolubitas. Ratio est, quia in statu Innocentiæ Matrimonium erat indissolubile; unde Christus *Matthei* 19. loquens de libello repudii, qui in usu erat apud Hebræos, ait: *Ab initio non fuit sic*. Eamdem indissolubilitatem, ut docet Tridentinum *sess. 24. de Matrimon. in princ.*, etiam Adam *Divini Spiritus* instinctu pronunciavit, cum dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis*. Cum igitur in statu innocentiæ nullum esset præceptum positivum divinum, nisi quoad abstinendum a fructu arboris vetitæ, consequens est indissolubilitatem Matrimonii provenisse ex præcepto divino naturali, ex institutione nempe divina, consona naturæ Matrimonii. Dixi consona naturæ Matrimonii nam cum causa Matrimonii sit non solum suscipere, sed etiam educare, & bene instruere filios, itemque illis bona procurare, certe matrimonium de sua natura petit indissolubilitatem; si etenim mutuo consensu, sicut alii contractus, dissolvi posset, jam vir aliam ducendo, & mulier alium virum, omnino negligeretur prolis educatio, & cura illi bona comparandi, quibus rationibus sicut convincitur vagum concubitum esse contra jus naturæ, ita & Matrimonii dissolubilitatem; *S. Thom. in supplem. qu. 67. art. 1.* Confirmatur quia, *cap. gaudemus de divort.* definitur infidelem habentem plures uxores, si ad fidem convertatur, primam uxorem debere habere pro legitima, etsi illam repudiasset, aliis retentis; si autem Matrimonium non esset de sua natura indissolubile, Ecclesia non curasset ab hujusmodi infideli ad fidem converso primam retineri, ut bene ratiocinatur *Avers. quæst. 2. de Matrim. sect. 4., & sect. 6. v. in hac re.*

R. II. Matrimonium initum inter infideles, etiam consummatum, dissolvi potest per hoc quod unus Conjugum ad fidem convertatur, & Baptismum recipiat. Si igitur alter renuat habitare cum eo, qui ad fidem conversus est, vel si quamvis velit habitare, nihilominus id faciat cum injuria Creatoris, sive scilicet Christum contemnendo, ejus cultum probibendo, familiam impediendo ne convertatur, sive ad quodcumque aliud peccatum excitando, tale matrimonium dissolvi potest. Ita Christum disposuisse promulgavit S. Paulus 1. *ad Cor. 7.*, ubi de Conjugibus loquens dicit: *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti* (vinculo nempe conjugali) *subjectus est frater, aut soror in hujusmodi*. Semper autem Ecclesia tenuit hæc verba continere sensum supra explicatum, & definivit *cap. gaudemus, & cap. quanta de divort.*, ubi & definitur non dissolvi matrimonium per hoc, quod unus Conjugum in hæresim incideret, vel fieret Gentilis. Et quidem si ex hoc solutum fuisset vinculum Matrimonii, multi fortasse fidem deseruissent ad dissolvenda Matrimonia, quæ minus placerent.

Quamvis igitur Matrimonii indissolubilitas sit ex jure naturæ, & quamvis nec ipse Deus in jure naturæ proprie valeat dispensare, ex dictis *tract. 3. q. 5. c. 1. qu.* ... nihilominus facere potest ex ibidem dictis cessare obligationem legis naturalis, mutando materiam præcepti. Sicut igitur Deus, ut Supremus omnium Dominus, potest alteri tradere quod meum est; quo pacto tradidit Hebræis res Ægyptorum, ita potest velle ut non amplius alicujus viri sit aliqua mulier, & e converso; & hac ratione dicendum est Christum voluisse privare Conjugem non conversum ad fidem jure quod habebat in conjugem conversam; stantibus circumstantiis, de quibus dictum est. Id autem dicendum est Christum fecisse, quia nimis onerosum fuisset iis, qui converterentur, vitam cælibem ducere debere, si altera pars noluisset cum eis permanere &c. atque ita a suscipienda fide retrahi potuissent. *Avers. loc. cit.* Ex his autem patet quomodo sustineri possit licite potuisse Hebræos uxores repudiare, ut docent multi SS. PP. & Theologi.

Hic tamen aliqua sunt notanda. Primum est matrimonium tunc de facto dissolvi, quando fidelis baptisatus transit ad alias nuptias; unde si antequam transeat ad alias nuptias etiam altera pars convertatur, huic adhærere debet: *cap. gaudemus 8. de divort. & ibi Glossa v. compellitur, Palaus de Sponsal. d. 3. part. 3. nu. 4. Engel. de convers. Infidel. num. 2.* Secundum est, quod quando non plene constet alterum conjugem nolle converti, monendus est, ut intra terminum præfinitum deliberet, an velit converti; ita enim etiam pro foro externo intercluduntur omnes lites quoad validitatem futuri Matrimonii; *Sanch. de Matr. l. 7. d. 74. & 76.* Tertium est, magnum esse dissidium inter DD., an Conjux conversus possit aliud inire Matrimonium casu, quo altera pars converti nolit, sed tamen velit pacifice habitare, & absque ullo perversionis, & peccati periculo. Non pauci sustinent hac nostra ætate bene intelligi dissolvi matrimonium per hoc solum, quod alter nolit ad Fidem converti. Ratio ipsorum est, quia, modo illicitum est fideli habitare cum infideli; unde per hoc solum quod una pars velit in sua infidelitate persistere, intelligitur alteram saltem moraliter deserere, cum non conveniens sit illicite cum infideli habitare: quod si intelligitur deserere, id satis est, ut conjux conversus fruatur privilegio ipsi facto a Christo Domino, alterum ineundi conjugium: *Sanch. lib. 7. disp. 74. num. 9. Barbos. in 2. part. Decr. q. 2. caus. 28. c. 1. nu. 2.* Quartum est, aliud esse dissidium inter Theologos, an scilicet Matrimonium infidelium dissolvatur per hoc, quod Conjux conversus suscipiat Ordinem Sacrum, vel profiteatur in aliqua Religione. Omnes quidem concedunt posse Conjugem conversum Ordines Sacros suscipere, ac vota solemnia in aliqua Religione emittere; nam id absque eo quod dissolvatur Matrimonium quoad vinculum, facere potest quicumque ex justa causa fecit divortium: porro si alter converti nolit, conjux conversus habet justam causam faciendi divortium. Non pauci autem putat per professionem religiosam dissolvi præfatum Matrimonium etiam quoad vinculum, sed mihi contraria arridet opinio. Quamvis igitur professio religiosa dissolvere habeat Matrimonium ratum fidelium, quod ratione Sacramenti novam addit indissolubilitatem; nihilominus id non convincit dissolvere Matrimonium contractum apud Infideles, dum unus convertatur. Et ratio est, quia hujusmodi dissolutio provenit ex privilegio facto a Christo Domino, & habemus ex S. Scriptura permisisse quidem Conjugi converso aliud inire matrimonium, quod proinde dissolvat primum, at nullibi habemus factum tale privilegium religiosæ professioni. Præterea dum fit aliquid ex privilegio, non est extendendum ad casus similes, & maxime dum non militet eadem ratio. Cum igitur voluerit Christus Conjugem conversum potuisse transire ad alias nuptias, & ita dissolvere primum Matrimonium, ne timore ducendi vitam cælibem a Fide retraheretur, hæc dissolutio non est extendenda ad Religiosam Professionem, cum ipsi eadem ratio non aptetur: *Palaus de Sponf. d. 3. p. 3. §. 3. num. 12.*, Pontius, aliique apud ipsum.

Q. II. An Matrimonium Fidelium ratum possit dissolvi a Summo Pontifice; vel dissolvatur per religiosam Professionem.

R. I. Gravissima est inter Theologos controversia quoad potestatem Summi Pontificis circa dissolutionem matrimonii fidelium rati. Opinio negativa eo innititur fundamento, quod matrimonium ratum est jure divino indissolubile, cum Christus Dominus *Matth. 19.* dixerit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, adeoque hanc ex ipso divino jure indissolubilitatem Matrimonio adhærere definitur *cap. unic. de vot. in 6.* Non potest autem Summus Pontifex in ipso divino jure dispensare. Idem pariter dicendum videtur, si consideretur, ex dictis supra, hanc indissolubilitatem ex ipso naturali jure oriri. Quod si dicatur credendum esse Deum concessisse hanc potestatem Summo Pontifici, immutandi materiam legis divinæ, & naturalis, ut supra quæsito primo de ipso Deo ratiocinabar, respondent id probare etiam talem potestatem concessam fuisse quoad dissolutionem matrimonii consummati, quod tamen nemo dicit. Et quidem, si ob bonum animarum, vel ob impedienda gravia fidelium incommoda, reputandum esset Christum tradidisse Summo Pontifici potestatem dissolvendi Matrimonium ratum, cur & propter easdem rationes, quæ tam sæpe accidunt, credendum non esset concessam fuisse eamdem potestatem quoad dissolutionem Matrimonii consummati? *Pontius de Matr. l. 9. c. 3. n. 3., Guttier. Can. qq. l. 1. c. 17. n. 12., Ledesm. de Matr. art. 1. d. 1.*

Opi-

Opinio nihilominus concedens Pontifici potestatem dissolvendi Matrimonium ratum, potissimum nititur in ea ratione, quod hac potestate non raro Summi Pontifices usi fuere, ut passim testantur Authores; & inter eos recensentur S. Pius V. sanctitate non solum, sed doctrina etiam praeclarus. Porro Ecclesiae praxis arguit potestatem a Christo Domino concessam. Hujus autem concessionis haec videtur adduci posse congruentia, quod scilicet, cum Matrimonium ratum denotet unionem Christi cum anima mediante gratia, quae unio non raro dissolvitur, hinc videtur concessa facultas dissolvendi ex causa valde gravi Matrimonium illam unionem significans: *Sanch. l. 2. d. 14. n. 2.* & communiter Canonistae.

R. II. Certissimum est Matrimonium ratum dissolvi quoad vinculum per Religiosam Professionem, atque id provenisse ex sacri eloquii interpretatione, ait Alexander III. *cap. ex publ. de convers. Conjug.* Cum igitur id semper servatum sit in Ecclesia, ut patet *ex can. desponsatum 27. q. 2. & ex can. decreta legalia ibid.* & aliis omissis, novissime ex definitione Tridentini *sess. 24. de Matrimonio can. 6.* dicendum est posse dissolvi Matrimonium ratum ratione professionis Religiosae, derivare ex privilegio ipsi facto a Christo Domino. Oportet tamen ad dissolvendum Matrimonium ratum emitti vota solemnia in Religione ab Ecclesia approbata, cujus status est incompossibilis cum Matrimonio. & ita etiam se habet Ordo Militaris Religiosorum S. Joannis: *Sperell. dec. 21. n. 44.* E contra quia vota, quae post probationem emittunt Religiosi Societatis Jesu, solemnia non reputantur, DD. ejusdem Societatis docent non dissolvere Matrimonium ratum: *Tambur. l. 8. de Matrimonio tr. 5. c. 6. §. 6. n. 10.* Idem afortiori dicendum de quocumque voto emisso extra professionem Religiosam, puta de Voto Castitatis imbibito in Ordine Sacro: *Extra. Antiquae de vot.*

Ut Conjuges autem uti possint praefato privilegio, concedit jus Sponsis bimestre, quo tempore non sibi mutuo teneantur debitum reddere. Puto etiam posse frui tali privilegio Sponsam tali tempore per vim cognitam a Sponso; quamvis etenim ratione consummationis indissolubile redderetur matrimonium, adeoque Sponsus post Sponsae professionem non posset aliam ducere, nihilominus Sponsa non esset sine sua culpa privanda jure quod habet ingrediendi in Religionem: *cap. discret. de eo, qui cognov. consang.*, eo magis quia beneficium juris non est auferendum ab eo, qui dissentit: *cap. indultum de reg. jur. in 6.*, nec conveniat Sponsum ex suo delicto commodum reportare: *cap. ad nostram de empt. & vendit.*, *cap. Sedes de Rescript.*

Illud tamen advertendum, communiter loquendo, non licere contrahere Matrimonium animo ad Religionem transeundi ante consummationem, quia id non esset sine alterius partis magno gravamine. Id autem constat, tum quia frustra fierent tot expensae pro nuptiis; tum quia altera pars innupta deberet remanere usque dum Conjux ingressus in Religionem profiteretur; & si forte non profiteatur, cum multo dedecore ea pars, quae in saeculo remansit, deberet habere Conjugem e Religione egressum. Excusari nihilominus posset qui contraheret Matrimonium animo non consummandi, sed ingrediendae Religionis, quoties quis ex gravi metu cogeretur illud contrahere; vel si non contrahendo ingredi non posset in Religionem, puta, quia detineretur in carcere, cum alias nullam haberet obligationem Matrimonium contrahendi. Non excusarem tamen qui contraheret Matrimonium animo ingrediendi in Religionem, quia emiserat votum castitatis; non proinde etenim debet afferre praedicta incommoda alteri comparti, & ulterius se exponeret periculo violandi votum Matrimonium consummando; *Sanch. l. 1. Matr. disp. 43. Avers. qu. 2. sect. 6.*

Q. III. An Matrimonium Fidelium consummatum possit dissolvi.

R. Matrimonium fidelium consummatum in nullo casu dissolvi potest quoad vinculum. Omissis aliis Sacrae Scripturae testibus, clarissime habetur ex Apostolo *ad Rom. 7.* ubi ait: *Mulier vivente viro alligata est legi.* Et *1. Corint. 7.* dicit: *His, qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari:* Et Tridentinum *sess. 24. can. 5. & 7.* anathema dicit asserentibus Matrimonium dissolvi posse quoad vinculum ratione haeresis, molestae cohabitationis, aut affectatae absentiae; sicut etiam dicentibus Ecclesiam errare, dum docet ratione adulterii Matrimonium quoad vinculum non dissolvi. Cum igitur ex S. Scriptura, & Traditione habeamus omnimodam indissolubilitatem Matrimonii consummati, neque umquam Ecclesia illud dissolvere posse crediderit, judicandum est sua natura, ac divina institutione esse omnino indissolubile. Accedit etiam quaedam congruentia, quia nempe Matrimonium consummatum significat indissolubilem unionem Verbi D. cum natura humana, sicut etiam indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia.

Porro ad Matrimonii consummationem quibusdam sat est, si matrix attraheret semen, quamvis vas non penetraretur, quia ex hoc videntur Conjuges fieri una caro, & unum generationis principium: *Hurtad. de Matrimonio d. 8. diff. 9. num. 33.* quod tamen aliis non satis probatur: *Pontius l. 9. cap. 10.* Quibusdam etiam satis est ad Matrimonii consummationem, si vir vas penetret mulieris, ibique seminet, sed non desunt qui etiam exposcant seminationem ex parte mulieris, cum illius semen necessarium reputent ad generationem: *Avers. qu. 2. sect. 4. de Matrim.*

CAPUT IV.

De unitate requisita ad Matrimonium.

Q. I. AN Virogamia, seu Bivina sit licita; & quid de Polygamia dicendum sit.

R. I. Dicendum est Virogamiam, seu Bivinam, conjugium nempe unius foeminae cum pluribus viris, esse omnino illicitum. Et quidem constat Virogamiam repugnare fini primario Matrimonii, quia mulieres admittentes diversos viros raro generant. Insuper id obstaret educationi prolis; cum etenim incertum esset cujus viri esset filius, qui forte generaretur, nemo curaret de illo educando. Constat proinde Virogamiam esse contra jus naturae, utpote destruentem finem, quem natura intendit in Matrimonio contrahendo: *D. Th. in 3. d. 33. qu. art. 1. & in Suppl. qu. 65. art. 1. ad 6.* Est etiam contra jus divinum; nam si Apostolus *1. ad Corinth. 7.* vult uxorem a viro separatam innuptam remanere, signum est illi non permitti conjugium cum alio inire.

R. II. Ita Polygamia, conjugium nempe cum duabus mulieribus, illicita est, ut secundum conjugium sit etiam invalidum. Primo ergo invalidum est jure divino; nam *Matth 19.* Christus reducens matrimonium ad primum statum, in quo fuit institutum, ita ait: *Qui fecit hominem ab initio masculum, & foeminam fecit eos, propter hoc relinquet homo Patrem, & matrem, & adhaerebit uxori, & erunt duo in carne una.* Item *Marc. 10. Luc. 16. & Matth. 19.* Christus docet non licere dimittere uxorem, & aliam ducere, & moechari qui sic duxerit, sicut illa committeatur, unde signum est secundum conjugium irritum esse. Ecclesia etiam semper docuit polygamiam esse jure divino prohibitam, ut videre est *can. 24. Conc. Nicaeno ex c. laudemus de divort.*, *& ex Trid. sess. 24. can. 2.*

Secundo, Polygamia est contra jus naturae; nam cum Matrimonium ex primaeva naturali sua institutione fuerit unius cum una, exposcit de sua natura, ut homo integre tradat suum corpus mulieri; unde est contra matrimonii naturam, si partialiter alteri mulieri reservetur. Deinde lex naturalis exposcit uxorem esse sociam, & non ancillam, itemque ut status conjugalis ad talem conditionem non reducatur, ut de sua natura fons sit rixarum, & dissensionum; ubi autem fuit multiplicitas uxorum, non ut sociae, sed ut ancillae plures habitae fuere, ac zelotypia furente non exiguae semper fuerunt discordiae. Accedit quod licet unius vir sufficiat ad plures mulieres foecundandas, non tamen sufficere potest ad reddendum pluribus debitum, semper cum optarent; & id etiam videtur esse contra naturam Matrimonii. Remanet ergo solum licitam esse Monogamiam, conjugium nempe unius cum una.

Dicas non posse dici polygamiam esse contra jus naturae, alias nec ipse Deus potuisset in Veteri lege in eadem dispensare. Contra tamen est, quia licet Deus proprie dispensare non possit in jure naturae, potest tamen multoties ita, materias legis naturalis immutare, ut cesset obligare. Ita dicendum est evenire in praesenti; nam Deus, ut supremus omnium Dominus potuit facere, ut illud integrum

jus, quod alias haberet uxor in corpus mariti, partialiter solummodo obtineret, atque ita remaneret locus, ut Maritus alias etiam uxores duceret. Hac ratione ex dispensatione Divina facta per internam inspirationem Primi Patriarchæ, ut docet *S. Th. in 4. d. 33. q. 1. art. 2. & in suppl. q. 65. art. 2.* potuerunt plures ducere uxores. Accedit convenientia, quia nempe tunc solum ratione generationis populus fidelis multiplicabatur. Hanc eamdem dispensationem plures censent comprehendisse etiam gentiles, ut videre est apud Bellarminum *de matr. l. 16. c. 11. prop. 5.*

Q. II. An mortua prima liceat secundam ducere uxorem, eaque mortua tertiam &c.

R. Utique non solum primæ, sed etiam secundæ, & ulteriores nuptiæ licitæ sunt. Id constat ex S. Scriptura; nam 2. *ad Cor. 7.* aperte dicitur. *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino.* Et 1. *ad Timot. 5.* vult Apostolus *viduas juniores nubere* ... Favent Sacri Canones, ut Constat ex *Can. aperiant 11. caus. 31. q. 1. & seqq* atque id supponitur in toto titulo de secundis Nuptiis. Ratione etiam probatur, quia cum ex morte unius ex conjugibus alter liber remaneat a vinculo matrimonii, liberum illi erit aliud inire conjugium, cum maxime possit illud expetere, vel quia careat filiis, vel in remedium concupiscentiæ.

Neque secundis nuptiis deest ratio Sacramenti; nam ibi interveniunt personæ habiles ad contrahendum, quæ sunt ipsius materia remota, & illarum mutuus consensus, qui habet rationem materiæ proximæ, sicut etiam formæ, ut suo loco dictum est. Advertit autem *S. Th. in suppl. qu. 63. art. 2. ad 2.* quod licet secundum matrimonium sit perfectum Sacramentum, habet tamen aliquid de defectu, si in ordine ad primum consideretur. Habet igitur veram significationem Sacramenti matrimonii, etenim etiam secundum est unius cum una, unde valet significare unionem Christi cum una Ecclesia; nihilominus relate ad primum deficit a perfecta significatione, quia unio Christi ita fuit cum una Ecclesia, ut antea non fuerit cum alia. Ratione talis defectus dicit S. Doctor non benedici secundas nuptias, quas tamen dicit benedicendas, si virgo sit, quæ contrahit cum viro, qui aliam habuerit uxorem.

Regula in praxi observanda.

Advertat Confessarius ita quædam Concilia graviter tulisse a pluribus strepitus, aliosque inconditos clamores fieri contra secundo nubentes, ut eos mulcta, & excommunicatione punitos voluerint, ut videre est apud Natalem Alexandrum in regula, quæ immediate est ante cap. 8. de Matrimonio. Hos igitur ululatus, & strepitus, removeat quantum potest Parochus, quia disconveniunt omnino secundis nuptiis, quæ sunt Sacramentum a Christo Domino institutum, & quas Christus ipse honoravit.

QUÆSTIO III.

De Impedimentis Matrimonii in communi; sicut de Impedimentis solum impedientibus in particulari; & de Denunciationibus ad matrimonium præmittendis ad impedimenta detegenda.

CAPUT I.

De Potestate inducendi impedimenta Matrimonii, vel sub pœna prohibendi matrimonia inire: & an attendenda impedimenta, quando de iisdem dubitatur, vel fuerunt ignorata.

Q. I. AN Ecclesia potestatem habeat inducendi impedimenta matrimonii; & ad quem pertineat in Ecclesia.

R. I. Ecclesia ex justa causa inducere potest impedimenta dirimentia, cum quibus nempe illicite, & invalide contrahatur Matrimonium, sicut etiam impedimenta tantum impedientia, cum quibus nempe solum illicite matrimonium contraheretur. Hanc potestatem esse in Ecclesia, ex eo apparet, quia semper eadem usa fuit, adeoque hanc veritatem etiam Tridentinum definivit *sess. 24. can. 4.* Observare igitur est Matrimonium præsuppositive ad esse Sacramenti habere esse contractum humanum valide initum; neque etenim datur Sacramentum matrimonii, si prius in ratione contractus non subsistat, cum Christus Dominus ipsum contractum ad esse Sacramenti elevaverit. Cum igitur, quatenus contractus humanus, pro diversitate temporum diversas sanctiones expostulare potuerit, ut conduceret ad bonum spirituale, ac pacem, & tranquillitatem animarum, hinc est potuisse, & debuisse Ecclesiam diversa statuere, ex quorum inobservantia; vel solum illicite, vel etiam invalide celebraretur; & tunc ex dictis nec haberet rationem Sacramenti: *D. Th. in 4. 34. art. 4. ad 4. & in suppl. quæst. 50. art. unic. ad 4. & 4. contra Gent. cap. 70.*

Dixi tamen tale potestatem inducendi impedimenta inesse Ecclesiæ, quoties adsit justa causa aliqua impedimenta decernendi; cum etenim matrimonium sit a natura, & a Deo concessum, nulla foret prohibitio etiam summi Pontificis, quando nulla esset causa matrimonium prohibendi &c. *Sanch. lib. 7. disp. 1. n. 6. Coninch. disp. 30. d. 1. num. 1.*

R. II. Multi docent quod nisi ex universali, & longæva consuetudine spectaret ad S. Pontificem, vel Concilium generale inducere impedimentum Matrimonii, id posset facere etiam Episcopus, cum id possit in sua Diœcesi, quod Pontifex in tota Ecclesia. Nihilominus bene dici potest ad solum summum Pontificem spectare inducere impedimenta matrimonii; cum etenim hoc pertineat ad res maxime arduas, & difficiles in Christiana Republica, reservandum etiam videtur ad Principem supremum in eadem Republica, ut docent Theologi quos sequitur Diana *p. 8. tr. 1. resol. 76.*

Q. II. An Principes Cristiani potestatem habeant instituendi impedimenta dirimentia.

R. Nisi Ecclesia sibi reservasset statuere impedimenta dirimentia Matrimonium, eadem impedimenta ex causa rationabili potuissent Principes inducere. Ratio est, quia ut dictum est, matrimonium est, præsuppositive ad Sacramentum, contractus civilis, & multum referre posset ad bonum politicum, & civile, si cum hac, vel illa conditione celebraretur. Sicut ergo possunt Principes decernere irritos alios contractus, si aliqua careant conditione, quia ita exposcat bonum civile; ita certe possent decernere quoad contractum matrimonii, quatenus respicere potest bonum politicum, & civile: *S. Th. in 4. d. 34. art. 1. ad 4., & 4. contra Gent. c. 78., Sanch. l. 7. disp. 2. Avers. qu. 9. sect. 2., Petrus Soto sect. 4. de matrimonio*, & plures alii. Hinc Principes infideles, apud quos matrimonium est merus contractus civilis, cum non sint subditi jurisdictioni Ecclesiæ, possunt facere leges matrimonium irritantes, si non serventur: *D. Th. contr. Gent. loc. cit. & in supplem. quæst. 59. artic. 2. ad 3.* Et de facto per potestatem civilem aliquos inhabilitatos fuisse ad matrimonium contrahendum, constat *ex l. semper per palam, leg. fin. ff. de rit. nupt.* E contra, cum infideles non sint Ecclesiæ subjecti, poterunt valide contrahere matrimonium etiam cum impedimento dirimente ab Ecclesia inducto, & solum Pontificis legibus tenerentur, quando essent illi temporaliter subjecti; sicut etenim tunc Pontificis legibus obstringerentur quoad alios contractus, ita etiam quoad matrimonium.

Dixi supra Ecclesiam sibi reservasse, privative quoad omnes alios, potestatem decernendi impedimenta dirimentia matrimonium; quod non solum inferunt DD. ex immemorabili numquam interrupta consuetudine, quæ habet vim legem quamcumque contrariam abrogandi, sed etiam ex *can. Euphemium 2. q. 3. can. multorum 35. ibid. ex cap. Ecclesia S. Mariæ Extr. de constit. & cap. Tuam de ordin. cognit.* Et quidem cum matrimonium fidelium simul sit Sacramentum, adeoque spiritualibus adnexum, & ad spiritualia conducens, conveniens fuerat solummodo ad Ecclesiam pertinere de ipsius valore, & e contra, judicare: *Salmant. tr. 9. c. 11. p. 1. n. 25.* Et si alias factum esset, quandoque viderentur in foro Ecclesiæ valida reputari Matrimonia, quæ invalida judicarentur in foro fori, & e contra, atque ita non raro gravissima inconvenientia evenissent, ut consideranti constabit.

Q. III. An consuetudine induci possint impedimenta dirimentia matrimonium.

R. VI. Consuetudinie induci possunt præfata impedimenta, quoties consuetudo habeat legitimas conditiones, de quibus dictum est in tractatu de Legibus; nam tunc consuetudo habet vim legis, & constat *ex cap. fin. de consuet.* docentque in præsenti *Sanch. lib. 7. d. 4. n. 11. & 14. Suar. de leg. l. 7. c. 19. q. 9. n. 4. Avers. sect. 4.* Eo

quod

quod ratione consuetudinis introduci possint nova impedimenta dirimentia, consequens est ratione ipsius consuetudinis posse eadem impedimenta abrogari, nam, ut dixi *q. 6. de leg. c.* 2., consuetudo non solum potest abrogare legem sibi contrariam, sed etiam legem abrogantem ipsam consuetudinem: *Sanchez cit. num.* 14., *Coninch. disp.* 30. *d.* 1. *conclus.* 6. *num.* 3. *Bonac. de matrim. q.* 3. *p.* 1. *num.* 3. Verum tamen est quod cum gravissima incommoda oriri possent vel ex inductione novi impedimenti dirimentis, vel eo quod in aliqua particulari Ecclesia contraria consuetudine alicui impedimento dirimenti derogaretur, hinc est hujusmodi consuetudines potius considerandas ut impedientes, quam ut dirimentes Matrimonium.

Q. IV. An Possint Principes sæculares sub pœna prohibere, ne quædam matrimonia contrahantur, v. g. ne vir nobilis contrahat cum Persona conditionis valde disparis.

R. Certum est non posse sine justa causa Principem impedire, ne matrimonia inter aliquos contrahantur; nam lex, quæ non sit rationabilis, nullius est valoris, & id maxime attendendum in præsenti; nam cum matrimonium exposcat omnem rationabilem libertatem in contrahentibus, utpote quia importat statum indissolubilem, talis libertas non est sine justa causa limitanda. Supposito autem adesse justam causam, videtur frustra de hoc inquiri, cum appareat ab omnibus in Principe sæculari admittendam hanc potestatem. Hinc Salmanticenses *tract.* 9. *c.* 11. *dub* 1. *num.* 11. dedignantur in quæstionem revocare, an Principes sæculares possint præcipere, ne matrimonia, nisi hoc tempore, his conditionibus contrahantur, sed supponunt *indubitatum esse* apud Principes esse hanc potestatem; sicut etiam controvenientes puniendi, ut videre est apud *Van Espen tit.* 13. *de Impedim. Matrim. c.* 1. *num.* 10. Id etiam manifeste probat Principum praxis, contra quam numquam reclamavit Ecclesia. Sed audiatur Cabassutius in Theoria Juris Canonici *l.* 3. *c.* 25. *num.* 2. *Non controvertitur*, ait, *an Principes, ac Respublicæ sæculares possint ex justa, & rationabili causa conditiones præscribere, quæ Sacramenti formam non impediant, sed quarum nihilominus infractio pœnis civilibus coerceatur, adeout contractus talibus conditionibus destitutus, sine præjudicio Sacramenti pro nullo civiliter, ac invalidus habendus sit, quatenus ex ipso non permittitur civilis actio, neque civiles nascantur obligationes, neque ulla civilia jura prætendi possint, quin potius graves pœnæ in eos, qui ita contraxere, decernantur.*

Porro unam ex justis causis prohibendi contrahere matrimonium, esse, si vir e. g. Nobilis velit contrahere cum fœmina conditionis valde disparis, & e contra communiter docent DD., atque in universum dicunt verificari contrahi matrimonium cum indigna, quando aliquis attenta sua progenie, divitiis, moribus, aliisque circumstantiis, ducit fœminam, vel e contra, cum qua absque dedecore non valet copulari; *De Luc. de dot. disc.* 142. *num.* 21. ex Sanch. Boss. &c.

Quod igitur possit Princeps Sæcularis hujusmodi matrimonia prohibere, atque pœnis punire transgressores legis id prohibentis, probatur primo, quia Matrimonium, quatenus ante esse Sacramenti habet rationem contractus civilis & politici, subest jurisdictioni Principis Politici, ergo potest propter bonum publicum coercere abusus contrahentium. Quæcumque autem ex hoc oriretur limitatio libertatis, non contradiceret sancitis ab Ecclesia pro libertate matrimonii; nam tales leges Principum solum intendunt removere abusus, quos punire cadit sub potestate sæculari; & si aliquo pacto læderetur libertas Matrimonii, id esset valde remote, & per consequentiam, quod non debet attendi: *Boss. de Matrimonio c.* 11. *num.* 221. *Cajet. in Sum. v. excommunicatio cas.* 31. & 37. *Navar. in Sum. c.* 27. *numer.* 220. *Fragos. p.* 1. *l.* 2. *d.* 4. *num.* 282. Secundo, fallum est Tridentinum, exigens *sess* 24. *c.* 9. omnimodam libertatem ad Matrimonium contrahendum intelligendum esse de libertate etiam irrationabili, & fovente peccata, qualis est libertas indignum, vel indignam ducendi. Ultraquamquod id concipi non possit de SS. Concilio, videmus Ecclesiam passim permittere, ut Parentes, implorato etiam auxilio Principis, curent, ne filii indignum contrahant Matrimonium &c. Eadem ratione, quia nempe Ecclesia fovere non vult iniquam libertatem, etiam excommunicationis comminatione compellit Sponsos stare promissis, si non habeant justam causam resiliendi a sponsalibus; atque, ut observat Bossius *l.* 6. *num.* 209., non improbat praxim, qua Principes cogunt stupratorem ad ducendam stupratam. Solet opponi *cap. gemma de Sponsal.* expresse prohiberi, ne metu alicujus pœnæ minuatur libertas contrahentium matrimonium. At bene observat *Boss. num.* 211. reprobatam esse pœnam conventionalem debitam ex partium consensu; *ex quo*, ait ille, *non sequitur Ecclesiam correxisse & irritas reddidisse leges sæculares statuentes pœnas, ad impediendos abusus, & peccata noxia ipsis contrahentibus, Sacramento, & sæpe Reipublicæ bono, quæ causa cum sit honestissima, ut patet ad sensum, etiam pœnæ; & leges erunt honestissimæ, & justæ.* Cæterum loquendo de præfato *c. gemma*, dixi *q.* 1. *c.* 2. *quæst.* 3. ibi improbari pœnam solvendam ab eo, qui posset juste a sponsalibus resilire.

Cum hocusque breviter dicta satis superque demonstrent tutissimam esse eam sententiam, qua conceditur Principi sæculari præfata potestas, hinc est quod cum aliquibus ab hinc annis aliqui negarent in Principe tale jus, lubentissime & mea subscriptione approbandum duxi votum vere decisivum P. Hieronymi a Porticu nostræ Congregationis Theologi, quo in Principe adstruendam esse potestatem prohibendi, & pœnis etiam compescendi matrimonia cum persona indigna, propugnavit,

Q. V. An attendendum sit impedimentum, de quo dubium est, an adsit.

R. Cum certissimum sit, etiam ex communi DD. sententia, Matrimonium esse maxime favorabile, ut *ex cap. videtur qui matrimonio accus. poss.*, *cap. ex liter. de probat. cap. licet ex quadam de test. & attest.*, & *c. fin. de sent. & re judic.* communiter etiam inferunt DD. in dubio semper præsumendum, & judicandum vero valore Sacramenti. Hinc S. Pontifex *cap. duobus §. fin. de sent. & re jud.* postquam definivit, quod stante diversitate sententiarum duorum Judicum, præferenda erat ea, quæ erat in favorem Rei, subdit hanc regulam fallere in causa favorabili, Matrimonii scilicet, libertatis, dotis, seu testamenti. Commune igitur est DD. effatum in dubio judicandum esse pro matrimonio, ut late videre est apud Barbosam *in collect. ad cap. fin. de sent. & re judic.*

Merito autem favor Matrimonii ita etiam a pluribus extenditur, ut judicandum sit pro illius valore, quoties etiam contra fere communem opinionem illi adsistat opinio alicujus Doctoris, qui ratione vere probabili suam tueatur sententiam. Et ratio est, quia quoties hujus opinio rationi vere probabili innitatur, contraria etiam communis sententia remanet dubia, & obscura: ubi autem agatur de re, quæ non solum jure humano positivo, sed etiam naturali sit favorabilis, constat satis esse quod illi adsistat ratio probabilis; si aliquid etenim ulterius requiritur, pro illa standum esset, quamvis non esset de sua natura favorabilis. Neque prædictis obstat communem opinionem facere jus clarum, id enim solum verum est, quando altera opinio, quamvis singularis, non sit probabilis. Hinc etiam Fagnanus *in cap. ne innitaris num.* 190. quamvis tam mordicus velit probabiliora semper sectanda, nihilominus vult in dubio de valore Matrimonii semper præsumendum pro illius valore, illam adducens ex Glossa rationem, quod scilicet nimis periculosum esset judicare non esse Matrimonium, ubi esse potest. Videantur *Menoch. l.* 2. *præsumpt.* 71. *num.* 30. *Sanch. lib.* 1. *disp.* 18. *num.* 6. *Barbos. in Collect. ad Decret. l.* 2. *tit.* 20. *c.* 47. *n.* 8. & *tit.* 27. *c.* 26. *a n.* 2.

Hinc magis communiter rejicitur illa præfatæ doctrinæ limitatio, qua a nonnullis dicitur eam non subsistere in dubio de impotentiæ impedimento. Rejicitur, inquam, ista limitatio, quia in dubio præsumenda est potentia generandi, atque pertinet contrarium probare ad eum, qui allegat impotentiam: *Barbos. tom.* 2. *Collect. in l.* 4. *Decret. tit.* 15. *c.* 2. *num.* 3. *Sanch. l.* 7. *disp.* 103. *n.* 8.

Aliqui etiam limitant præfatam doctrinam, quoties dubium oriatur circa Matrimonium contrahendum, vel contractum inter personas inæquales; nam non videtur præsumendum adesse Matrimonium inter personas conditionis valde disparis, cum maxime talia Matrimonia a legibus improbentur. Verum neque hæc limitatio attendenda est, tum quia jura universaliter favendum dicunt valori matrimonii; tum quia Jus Canonicum non obstat talibus matrimoniis, secundum quod ratione ipsorum con-

contrahentes a peccatore cedere possunt, unde nil obstat quoad judicandum de ipsorum valore, ipsis adversari Jus Civile: *Guttier. Can. qq. l. 2. c. 3. n. 25.*, & alii, qnos sequitur Barbosa *tom. 2. in Collect. ad Decretal. l. 2. tit. 27. cap. 26. n. 3.*

Cum igitur semper præsumendum sit, & judicandum pro valore matrimonii, dum contingat de eodem valore dubitare, hinc infra agendo de impedimentis dirimentibus Matrimonium, duxi bonum esse adnotare ea, quæ sunt dubia, ut agnoscat Parochus ratione ipsorum non retardandum esse Matrimonium, si agatur de eo contrahendo, nec inquietandos, qui contraxerunt, si dubium tantummodo sit aliquos cum impedimento dirimente contraxisse. Dixi etiam si agatur de Matrimonio contrahendo; nam si impedimentum, quod mere dubium sit, non dirimit matrimonium contractum, neque impedire potest contrahendum, ut de se patet. Quod si non agatur de mero dubio juris, sed de dubio facti, puta, an aliquis sit affinis, vel consanguineus illi, quam vult ducere, non debet Parochus procedere ad celebrationem Matrimonii, usque dum non certioretur non adesse tale impedimentum; posset etenim successu temporis detegi, adeoque necesse foret devenire ad dissolutionem Matrimonii. Hoc periculum evitatur omnino dum datur solum dubium juris; nam tunc semper judicatur pro valore matrimonii. Ulterius ridiculum esset judicare in facto esse de validitate matrimonii, ubi adesset tale dubium juris, & credere cum tali dubio non potuisse contrahi Matrimonium; judicaretur etenim tunc in facto esse validum, quod invalidum in fieri reputaretur.

Q. VI. An ignorantia impedimenti excuset ab ipso incurrendo.

Impedimenta matrimonii afficiunt etiam ignorantes. Quidquid igitur sit, an ignorantia excuset ab incurrenda pœna Ecclesiastica, qua de re dictum est alibi, ista doctrina in præsenti non militat. Ratio est, quia impedimenta primo, & per se non habent rationem pœnæ, sed inhabilitatis, qua Ecclesia voluit aliquos inhabiles ad contrahendum Matrimonium: ad incurrendam autem inhabilitatem ad aliquid obtinendum, vel faciendum, sufficit, si subsistat causa talis inhabilitatis, absque eo quod sciatur eam ab ipsa oriri: *Sanch. l. 7. d. 4. num. 7. Coninch. d. 27. num. 2.* Hac ratione pro certo teneo impedimentum criminis incurri etiam ab ignorante: *Gobat. tr. 9. num. 102.* Accedit consuetudo, qua scitur etiam ab ignorantibus dispensationem postulari: *Corrad. in prax. l. 8. c. 9. num. 7.*

CAPUT II.

De Impedimentis Impedientibus Matrimonium.

Q. I. Quæ sint Impedimenta dumtaxat impedientia matrimonium.

R. Impedimenta, quæ non dirimunt, sed solum impediunt contrahere matrimonium, sequentibus versiculis continentur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, Crimen, Sponsalia, Votum.
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Pro Catechismo intelligitur illa instructio, seu professio Fidei, quæ fit ante fores Ecclesiæ a baptizando, vel nomine ipsius, de qua sermo est *can. ante Baptismum de consecr. d. 4.* At quia hoc impedimentum impediens consurgebat ex quadam imperfecta cognatione spirituali, ideo Theologi censent sublatum fuisse a Tridentino *sess. 24. cap. 2.* ubi ratione cognationis spiritualis non recensentur, nisi impedimenta dirimentia Matrimonium, de quibus quæstione sequenti: *Sanch. l. 7. d. 10. n. 12. Palaus disp. 4. p. 2. §. 2. n. 9.*

Pariter ex longæva consuetudine non amplius considerantur ut impedientia Matrimonium quamplura crimina, de quibus passim apud Theologos, & quæ recenset Gloss. *in cap. 2. de pœnit. & remiss.*

Q. II. Quando Ecclesia vetare, seu prohibere possit contrahere Matrimonium; & quale peccatum sit non parere.

R. I. Ecclesia ex justa causa prohibere potest, ne contrahatur Matrimonium, quando e. g. esset prudens suspicio alicujus impedimenti vel dirimentis vel impedientis, vel timeretur aliquod scandalum, si matrimonium contraheretur &c. *arg. c. 1. 2. & 3. de matrimonio contract. cont. interdict. Eccles.; & cap. fin. de clandest. desponș.* Porro ex jure infertur non solum ad Episcopum, sed ad Parochum etiam pertinere matrimonia vetare, quoties adsit justa causa ea prohibendi; quamvis enim cognitio, & decisio causarum matrimonialium ad Episcopos, seu judices Ecclesiasticos pertineat, nihilominus in præfato casu non agit ut judex, sed suspendit ex justa causa matrimonium, quoadusque Episcopus de causa judicet suspensionis: *Sanch. l. 7. d. 6. n. 6. Barbos. in c. 1. de Matr. contract. cont. interd. Eccl. n. 2.*

R. II. Omnino certum est Matrimonium contractum contra prohibitionem Ecclesiæ, ex hoc præcise non esse irritum, cum simplex prohibitio non irritet actum de sua natura validum: *c. ad Apostolicam 16. de Regular.* Tunc solum esset irritum, quando prohiberetur a Papa sub decreto irritante; ad ipsum enim spectat impedimenta dirimentia decernere. *Pont. lib. 6. c. 7. a num. 5. Palaus de Sponsal. d. 4. p. 2. §. 1. nn. 2.* Quamvis autem irritum non sit Matrimonium contractum contra prohibitionem Ecclesiæ; nihilominus ita contrahentes solent graviter peccare, quia Ecclesia non sine gravi causa intercedit Matrimonii celebrationem. Hinc Ecclesia vult ita contrahentes graviter esse puniendos, etiam illos ad tempus separando, ut constat ex *c. 1. & 2. de Matr. contract. cont. Interd. Eccles. & ex Barbos. ibid.* Solum posset esse peccatum veniale non parere, quando prohibitum fuisset matrimonium ex levi causa; seu constaret non subsistere causam, ex qua fuerit prohibitum: *Sanch. lib. 7. disp. 17. num. 1.* Nihilominus & tunc intervenire posset gravis culpa, ratione nempe scandali, dum alii viderent contrahi Matrimonium contra Ecclesiæ prohibitionem.

Q. III. Quid intelligatur pro tempore feriato, quo nuptiæ sunt prohibitæ; & quid prohibitum intelligatur.

R. I. Quidquid sit de jure antiquo, modo tempus, quo solemnitates nuptiarum prohibentur, est ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive; *Tridentinum sess. 24. de reform. matr. c. 10.*

R. II. Cum Tridentinum loc. cit. intellexerit solum renovare *antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones*, dicendum est non voluisse eo tempore prohibere Matrimonii celebrationem, cum ex pluribus capitibus, sicut & ad removendum periculum incontinentiæ, sæpe possit esse necessarium; sed solummodo solemnitates nuptiarum, nempe nuptias cum conviviis, choreis, cantibus, aliisque publicis lætitiæ signis. Ratio est, quia hæc solummodo jure antiquo prohibebantur, ut constat ex Glossa communiter recepta *in cap. Capellanus 4. de Feriis*, ubi etiam Canonistæ; & videri potest Sanchez *lib. 7. c. 12.* Hinc Rituale Romanum *tit. de Sacram. Matrimonii*, postquam dixit præfato tempore non posse nuptias cum solemnitate celebrari, subdit: *Matrimonium autem omni tempore celebrari potest.* Quod si apud aliquam Ecclesiam invaluit consuetudo, ut nec Matrimonium tali tempore sine Ordinarii licentia celebretur, utique talis consuetudo observanda est.

Q. IV. Quid importet impedimentum Sponsalium, & Voti.

R. I. Cum quæstione prima cap. 1. dixerim sponsalia gravem inducere obligationem ea adimplendi, hinc est quod qui contraxit sponsalia cum una, impeditur ab altera ducenda; violaret enim obligationem ratione sponsalium contractam. Cum autem, dissolutis ex justa causa sponsalibus, non amplius quis impediatur ab altera ducenda, hinc est tunc hujusmodi cessare impedimentum.

R. II. Votum impediens Sponsalia est simplex votum castitatis, votum non nubendi, suscipiendi Ordines Sacros, vel ingrediendi religionem: *cap. unic. de vot. in 6., c. veniens, c. rursus qui cleric. vel voven.* Ratio est, quia Matrimonium impedit illorum observantiam, adeoque utpote pugnantia cum Matrimonio illud impediunt. Quod si talia vota fuerint conditionata, seu ad tempus, expectandum est ad contrahendum matrimonium usquedum cesset obligatio.

CA-

CAPUT III.

De Denunciationibus ad Matrimonium præmittendis: & de obligatione revelandi impedimenta.

Q. I. AN præmittendæ sint denunciationes matrimonio; & quo tempore, & loco faciendæ sint.

R. I. Denunciationes, seu publicæ notificationes de Matrimonio inter duos contrahendo, non sunt necessariæ ad valorem matrimonii; numquam etenim ab Ecclesia irritum fuit declaratum matrimonium celebratum sine talibus denunciationibus, quamvis prohibuerit, ne sine ipsis celebretur: *Guttier. de Matr. cap. 56. num. 2. Pontius lib. 5. c 30. nu. 2., Sanch. l. 2. d. 5. num. 3.* Remanet ergo hujusmodi denunciationes faciendas esse, quia ita præcipit Ecclesia, ut constat ex Trident. *sess. 24. de reform. Matrim. c. 1.* ubi renovat quod olim jusserat Concilium Lateranense sub Innoc. III. Cum autem motivum præcipiendi has denunciationes fuerit gravissimum, impediendi nempe, ne matrimonia celebrarentur cum impedimentis impedientibus, aut dirimentibus, ex quo gravia mala consurgere possent, hinc est hujusmodi præceptum de præmittendis denunciationibus sub gravi obligare: *Navar. in man. c. 16. num. 36. Laym. l. 5. tr. 10. t. 2. c. 4. n. 9.* Quod si moraliter certum esset impedimentum non adesse, volunt plures judicandam esse materiam levem omissionem unius, aut alterius denunciationis, cum tunc graviter non fiat contra finem a lege intentum.

Cæterum etiam ex pœnis adjunctis omittentibus denunciationes dignoscitur legem de denunciationibus faciendis obligare sub gravi. Ex omissis igitur denunciationibus fit reputari illegitimam prolem procreatam, quamvis contrahentes ignoraverint impedimentum dirimens: *cap. fin. §. Si quis de cland. desp.* legitima autem habita fuisset, si denunciationes præmisissent, dum ex ignorantia cum tali impedimento contraxissent: *c. ex tenore qui fil. sint legit.* Dein ex Trident. *sess. 24. c. 5.* adimitur spes ita contrahentibus de impetranda dispensatione super tali impedimento; & vult puniendos qui etiam sine impedimento non præmissis denunciationibus ineunt matrimonium. Denique *c. 1.* vult graviter puniri Sacerdotes, qui hujusmodi matrimonia non prohibuerint, aut illis præsumpserint interesse.

R. II. Faciendæ sunt Denunciationes inter Missarum solemnia *tribus continuis diebus festivis*, ut habet Tridentinum loco citato. Dicuntur faciendæ tribus continuis diebus festivis, quia non debet intermediare dies festiva, in qua non fiant denunciationes, & id, ne eædem differentur, & donec secunda, & tertia fiant, populus primæ obliviscantur; *Barbos. alleg. 42., Reginal. l. 31. nu. 315.* Verum tamen est non peccaturum graviter Parochum, qui die festa succedente omitteret denunciationes; nam levis esset materia, quoties ita non differret, ut populus facile priorum posset oblivisci: *Barb. cit. Guttier. de matr. c. 56. n. 4.* Item dies festivi, in quibus faciendæ sunt denunciationes, non debent sibi immediate succedere, sed debet inter eos saltem unus, aut alter dies mediare, ut ita adsit tempus detegendi, vel opponendi impedimenta si quæ sint. Ita fert praxis, quamvis non desint qui velint fieri posse tribus diebus festivis, inter quos nulla dies mediet, cum non aliud exposcere videatur Tridentinum: *Salmant. tr. 9. c. 8. p. 6. n. 75.*

Quamvis autem dicantur a Tridentino denunciationes faciendæ die festivo, & inter Missarum solemnia, nihilominus fieri possunt etiam die non festiva, & extra Missarum solemnia, si aliqua ex causa adsit magnus populi concursus, ut contingit in concionibus, processionibus, & Litaniis; nam tunc æque adimpletur finis intentus a Tridentino, ut nempe ratione concursus populi facilius detegatur impedimentum, si quod subest: *Barbos. alleg. 32. a n. 15., Sanch. l. 3. d. 6. n. 9.* Et de facto qui satisfacit fini, & intentioni legis, ipsi legi satisfacit: *arg. can. humanæ aures 22. qu. 5. & l. scire 16. ff. de leg.*

R. III. Cum Concilium Tridentinum velit denunciationes faciendas a *proprio contrahentium Parocho*, & Parochus contrahentium vere ille sit, in quo habent domicilium, ut magis probabo agendo de matrimonio clandestino, hinc videtur sufficere, si denunciationes ab utrisque his Parochis fiant: *Pontius l. 5. c. 30. nu. 5.* aliique. Nihilominus, si diutius versati sint in altera Parochia, quo ratione absentiæ non facile pervenire posset rumor de Matrimonio ab ipsis contrahendo, tunc judicarem & in illa Parochia faciendas esse denunciationes. Ratio est, quia finis legis præcipientis denunciationes est detegere impedimenta, & ea non detegentur, si & denunciationes non fiant in Parochia, in qua contrahentes diu versati sunt, & impedimenta contrahere potuerunt, dum ut dixi ratione absentiæ, vel etiam accelerationis matrimonii, eo pervenire non potuerit rumor de Matrimonio contrahendo: *Guttier. de Matrim. c. 76. n. 6. Barbos. de offic. Episc. alleg. 32. n. 11.* Dixi autem supra denunciationes ab utroque Parocho faciendas esse; nam ita innuunt verba Tridentini, & probatur etiam ex recepta consuetudine optima legum interprete, ex Rituali Romano sub titulo de Sacramento Matrimonii, & demum ex declaratione S. Congregationis apud *Sanch. l. 3. d. 4. n. 4.*

Q. II. Quid observare debeat Parochus in ordine ad Matrimonium contrahendum cum persona alterius Diœcesis.

R. Parochi non debent facere denunciationes de hujusmodi matrimoniis, nisi postquam persona extera Statum liberum coram Ordinario probaverit, & de hoc fidem authenticam reportaverit. Ab hac autem probatione facienda nec eximuntur illi, qui sunt ex Diœcesibus circumvicinis, quamvis etiam ob vicinitatem noti sint Rectoribus, in quorum Parochia contrahere volunt: Solummodo istæ probationes non sunt servandæ in articulo mortis, quamvis, si infirmus convaluerit, tunc fieri debeant. Addendum quod quamvis persona extera per decem annos & ultra acquisierit domicilium in loco, ubi vult contrahere matrimonium, adhuc exhibere debet attestationem proprii Ordinarii: ac idem sequitur, quamvis uxor, quam primo duxerat, mortua sit in loco, ubi iterum contrahere vult Matrimonium, & quamvis ab eodem loco post mortem uxoris non decesserit. Hæc omnia constant ex responsionibus S. Congregationis, quas legere est apud Genet ad calcem Tractatus de Sacramento Matrimonii pag. mihi *335.* editionis Venetæ. Multo etiam majorem diligentiam servare debet Parochus in admittendo ad matrimonium vagos, quia difficilius est de eorum statu libero certiorari, sed de hoc dum agam de impedimento clandestinitatis.

Q. III. Quibus competat dispensare in denunciationibus.

R. I. Facultas in denunciationibus compensandi competit Ordinario, ut constat ex Trident. *sess. 24. de refor. mat. matr. c. 1.* Porro nomine Ordinarii veniunt omnes Prælati Ecclesiæ jurisdictionem quasi episcopalem obtinentes in aliquo territorio, itaut nulli Diœcesano sint subjecti. *Barbos. de offic. Episcop. alleg. 32. num. 30.* Nomine Ordinarii intelligitur etiam Vicarius generalis, utpote habens eamdem jurisditionem cum Episcopo: *arg. c. Romana §. 1. de appellat. in 6. junct. Gloss. ibid. v. generaliter*, & probant Canonistæ sub titulo de offic. Vicarii. Neque refert in generali commissione Vicariatus non venire potestatem dispensandi, ut docet *Gloss in can. qua de causa 2. q. 5.* & cum aliis *Sanch. lib. 2. d. 40. nu. 12.* etenim cum ex antiqua consuetudine ante Tridentinum, atque ex eadem postea continuata Vicarii Generales in denunciationibus dispensaverint, saltem ex hoc capite poterunt dispensare, quia consuetudo dat jurisdictionem: *c. duo simul de off. Ordinar. & c. cum contingat de for. compet., Gutt. de Matrim. c. 56. num. 11. Sperell. decis. 97.* Hoc idem cum aliis docet *Barbos. de offic. Episc. alleg. 32.* addens posse Ordinarium quoad hoc dispensare cum Sponso alterius Diœcesis, & e contra; sicut enim potest cum sibi subdita illum conjungere, ita & cum eo dispensare. Accedit consuetudo.

R. II. Cum Parochus nullo pacto veniat sub nomine Ordinarii non pertinet ad ipsum in denunciationibus dispensare, ut contra alios docent *Guttier. de matrim. c. 56. num. 12., & l. 1. can. qq. c. 26. n. 6. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 11.* Nihilominus ex dictis *tract. 3.* de epikeja, & de legum interpretatione, bene judicare potest non obligare legem de faciendis denunciationibus, quoties urgeat necessitas eas omittendi, & adire non possit Ordinarium pro dispensatione. Illa autem necessitas datur, quoties Ordinarius, si adiri posset, teneretur dispensare in denunciationibus, de qua re statim:

Laym.

Laym. cit. Sanch. lib. 3. d. 10. a n. 15. Gobat. tr. 10. a nu. 493., Pont. l. 5. c. 32. n. 32.

Q. IV. An ordinarius teneatur in denunciationibus dispensare; & quæ sint causæ eas dispensandi.

R. I. Cum officium sit maxime Prælati Ecclesiastici non solum providere bono communi, sed etiam particulari cujuscumque subditorum, hinc est debere in denunciationibus dispensare non solum quando ita exposceret bonum commune, sed etiam si ita exigat notabile bonum privati, sive etiam necessitas ab eo avertendi grave damnum in bonis animæ, famæ, corporis, aut fortunæ: *Pontius l. 4. c. 31., Guttier. de matr. c. 57. num. 4. Palaus de Sponsal. d. 2. p. 13. §. 5. num. 1.* Verum tamen est, quod prius investigare debet, an vere adsit justa causa dispensandi, ne temere dispenset. Hanc tamen cognitionem requirere potest extrajudicialiter, nam Tridentinum *sess. 24. de reformat. matrim. c. 1.* totum remittit prudentiæ, ac judicio Ordinarii; ubi autem aliquid relinquitur judicio, ac arbitrio alterius non requiritur cognitio judicialis; *c. Statutum de rescrip. in 6. junct. Gloss. V. relinquatur, arg. c. 2. de juram., & c. fin. de vot. junct. gloss. V. conscientiæ: Sanch. l. 3. d. 8. num. 4.* Eodem modo antea inquirere debet, an forte subsit aliquod impedimentum: *Sanch d. 9. n. 20.*

R. II. Causæ, in quibus Ordinarii tenentur dispensare in denunciationibus ad sequentes reducuntur. Prima est, dum adest probabilis timor, aut suspicio, ne, si denunciationes fiant, matrimonium injuste & malitiose impediatur. Secunda, si adsit probabilis suspicio, ne aliquis ex contrahentibus voluntatem mutet, dum alias non parum intersit matrimonium contrahi. Tertia, si necesse sit dispensare in denunciationibus ad contrahentium infamiam vitandam; ut si velint contrahere matrimonium Concubinarii communiter reputati conjuges, aut si matrimonium nulliter contractum sit in facie Ecclesiæ ob occultum impedimentum affinitatis. Quarta, si immineat tempus Adventus, & Quadragesimæ; & aliunde differri non possint nuptiæ sine gravi præjudicio, vel periculo incontinentiæ. Quinta, si adsit periculum scandali, vel gravis damni in bonis animæ, famæ, corporis, & fortunæ. Sexta, quævis notabilis contrahentium commoditas, sive spiritualis, sive corporalis. Septima, quæcumque alia causa, quæ juxta prudens judicium urgens videatur: *Sanch. l. 3. d. 8., Barb. de offic. Episc. alleg. 32.*

Aliquæ etiam assignantur causæ, ex quibus Ordinarius potest dispensare, sed non tenetur, quia non graviter urgent. Et de facto, si semper teneretur dispensare, ut aliqui volunt, quoties aliqua adsit causa dispensandi, dispensatio numquam dici posset gratia, & misericordia, quo nomine appellatur *can. didici 1. q. 7. cap. pastoralis de Cleric. excom. minist., & cap. licet Canon. de elect. in 6. Guttier. l. 1. can. qq. c. 20. nu. 33. Pontius l. 5. c. 31. n. 6. Palaus de spons. d. 2. p. 13. §. 5. nu. 1.* Hujusmodi causæ sunt, si dispensandum sit cum Magnatibus, si cum sponsis valde senibus, aut valde disparibus ratione ætatis, aut qualitatis, unde contrahere optent sine denunciationibus ad ruborem vitandum, si moraliter certum sit nullum adesse impedimentum; quamvis etenim non cesset lex, eo quod cesset ejus finis pro aliquo casu particulari, nihilominus talis cessatio præbet sufficientem dispensandi causam.

Q. V. Quid agere debeat Parochus, si Ordinarius denegget dispensationem in casibus, in quibus concedere tenetur.

R. Ordinarie loquendo, abstinere debet ab assistendo tali Matrimonio, nam Tridentinum *sess. 24. de reformat. matrim.* relinquit judicio Ordinarii decernere, an vere adsit causa dispensandi, quamvis non intelligi debeat reliquisse ejus arbitrio dispensare nec ne, quoties valde urgeat causa, quæ dispensationem exposcat: *Palaus de sponsal. d. 2. p. 13. §. 5. n. 4.* Quod si periculum esset in mora, ut si ageretur de assistendo matrimonio moribundi ob consulendum famæ puellæ impraegnatæ, vel ad legitimandos filios, sicuti tunc posset ex se assistere Matrimonio, quando non posset adiri Ordinarius, quia judicare omnino deberet in talibus circumstantiis non obligare legem de faciendis denunciationibus, idem judicium potest facere, etsi Ordinarius, quem adivit, denegaverit dispensationem denunciationum. Idem dicendum in quocumque alio casu, dum evidentissima esset causa obligans ad concedendam dispensationem, & ex dilatione prudenter gravia mala timerentur: *Palaus cit. n. 4., Navar. in sum. c. 22. n. 70.* alii supra citati *quæst. 4. resp. 2.*

Q. VI. Quando iterum faciendæ sint denunciationes.

R. Si post factas denunciationes intra quatuor menses matrimonium non contrahatur, omnes asserunt de novo faciendas esse denunciationes, quia tali tempore novum potuit impedimentum intervenire: *Barbos. de offic. Episc. alleg. 32. n. 55. Bonac. de matrim. q. 4. p. 2. num. 1.* Verum puto a Parocho attendendum quod præscribit Rituale Romanum, nempe repetendas denunciationes, si non contrahatur matrimonium intra duos menses post factas denunciationes.

Q. VII. Qualiter obligent denunciationes ad impedimenta manifestanda; & quomodo se gerere debeat Parochus, cui aliquod impedimentum manifestatur.

R. I. Cum Ecclesiam edicentibus denunciationibus juste præcipiat impedimentorum manifestationem, unusquisque sub gravi ea tenetur manifestare, ad impedienda nempe ea gravia inconvenientia, quæ oriuntur ex matrimonio contracto cum impedimento dirimente; itemque ad consulendam reverentiæ Sacramenti, si contraheretur cum impedimento impediente. Hinc ad hæc inconvenientia vitanda puta impedimenta etiam cum aliquali incommodo esse detegenda, licet non cum gravi incommodo, & præjudicio; nam charitas, ordinarie loquendo, non obligat ad avertendum alterius damnum cum gravi proprio præjudicio: *Guttier. de matrim. c. 49. n. 4. Pontius lib. 5. c. 34. n. 2. Palaus de Sponsal. d. 2. §. 6. n. 5.*

Cæterum nullus se debet eximere a detegendis impedimentis, eo quod illa noverit sub secreto naturali etiam juramento firmato, nam juxta doctrinam S. Thomæ *2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.* quem omnes sequuntur, secretum non obligat cum præjudicio tertii; immo, ut suo loco dictum est, revelandum venit, quoties ex observantia secreti damnum publicum, seu præjudicium tertii oritur. Item nullus excusatur a denunciandis impedimentis, eo quod solus ea noverit, quia unus testis sufficit ad impediendum, ne contrahatur matrimonium *c. præterea 12. de sponsal. & matrim. & c. super eo 22. de testib. & attest.* Verum tamen est unum testem debere esse juratum, nam nulli nisi jurato creditur, dum agitur de præjudicio tertii: *Sanch. disp. 71. n. 10. Palaus de Sponsal. disp. 1. p. 32. num. 4., Guttier. de matrim. c. 36. num. 8.* item deponere debet de certa scientia, alias esset tantum testis de auditu, qui non probat; nisi deponat se audivisse saltem a duobus suis Majoribus, ac distinguit gradus affinitatis, & consanguinitatis, juxta *c. licet ex quadam de testib., Guttier n. 9.,* aliique citati.

R. II. Parochus, cui defertur aliquod impedimentum, debet impedire matrimonium, & illi non assistere; sed interim deferre debet talem notitiam Ordinario, ad ipsum etenim solum spectat de Matrimonii impedimentis cognoscere: *c. 1. de consang.* Eodem modo se gerere debet, si ipse extra confessionem aliquod occultum noscat impedimentum. Eo quod autem ad Ordinarium spectet judicare quoad impedimenta, hinc puto, communiter loquendo, procedere non debere ad celebrationem Matrimonii, quamvis de jure denunciatio impedimenti non esset attendenda: ut quando denunciator esset vilis persona, cujus testimonium non admittitur, nisi factum sit ita clandestinum, ut solum per talem personam possit probari: *c. cum dilectus de elect. & c. præterea de Testib. junct. Gloss., Sanch. l. 3. d. 71. num. 12. Palaus de Sponsal. d. 1. p. 32. num. 4.* Idem dicatur, si Denunciator audiverit impedimentum, maxime a persona non fide digna; vel non recordetur a quo audiverit. In hoc casu denunciator nihil probat: immo denunciare non debet, quando impedimentum est infamatorium: *Sanch. num. 7.* Nihilominus, ut dixi, etiam in his, & similibus casibus Parochus procedere non debet ad celebrationem Matrimonii; nam spectat ad Ordinarium judicare, an Denunciator sit persona vilis, an persona a qua audivit fuerit fide digna, nec ne &c. Cæterum qui habuit notitiam a fide dignis debet denunciare, nam ex tali denunciatione procedere potest Ordinarius ad inquirendum de impedimento: *Salmant. tr. 9. c. 8. p. 8. n. 100.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Antequam Parochus procedat ad denunciationes faciendas, æquum esset multoties explorare, an uterque Sponsus, vere libere in matrimonium de futuro contrahen-

hendum consenserit, & id maxime si aliqua suspicio sit aliquam coactionem fuisse Sponsæ a parentibus, vel aliis irrogatam. Item investigare a sponsis non raro bene esset, an aliquod impedimentum habeant, & præcipue si aliquo voto castitatis, vel religionis se obstrinxerint. Admonere præterea debet filios familias, ne rem tanti momenti faciant insciis, & multo magis invitis Parentibua. Demom hortandi sunt, ut tali tempore singulari animi pietate ac frequentiori oratione ad Deum confugiant. Ita S. Carolus *in 6. Concil. Mediol. sub tit. quæ ad matrimon. pertinent*. Idem S. Carolus *Act. p. 4. inst. matr. tit. de Paroch. diligent. de denunciat. &c.* monet, ut absolutis denuociationibus, matrimonium per duos, aut tres dies differatur, & interim sponsi *frequentius orationi vacent, Missamque de Spiritu Sancto cum oratione de B. Virgine, aut alia ut est in Missa pro faciendo matrimonio, pro se celebrari devote curent*. Meminerit etiam Parochus non solum ex monitis S. Caroli, aliorumque Ecclesiæ Præsulum, sed & ex ipso Rituali Romano curare dabere, ne Sponsi mysteria fidei ignorent; necesse est enim, sicut ibidem dicitur, ut uterque sciat rudimenta fidei, *cum ea deinde filios suos docere debeant*.

II. Advertendum est scientem impedimentum vel dirimens, vel impediens Matrimonium, si periculum non sit in mora, & non timeat grave damnum, non debere illud Parocho, vel Ordinario denunciare, nisi prius secreto juxta leges fraternæ correctionis ipsos contrahentes monuerit; & id maxime habet locum, dum impedimentum esset infamatorium. Nec refert correctionem semel factam fuisse sine fructu, quoties ex repetita monitione, vel deferendo deinde rem secreto aliquibus probis consanguineis, fructum posset sperare. Eodem modo se gerere debet Parochus, cui denunciatur aliquod impedimentum, antequam illud deferat ad Ordinarium.

III. Si aliquis sciat adesse aliquod impedimentum inter volentes contrahere matrimoniom, simulqoe obtinuisse pro foro conscientiæ dispensationem, oon tenetur illud denunciare, quoties sit occultum; nam tunc ex obtenta dispensatione satis removetur occultum impedimentum. At deberet denunciare qooties impedimentum esset publicum, tunc etenim nihil suffragatur dispensatio obtenta pro solo foro conscientiæ.

QUÆSTIO IV.

De Impedimentis Dirimentibus in particulari.

CAPUT I.

De Impedimentis dirimentibus in generali; & de Impedimentis Erroris, & Conditionis in particulari.

Q. I. QUot sint Impedimenta dirimentia Matrimoniom.

R. Hujusmodi impedimenta sequentibus versiculis continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Affinis, raptor, si Clandestinus, & impos.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Q. II. An error circa personam dirimat matrimonium.

R. Omnino dicendum ast errorem circa persnnam matrimonium dirimere. Ratio est, quia cum matrimonium exposcat indissolubilem societatem cum persona, cum qua contrahitur, contraheutes non habent generalem intentionem contrahendi cum persona præsenti, quæcumque illa sit, sed solum, si sit ea persona particularis, cojus amore e. g. capti sunt, vel quæ illis fuit proposita; &c. Supposito ergo non esse illam particularem personam, cum qua intendunr contrahere, jam deest consensus in illam, & dum deest consensus in contrahentibus, apparet nullom esse matrimonium. Idem dicetur etsi aliquis contraheret cum aliqua persona cum errore concomitante, dum nempe de facto non habet e. g. intentionem contrahendi cum muliere præsente, qoia habeat intentionem contrahendi cum Joanna, qualem esse putat molierem præsentem, cum tamen revera sit Francisca, quamvis & contraxisset cum Francisca, si agnovisset. Et in hoc igitur casu matrimonium est nullum, quia de facto non adfuit consensus, & solum adfuisset, si Personam cognovisset: *cap. Tua nos de Sponsal., S. Th. in 4. d. 30. qu. 1. art. 1. & in suppl. qu. 51. art. 1.* Nec refert errorem, quo quis putavit cum aliqua contrahere, quæ tamen revera non erat, fuisse crassissimum; nam talis error fuit sufficiens, ut non daretur consensus in talem personam, adeoque ut non subsisteret matrimonium: *Avers. de matr. quæst. 12. sect. 1.*

Q. II. An error circa qualitatem dirimat matrimonium.

R. Error circa qualitatem non dirimit matrimoniom, si consensoa non fuerit alligatus tali qoalitati, vel si error qualitatis non transeat in errorem personæ. Quamvis igitur *tr. 14. q. 1. c. 1. qu. 5.* dixerim errorem circa qualitatem valde gravem posse rescindere contractum, sicut etiam *tr. 8. q. 2. c. 2. qu. 3.* voeum factum cum tali errore non teoere; nihilominus aliter de Matrimonio discurrendom est. Cum igitur matrimonium statum fixum, & indissolubilem importet, & cum illius dissolotio non esset sine gravissimis incommodis & publicis, & privatis, hinc est de natura illius non esse ipsius valorem a quamcumque qualitate, quæ multoties posset non adesse, pendere, ac proinde subsistere matrimoniom, etsi contrahentes erreut in hac, vel illa qualitate: ut si putassent ducere nobilem, pulchram, virginem &c. & tamen nulla ex his qualitatibus adesset. Nec valet dicere non fuisse contracturos matrimonium, si scivissent non adesse hanc, vel illam qualitatem; nam hoc quidem probat, quod in tali casu non adfuisset necessarius consensus, non vero quod hic & nunc non adfuerit in talem personam, & hic sufficiens est ad matrimonium, cum ipsius objectum primarium sint ipsæ Personæ contrahentes: *D. Th. in 4 d 30. q. 1. art. 2., & in suppl. qu. 51. art. 2.* Secus autem esset, si consensus alligatus fuisset alicui qualitati, puta si quis non intellexisset contrahere cum Titia, nisi esset virgo; tunc enim, deficiente conditione, sub qua prævisus esset consensus, & ipse consensus rueret, adeoque matrimonium non subsisteret: *Sanch. l. 7. d. 18. n. 21., Avers. q. 12, sect. 1.*

Dixi etiam matrimoniom nullom habiturum valorem, quoties error qualitatis transiret in errorem personæ; nam tunc, ex dictis, deficeret consensus oecessarius ad mattimonium. Tunc autem error qualitatia transit in errorem personæ, quaodo personam non est cognita, nisi ratione talis qualitatis. Demus e. g. Cajam prius cognoscere Semprouium, ac deinde illum credere filium Pauli certe valide cum ipso contrahit, etsi non sit filius Pauli; nam ipsi notus est independenter a tali qualitate, adeoque bene potest velle contrahere cum persona Sempronii, quamvis erret iu præfata qualitate. Si aotem Sempronius notus fuerit Cajæ ex hac qualitate personali; quia nempe reputabatur a Caja filius Pauli, & ex hac qualitate mota fuerit ad contrahendum cum illo, tunc error qualitatis redundat in personam, quia dum deest qualitas, deest etiam persona, quam contrahens sibi in mente proposuerat. Et ita in exemplo allato, cum Sempronius non esset notus Cajæ, nisi sub hac qualitate, quod esset filius Pauli, iu ejus mente erat contrahere cum filio Pauli; unde si desit hæc qualitas, deest etiam persona, cum qua intendit contrahere. Et hoc verum est, etsi talia qualitas sit tantum uni personæ affixa, vel pluribus; ut si Paulus habetet multos filios, semper ac enim persona non est cognita, nisi sub ratione qualitatis, vel ipsi soli, vel aliis etiam convenientis, necesse est errorem redundare in personam, si erretur in qualitate: *D. Th. in suppl. qu. 51. art. 1. ad 5., Avers. qu. 32. sect. 1.*

Q. III. Quando error conditionis irritet matrimonium.

R. Impedimentum conditionis intervenit quando libera persona ex errore, aot ignorantia contrahit cum persona servili, non serviture adscriptitia, quam subeunt famoli, sed servitute proprie tali. In prædicto igitur casu uullum est matrimonium, ot constat ex *cap. 2. & fin. de Conjug. servor. junct. can. si quis ingenuus 29. qu. 2.* Verum non est irritum matrimoniom contractum inter servum, & ancillam qusmvis invito Domino; cum etenim matrimonium jure naturali, & divino institutum sit ad propagationem generis humani, & in concupiscentiæ remedium, hoc uon potest domi-

nus

dispositum de sponsalibus quod disponitur de matrimonio, si pro illis non militet eadem ratio; at proinde quamvis nullum sit matrimonium clandestinum, non tamen nulla sunt sponsalia clandestina. Cum igitur jus voluerit conditiones impossibiles, aut turpes habendas pro non adjectis matrimonio, quia ex ejus dissolutione multa oriri possunt gravia inconvenientia, id de sponsalibus dicendum non est, quia ipsorum dissolutio non importat talia incommoda. Ulterius quod exorbitat a jure communi non est in consequentiam trahendum: *cap. quæ* 20. *de reg. jur. in* 6. videmus autem exorbitans esse a jure, conditiones turpes aut impossibiles habendas esse pro non adjectis matrimonio, & testamentis. Demum si a communi juris dispositione excipiuntur matrimonium, & testamentum, consequens est cætera non excipi; nam exceptio firmat regulam in contrarium: *Rebell. t.* 2. *qu.* 10. *sect.*5.

R. III. Conditiones turpes contra substantiam Matrimonii, & bona illius reddunt matrimonium omnino nullum. Ratio est, quia nihil consistere potest sine propria substantia; & cum de substantia matrimonii sit societas conjugalis, quidquid contra illam erit, nullum reddet matrimonium. Cum igitur indissolubilitas pertineat ad societatem conjugalem, quatenus est Sacramentum, & ad eamdem pertineat fides, & procreatio prolis, consequens est nullum esse matrimonium contractum sub conditione, qua unus, vel ambo contrahentes se obligent ad aliquid contra prædicta: *c. fin. de condit. appos., can. solis* 32. *qu.* 2., *D. Thom. in* 4. *d.* 29. *q. unic. art.* 3. *& in suppl. q.* 47. *art.* 5., *Sanchez l.* 5. *d.*9. *n.*3. Dixi, si se obligent; quamvis enim non sit de substantia matrimonii, ut actu non committatur adulterium, non suscipiatur proles &c. est tamen contra ejus substantiam obligatio ad adulterandum, ad non suscipiendam prolem, ad eam occidendam, mutilandam, & ad non educandam &c. *Sanchez a n.* 9., *Basil. l.* 3. *c.* 9. *a a.* 11. *& c.* 11. *num.* 3., *Bonac. de Matr. q.* 2. *p.* 10. *a num.*8. Advertendum etiam præfatas conditiones annullantes matrimonium, annullare etiam Sponsalia, quæ sunt via ad illud, quoties apponantur adimplendæ post contractum matrimonium: *D. Th. in* 4. *d.*27. *q.* 2. *art.*1., *& in suppl. q.*43. *art.* 1., *Sanchez disp.*24. *n.*3.

R. IV. Conditio etiam alias honesta, sed contraria substantiæ, seu bonis matrimonii illud omnino irritum reddit. Huic responsioni non pauci refragantur, volentes solum conditiones turpes, de quibus in præcedenti responsione, irritum reddere matrimonium, quia ita a jure disponitur. At nostra responsio efficaciter probatur, quia non stat dari matrimonium sine potestate ad copulam, unde conjuges ratione matrimonii sui corporis potestatem amittunt, sed vicissim jus proprii corporis in alium transferunt; si autem in contractu Matrimonii apponeretur conditio, alias honesta, numquam se cognoscendi, & emittendi votum castitatis, vel profitendi in religione, jam poneretur conditio destruens talem potestatem, immo obligatio vitandi prolem, adeoque & irritum redderetur matrimonium: *D.Th. in* 4. *d.* 28. *qu. unic. art.*4. *ad* 3. *& in supp. q.* 48. *art.* 1. *ad* 3., *Sanchez l.* 5. *disp.* 10. *n.*2., *Laym. l.* 5. *tract.* 10. *p.*2. *c.*7. *num.* 9. Advertendum igitur non esse contra substantiam matrimonii, si conjuges ante ipsum mutuo se voto castitatis adstringerent, adeoque se privarent jure petendi, & reddendi, bene vero esse contra matrimonii substantiam, si obligatio non petendi, nec reddendi deducatur in pactum in ipso matrimonii contractu. Est igitur essentiale matrimonii, quod ex eo urgeat potestas petendi, & reddendi ex justitia, quam potestatem ex justitia non destruit votum castitatis factum ante matrimonium, vel post matrimonium; nam tunc solum ex religione consurgit obligatio votum servandi: at dum conditio faciendi tale votum, vel non petendi, aut reddendi addatur ipsi contractui matrimonii, & in pactum talis contractus deducatur, tunc clare opponeretur obligationi ex justitia consurgenti, ex tali contractu, ac proinde nullum redderet, sicut nullus est quicumque contractus initus sine animo se obligandi ad id, ad quod ex natura sua obligat ipse contractus. Quod si *c. fin. de condit. appos.* dum sermo est de conditionibus irritantibus matrimonium, solum sermo est de conditionibus, quæ alias sunt turpes, non ideo dicuntur irritare matrimonium, quia turpes, vel inhonestæ sunt; adeoque cum illud irritent, quia ipsi contrariæ, eodem modo discurrendum est de turpibus, ac non turpibus, dummodo illi sint contrariæ.

Q. VI. Quid dicendum de Matrimonio contracto ab habentibus impedimentum dirimens sub illa conditione *si Papa vel Episcopus, in casibus, scilicet quibus potest, dispensaverit.*

R. Non pauci putant nullum omnino esse tale matrimonium, quia jam de se nullum est ratione impedimenti dirimentis, & aliunde conditio apposita videtur habenda ac si non fuisset apposita; quæ etenim de jure fieri nequeunt, & si fieri possint Principis dispensatione, impossibilia reputantur: conditiones autem impossibiles a jure habentur pro non adjectis matrimonio: *De Luc. in annot. ad Trid. disc.* 27. *Dian. p.* 11. *tr.* 2. *resol.* 70. ubi affert plures Authores, & Decisiones. Verum tale matrimonium, adveniente conditione, validum omnino reputandum credo. Aliud est igitur apponere actui conditionem de jure prohibitam, quamvis in ea Papa, vel Princeps possit dispensare, aliud est actui de jure prohibitio apponere conditionem non prohibitam sed licitam, & honestam. Prima quidem a jure habetur pro impossibili, adeoque reputanda pro non adjecta matrimonio ut bene ex jure probant Adversarii. At ista conditio *si Papa dispensaverit*, intelligendo de casibus, in quibus valide, & licite potest dispensare, non est a jure probibita, adeoque nec rejicienda ut impossibilis a Matrimonio. Unde nil obstat ipsius validitati, si sub tali conditione contrahatur, ac adveniente conditione in absolutum transibit: *Sanch. l.* 5. *disp.* 5. *a n.* 12., *Engel. hic n.* 16. *Pontius lib.* 3. *c.* 15. *n.* 2. ac ita in tribus instantiis decisum fuisse refert Gobat. *tr.* 10. *de sponsal. n.* 165.

Quamvis autem non desint qui doceant nullum ex præfatis contrahentibus teneri ad dispensationem impetrandam, quia neuter videtur ita contrahendo assumpsisse talem obligationem; nihilominus melius affirmatur utramque partem debere procurare dispensationem, & teneri ad expensas pro rata, quia agitur commune negocium, & credendum est utramque partem noluisse actum inutilem facere, quando contraxerunt Sponsalia, vel matrimonium sub conditione obtinendæ dispensationis: inutilem autem fecisset, si neuter voluisset assumere obligationem eam impetrandi: *Sanch. lib.* 5. *d.* 5. *n.* 36. Quod si unus tantum ex contrahentibus tale matrimonium optaret altero indifferenter se habente, tunc obligatio procurandi dispensationem penes illum tantum esset, ageretur etenim de negocio, quod fere totum ad ipsum pertinere judicaretur. Alter nihilominus teneretur expectare tempus conveniens, quo possit obtineri dispensatio; nam ita se obligasse judicatur, dum contraxit cum conditione obtinendæ dispensationis: *Gobat. tr.* 10. *cas.* 4. *n.*164.

Q. VII. Quando intelligatur perfici Matrimonium contractum sub conditione honesta; & an adveniente conditione necessarius sit novus consensus.

R. I. Non loquor de conditione de præsenti, vel de præterito; nam hæc ex dictis non suspendit matrimonium, sed erit, vel non est, si sit, vel non sit conditio, cui consensus contrahentium fuit alligatus: *D. T. in suppl. q.* 47. *a.* 5. ubi advertendum satis esse, si conditionem positam de præterito tamdem verificatam fuisse cognoscatur; ita etenim præsumitur fuisse contrahentium voluntatem. Exemplificatur id in eo, qui diceret: *contraho tecum, si Patri tuo placuit*, & postea placuit, hoc satis videtur ad valorem matrimonii, contrahens enim sub illa conditione, videtur solum intendere quod tamdem ita fuerit, & nulla Patri molestia afferatur. Si vero conditio sit de præsenti, videtur necessarium tunc verificari, vel satis est, si verificetur postea; nam consensus alligatus est illi conditioni, ut præsenti. Exemplum sit in eo qui contraheret cum aliqua, *si pater ipsius consentiat.* Si tunc pater non consentiat, vel saltem statim ac fuit matrimonium contractum, nullum erit, etsi post dissensum postea consentiat, nam dum apponitur talis conditio de præsenti, alligatur consensus contrahentium consensui patris, tunc ponendo, non vero ponendo postea: *Sanc. l.* 5. *d.*7. *n.*4. *&* 6.

Loquendo autem de conditione honesta de futuro, hujusmodi conditio suspendit matrimonium usque ad adventum conditionis: *c. de illis*, *c. super eo de condit. appos.* atque ita suspendit omnem alium contractum: *l. si stipulatus ff. de v. s.* Oportet tamen istas conditiones apponi vel ante, vel in ipso contractu matrimonii. In aliis igitur contractibus etiam post illorum celebrationem possunt apponi; quia sicut contrahentes possunt illos rescindere, ita & apponere novas conditiones, a quibus va-

valor ipsorum pendeat: at matrimonii valor post illius celebrationem nullatenus pendet a contrahentibus, unde non possunt tunc novam conditionem pro illius valore apponere. Verificata autem conditione apposita, vel ante, vel in ipso matrimonio, statim matrimonium perficitur, etsi contrahentes nescirent illam adimpletam fuisse; nam alligarunt suum consensum conditioni, non vero notitiæ adimplementi conditionis: *Palaus disp. 2. p. 11. §. 1. n. 3.*, *Sanch. l. 5. d. 7. n. 2.* adeoque & cæteri contractus perficiuntur per adventum conditionis, etsi contrahentes id ignorent: *Inst. §. Conditio de v. 5.*, *& l. cum ad præsens 30. ff. si certum petatur.* Duo tamen hic notare oportet. Primum est, quod si apponatur conditio de futuro exequenda ab agente libero, non sat est, si eam apponat, postquam posuit contrarium. Unde si contractum est matrimonium sub conditione, si alicui placuerit, non sat est illi placere postquam primo displicuit; nam sermo prolatus da prima vice solet intelligi; *leg. boves §. Hoc sermone ff. de v. sign.*, unde cum deficiat conditio matrimonii ratione displicentiæ primo appositæ, extincta remanet obligatio contrahentium, nec potest resurgere per hoc quod postea placeat; nam obligatio semel extincta non reviviscit: *l. cum in causa C. de remiss. Pign. Coninch. disp. 26. dub. 2.* Secundum est, quod licet conditiones appositæ in specifica forma sint adimplendæ: *l. qui hæredi, & l. Mævius ff. de condit. & demonstr.* nihilominus attendendum est quid in intentione habuerint contrahentes. Hinc bene potest validum esse matrimonium celebratum sub hac conditione; *si Pater consentiat*; quamvis Pater nec consentiat, nec dissentiat, sed taceat; nam contrahentes per eam conditionem bene potuerunt intelligere, non si Pater positiva consentiret, sed si non ægre ferret, vel ipsi non displiceret: bene autem demonstrat non ægre ferre, quoties potens sine incommodo dissentire, tacet; *Sanch. l. 5. disp. 7. num. 12*, *Bonac. q. 2. p. 10. n. 20.*

R. II. Purificata conditione, sub qua contractum est matrimonium, non est necessarius novus consensus. Et ratio est, quia contrahentes de præsenti dependenter a futura conditione, vere habent consensum, & supposito quod in eo saltem virtualiter perseverent, ac perficiatur conditio, vere datur consensus non amplius pendens a conditione; nam hæc fuit adimpleta: consensus autem de præsenti non amplius conditionalis, & saltem virtualiter perseverans, omnino sufficiens est absque altero consensu ad valorem matrimonii. Hinc, adimpleta conditione, cæteri omnes contractus absque novo consensu perfecti reputantur: *leg. hæc venditio ff. de contrah. empt. l. potior 12. ff. qui potior.*, unde idem dicendum de contractu Matrimonii, quem Christus Dominus elevavit ad esse Sacramenti. Ita etiam declarasse S. Pium V. refert Natalis Alexander *de matr. reg. 16.* sicut etiam S. Congregationem testatur Fagnanus *in c. super re tit. de condit. in disp. appos. in in l. 4. Decret.* Item *Gobat. tr. 10. de spons. n. 165.* refert decisum fuisse pro valore Matrimonii contracti sub conditione, *si Papa dispensaverit*, etsi probari non potuerit post dispensationem adhibitum fuisse novum consensum. An vero coram Parocho, & Testibus adimplenda sit conditio, dicam dum agam de impedimento Clandestinitatis.

Q. VIII. An Contrahentes sub conditione, debeant expectare illius adventum, & quanto tempore.

R. I. Cum Matrimonium sub conditione contractum non perficiatur, nec transeat in absolutum nisi post adventum conditionis, utique si contrahens ante ipsius adventum retractet consensum, vel cum alia absolute contrahat, statim matrimonium conditionatum fit nullum. Nihilominus contrahentes sub conditione intelliguntur se obligare ad expectandum illius eventum, unde graviter peccabunt; si id non præstent: *Sanch. n. 8.*; *Molin. de Just. disp. 285. concl. 4.* Id tamen verum esse judico, dum adsit justa causa consensum retractandi, de quibus causis loquutus sum, agendo de causis dissolvendi Sponsalia: *Avers. de Matr. q. 4. sect. 1. §. 3.*

R. II. Dum apposita sit conditio cum præfixione temporis, expectandum est usque ad illud tempus, si tempus designatum fuit ad finiendam obligationem, ut dixi quæstione superiori *cap. 3. qu. 3.* Si vero nullum præfixum sit tempus, expectanda est temporis opportunitas ad eam adimplendam, & si tunc non adimpleatur ab eo, a quo est adimplenda, non amplius expectara necesse est: *leg. hæc conditio ff. de condit. & demonstr. Avers. qu. 5. sect. 6. V. Quarto.* Hoc tamen intelligendum est de conditione positiva, ut si quis contraxisset cum Berta, si dotem solveret. Conditio vero negativa sine temporis præfixione vana reputatur, & non attendenda, ut si quis contraheret cum Berta, *si numquam mentiretur*; nam si expectandæ essent hujusmodi conditiones, usque ad mortem forent expectandæ.

Q. IX. Quid juris de sponsalibus vel matrimonio contractis sub modo, sub causa, & cum demonstratione.

R. I. Tunc contraherentur Sponsalia, seu matrimonium sub modo, quando contraherentur imponendo aliquod onus contrahentibus; Modus autem in hoc differt a conditione, quod consensus intelligitur ab hac pendere, unde non habetur pro perfecto, nisi ante adventum conditionis. E contra ante modum datur perfectus consensus contrahentium, & proinde ante ipsum subsistit contractus, eique advenit: *leg. cum ab eo 41. ff. de contrab. empt.* Conditio explicari potest particula *si*, ut contraho tecum, *si iveris* Romam, modus vero particula *ut*, si nempe dicatur; *contraho tecum, ut eas Romam.* Hoc posito dicendum est nullum modum suspendere Sponsalia, & matrimonium, non solum si sit honestus, ut si quis contraheret cum aliqua obligatione afferendi dotem, sed etiam sit impossibilis, vel turpis, seu etiam contra substantiam matrimonii, ut si quis contraheret cum aliqua cum onere impediendi generationem. Ratio est, quia jam ante modum datur contractus completus, & perfectus; unde nullus reddi potest per hoc quod addatur onus contrarium substantiæ matrimonii: & quod dicitur de conditionibus contrariis substantiæ matrimonii, ad modum extendi non potest, cum ab illis pendeat consensus non vero a modo: *Palaus de Spons. d. 2. p. 11. §. 5. n. 3. Ledes. de Matr. q. 47. ar. 5. dub. 3.*

R. II. Sponsalia, & matrimonium contracta sub causa, exprimendo nempe causam quare contrahuntur, ut si quis diceret se contrahere cum Berta, *quia est nobilis*, seu contracta cum demonstratione, designando e.g. qualitatem personæ, cum qua contrahitur, ut si quis diceret: *contraho cum Berta, quæ est nobilis*: Sponsalia, inquam, seu matrimonium contracta cum causa, & cum demonstratione, etsi hæc sint impossibilia turpia &c., non vitiantur, dum error non transeat in personam, ut dicam loquendo de impedimento erroris: *Sanch. l. 5. disp. 19. per tot.*, *Palaus de Spons. d. 2. p. 11. §. 5. n. 2.*, & si falsa sint, a jure habentur pro non adjectis: *argum. l. falsa 34.*, *& l. Cum tale 72. §. 6. de condit. & demonstr. junct. §. Longe 31. Instit. de Legat.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Advertat Parochus, quod etsi matrimonium nutibus clare designantibus consensum contrahi posset, nihilominus a Rituali Romano præscribitur, ut si contrahentes mutui non sint, debeat ab ipsis exigere, ut verbis suum consensum manifestent: nimis etenim refert, ut clarissime constet de ipsius validitate, & nil contra ipsum opportuni valeat.

II. Numquam Parochi admittere debent Matrimonia conditionalia propter quamplura inconvenientia, & difficultates, quæ circa hujusmodi Matrimonii validitatem possant oriri. Præterea, cum matrimonium ita contractum non transeat in absolutum, nisi purificata conditione, cur expectari prius non poterit adventus conditionis, & tunc illud absolute per verba de præsenti celebrari? Non nego dari posse casum, in quo possit expedira hujusmodi matrimonium conditionatum celebrare, ut si aliquis peccasset cum Consanguinea, & ad ipsius vitandam infamiam necesse esset, ut illam duceret; interim tamen timere esset, ne mutaret voluntatem eam ducendi, si protraheretur Matrimonii celebratio ad adventum conditionis. Tunc igitur videretur expedire, ut statim celebraretur matrimonium sub conditione: *si nempe ii, ad quos pertinet, dispensabunt.* Dum tamen possit, Parochus in similibus casibus semper consulat Ordinarium.

Cæterum disseruisse de conditionibus, quæ apponi possunt consensui Contrahentium matrimonium, deservire potest ad elucidanda quæ pertinent ad consensum conditionatum Sponsalium, facilius est etenim hæc contrahi sub conditione.

CAPUT III.

De Matrimonii Indissolubilitate.

Q. I. AN Matrimonium, quod inter Infideles contrahitur, sit indissolubile.

R. I. Matrimonio infidelium, quod non habet rationem Sacramenti, competit de jure divino naturali aliqua indissolubitas. Ratio est, quia in statu Innocentiæ Matrimonium erat indissolubile; unde Christus *Matthei* 19. loquens de libello repudii, qui in usu erat apud Hebræos, ait: *Ab initio non fuit sic*. Eamdem indissolubilitatem, ut docet Tridentinum *sess. 24. de Matrimon. in princ.*, etiam Adam *Divini Spiritus* instinctu pronunciavit, cum dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis*. Cum igitur in statu innocentiæ nullum esset præceptum positivum divinum, nisi quoad abstinendum a fructu arboris vetitæ, consequens est indissolubilitatem Matrimonii provenisse ex præcepto divino naturali, ex institutione nempe divina, consona naturæ Matrimonii. Dixi consona naturæ Matrimonii nam cum causa Matrimonii sit non solum suscipere, sed etiam educare, & bene instruere filios, itemque illis bona procurare, certe matrimonium de sua natura petit indissolubilitatem; si etenim mutuo consensu, sicut alii contractus, dissolvi posset, jam vir aliam ducendo, & mulier alium virum, omnino negligeretur prolis educatio, & cura illi bona comparandi, quibus rationibus sicut convincitur vagum concubitum esse contra jus naturæ, ita & Matrimonii dissolubilitatem; *S. Thom. in supplem. qu. 67. ar.* 1. Confirmatur quia, *cap. gaudemus de divort.* definitur infidelem habentem plures uxores, si ad fidem convertatur, primam uxorem debere habere pro legitima, etsi illam repudiasset, aliis retentis; si autem Matrimonium non esset de sua natura indissolubile, Ecclesia non curasset ab hujusmodi infideli ad fidem converso primam retineri, ut bene ratiocinatur *Avers. quæst. 2. de Matrim. sect. 4., & sect. 6. v. in hac re*.

R. II. Matrimonium initum inter infideles, etiam consummatum, dissolvi potest per hoc quod unus Conjugum ad fidem convertatur, & Baptismum recipiat. Si igitur alter renuat habitare cum eo, qui ad fidem conversus est, vel si quamvis velit habitare, nihilominus id faciat cum injuria Creatoris, sive scilicet Christum contemnendo, ejus cultum prohibendo, familiam impediendo ne convertatur, sive ad quodcumque aliud peccatum excitando, tale matrimonium dissolvi potest. Ita Christum disposuisse promulgavit S. Paulus 1. *ad Cor. 7.*, ubi de Conjugibus loquens dicit: *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti* (vinculo nempe conjugali) *subjectus est frater, aut soror in hujusmodi*. Semper autem Ecclesia tenuit hæc verba continere sensum supra explicatum, & definivit *cap. gaudemus, & cap. quanto de divort.*, ubi & definitur non dissolvi matrimonium per hoc, quod unus Conjugum in hæresim incideret, vel fieret Gentilis. Et quidem si ex hoc solutum fuisset vinculum Matrimonii, multi fortasse fidem deseruissent ad dissolvenda Matrimonia, quæ minus placerent.

Quamvis igitur Matrimonii indissolubilitas sit ex jure naturæ, & quamvis nec ipse Deus in jure naturæ proprie valeat dispensare, ex dictis *tract. 3. q. 5. c. 1. quæ.* nihilominus facere potest ex ibidem dictis cessare obligationem legis naturalis, mutando materiam præcepti. Sicut igitur Deus, ut Supremus omnium Dominus, potest alteri tradere quod meum est; quo pacto tradidit Hebræis res Ægyptorum, ita potest velle ut non amplius alicujus viri sit aliqua mulier, & e converso; & hac ratione dicendum est Christum voluisse privare Conjugem non conversum ad fidem jure quod habebat in conjugem conversam; stantibus circumstantiis, de quibus dictum est. Id autem dicendum est Christum fecisse, quia nimis onerosum fuisset iis, qui converterentur, vitam cælibem ducere debere, si altera pars noluisset cum eis permanere &c. atque ita a suscipienda fide retrahi potuissent. *Avers. loc. cit.* Ex his autem patet quomodo sustineri possit licite potuisse Hebræos uxores repudiare, ut docent multi SS. PP. & Theologi.

Hic tamen aliqua sunt notanda. Primum est matrimonium tunc de facto dissolvi, quando fidelis baptizatus transit ad alias nuptias; unde si antequam transeat ad alias nuptias etiam altera pars convertatur, huic adhærere debet: *cap. gaudemus 8. de divort. & ibi Glossa v. compellitur, Palaus de Sponsal. d. 3. part. 3. nu. 4. Engel. de convers. Infidel. num.* 2. Secundum est, quod quando non plene constet alterum conjugem nolle converti, monendus est, ut intra terminum præfinitum deliberet, an velit converti; ita enim etiam pro foro externo intercluduntur omnes lites quoad validitatem futuri Matrimonii: *Sanch. de Matr. l. 7. d. 74. & 76.* Tertium est, magnum esse dissidium inter DD., an Conjux conversus possit aliud inire Matrimonium casu, quo altera pars converti nolit, sed tamen velit pacifice habitare, & absque ullo perversionis, & peccati periculo. Non pauci sustinent hac nostra ætate bene intelligi dissolvi matrimonium per hoc solum, quod alter nolit ad Fidem converti. Ratio ipsorum est, quia, modo illicitum est fideli habitare cum infideli; unde per hoc solum quod una pars velit in sua infidelitate persistere, intelligitur alteram saltem moraliter deserere, cum non conveniens sit illicite cum infideli habitare: quod si intelligitur deserere, id satis est, ut conjux conversus fruatur privilegio ipsi facto a Christo Domino, alterum ineundi conjugium: *Sanch. lib. 7. disp. 74. num. 9. Barbos. in 2. part. Decr. q. 2. caus. 28. c. 1. nu.* 2. Quartum est, aliud esse dissidium inter Theologos, an scilicet Matrimonium infidelium dissolvatur per hoc, quod Conjux conversus suscipiat Ordinem Sacrum, vel profiteatur in aliqua Religione. Omnes quidem concedunt posse Conjugem conversum Ordines Sacros suscipere, ac vota solemnia in aliqua Religione emittere; nam id absque eo quod dissolvatur Matrimonium quoad vinculum, facere potest quicumque ex justa causa fecit divortium: porro si alter converti nolit, conjux conversus habet justam causam faciendi divortium. Non pauci autem putat per professionem religiosam dissolvi præfatum Matrimonium etiam quoad vinculum, sed mihi contraria arridet opinio. Quamvis igitur professio religiosa dissolvere habeat Matrimonium ratum fidelium, quod ratione Sacramenti novam addit indissolubilitatem; nihilominus id non convincit dissolvere Matrimonium contractum apud Infideles, dum unus convertatur. Et ratio est, quia hujusmodi dissolutio provenit ex privilegio facto a Christo Domino, & habemus ex S. Scriptura permisisse quidem Conjugi converso aliud inire matrimonium, quod proinde dissolvat primum, at nullibi habemus factum tale privilegium religiosæ professioni. Præterea dum fit aliquid ex privilegio, non est extendendum ad casus similes, & maxime dum non militet eadem ratio. Cum igitur voluerit Christus Conjugem conversum potuisse transire ad alias nuptias, & ita dissolvere primum Matrimonium, ne timore ducendi vitam cælibem a Fide retraheretur, hæc dissolutio non est extendenda ad Religiosam. Professionem, cum ipsi eadem ratio non aptetur: *Palaus de Spons. d. 3. p. 3. §. 3. num. 12.*, Pontius, aliique apud ipsum.

Q. II. An Matrimonium Fidelium ratum possit dissolvi a Summo Pontifice; vel dissolvatur per religiosam Professionem.

R. I. Gravissima est inter Theologos controversia quoad potestatem Summi Pontificis circa dissolutionem matrimonii fidelium rati. Opinio negativa eo innititur fundamento, quod matrimonium ratum est jure divino indissolubile, cum Christus Dominus *Matth. 19. 6.* dixerit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, adeoque hanc ex ipso divino jure indissolubilitatem Matrimonio adhærere definitur *cap. unic. de vot. in 6.* Non potest autem Summus Pontifex in ipso divino jure dispensare. Idem pariter dicendum videtur, si consideretur, ex dictis supra, hanc indissolubilitatem ex ipso naturali jure oriri. Quod si dicatur credendum esse Deum concessisse hanc potestatem Summo Pontifici, immutandi materiam legis divinæ, & naturalis, ut supra quæsito primo de ipso Deo ratiocinabar, respondent id probare etiam talem potestatem concessam fuisse quoad dissolutionem matrimonii consummati, quod tamen nemo dicit. Et quidem, si ob bonum animarum, vel ob impedienda gravia fidelium incommoda, reputandum esset Christum tradidisse Summo Pontifici potestatem dissolvendi Matrimonium ratum, cur & propter easdem rationes, quæ tam sæpe accidunt, credendum non esset concessam fuisse eamdem potestatem quoad dissolutionem Matrimonii consummati? *Pontius de Matr. l. 9. c. 3. n. 3., Gutier. Can. qq. l. 1. c. 17. n. 12., Ledesm. de Matr. art. 1. d. 1.*

Opi-

Opinio nihil minus concedens Pontifici potestatem dissolvendi Matrimonium ratum, potissimum nititur in ea ratione, quod hac potestate non raro Summi Pontifices usi fuere, ut passim testantur Authores; & inter eos recensentur S. Pius V. sanctitate non solum, sed doctrina etiam præclarus. Porro Ecclesiæ praxis arguit potestatem a Christo Domino concessam. Hujus autem concessionis hæc videtur adduci posse congruentia, quod scilicet, cum Matrimonium ratum denotet unionem Christi cum anima mediante gratia, quæ unio non raro dissolvitur, hinc videtur concessa facultas dissolvendi ex causa valde gravi Matrimonium illam unionem significans: *Sanch. l. 2. d. 14. n. 2.* & communiter Canonistæ.

R. II. Certissimum est Matrimonium ratum dissolvi quoad vinculum per Religiosam Professionem, atque id provenisse ex sacri eloquii interpretatione, ait Alexander III. *cap. ex publ. de convers. Conjug.* Cum igitur id semper servatum sit in Ecclesia, ut patet *ex can. desponsatam 27. q. 2. & ex can. decreta legalia ibid.* & aliis omissis, novissime ex definitione Tridentini *sess. 24. de Matrimonio can. 6.* dicendum est posse dissolvi Matrimonium ratum ratione professionis Religiosæ, derivare ex privilegio ipsi facto a Christo Domino. Oportet tamen ad dissolvendum Matrimonium ratum emitti vota solemnia in Religione ab Ecclesia approbata, cujus status est incompossibilis cum Matrimonio. & ita etiam se habet Ordo Militaris Religiosorum S. Joannis: *Sperell. dec. 21. n. 44.* E contra quia vota, quæ post probationem emittunt Religiosi Societatis Jesu, solemnia non reputantur, DD. ejusdem Societatis docent non dissolvere Matrimonium ratum: *Tambur. l. 8. de Matrimonio tr. 5. c. 6. §. 6. n. 10.* Idem a fortiori dicendum de quocumque voto emisso extra professionem Religiosam, puta de Voto Castitatis imbibito in Ordine Sacro: *Extra. Antiquæ de vot.*

Ut Conjuges autem uti possint præfato privilegio, concedit jus Sponsis bimestre, quo tempore non sibi mutuo teneantur debitum reddere. Puto etiam posse frui tali privilegio Sponsam tali tempore per vim cognitam a Sponso; quamvis etenim ratione consummationis indissolubile redderetur matrimonium, adeoque Sponsus post Sponsæ professionem non posset aliam ducere, nihilominus Sponsa non esset sine sua culpa privanda jure quod habet ingrediendi in Religionem: *cap. discret. de eo, qui cognov. consang.*, eo magis quia beneficium juris non est auferendum ab eo, qui dissentit: *cap. indultum de reg. jur. in 6.*, nec conveniat Sponsum ex suo delicto commodum reportare: *cap. ad nostram de empt. & vendit.*, *cap. Sedes de Rescript.*

Illud tamen advertendum, communiter loquendo, non licere contrahere Matrimonium animo ad Religionem transeundi ante consummationem, quia id non esset sine alterius partis magno gravamine. Id autem constat, tum quia frustra fierent tot expensæ pro nuptiis; tum quia altera pars innupta deberet remanere usque dum Conjux ingressus in Religionem profiteretur; & si forte non profiteatur, cum multo dedecore ea pars, quæ in sæculo remansit, deberet habere Conjugem e Religione egressum. Excusari nihilominus posset qui contraheret Matrimonium animo non consummandi, sed ingrediendæ Religionis, quoties quis ex gravi metu cogeretur illud contrahere; vel si non contrahendo ingredi non posset in Religionem, puta, quia detineretur in carcere, cum alias nullam haberet obligationem Matrimonium contrahendi. Non excusarem tamen qui contraheret Matrimonium animo ingrediendi in Religionem, quia emiserat votum castitatis; non proinde etenim debet afferre prædicta incommoda alteri comparti, & ulterius se exponeret periculo violandi votum Matrimonium consummando; *Sanch. l. 1. Matr. disp. 43. Avers. qu. 2. sect. 6.*

Q. III. An Matrimonium Fidelium consummatum possit dissolvi.

R. Matrimonium fidelium consummatum in nullo casu dissolvi potest quoad vinculum. Omissis aliis Sacræ Scripturæ testibus, clarissime habetur ex Apostolo *ad Rom. 7.* ubi ait: *Mulier vivente viro alligata est legi.* Et 1. *Corint. 7.* dicit: *His, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari:* Et Tridentinum *sess. 24. can. 5. & 7.* anathema dicit asserentibus Matrimonium dissolvi posse quoad vinculum ratione hæresis, molestæ cohabitationis, aut affectatæ absentiæ; sicut etiam dicentibus Ecclesiam errare, dum docet ratione adulterii Matrimonium quoad vinculum non dissolvi. Cum igitur ex S. Scriptura, & Traditione habeamus omnimodam indissolubilitatem Matrimonii consummati, neque umquam Ecclesia illud dissolvere posse crediderit, judicandum est sua natura, ac divina institutione esse omnino indissolubile. Accedit etiam quædam congruentia, quia nempe Matrimonium consummatum significat indissolubilem unionem Verbi D. cum natura humana, sicut etiam indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia.

Porro ad Matrimonii consummationem quibusdam sat est, si matrix attraheret semen, quamvis vas non penetraretur, quia ex hoc videntur Conjuges fieri una caro, & unum generationis principium: *Hurtad. de Matrimonio d. 8. diff. 9. num. 33.* quod tamen aliis non satis probatur: *Pontius l. 9. cap. 10.* Quibusdam etiam satis est ad Matrimonii consummationem, si vir vas penetret mulieris, ibique seminet, sed non desunt qui etiam exposcant seminationem ex parte mulieris, cum illius semen necessarium reputent ad generationem: *Avers. qu. 2. sect. 4. de Matrim.*

CAPUT IV.

De unitate requisita ad Matrimonium.

Q. I. AN Virogamia, seu Bivina sit licita; & quid de Polygamia dicendum sit.

R. I. Dicendum est Virogamiam, seu Bivinam, conjugium nempe unius fœminæ cum pluribus viris, esse omnino illicitum. Et quidem constat Virogamiam repugnare fini primario Matrimonii, quia mulieres admittentes diversos viros raro generant. Insuper id obstaret educationi prolis; cum etenim incertum esset cujus viri esset filius, qui forte generaretur, nemo curaret de illo educando. Constat proinde Virogamiam esse contra jus naturæ, utpote destruentem finem, quem natura intendit in Matrimonio contrahendo: *D. Th. in 3. d. 33. qu. art. 1. & in Suppl. qu. 65. art. 1. ad 6.* Est etiam contra jus divinum; nam si Apostolus 1. *ad Corinth. 7.* vult uxorem a viro separatam innuptam remanere, signum est illi non permitti conjugium cum alio inire.

R. II. Ita Polygamia, conjugium nempe cum duabus mulieribus, illicita est, ut secundum conjugium sit etiam invalidum. Primo ergo invalidum est jure divino; nam *Matth 19.* Christus reducens matrimonium ad primum statum, in quo fuit institutum, ita ait: *Qui fecit hominem ab initio masculum, & fœminam fecit eos, propter hoc relinquet homo Patrem, & matrem, & adhærebit uxori, & erunt duo in carne una.* Item *Marc. 10. Luc. 16. & Matth. 19.* Christus docet non licere dimittere uxorem, & aliam ducere, & mœchari qui sic duxerit, sicum illa committeatur, unde signum est secundum conjugium irritum esse. Ecclesia etiam semper docuit polygamiam esse jure divino prohibitam, ut videre est *can. 24. Conc. Nicæn. ex c. laudemus de divort.*, *& ex Trid. sess. 24. can. 2.*

Secundo, Polygamia est contra jus naturæ; nam cum Matrimonium ex primæva naturali sua institutione fuerit unius cum una, exposcit de sua natura, ut homo integre tradat suum corpus mulieri; unde est contra matrimonii naturam, si partialiter alteri mulieri reservetur. Deinde lex naturalis exposcit uxorem esse sociam, & non ancillam, itemque ut status conjugalis ad talem conditionem non reducatur, ut de sua natura fons sit rixarum, & dissensionum; ubi autem fuit multiplicitas uxorum, non ut sociæ, sed ut ancillæ plures habitæ fuere, ac zelotypia furente non exiguæ semper fuerunt discordiæ. Accedit quod licet unius vir sufficiat ad plures mulieres fecundandas, non tamen sufficere potest ad reddendum pluribus debitum, semper cum optarent; & id etiam videtur esse contra naturam Matrimonii. Remanet ergo solum licitam esse Monogamiam, conjugium nempe unius cum una.

Dices non posse dici polygamiam esse contra jus naturæ, alias nec ipse Deus potuisset in Veteri lege in eadem dispensare. Contra tamen est, quia licet Deus proprie dispensare non possit in jure naturæ, potest tamen multoties ita materias legis naturalis immutare, ut cesset obligare. Ita dicendum est evenire in præsenti; nam Deus, ut supremus omnium Dominus potuit facere, ut illud integrum

jut, quod alias haberet uxor in corpus mariti, partialiter solummodo obtineret, atque ita remaneret locus, jut Maritus alias etiam uxores duceret. Hac ratione ex dispensatione Divina facta per internam inspirationem Primi Patriarchæ, ut docet *S. Th. in 4. d. 33. q. 1. art. 2. & in suppl. q. 65. art.* 2. potuerunt plures ducere uxores. Accedit convenientia, quia nempe tunc solum ratione generationis populus fidelis multiplicabatur. Hanc eamdem dispensationem plures censent comprehendisse etiam gentiles, ut videre est apud Bellarminum *de matr. l. 16. c. 11. prop. 5.*

Q. II. An mortua prima liceat secundam ducere uxorem, eaque mortua tertiam &c.

R. Utique non solum primæ, sed etiam secundæ, & ulteriores nuptiæ licitæ sunt. Id constat ex S. Scriptura; nam 2. *ad Cor. 7.* aperte dicitur. *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino*. Et 1. *ad Timot.* 5. vult Apostolut *viduas juniores nubere* ... Favent Sacri Canones, ut Constat ex *Can. aperiant* 11. *cauf. 31. q. 1. & seqq* atque id supponitur in toto titulo de secuodis Nuptiis. Ratione etiam probatar, quia cum ex morte unius ex conjugibus alter libet remaneat a vinculo matrimonii, liberum illi erit aliud inire conjugium, cum maxime possit illud expetere, vel quia careat filiis, vel in remedium concupiscentiæ.

Neque secundis nuptiis deest ratio Sacramenti; nam ibi interveuiunt personæ habiles ad contrahendum, quæ sunt ipsius materia remota, & illarum mutuus consensus, qui habet rationem materiæ proximæ, sicut etiam formæ, ut suo loco dictum est. Advertit autem *S. Th. in suppl. qu. 63. art. 2. ad* 2. quod licet secundum matrimonium sit perfectum Sacramentum, habet tamen aliquid de defectu, si in ordine ad primum consideretur. Habet igitur veram significationem Sacramenti matrimonii, etenim etiam secundum est unius cum una, unde valet significare unionem Christi cum una Ecclesia; nihilominus relate ad primum deficit a perfecta significatione, quia unio Christi ita fuit cum una Ecclesia, ut antea non fuerit cum alia. Ratione talis defectus dicit S. Doctor non benedici secundas nuptias, quas tamen dicit benedicendas, si virgo sit, quæ contrahit cum viro, qui aliam habuerit uxorem.

Regula in praxi observanda.

Advertat Confessarius ita quædam Concilia graviter tulisse a pluribus strepitus, aliosque inconditos clamores fieri contra secundo nubentes, ut eos mulcta, & excommunicatione punitos voluerint, ut videre est apud Natalem Alexandrum in regula, quæ immediate est ante cap. 8. de Matrimonio. Hos igitur ululatus, & strepitus, removeat quantum potest Parochus, quia disconveniunt omnino secundis nuptiis, quæ sunt Sacramentum a Christo Domino institutum, & quas Christus ipse honoravit.

QUÆSTIO III.

De Impedimentis Matrimonii in communi; sicut de Impedimentis solum impedientibus in particulari; & de Denunciationibus ad matrimonium præmittendis ad impedimenta detegenda.

CAPUT I.

De Potestate inducendi impedimenta Matrimonii, vel sub pœna prohibendi matrimonia inire: & an attendenda impedimenta, quando de iisdem dubitatur, vel fuerunt ignorata.

Q. I. AN Ecclesia potestatem habeat inducendi impedimenta matrimonii; & ad quem pertineat in Ecclesia.

R. I. Ecclesia ex justa causa inducere potest impedimenta dirimentia, cum quibus nempe illicite, & invalide contrahatur Matrimonium, sicut etiam impedimenta tantum impedientia, cum quibus nempe solum illicite matrimonium contraheretur. Hanc potestatem esse in Ecclesia, ex eo apparet, quia semper eadem usa fuit, adeoque hanc veritatem etiam Tridentinum definivit *sess. 24. can.* 4. Observare igitur est Matrimonium præsuppositive ad esse Sacramenti habere esse contractum humanum valide initum; neque etenim datur Sacramentum matrimonii, si priut in ratione contractus non subsistat, cum Christus Dominus ipsum contractum ad esse Sacramenti elevaverit. Cum igitur, quatenus contractus humanus, pro diversitate temporum diversas sanctionet expostulare potuerit, ut conduceret ad bonum spirituale, ac pacem, & tranquillitatem animarum, hinc est potuisse, & debuisse Ecclesiam diversa statuere, ex quorum inobservantia; vel solum illicite, vel etiam invalide celebraretur; & tunc ex dictis nec haberet rationem Sacramenti: *D. Th. in 4. 34. art. 4. ad 4. & in suppl. quæst. 50. art. unic. ad 4. & 4. contra Gent. cap. 70.*

Dixi tamen tale potestatem inducendi impedimenta inesse Ecclesiæ, quoties adsit justa causa aliqua impedimenta decernendi; cum etenim matrimonium sit a natura, & a Deo concessum, nulla foret prohibitio etiam summi Pontificis, quando nulla esset causa matrimonium prohibendi &c. *Sanch. lib. 7. disp. 1. n. 6. Coninch. disp. 30. d. 1. num. 1.*

R. II. Multi docent quod nisi ex universali, & longæva consuetudine spectaret ad S. Pontificem, vel Concilium generale inducere impedimentum Matrimonii. id posset facere etiam Episcopus, cum id possit in sua Diœcesi, quod Pontifex in tota Ecclesia. Nihilominus bene dici potest ad solum summum Pontificem spectare inducere impedimenta matrimonii; cum etenim hoc pertineat ad res maxime arduas, & difficiles in Christiana Republica, reservandum etiam videtur ad Principem supremum in eadem Republica, ut docent Theologi quos sequitur Diana *p. 8. tr. 1. resol. 76.*

Q. II. An Principes Cristiani potestatem habeant instituendi impedimenta dirimentia.

R. Nisi Ecclesia sibi reservasset statuere impedimenta dirimentia Matrimonium, eadem impedimenta ex causa rationabili potuissent Principes inducere. Ratio est, quia ut dictum est, matrimonium est, præsuppositive ad Sacramentum, contractus civilis, & multum referre posset ad bonum politicum, & civile, si cum hac, vel illa conditione celebraretur. Sicut ergo possunt Principes decernere irritos alios contractus, si aliqua careant conditione, quia ita exposcat bonum civile; ita certe possent decernere quoad contractum matrimonii, quatenus respicere potest bonum politicum, & civile: *S. Th. in 4. d. 34. art. 1. ad 4., & 4. contra Gent. c. 78., Sanch. l. 7. disp. 2. Averf. qu. 9. sect. 2., Petrus Soto sect. 4. de matrimonio*, & plures alii. Hinc Principes infideles, apud quos matrimonium est merus contractus civilis, cum non sint subditi jurisdictioni Ecclesiæ, possunt facere leges matrimonium irritantes, si non serventur: *D. Th. contr. Gent. loc. cit. & in supplem. quæst. 59. artic. 2. ad 3.* Et de facto per potestatem civilem aliquos inhabilitatos fuisse ad matrimonium contrahendum, constat *ex l. semper per palam, leg. fin. ff. de rit. nupt.* E contra, cum infideles non sint Ecclesiæ subjecti, poterunt valide contrahere matrimonium etiam cum impedimento dirimente ab Ecclesia inducto, & solum Pontificia legibus tenerentur, quando essent illi temporaliter subjecti; sicut etenim tunc Pontificis legibus obstringerentur quoad alios contractus, ita etiam quoad matrimonium.

Dixi supra Ecclesiam sibi reservasse, privative quoad omnes alios, potestatem decernendi impedimenta dirimentia matrimonium; quod non solum inferunt DD. ex immemorabili numquam interrupta consuetudine, quæ habet vim legem quamcumque contrariam abrograndi, sed etiam ex *can. Euphemium 2. q. 3. can. multorum 35. ibid. ex cap. Ecclesia S. Mariæ Extr. de constit. & cap. Tuam de ordin. cognit.* Et quidem cum matrimonium fidelium simul sit Sacramentum, adeoque spiritualibus adnexum, & ad spiritualia conducens, conveniens fuerat solummodo ad Ecclesiam pertinere de ipsius valore, & e contra, judicare: *Salmant. tr. 9. c. 11. p. 1. n. 25.* Et si alias factum esset, quandoque viderentur in foro Ecclesiæ valida reputari Matrimonia, quæ invalida judicarentur in foro fori, & e contra, atque ita non raro gravissima inconvenientia evenissent, ut consideranti constabit.

Q. III. An consuetudine induci possint impedimenta dirimentia matrimonium.

R. VI. Consuetudinis induci possunt præfata impedimenta, quoties consuetudo habeat legitimas conditiones, de quibus dictum est in tractatu de Legibus; nam tunc consuetudo habet vim legis, & constat *ex cap. fin. de consuet.* docentque in præsenti *Sanch. lib. 7. d. 4. n. 11. & 14. Suar. de leg. l. 7. c. 19. q. 9. n. 4. Averf. sect. 4.* Eo quod

quod ratione consuetudinis introduci possint nova impedimenta dirimentia, consequens est ratione ipsius consuetudinis posse eadem impedimenta abrogari, nam, ut dixi *q. 6. de leg. c. 2.*, consuetudo non solum potest abrogare legem sibi contrariam, sed etiam legem abrogantem ipsam consuetudinem: *Sanchez cit. num.* 14., *Coninch. disp.* 30. *d.* 1. *conclus.* 6. *num.* 3. *Bonac. de matrim. q.* 3. *p.* 1. *num.* 3. Verum tamen est quod cum gravissima incommoda oriri possent vel ex inductione novi impedimenti dirimentis, vel eo quod in aliqua particulari Ecclesia contraria consuetudine alicui impedimento dirimenti derogaretur, hinc est hujusmodi consuetudines potius considerandas ut impedientes, quam ut dirimentes Matrimonium.

Q. IV. An Possint Principes sæculares sub pœna prohibere, ne quædam matrimonia contrahantur, v. g. ne vir nobilis contrahat cum Persona conditionis valde disparis.

R. Certum est non posse sine justa causa Principem impedire, ne matrimonia inter aliquos contrahantur; nam lex, quæ non sit rationabilis, nullius est valoris, & id maxime attendendum in præsenti; nam cum matrimonium exposcat omnem rationabilem libertatem in contrahentibus, utpote quia importat statum indissolubilem, talis libertas non est sine justa causa limitanda. Supposito autem adesse justam causam, videtur frustra de hoc inquiri, cum appareat ab omnibus in Principe sæculari admittendam hanc potestatem. Hinc Salmanticenses *tract.* 9. *c.* 11. *dub* 1. *num* 11. dedignantur in quæstionem revocare, an Principes sæculares possint præcipere, ne matrimonia, nisi hoc tempore, his conditionibus contrahantur, sed supponunt *indubitatum esse* apud Principes esse hanc potestatem; sicut etiam contravenientes puniendi, ut videre est apud *Van Espen* par. 13. *de Impedim. Matrim. c.* 1. *num.* 10. Id etiam manifeste probat Principum praxis, contra quam numquam reclamavit Ecclesia. Sed audiatur Cabassutius in Theoria Juris Canonici *l.* 3. *c.* 25. *num.* 2. *Non controvertitur, an Principes, ac Respublicæ sæculares possint ex justa, & rationabili causa conditiones præscribere, quæ Sacramenti formam non impediant, sed quarum nihilominus infractio pœnis civilibus coerceatur, adeout contractus talibus conditionibus destitutus, sine præjudicio Sacramenti pro nullo civiliter, ac invalidus habendus sit, quatenus ex ipsa non permittitur civilis actio, neque civiles nascantur obligationes, neque ulla civilia jura prætendi possint, quin potius graves pœnæ in eos, qui ita contrauere, decernantur.*

Porro unam ex justis causis prohibendi contrahere matrimonium, esse, si vir e. g. Nobilis velit contrahere cum fœmina conditionis valde disparis, & e contra communiter docent DD., atque in universum dicunt verificari contrahi matrimonium cum indigna, quando aliquis attenta sua progenie, divitiis, moribus, aliisque circumstantiis, ducit fœminam, vel e contra, cum qua absque dedecore non valet copulari; *De Luc. de dot. disc.* 142. *num.* 21. ex Sanch. Boss. &c.

Quod igitur possit Princeps Sæcularis hujusmodi matrimonia prohibere, atque pœnis punire transgressores legis id prohibentis, probatur primo, quia Matrimonium, quatenus ante esse Sacramenti habet rationem contractus civilis & politici, subest jurisdictioni Principis Politici, ergo potest propter bonum publicum coercere abusus contrahentium. Quæcumque autem ex hoc orietur limitatio libertatis, non contradiceret sanctitis ab Ecclesia pro libertate matrimonii; nam tales leges Principum solum intendunt removere abusus, quos punire cadit sub potestate sæculari; & si aliquo pacto lædetetur libertas Matrimonii, id esset valde remote, & per consequentiam, quod non debet attendi: *Boss. de Matrimonio c.* 11. *num.* 221. *Cajet. in Sum. v. excommunicatio cas.* 31. & 37. *Navar. in Sum. c.* 27. *numer.* 220. *Fragos. p.* 1. *l.* 2. *d.* 4. *num.* 282. Secundo, falsum est Tridentinum, exigens *sess* 24. *c.* 9. omnimodam libertatem ad Matrimonium contrahendum intelligendum esse de libertate etiam irrationabili, & fovente peccata, qualis est libertas indignum, vel indignam ducendi. Ultraquamquod id concipi non possit de SS. Concilio, videmus Ecclesiam passim permittere, ut Parentes, implorato etiam auxilio Principis, curent, ne filii indignum contrahant Matrimonium &c. Eadem ratione, quia nempe Ecclesia fovere non vult iniquam libertatem, etiam excommunicationis comminatione compellit Sponsos stare promissis, si non habeant justam causam resiliendi a sponsalibus; atque, ut observat Bossius *l.* 6. *num.* 209., non improbat praxim, qua Principes cogunt stupratorem ad ducendam stupratam. Solet opponi *cap. gemma de Sponsal.* expresse prohiberi, ne metu alicujus pœnæ minuatur libertas contrahentium matrimonium. At bene observat *Boss. num.* 211. reprobatam esse pœnam conventionalem debitam ex partium consensu; ex *quo*, ait ille, *non sequitur Ecclesiam correxisse & irritas reddidisse leges sæculares statuentes pœnas, ad impediendos abusus, & peccata noxia ipsis contrahentibus, Sacramento, & sæpe Reipublicæ bono, qua causa cum sit honestissima, ut patet ad sensum, etiam pœnæ; & leges erunt honestissimæ, & justæ.* Cæterum loquendo de præfato *c. gemma*, dixi *q.* 1. *c.* 2. *quæs.* 3. ibi improbari pœnam solvendam ab eo, qui posset juste a sponsalibus resilire.

Cum hucusque breviter dicta satis superque demonstrent tutissimam esse eam sententiam, qua conceditur Principi sæculari præfata potestas, hinc est quod cum aliquibus ab hinc annis aliqui negarent in Principe tale jus, lubentissime & mea subscriptione approbandum duxi votum vere decisivum P. Hieronymi a Porticu nostræ Congregationis Theologi, quo in Principe adstruendam esse potestatem prohibendi, & pœnis etiam compescendi matrimonia cum persona indigna, propugnavit.

Q. V. An attendendum sit impedimentum, de quo dubium est, an adsit.

R. Cum certissimum sit, etiam ex communi DD. sententia, Matrimonium esse maxime favorabile, ut *ex cap. videtur qui matrimonio accus. poss.*, *cap. ex liter. de probat. cap. licet ex quadam de test. & attest.*, *& c. fin. de sent. & re judic.* communiter etiam inferunt DD. in dubio semper præsumendum, & judicandum vero valore Sacramenti. Hinc S. Pontifex *cap. duobus §. fin. de sent. & re jud.* postquam definivit, quod stante diversitate sententiarum duorum Judicum, præferenda erat ea, quæ erat in favorem Rei, subdit hanc regulam fallere in causa favorabili, Matrimonii scilicet, libertatis, dotis, seu testamenti. Commune igitur est DD. effatum in dubio judicandum esse pro matrimonio, ut late videre est apud Barbosam *in collect. ad cap. fin. de sent. & re judic.*

Merito autem favor Matrimonii ita etiam a pluribus extenditur, ut judicandum sit pro illius valore, quoties etiam contra fere communem opinionem illi adsistat opinio alicujus Doctoris, qui ratione vere probabili suam tueatur sententiam. Et ratio est, quia quoties hujus opinio rationi vere probabili innitatur, contraria etiam communis sententia remanet dubia, & obscura: ubi autem agatur de re, quæ non solum jure humano positivo, sed etiam naturali sit favorabilis, constat satis esse quod illi adsistat ratio probabilis; si aliquid etenim ulterius requiritur, pro illa standum esset, quamvis non esset de sua natura favorabilis. Neque prædictis obstat communem opinionem facere jus clarum, id enim solum verum est, quando altera opinio, quamvis singularis, non sit probabilia. Hinc etiam Fagnanus *in cap. ne innitaris num.* 190. quamvis tam mordicus velit probabiliora semper sectanda, nihilominus vult in dubio de valore Matrimonii semper præsumendum pro illius valore, illam adducens ex Glossa rationem, quod scilicet nimis periculosum esset judicare non esse Matrimonium, ubi esse potest. Videantur *Menoch. l.* 2. *præsumpt.* 71. *num.* 30. *Sanch. lib.* 1. *disp.* 18. *num.* 6. *Barbos. in Collect. ad Decret. l.* 2. *tit.* 20. *c.* 47. *n.* 8. *& tit.* 27. *c.* 26. *a n.* 2.

Hinc magis communiter rejicitur illa præfatæ doctrinæ limitatio, qua a nonnullis dicitur eam non subsistere in dubio de impotentiæ impedimento. Rejicitur, inquam, ista limitatio, quia in dubio præsumenda est potentia generandi, atque pertinet contrarium probare ad eum, qui allegat impotentiam: *Barbos. tom.* 2. *Collect. in l.* 4. *Decret. tit.* 15. *c.* 2. *num.* 3. *Sanch. l.* 7. *disp.* 103. *n.* 8.

Aliqui etiam limitant præfatam doctrinam, quoties dubium oriatur circa Matrimonium contrahendum, vel contractum inter personas inæquales; nam non videtur præsumendum adesse Matrimonium inter personas conditionis valde disparis, cum maxime talia Matrimonia a legibus improbentur. Verum neque hæc limitatio attendenda est, tum quia jura universaliter favendum dicunt valori matrimonii; tum quia Jus Canonicum non obstat talibus matrimoniis, secundum quod ratione ipsorum

contrahentes a peccatore cedere possunt, unde nil obstat quoad judicandum de ipsorum valore, ipsis adversari Jus Civile: *Guttier. Can. qq. l. 2. c. 3. n. 25.*, & alii, quos sequitur Barbosa *tom. 2. in Collect. ad Decretal. l. 2. tit. 27. cap. 26. n. 3.*

Cum igitur semper præsumendum sit, & judicandum pro valore matrimonii, dum contingat de eodem valore dubitare, hinc infra agendo de impedimentis dirimentibus Matrimonium, duxi bonum esse adnotare ea, quæ sunt dubia, ut agnoscat Parochus ratione ipsorum non retardandum esse Matrimonium, si agatur de eo contrahendo, nec inquietandos, qui contraxerunt, si dubium tantummodo sit aliquos cum impedimento dirimente contraxisse. Dixi etiam si agatur de Matrimonio contrahendo; nam si impedimentum, quod mere dubium sit, non dirimit matrimonium contractum, neque impedire potest contrahendum, ut de se patet. Quod si non agatur de mero dubio juris, sed de dubio facti, puta, an aliquis sit affinis, vel consanguineus illi, quam vult ducere, non debet Parochus procedere ad celebrationem Matrimonii, usque dum non certioretur non adesse tale impedimentum; posset etenim successu temporis detegi, adeoque necesse foret devenire ad dissolutionem Matrimonii. Hoc periculum evitatur omnino dumdatur solum dubium juris; nam tunc semper judicatur pro valore matrimonii. Ulterius ridiculum esset judicare in facto esse de validitate matrimonii, ubi adesset tale dubium juris, & credere cum tali dubio non potuisse contrahi Matrimonium; judicaretur etenim tunc in facto esse validum, quod invalidum in fieri reputaretur.

Q. VI. An ignorantia impedimenti excuset ab ipsu incurrendo.

Impedimenta matrimonii afficiunt etiam ignorantes. Quidquid igitur sit, an ignorantia excuset ab incurrenda pœna Ecclesiastica, qua de re dictum est alibi, ista doctrina in præsenti non militat. Ratio est, quia impedimenta primo, & per se non habent rationem pœnæ, sed inhabilitatis, qua Ecclesia voluit aliquos inhabiles ad contrahendum Matrimonium: ad incurrendam autem inhabilitatem ad aliquid obtinendum, vel faciendum, sufficit, si subsistat causa talis inhabilitatis, absque eo quod sciatur eam ab ipsa oriri: *Sanch. l. 7. d. 4. num. 7. Coninch. d. 27. num. 2.* Hac ratione pro certo teneo impedimentum criminis incurri etiam ab ignorante: *Gobat. tr. 9. num. 102.* Accedit consuetudo, qua scitur etiam ab ignorantibus dispensationem postulari; *Corrad. in prax. l. 8. c. 9. num. 7.*

CAPUT II.

De Impedimentis Impedientibus Matrimonium.

Q. I. Quæ sint Impedimenta dumtaxat impedientia matrimonium.

R. Impedimenta, quæ non dirimunt, sed solum impediunt contrahere matrimonium, sequentibus versiculis continentur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, Crimen, Sponsalia, Votum.
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Pro Catechismo intelligitur illa instructio, seu professio Fidei, quæ fit ante fores Ecclesiæ a baptizando, vel nomine ipsius, de qua sermo est *can. ante Baptismum de consecr. d. 4.* At quia hoc impedimentum impediens consurgebat ex quadam imperfecta cognatione spirituali, ideo Theologi censent sublatum fuisse a Tridentino *sess. 24. cap. 2.* ubi ratione cognationis spiritualis non recensentur, nisi impedimenta dirimentia Matrimonium, de quibus quæstione sequenti: *Sanch. l. 7. d. 10. n. 12. Palaus disp. 4. p. 2. §. 2. n. 9.*

Pariter ex longæva consuetudine non amplius considerantur ut impedientia Matrimonium quamplura crimina, de quibus passim apud Theologos, & quæ recenset Gloss. *in cap. 2. de pœnit. & remiss.*

Q. II. Quando Ecclesia vetare, seu prohibere possit contrahere Matrimonium; & quale peccatum sit non parere.

R. I. Ecclesia ex justa causa prohibere potest, ne contrahatur Matrimonium, quando e. g. esset prudens suspicio alicujus impedimenti vel dirimentis vel impedientis, vel timeretur aliquod scandalum, si matrimonium contraheretur &c. *arg. c. 1. 2. & 3. de matrimonio contract. cont. interdict. Eccles.; & cap. fin. de clandest. desponf.* Porro ex jure infertur non solum ad Episcopum, sed ad Parochum etiam pertinere matrimonia vetare, quoties adsit justa causa ea prohibendi; quamvis enim cognitio, & decisio causarum matrimonialium ad Episcopos, seu judices Ecclesiasticos pertineat, nihilominus in præfato casu non agit ut judex, sed suspendit ex justa causa matrimonium, quoadusque Episcopus de causa judicet suspensionis: *Sanch. l. 7. d. 6. n. 6. Barbos. in c. 1. de Matr. contract. cont. interd. Eccl. n. 2.*

R. II. Omnino certum est Matrimonium contractum contra prohibitionem Ecclesiæ, ex hoc præcise non esse irritum, cum simplex prohibitio non irritet actum de sua natura validum: *c. ad Apostolicam 16. de Regular.* Tunc solum esset irritum, quando prohiberetur a Papa sub decreto irritante; ad ipsum enim spectat impedimenta dirimentia decernere. *Pont. lib. 6. c. 7. a num. 5. Palaus de Sponsal. d. 4. p. 2. §. 1. nu. 2.* Quamvis autem irritum non sit Matrimonium contractum contra prohibitionem Ecclesiæ; nihilominus ita contrahentes solent graviter peccare, quia Ecclesia non sine gravi causa intercedit Matrimonii celebrationem. Hinc Ecclesia vult ita contrahentes graviter esse puniendos, etiam illos ad tempus separando, ut constat ex *c. 1. & 2. de Matr. contract. cont. Interd. Eccles. & ex Barbos. ibid.* Solum posset esse peccatum veniale non parere, quando prohibitum fuisset matrimonium ex levi causa; seu constaret non subsistere causam, ex qua fuerit prohibitum: *Sanch. lib. 7. disp. 17. num. 1.* Nihilominus & tunc intervenire posset gravis culpa, ratione nempe scandali, dum alii viderent contrahi Matrimonium contra Ecclesiæ prohibitionem.

Q. III. Quid intelligatur pro tempore feriato; quo nuptiæ sunt prohibitæ; & quid prohibitum intelligatur.

R. I. Quidquid sit de jure antiquo, modo tempus, quo solemnitates nuptiarum prohibentur, est ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive; *Tridentinum sess. 24. de reform. matr. c. 10.*

R. II. Cum Tridentinum loc. cit. intellexerit solum renovare *antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones*, dicendum est non voluisse eo tempore prohibere Matrimonii celebrationem, cum ex pluribus capitibus, sicut & ad removendum periculum incontinentiæ, sæpe possit esse necessarium; sed solummodo solemnitates nuptiarum, nempe nuptias cum conviviis, choreis, cantibus, aliisque publicis lætitiæ signis. Ratio est, quia hæc solummodo jure antiquo prohibebantur, ut constat ex Glossa communiter recepta *in cap. Capellanus 4. de Feriis*, ubi etiam Canonistæ; & videri potest Sanchez *lib. 7. c. 12.* Hinc Rituale Romanum *tit. de Sacram. Matrimonii*, postquam dixi præfato tempore non posse nuptias cum solemnitate celebrari, subdit: *Matrimonium autem omni tempore celebrari potest.* Quod si apud aliquam Ecclesiam invaluit consuetudo, ut nec Matrimonium tali tempore sine Ordinarii licentia celebretur, utique talis consuetudo observanda est.

Q. IV. Quid importet impedimentum Sponsalium, & Voti.

R. I. Cum quæstione prima cap. 1. dixerim sponsalia gravem inducere obligationem ea adimplendi, hinc est quod qui contraxit sponsalia cum una, impeditur ab altera ducenda; violaret enim obligationem ratione sponsalium contractam. Cum autem, dissolutis ex justa causa sponsalibus, non amplius quis impediatur ab altera ducenda, hinc est tunc hujusmodi cessare impedimentum.

R. II. Votum impediens Sponsalia est simplex votum castitatis, votum non nubendi, suscipiendi Ordines Sacros, vel ingrediendi religionem: *cap unic. de vot. in 6., c. veniens, c. rursus qui cleric. vel voven.* Ratio est; quia Matrimonium impedit illorum observantiam, adeoque utpote pugnantia cum Matrimonio illud impediunt. Quod si talia vota fuerent conditionata, seu ad tempus, expectandum est ad contrahendum matrimonium usquedum cesset obligare.

CA-

CAPUT III.

De Denunciationibus ad Matrimonium præmittendis: & de obligatione revelandi impedimenta.

Q. I. AN præmittendæ sint denunciationes matrimonio; & quo tempore, & loco faciendæ sint.

R. I. Denunciationes, seu publicæ notificationes de Matrimonio inter duos contrahendo, non sunt necessariæ ad valorem matrimonii; nunquam etenim ab Ecclesia irritum fuit declaratum matrimonium celebratum sine talibus denunciationibus, quamvis prohibuerit, ne sine ipsis celebretur: *Guttier. de Matr. cap. 56. num. 2. Pontius lib. 5. c 30. nu. 2., Sanch. l. 2. d. 5. num. 3.* Remanet ergo hujusmodi denunciationes faciendas esse, quia ita præcipit Ecclesia, ut constat ex Trident. *sess. 24. de reform. Matrim. c. 1.* ubi renovat quod olim jusserat Concilium Lateranense sub Innoc. III. Cum autem motivum præcipiendi has denunciationes fuerit gravissimum, impediendi nempe, ne matrimonia celebrarentur cum impedimentis impedientibus, aut dirimentibus, ex quo gravia mala consurgere possent, hinc est hujusmodi præceptum de præmittendis denunciationibus sub gravi obligare: *Navar. in man. c. 16. num. 36. Laym. l. 5. tr. 10. t. 2. c. 4. n. 9.* Quod si moraliter certum esset impedimentum non adesse, volunt plures judicandam esse materiam levem omissionem unius, aut alterius denunciationis, cum tunc graviter non fiat contra finem a lege intentum.

Cæterum etiam ex pœnis adjunctis omittentibus denunciationes dignoscitur legem de denunciationibus faciendis obligare sub gravi. Ex omissis igitur denunciationibus fit reputari illegitimam prolem procreatam, quamvis contrahentes ignoraverint impedimentum dirimens: *cap. fin. §. Si quis de cland. desp.* legitima autem habita fuisset, si denunciationes præmisissent, dum ex ignorantia cum tali impedimento contraxissent: *c. ex tenore qui fil. sint legit.* Dein ex Trident. *sess. 24. c. 5.* adimitur spes ita contrahentibus de impetranda dispensatione super tali impedimento; & vult puniendos qui etiam sine impedimento non præmissis denunciationibus ineunt matrimonium. Denique *c. 1.* vult graviter puniri Sacerdotes, qui hujusmodi matrimonia non prohibuerint, aut illis præsumpserint interesse.

R. II. Faciendæ sunt Denunciationes inter Missarum solemnia *tribus continuis diebus festivis*, ut habet Tridentinum loco citato. Dicuntur faciendæ tribus continuis diebus festivis, quia non debet intermediare dies festiva, in qua non fiant denunciationes, & id, ne eædem differentur, & donec secunda, & tertia fiant, populus primæ obliviscantur; *Barbos. alleg. 42., Reginal. l. 31. nu. 315.* Verum tamen est non peccaturum graviter Parochum, qui die festa succedente omitteret denunciationes; nam levis esset materia, quoties ita non differret, ut populus facile priorum posset oblivisci: *Barb. cit. Guttier. de matr. c. 56. n. 4.* Item dies festivi, in quibus faciendæ sunt denunciationes, non debent sibi immediate succedere, sed debet inter eos saltem unus, aut alter dies mediare, ut ita adsit tempus detegendi, vel opponendi impedimenta si quæ sint. Ita fert praxis, quamvis non desint qui velint fieri posse tribus diebus festivis, inter quos nulla dies mediet, cum non aliud exposcere videatur Tridentinum: *Salmant. tr. 9. c. 8. p. 6. n. 75.*

Quamvis autem dicantur a Tridentino denunciationes faciendæ die festivo, & inter Missarum solemnia, nihilominus fieri possunt etiam die non festiva, & extra Missarum solemnia, si aliqua ex causa adsit magnus populi concursus, ut contingit in concionibus, processionibus, & Litaniis; nam tunc æque adimpletur finis intentus a Tridentino, ut nempe ratione concursus populi facilius detegatur impedimentum, si quod subest: *Barbos. alleg. 32. a n. 15., Sanch. l. 3. d. 6. n. 9.* Et de facto qui satisfacit fini, & intentioni legis, ipsi legi satisfacit: *arg. can. humanæ aures 22. qu. 5. & l. scire 16. ff. de leg.*

R. III. Cum Concilium Tridentinum velit denunciationes faciendas a *proprio contrahentium Parocho*, & Parochus contrahentium vere ille sit, in quo habent domicilium, ut magis probabo agendo de matrimonio clandestino, hinc videtur sufficere, si denunciationes ab utrisque his Parochis fiant: *Pontius l. 5. c. 30. nu. 9.* aliique. Nihilominus, si diutius versati sint in altera Parochia, quo ratione absentiæ non facile pervenire posset rumor de Matrimonio ab ipsis contrahendo, tunc judicarem & in illa Parochia faciendas esse denunciationes. Ratio est, quia finis legis præcipientis denunciationes est detegere impedimenta, & ea non detegentur, si & denunciationes non fiant in Parochia, in qua contrahentes diu versati sunt, & impedimenta contrahere potuerunt, dum ut dixi ratione absentiæ, vel etiam accelerationis matrimonii, eo pervenire non potuerit rumor de Matrimonio contrahendo: *Guttier. de Matrim. c. 76. n. 6. Barbos. de offic. Episc. alleg. 32. n. 11.* Dixi autem supra denunciationes ab utroque Parocho faciendas esse; nam ita innuunt verba Tridentini, & probatur etiam ex recepta consuetudine optima legum interprete, ex Rituali Romano sub titulo de Sacramento Matrimonii, & demum ex declaratione S. Congregationis apud *Sanch. l. 3. a. 4. n. 4.*

Q. II. Quid observare debeat Parochus in ordine ad Matrimonium contrahendum cum persona alterius Diœcesis.

R. Parochi non debent facere denunciationes de hujusmodi matrimoniis, nisi postquam persona extera Statum liberum coram Ordinario probaverit, & de hoc fidem authenticam reportaverit. Ab hac autem probatione facienda nec eximuntur illi, qui sunt ex Diœcesibus circumvicinis, quamvis etiam ob vicinitatem noti sint Rectoribus, in quorum Parochia contrahere volunt: Solummodo istæ probationes non sunt servandæ in articulo mortis, quamvis, si infirmus convaluerit, tunc fieri debeant. Addendum quod quamvis persona extera per decem annos & ultra acquisierit domicilium in loco, ubi vult contrahere matrimonium, adhuc exhibere debet attestationem proprii Ordinarii: ac idem requiritur, quamvis uxor, quam primo duxerat, mortua sit in loco, ubi iterum contrahere vult Matrimonium, & quamvis ab eodem loco post mortem uxoris non decesserit. Hæc omnia constant ex responsionibus S. Congregationis, quas legere est apud Genet ad calcem Tractatus de Sacramento Matrimonii pag. mihi 335. editionis Venetæ. Multo etiam majorem diligentiam servare debet Parochus in admittendo ad matrimonium vagos, quia difficilius est de eorum statu libero certiorari, sed de hoc dum agam de impedimento clandestinitatis.

Q. III. Quibus competat dispensare in denunciationibus.

R. I. Facultas in denunciationibus compensandi competit Ordinario, ut constat ex Trident. *sess. 24. de refor. mat. matr. c. 1.* Porro nomine Ordinarii veniunt omnes Prælati Ecclesiæ jurisdictionem quasi episcopalem obtinentes in aliquo territorio, itaut nulli Diœcesano sint subjecti. *Barbos. de offic. Episcop. alleg. 32. num. 30.* Nomine Ordinarii intelligitur etiam Vicarius generalis, utpote habens eamdem jurisditionem cum Episcopo: *arg. c. Romana §. 5. de appellat. in 6. junct. Gloss. ibid. v. generaliter*, & probant Canonistæ sub titulo de offic. Vicarii. Neque refert in generali commissione Vicariatus non venire potestatem dispensandi, ut docet *Gloss in can. qua de causa 2. q. 5.* & cum aliis *Sanch. lib. 2. d. 40. nu. 12.* etenim cum ex antiqua consuetudine ante Tridentinum, atque ex eadem postea continuata Vicarii Generales in denunciationibus dispensaverint, saltem ex hoc capite poterunt dispensare, quia consuetudo dat jurisdictionem: *c. duo simul de off. Ordinar. & c. cum contingat de for. compet., Gutt. de Matrim. c. 56. num. 11. Sperell. decis. 97.* Hoc idem cum aliis docet *Barbos. de offic. Episc. alleg. 32.* addens posse Ordinarium quoad hoc dispensare cum Sponso alterius Diœcesis, & e contra; sicut enim potest cum sibi subdita illum conjungere, ita & cum eo dispensare. Accedit consuetudo.

R. II. Cum Parochus nullo pacto veniat sub nomine Ordinarii non pertinet ad ipsum in denunciationibus dispensare, ut contra alios docent *Guttier. de matrim. c. 56. num. 12., & l. 1. cap. qq. c. 26. n. 6. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 11.* Nihilominus ex dictis *tract. 3.* de epikeja, & de legum interpretatione, bene judicare potest non obligare legem de faciendis denunciationibus, quoties urgeat necessitas eas omittendi, & adire non possit Ordinarium pro dispensatione. Ista autem necessitas datur, quoties Ordinarius, si adiri posset, teneretur dispensare in denunciationibus, de qua re statim

Laym.

Laym. cit. Sanch. lib. 3. *d.* 10. *a* a. 15. *Gobat. tr.* 10. *a nu.* 493., *Pont. l.* 5. *c.* 32. *n.* 32.

Q. IV. An ordinarius teneatur in denunciationibus dispensare; & quæ sint causæ eas dispensandi.

R. I. Cum officium sit maxime Prælati Ecclesiastici non solum providere bono communi, sed etiam particulari cujuscumque subditorum, hinc est debere in denunciationibus dispensare non solum quando ita exposceret bonum commune, sed etiam si ita exigat notabile bonum privati, sive etiam necessitas ab eo avertendi grave damnum in bonis animæ, famæ, corporis, aut fortunæ: *Pontius l.* 4. *c.* 31., *Guttier. de matr. c.* 57. *num.* 4. *Palaus de Sponsal. d.* 2. *p.* 13. *§.* 5. *num.* 1. Verum tamen est, quod prius investigare debet, an vere adsit justa causa dispensandi, ne temere dispenset. Hanc tamen cognitionem requirere potest extrajudicialiter, nam Tridentinum *sess.* 24. *de reformat. matrim. c.* 1. totum remittit prudentiæ, ac judicio Ordinarii; ubi autem aliquid relinquitur judicio, ac arbitrio alterius non requiritur cognitio judicialis; *c. Statutum de rescrip. in* 6. *junct. Gloss. V. relinquatur*, *arg. c.* 2. *de juram.*, *& c. fin. de vot. junct. gloss. V. conscientiæ*: *Sanch. l.* 3. *d.* 8. *num.* 4. Eodem modo antea inquirere debet, an forte subsit aliquod impedimentum: *Sanch d.* 9. *n.* 20.

R. II. Causæ, in quibus Ordinarii tenentur dispensare in denunciationibus ad sequentes reducuntur. Prima est, dum adest probabilis timor, aut suspicio, ne, si denunciationes fiant, matrimonium injuste & malitiose impediatur. Secunda, si adsit probabilis suspicio, ne aliquis ex contrahentibus voluntatem mutet, dum alias non parum intersit matrimonium contrahi. Tertia, si necesse sit dispensare in denunciationibus ad contrahentium infamiam vitandam; ut si velint contrahere matrimonium Concubinarii communiter reputati conjuges, aut si matrimonium nulliter contractum sit in facie Ecclesiæ ob occultum impedimentum affinitatis. Quarta, si immineat tempus Adventus, & Quadragesimæ; & aliunde differri non possint nuptiæ sine gravi præjudicio, vel periculo incontinentiæ. Quinta, si adsit periculum scandali, vel gravis damni in bonis animæ, famæ, corporis, & fortunæ. Sexta, quævis notabilis contrahentium commoditas, sive spiritualis, sive corporalis. Septima, quæcumque alia causa, quæ juxta prudens judicium urgens videatur: *Sanch. l.* 3. *d.* 8., *Barb. de offic. Episc. alleg.* 32.

Aliquæ etiam assignantur causæ, ex quibus Ordinarius potest dispensare, sed non tenetur, quia non graviter urgent. Et de facto, si semper teneretur dispensare, ut aliqui volunt, quoties aliqua adsit causa dispensandi, dispensatio numquam dici posset gratia, & misericordia, quo nomine appellatur *can. didici* 1. *q.* 7. *cap. pastoralis de Cleric. excom minist.*, *& cap. licet Canon. de elect. in* 6. *Guttier. l.* 1. *can. qq. c.* 20. *nu.* 33. *Pontius l.* 5. *c.* 31. *n.* 6. *Palaus de spons. d.* 2. *p.* 13. *§.* 5. *nu.* 1. Hujusmodi causæ sunt, si dispensandum sit cum Magnatibus, si cum sponsis valde senibus, aut valde disparibus ratione ætatis, aut qualitatis, unde contrahere optent sine denunciationibus ad ruborem vitandum, si moraliter certum sit nullum adesse impedimentum; quamvis etenim non cesset lex, eo quod cesset ejus finis pro aliquo casu particulari, nihilominus talis cessatio præbet sufficientem dispensandi causam.

Q. V. Quid agere debeat Parochus, si Ordinarius denegget dispensationem in casibus, in quibus concedere tenetur.

R. Ordinarie loquendo, abstinere debet ab assistendo tali Matrimonio, nam Tridentinum *sess.* 24. *de reformat. matrim.* relinquit judicio Ordinarii decernere, an vere adsit causa dispensandi, quamvis non intelligi debeat reliquisse ejus arbitrio dispensare nec ne, quoties valde urgeat causa, quæ dispensationem exposcat: *Palaus de sponsal. d.* 2. *p.* 13. *§.* 5. *n.* 4. Quod si periculum esset in mora, ut si ageretur de assistendo matrimonio moribundi ob consulendum famæ puellæ imprægnatæ, vel ad legitimandos filios, sicuti tunc posset ex se assistere Matrimonio, quando non posset adiri Ordinarius, quia judicare omnino deberet in talibus circumstantiis non obligare legem de faciendis denunciationibus, idem judicium potest facere, etsi Ordinarius, quem adivit, denegaverit dispensationem denunciationum. Idem dicendum in quocumque alio casu, dum evidentissima esset causa obligans ad concedendam dispensationem, & ex dilatione prudenter gravia mala timerentur: *Palaus cit. n.* 4., *Navar. in sum. c.* 22. *n.* 70. alii supra citati *quæst.* 4. *resp.* 2.

Q. VI. Quando iterum faciendæ sint denunciationes.

R. Si post factas denunciationes intra quatuor menses matrimonium non contrahatur, omnes asserunt de novo faciendas esse denunciationes, quia tali tempore novum potuit impedimenrum intervenire: *Barbos. de offic. Episc. alleg.* 32. *n.* 55. *Bonac. de matrim. q.* 4. *p.* 2. *num.* 1. Verum puto a Parocho attendendum quod præscribit Rituale Romanum, nempe repetendas denunciationes, si non contrahatur matrimonium intra duos menses post factas denunciationes.

Q. VII. Qualiter obligent denunciationes ad impedimenta manifestanda; & quomodo se gerere debeat Parochus, cui aliquod impedimentum manifestatur.

R. I. Cum Ecclesiam ediantibus denunciationibus juste præcipiat impedimentorum manifestationem, unusquisque sub gravi ea tenetur manifestare, ad impedienda nempe ea gravia inconvenientia, quæ oriuntur ex matrimonio contracto cum impedimento dirimente; itemque ad consulendam reverentiæ Sacramenti, si contraheretur cum impedimento impediente. Hinc ad hæc inconvenientia vitanda puta impedimenta etiam cum aliquali incommodo esse detegenda, licet non cum gravi incommodo, & præjudicio; nam charitas, ordinarie loquendo, non obligat ad avertendum alterius damnum cum gravi proprio præjudicio: *Guttier. de matrim. c* 49. *n.* 4. *Pontius lib.* 5. *c.* 34. *n.* 2. *Palaus de Sponsal. d.* 2. *§.* 6. *n.* 5.

Cæterum nullus se debet eximere a detegendis impedimentis, eo quod illa noverit sub secreto naturali etiam juramento firmato, nam juxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *ad* 2. quem omnes sequuntur, secretum non obligat cum præjudicio tertii; immo, ut suo loco dictum est, revelandum venit, quoties ex observantia secreti damnum publicum, seu præjudicium tertii oriatur. Item nullus excusatur a denunciandis impedimentis, eo quod solus ea noverit, quia unus testis sufficit ad impediendum, ne contrahatur matrimonium *c. præterea* 12. *de sponsal. & matrim. & c. super eo* 22. *de testib. & attest.* Verum tamen est unum testem debere esse juratum, nam nulli nisi jurato creditur, dum agitur de præjudicio tertii: *Sanch. disp.* 71. *n.* 10. *Palaus de Sponsal. disp.* 1. *p.* 32. *num.* 4., *Guttier. de matrim. c.* 36. *num.* 8. item deponere debet de certa scientia, alias esset tantum testis de auditu, qui non probat; nisi deponat se audivisse saltem a duobus suis Majoribus, ac distinguit gradus affinitatis, & consanguinitatis, juxta *c. licet ex quadam de testib.*, *Guttier n.* 9., aliique citati.

R. II. Parochus, cui defertur aliquod impedimentum, debet impedire matrimonium, & illi non assistere; sed interim deferre debet talem notitiam Ordinario, ad ipsum etenim solum spectat de Matrimonii impedimentis cognoscere: *c.* 1. *de consang.* Eodem modo se gerere debet, si ipse extra confessionem aliquod occultum noscat impedimentum. Eo quod autem ad Ordinarium spectet judicare quoad impedimenta, hinc puto, communiter loquendo, procedere non debere ad celebrationem Matrimonii, quamvis de jure denunciatio impedimenti non esset attendenda: ut quando denunciator esset vilis persona, cujus testimonium non admittitur, nisi factum sit ita clandestinum, ut solum per talem personam possit probari: *c. cum dilectus de elect. & c. præterea de Testib. junct. Gloss.*, *Sanch. l.* 3. *d.* 71. *num.* 12. *Palaus de Sponsal. d.* 1. *p.* 32. *num.* 4. Idem dicatur, si Denunciator audiverit impedimentum, maxime a persona non fide digna; vel non recordetur a quo audiverit. In hoc casu denunciator nihil probat: immo denunciare non debet, quando impedimentum est infamatorium: *Sanch. num.* 7. Nihilominus, ut dixi, etiam in his, & similibus casibus Parochus procedere non debet ad celebrationem Matrimonii; nam spectat ad Ordinarium judicare, an Denunciator sit persona vilis, an persona a qua audivit fuerit fide digna, nec ne &c. Cæterum qui habuit notitiam a fide dignis debet denunciare, nam ex tali denunciatione procedere potest Ordinarius ad inquirendum de impedimento: *Salmant. tr.* 9. *c.* 8. *p.* 8. *n.* 100.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Antequam Parochus procedat ad denunciationes faciendas, æquum esset multoties explorare, an uterque Sponsus, vere libere in matrimonium de futuro contrahen-

bendum consenserit, & id maxime si aliqua suspicio sit aliquam coactionem fuisse Sponsæ a parentibus, vel aliis irrogatam. Item investigare a sponsis non raro bene esset, an aliquod impedimentum habeant, & præcipue si aliquo voto castiratis, vel religionis se obstrinxerint. Admonere præterea debet filios familias, ne rem tanti momenti faciant insciis, & multo magis invitis Parentibus. Demum hortandi sunt, ut tali tempore singulari animi pietate ac frequentiori oratione ad Deum confugiant. Ita S. Carolus *in 6. Concil. Mediol. sub tit. quæ ad matrimon. pertinent*. Idem S. Carolus *Act. p. 4. inst. matr. tit. de Paroch. diligent. de denunciat. &c.* monet, ut absulutis denunciationibus, matrimonium per duos, aut tres dies differatur, & interim sponsi *frequentius orationi vacent, Missamque de Spiritu Sancto cum oratione de B. Virgine, aut alia ut est in Missa pro faciendo matrimonio, pro se celebrari devote curent*. Meminerit etiam Psrochus non sulum ex monitis S. Caroli, aliorumque Ecclesiæ Præsulum, sed & ex ipso Rituali Romano curare debere, ne Sponsi mysteria fidei ignorent; necesse est enim, sicut ibidem dicitur, ut uterque sciat rudimenta fidei, *cum ea deinde filios suos docere debeant*.

II. Advertendum est scientem impedimentum vel dirimens, vel impediens Matrimonium, si periculum non sit in mora, & non timeat grave damnum, non debere illud Parochu, vel Ordinario denunciare, nisi prius secreto juxta leges fraternæ correctionis ipsos contrahentes monuerit; & id maxime habet locum, dum impedimentum esset infamatorium. Nec refert correctionem semel factam fuisse sine fructu, quoties ex repetita monitione, vel deferendu deinde rem secreto aliquibus probis consanguineis, fructum posset sperare. Eodem modo se gerere debet Parochus, cui denunciatur aliquod impedimentum, antequam illud deferat ad Ordinarium.

III. Si aliquis sciat adesse aliquod impedimentum inter volentes contrahere matrimonium, simulque obtinuisse pru foro conscientiæ dispensationem, non tenetur illud denunciare, quoties sit occultum; nam tunc ex obtenta dispensatiune satis removetur occultum impedimentum. At deberet denunciare quoties impedimentum esset publicum, tunc etenim nihil suffragatur dispensatio obtenta pro solo foro conscientiæ.

QUÆSTIO IV.

De Impedimentis Dirimentibus in particulari.

CAPUT I.

De Impedimentis dirimentibus in generali; & de Impedimentis Erroris, & Conditionis in particulari.

Q. I. Quot sint Impedimenta diiimentia Matrimonium.

R. Hujusmodi impedimenta sequentibus versiculis continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Affinis, raptor, si Clandestinus, & impos.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Q. II. An error circa personam dirimat matrimonium.

R. Omnino dicendum est errorem circa personam matrimonium dirimere. Ratio est, quia cum matrimonium exposcat indissolubilem societatem cum persona, cum qua contrahitur, contrahentes nun habent generalem intentionem contrahendi cum persona præsenti, quæcumque illa sit, sed solum, si sit ea persona particularis, cujus amore e. g. capti sunt, vel quæ illis fuit proposita; &c. Supposito ergu non esse illam particularem personam, cum qua intendunt contrahere, jam deest consensus in illam, & dum deest consensus in contrahentibus, apparet nullum esse matrimonium. Idem dicatur etsi aliquis contraheret cum aliqua persona cum errore concomitante, dum nempe de facto non habet e. g. intentionem contrahendi cum muliere præsente, quia habeat intentionem cuntrahendi cum Joanna, quales esse putat mulierem præsentem, cum tamen revera sit Francisca, quamvis & contraxisset cum Francisca, si agnovisset. Et in hoc igitur casu matrimonium est nullum, quia de factu non adfuit consensus, & solum adfuisset, si Personam cognuvisset: *cap. Tua nos de Sponsal.*, *S. Th. in 4. d. 30. qu. 1. art. 1. & in suppl. qu. 61. art. 1.* Nec refert errorem, quo quis putavit cum aliqua contrahere, quæ tamen revera non erat, fuisse crassissimum; nam talis error fuit sufficiens, ut non daretur consensus in talem persunam, adeoque ut non subsisteret matrimonium: *Avers. de matr. quæst. 12. sect. 1.*

Q. II. An error circa qualitatem dirimat matrimonium.

R. Error circa qualitatem non dirimit matrimonium, si consensus non fuerit alligatus tali qualitati, vel si error qualitatis non transeat in errorem persunæ. Quamvis igitur *tr. 14. q. 1. c. 1. qu. 5.* dixerim errorem circa qualitatem valde gravem posse rescindere contractum, sicut etiam *tr. 8. q. 2. c. 2. qu. 3.* votum factum cum tali errore uon tenere; nihilominus aliter de Matrimonio discurrendum est. Cum igitur matrimonium statum fixum, & indissolubilem importet, & cum illius dissolutiu non esset sine gravissimis incommodis & publicis, & privatis, hinc est de natura illius nun esse ipsius valorem a quamcumque qualitate, quæ multoties posset non adesse, pendere, ac proinde subsistere matrimonium, etsi contrahentes errent in hac, vel illa qualitate: ut si putassent ducere nobilem, pulchram, virginem &c. & tamen nulla ex his qualitatibus adesset. Nec valet dicere non fuisse contracturos matrimonium, si scivissent non adesse hanc, vel illam qualitatem; nam hoc quidem probat, quod in tali casu non adfuisset necessarius consensus, non veru quod hic & nuuc non adfuerit in talem personam, & hic sufficiens est ad matrimonium, cum ipsius objectum primarium sint ipsæ Personæ contrahentes: *D. Th. in 4 d 30. q. 1. art. 2.*, *& in suppl. qu. 51. art. 2.* Secus autem esset, si consensus alligatus fuisset alicui qualitati, puta si quis non intellexisset contrahere cum Titia, nisi esset virgo; tunc enim, deficiente conditione, sub qua prævisus esset consensus, & ipse consensus rueret, adeoque matrimonium nun subsisteret: *Sanch. l. 7. d. 18. n. 21.*, *Avers. q. 12, sect. 1.*

Dixi etiam matrimonium nullum habiturum valorem, quoties error qualitatis transiret in errorem personæ; nam tunc, ex dictis, deficeret consensus necessarius ad matrimonium. Tunc autem error qualitatis transit in errorem personæ, quando personam nun est cognita, nisi ratione talis qualitatis. Demus e. g. Cajam prius cognoscere Sempronium, ac deinde illum credare filium Pauli certe valide cum ipso contrahit, etsi non sit filius Pauli; nam ipsi notus est independenter a tali qualitate, adeoque bene potest velle contrahere cum persona Sempronii, quamvis erret in præfata qualitate. Si autem Sempronius notus fuerit Cajæ ex hac qualitate personali; quia nempe reputabatur a Caja filius Pauli, & ex hac qualitate mota fuerit ad contrahendum cum illo, tunc error qualitatis redundat in personam, quia dum deest qualitas, deest etiam persona, quam contrahens sibi in mente propoluerat. Et ita in exemplo allato, cum Sempronius non esset notus Cajæ, nisi sub hac qualitate, quod esset filius Pauli, in ejus mente erat contrahere cum filio Pauli; unde si desit hæc qualitas, deest etiam persona, cum qua intendit contrahere. Et hoc verum est, etsi talis qualitas sit tantum uni personæ affixa, vel pluribus; ut si Paulus haberet multos filios, semper ac enim persona non est cognita, nisi sub ratione qualitatis, vel ipsi suli, vel alius etiam convenientis, necesse est errorem redundare in personam, si erretur in qualitate: *D. Th. in suppl. qu. 51. art. 1. ad 5.*, *Avers. qu. 32. sect. 1.*

Q. III. Quando error conditionis irritet matrimonium.

R. Impedimentum conditionis intervenit quando libera persona ex errore, aut ignorantia contrahit cum persona servili, non servitute adscriptitia, quam subeunt famuli, sed servitute proprie tali. In prædicto igitur casu nullum est matrimonium, ut constat ex *cap. 2. & fin. de Conjug. servor. junct. can. si quis ingenuus 29. qu. a.* Verum non est irritum matrimonium contractum inter servum, & ancillam quamvis invito Dominu; cum etenim matrimonium jure naturali, & divino institutum sit ad propagationem generis humani, & in concupiscentiæ remedium, hoc non potest domi-

nus

nius servis auferre: *D.Th. in 4. d. 39. q. un. art. 2.* In tali autem statu non subtrahuntur ab exhibendo dominis consueta obsequia ut habetur *c. 1. de conjug. servor.*, quæ cum non possent exibere, si admitterentur ad professionem religiosam, & ad Sacram Ordinationem, ideo vetant SS. Canones ad hujusmodi admitti.

Item validum est matrimonium, quod persona libera contrahit cum persona servili, si eam talem esse cognoscat, nam tunc nullam patitur injuriam, & censetur remittere jus suum: *cap 1. & fin. de conjug. Servor. junct. can. si quis ingenuus, & can. si fæmina qu. 2.* Si aliter autem videantur decrevisse leges civiles, dicendum est correctas fuisse a jure canonico. Pariter validum est matrimonium, quod liber contraheret cum libera, putando esse servam; vel si servus contrahat cum libera, putans ancillam, dummodo ista sciat in sponsu conditionem servitutis. Ratio est quia neuter pejorem facit suam conditionem; immo secundus facit meliorem: impedimentum autem conditionis inductum est ne contrahentes ex errore servilitatis incurrerent damnum irreparabile. Ita communiter DD.

Lis autem est inter eos, an hoc impedimentum tantum inductum sit jure Ecclesiastico, vel etiam jure naturæ. Ego autem puto solo jure Ecclesiastico, inductum esse; nam, ut dixi supra, error qualitatis, qualis est servilitas, non dirimit de jure naturæ matrimonium. Conforme autem fuit naturæ matrimonii, ut conjugium Servorum ab Ecclesia irritaretur, nam possunt Servi impediri a Dominis ab invicem cohabitando, distrahi ab educandis filiis, sicut etiam ab alendis, quia servus pro Domino acquirit.

Q. IV. Quando impedimentum conditionis sit dubium, adeoque non valens dirimere Matrimonium.

R. Si persona libera ex errore crassissimo contraheret cum persona habente conditionem servilem, sub dubio esset hoc impedimentum. Quamvis igitur ad removendum hoc impedimentum videatur persona libera cedere debere juri suo, & hoc dicant non intervenire, quoties clare non cognoscat personam, cum qua contrahit, esse servam, nihilominus probabiliter contrarium dici potest. Ratio est, quia qui facillime cognoscere potest personam, cum qua contrahit, esse servam, & negligit, vel levem diligentiam adhibet ad se certificandum, dum de hac re prudentem haberet suspicionem, convincitur facto ipso demonstrare non curare de suo præjudicio, adeoque illi renunciare: Utramque sententiam refert Sanch. *l. 7. d. 19. n. 20.* & negativam dicit probabilem. Secundo, impedimentum esset dubium, quando persona libera contraheret cum ea, qua ignorat esse Servam, quæ tamen si tradatur a Domino in matrimonium personæ liberæ, secuto Matrimonio libera evadit, *Auth. Ad hoc C. de latin. libert.* Hoc matrimonium validum esse dicit Sanchez *l. 7. d. 20. n. 13.* nam persona serva fit libera eo instanti, quo matrimonium contrahitur, & ita cessat impedimentum, vel cum fiat libera statim præstito consensu, moraliter censetur libera eo tempore, quo contrahitur Matrimonium. Aliis placet non esse validum, nam putant ad ipsius valorem prius intelligi debere sublatam servitutem, ac deinde posse contrahi matrimonium: *Hurtad. d. 14. diff. 4.* In hoc igitur casu impedimentum esset dubium, adeoque non attendendum.

C A P U T II.

De Impedimentis Voti, & Ordinis, eorumque dispensatione.

Q. I. IN quo consistat Votum dirimens Matrimonium.

R. Cum certum sit Votum simplex castitatis Matrimonium non dirimere, sed tantum impedire, oportet videre in quo consistat votum solemne dirimens Matrimonium. Quidam inter hæc vota considerant hoc discrimen, quod in Voto solemni interveniat traditio voventis, non vero in voto simplici: ad eum modum, quo in Sponsalibus non intervenit mutua traditio inter Sponsos, sed solum ejusdem promissio, bene vero in ipso matrimonio Sponsi sibi ad invicem potestatem in suum corpus tradunt. Verum hoc majori indiget explicatione, nam si consideremus traditionem voventium in ordine ad Deum, eadem intervenire videtur in voto solemni, & in voto simplici, cum per utrumque votum vovens intendat se tradere Deo ad abstinendum ab omni actu carnali, nec videtur dici posse Deum hanc traditionem diversimode acceptare. Clarius igitur solemnitas voti explicatur dicendo, quod faciens votum solemne castitatis, ut fit in professione religiosa, & in susceptione Ordinis Sacri, irrevocabiliter se tradat Religioni, vel Ecclesiæ, & hæ vicissim ita illum acceptent, ut ex causis ordinariis, neque vinculum Voti, neque sequuta traditio unquam relaxetur. Hinc bene dicitur votorum solemnitatem ex sola Ecclesia institutione ortam esse: *cap. unic. de vot. in 6.* Ecclesia etenim voluit vota in professione religiosa, & susceptione Ordinis Sacri emissa, habere illam firmiorem traditionem, ratione cujus potuit dicere *S. Th. 2. 2. q. 88. art. 7. ad 1.* votum solemne inducere majorem obligationem, ac votum simplex.

Porro votum solemne castitatis dirimere matrimonium constat ex *cap. meminimus, cap. Insinuante Qui Cleric. vel voven., & ex Tridentino sess. 24. can. 9.* Ubi tamen observandum votum castitatis in professione religiosa emissum dirimere matrimonium ratum non consummatum, ut dixi supra *q. 2. cap. 3.* non verum votum castitatis emissum in susceptione Ordinis sacri: *Extr. antiq. de vot.* Quod præstat votum solemne castitatis in aliis Religionibus emissum in ordine ad dirimendum matrimonium, idem facit votum simplex emissum in Societate Jesu ex Constitutione Gregor. XIII. incip. *Ascendente Domino &c.*

Q. II. An Ordo Sacer dirimat Matrimonium.

R. I. Inter impedimenta dirimentia matrimonium Ecclesia voluit esse etiam Sacros Ordines, ut constat ex *cap. Diacono, & ex cap. literarum Qui Cleric. vel voven.* ac ex Tridentino supra citato.

R. II. Ordo Sacer nec de sua natura, nec de jure divino dirimit matrimonium. Non dirimit de sua natura, quia potest cum matrimonio coexistere: unde licet in Ecclesia Græca, qui susceperunt Ordinem Sacrum ad matrimonium non admittantur, uxorati nihilominus ad Ordines sacros admittuntur. Item si quis ordinatus fuisset ante usum rationis, quamvis valide ordinatus, posset matrimonium contrahere, si post usum rationis ordinem, & votum non ratificasset *Barbos. in cap. un. de Cleric. per salt. nu. 7., Sanch. lib. 7. disp. 30. numer. 5.* Item Sacrum Ordinem non dirimere matrimonium jure divino probatur, quia nullibi apparet de tali prohibitione; & cum etiam aliunde constet in hoc impedimento summum Pontificem dispensasse, consequens est nec jure divino dari talem prohibitionem. Remanet ergo ordinem Sacrum solo jure Ecclesiastico matrimonium dirimere, & id ob annexum votum castitatis: *D. Thom. 2. 2. q. 84. art. 11., Sanch. lib. 7. d. 28. nu. 11., Covar. de Matr. p. 2. c. 6. §. 3. n. 2.*

Q. III. Quando impedimentum Ordinis sit dubium.

R. In unico casu adinvenio dubium esse, an Ordo dirimeret matrimonium, nempe dum quis ante annos pubertatis Ordinem Sacrum suscepisset, nam tunc de voto Ordinibus annexo eodem modo discurrendum putant, ac de voto emisso in professione religiosa ante tempus legitimum, quod certe nullum est: *Barbos. de offic. & potest Episc. alleg. 15. n. 4.* & alii apud ipsum. Aliis vero e contra placet talem votum futurum validum, quia nullibi irritum declaratur: nec favor factus religiosæ professioni extendendus videtur ad Ordinem, cum status Religiosorum sit valde difficilior, adeoque bene potuit velle Ecclesia non esse valida vota Religiosorum facta ante legitimam ætatem: *Palaus de Sacr. Ord. disp. un. p. 17. nu. 10., Bonac. de Matrim. q. 3. p. 9. nu. 16. aliique cum glossa in cap. pueri caus. 1. q. 3. vers. ad sacros.*

Q. IV. An summus Pontifex dispensare possit in impedimento Ordinis, & Voti.

R. Stante Ecclesiæ necessitate, seu Regni, aut Provinciæ potest Summus Pontifex in solemni voto castitatis dispensare. Et quidem posse dispensare in tali voto, quatenus ordini Sacro adnexo, exinde constat, quia duntaxat jure Ecclesiastico illi adnexum est, unde bene potest Pontifex illud ab Ordine separare, & simul velle aliquem in Ordine sibi collato perseverare. Quoad votum vero solemne castitatis annexum cum religiosa Professione probatur, quia quamvis Pontifex non possit facere ut simul quis sit Religiosus, unaque non servet castitatem, vel habeat rerum dominium, hæc etenim essentialia sunt statui Religioso; nihilominus Pontifex facere potest de Religioso non Religiosum, declarando vice Dei ipsi remittere obligationem, quam contraxit, & se dedit in professione religiosa Deo, & Religioni,

ni; hac autem obligatione semota potest illi concedere ut alteri se tradat mediante matrimonio. Nec refert dicere hominem per professionem Religiosam Deo consecratum semper talem debere perseverare; quidquid enim sit, an Religiosus ratione professionis remaneat Deo proprie consecratus, certum est etiam res Deo sacratas posse ex urgentissima causa ad usus profanos deservire, atque ita David panes propositionis manducavit. Præterea sicut calix, amissa forma, consecrationem deperdit, & potest in rem profanam converti, ita Religiosus dum fit ex Papæ dispensatione non Religiosus, amittit eam qualemcumque consecrationem, quam habuit in professione; neque enim fuit consecratio imprimens indelebilem characterem. Hanc sententiam asserit Fagnanus in 2. *p. l. 3. Decret. ad cap. cum ad Monasterium* esse communem Theologorum, & fere omnium Canonistarum, ac tacite ab Ecclesia approbatam, eo quod cum multis Religiosis dispensaverit. Eamdem docuit S. Thom. in 4. *d. 38. q. 5. art. 4.*, & quamvis eam retractasse videatur 2.2. *quæst. 88. art. 11.*, nihilominus vere non retractasse asserunt Salmanticenses *tr. 15. cap. 1. part. 3. num. 45.*

CAPUT III.

De Impedimentis Cognationis, & Affinitatis, earumque Dispensatione.

Q. I. Quotuplex sit Cognatio.

R. Cognatio triplex est. Alia dicitur naturalis, & appellatur *Consanguinitas*. Alia spiritualis, & appellatur *Compaternitas*. Alia legalis, quæ dicitur *Adoptio*.

Q. II. Quid sit Consanguinitas, & quæ in ea sint consideranda.

R. I. Consanguinitas ita communiter definitur: *Vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum*. Dicitur *vinculum personarum*, cum etenim consanguinei ab eodem sanguine oriantur, uniuntur vinculo amoris, & familiaritatis. Dicitur *ab eodem stipite descendentium*, nempe ab eodem stipite proximo; si enim consanguinitas a stipite remoto esset sumenda, omnes essent consanguinei, quia omnes ab Adam descendimus. Additur *carnali propagatione contractum*, ex ea enim oritur consanguinitas, & sanguinis communicatio.

R. II. In Consanguinitate consideranda sunt stipes, linea, & gradus. Stipes est ea persona, a qua descendunt illæ, de quarum cognatione quæritur. Linea est collectio Personarum, quæ ab eodem stipite descendunt, & distinguitur in diversos gradus secundum majorem, & minorem distantiam personarum. Hæc autem linea triplex est. Prima Ascendentium, eorum nempe, qui habent erga nos rationem generantis, ut Pater, Avus, Proavus &c. Secunda est Descendentium, scilicet eorum, qui sunt geniti, ut filius, Nepos, Pronepos &c. Tertia est transversalis, seu collateralis, quæ continet eos, inter quos non est relatio nec generantis, nec geniti, sed conjuncti sunt ex latere, ut duo Fratres, Patruus, & Amita &c. Item hæc linea dividitur in æqualem, & inæqualem. Æqualis respicit eos, qui æqualiter distant a communi stipite, ut duo fratres. Inæqualis continet eos, qui inæqualiter distant a communi stipite, ut frater, & filius alterius fratris.

Q. II. Quæ regula attendenda sit ad cognoscendos gradus consanguinitatis; & in quibus gradibus consanguinitas dirimat Matrimonium.

R. I. In linea recta Ascendentium, & Descendentium tot sunt gradus, quot personæ, dempto stipite a quo initium sumit computatio. Si quæras proinde in quo gradu Nepos distet ab Avo, apparet distare in secundo gradu, dempto enim Avo, qui se habet ut stipes, remanent duæ personæ, Nepos nempe, & ejus Pater. In linea collaterali æquali eodem gradu inter se distant personæ, quo distant a communi stipite. Hinc filii duorum fratrum distant inter se secundo gradu, quia duobus gradibus distant ab Avo, qui est communis stipes. In linea collaterali inæquali, eo gradu quo remotior distat a stipite, eo gradu distant inter se. Hinc Patruus, & Nepos sunt consanguinei in secundo gradu, quia licet Patruus uno tantum gradu distat a stipite, duobus tamen gradibus Nepos distat. Ad petendam vero dispensationem, ut infra dicam, similes inæquales cognationes exprimendæ sunt; unde inter prædictos diceretur intervenire cognatio de primo in secundo. Ratione præfatæ regulæ, si mulier in quinto gradu distet a stipite, ducere potest virum, qui ab eodem stipite solum distet in quarto gradu; eo quod enim conjux distet a stipite in quinto gradu, eodem gradu mulier a viro distare censetur: *c. Vir qui de consang. & affin.* Præfatæ regulæ continentur etiam *can. parentelæ 35., q. 5., & can. ad Sedem ibid., & cap. final. de consang.* & quamvis in supputatione graduum non semper conformentur jus civile & canonicum, nihilominus istud a Theologis est observandum: *can. ad Sedem Apostolicam 35. qu. 5.*

R. II. Quamvis probabile sit in linea recta consanguinitatem in quocumque gradu dirimere Matrimonium, atque eamdem sententiam amplexus fuerit Nicolaus Papa, respondendo ad Consulta Bulgarorum *cap 36.*, nihilominus bene dici potest non dirimere ultra quartum gradum, ut constabit ex dicendis infra. In linea vero collaterali, quidquid fuerit de jure antiquo, modo consanguinitas dirimit matrimonium solum usque ad quartum gradum inclusive: *c. non debet de consang. & affin.*, & hoc sive consanguinitas oriatur ex coitu uxorio, vel fornicario: *c. per tuas de probat.*

Q. III. Quo jure consanguinitas dirimat Matrimonium.

R. I. Loquendo de Matrimonio inter Ascendentes, & Descendentes, aliqui volunt consanguinitatem dirimere Matrimonium usque ad secundum gradum, aliqui usque ad vigesimum, aliqui in infinitum, ut passim videre est apud Anthores. At bene dici potest jure naturæ dirimere Matrimonium solum in primo gradu, itaut Pater non possit ducere filiam, nec Mater Filium. Ratio est, quia ideo consanguinitas dirimit Matrimonium, quia conjunctio carnalis ex naturali ratione repugnat cum iis, quibus summa reverentia debetur; hæc autem per se solum debetur inter conjunctos in primo gradu: ita videmus neptem multo minorem habere reverentiam erga Avum, quam erga Patrem. Hoc etiam jure canonico habetur, nam *c. gaudemus de divort.* decernitur non esse separandos infideles ad fidem conversos a suis conjugibus, si in secundo, aut tertio gradu contraxerint: *D. Th. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3., & in 4. d. 40. q. unic. art. 3., Avers. q. 16. sect., Sanch. l. 7. d. 51. n. 19., Fagnan. in c. Vir qui de cons. & affin. n. 33.*, Non nego tamen propter reverentiam, quæ inter eos esse debet, matrimonium esse prohibitum jure naturæ inter omnes Consanguineos lineæ rectæ, saltem usque ad quartum gradum. At aliud est esse prohibitum, aliud irritum; ita jure naturæ prohibitum est post Sponsalia cum una contracta cum alia inire Matrimonium, quod tamen non est nullum.

R. II. Neque jure Ecclesiastico irritum est matrimonium inter consanguineos in linea recta ultra quartum gradum. Ratio est, quia lex canonica omnes gradus consanguinitatis intra quartum gradum conclusit, non distinguendo inter Ascendentes, & transversales: *cap. non debet de consang. & affin.* Opinio contraria fundatur in *leg. nuptiæ l. 4. ff. de rit. nupt.*, quæ prohibet Matrimonium inter ascendentes, & descendentes in infinitum; & cum sufficienter correcta non videatur a jure canonico per generalem contrariam dispositionem, attendenda videtur in utroque foro. Verum leges civiles non sunt per se solæ sufficientes ad inducendum impedimentum dirimens, nisi jure canonico canonizentur. Hinc quamvis *leg. nuptiæ l. 2. ff. de rit. nupt.* irritentur matrimonia contracta a filiis familias sine consensu parentum, eaque in decentia, & honestate fundetur, nihilominus talia Matrimonia rata sunt: *Fagn. cit. n. 27. Sanch. l. 7. d. 51. n. 22. &c.*

R. III. Matrimonium non est irritum jure naturæ neque in primo gradu lineæ transversalis. Ratio est, quia cum inter fratrem, & sororem non detur ordo Ascendentis, & Descendentis, sed potius æqualitas, non intervenit jure naturæ talis reverentia, ratione cujus nullum fit inter eos Matrimonium: *D. Thom. in 4. d. 40. quæst. un. art. 3., & 2. 2. quæst. 154. art. 9. ad 3., Avers. sect. 2. §. Sed putandam. Palaus de Matrim. d. 4. par. 7. num. 11.* Solet opponi definitum fuisse *cap. gaudemus de divort.* infideles conversos ad fidem non esse separandos a Conjugibus, si in secundo gradu contraxerint, ex quo videtur fuisse separandos, si in primo, adeoque nullum esse Matrimonium. At bene responderur Pontificem voluisse præscindere a primo gradu propter sententiarum diversitatem. Præterea dici potest separandos fuisse, si contraxissent in primo gradu, non quia tale Matrimonium de jure

jure naturæ si irritum, sed quia difficile est tam barbaram gentem adinvenire, apud quam ex ipsorum legibus irritum non sit Matrimonium inter fratrem, & sororem.

Neque etiam refert Ecclesiam nunquam in tali gradu dispensasse nam primo id falsum est, si credatur Sylvestro *in Sum. v. Papa q. 17.* Deinde dicitur non ideo Ecclesiam non dispensasse, quia tale Matrimonium sit jure naturæ irritum, sed quia valde indecens est, ac proinde tali jure prohibitum; adeoque difficile esse intervenite causam tam gravem, ut licite concedi possit talis dispensatio.

Q. IV. Quid sit Cognatio spiritualis; quæ requirantur ad illam contrahendam; & inter quos dirimat matrimonium.

R. I. Cognatio spiritualis est *proximitas, sive quædam necessitudo personarum, orieas ex statuo Ecclesiæ propter Baptismi & Confirmationis collationem, vel susceptionem recipientis hæc Sacramenta*. Hinc autem spiritualem cognationem dirimere subsequens Matrimonium habetur *cap. 1. de cognat. Spirit. in 6. & cap venient*, sicut ex *Trid. sess. 24. c.* 1.

R. II. Ad contrahendam cognationem Spiritualem necesse est Baptismum, & Confirmationem valide conferti, quod enim nullum est, nullum præstat effectum: *cap. illud 8. de jurepatr.*, & per consequens ex his Sacramentis nulliter collatis, nulla oritur spiritualis regeneratio, nulla paternitas, aut Compaternitas, & nulla spiritualis filiatio. Secundo, requiritur ut hæc Sacramenta conferantur, quando Patrinus assistit; unde non consurgit cognatio spiritualis, si postquam Baptismus fuit privatim collatus, Patrinus solummodo assistat in Ecclesia cæremoniis Ecclesiasticis, causa etenim hujus cognationis est ipsum Sacramentum: *Sanch. l. 7. d. 61. num. 5.*, atque ita judicatum fuisse a S. Congregatione, refert Corrad. *in prax. dispens. l. 8. c. 8. num. 6.* Tertio, oportet Patrinum esse baptizatum, alias non afficeretur lege Ecclesiæ, ex qua provenit cognatio Spiritualis: *Sanch. num. 7.* & communiter. Immo & debet esse confirmatus, ut dicitur *can. in Baptismate* 102., *& in Pontificali p. 1. tit. 1. de Confirmat.*; & declaratum habes a S. Congregatione apud Pignatellum *tom. 1. consult.* 10. Quarto, ad contrahendam cognationem spiritualem Patrini designati debuerunt a Parentibus, vel ab iis, ad quos spectat: *Trident. sess. 24. de Matrim. c. 2.* In ipsorum defectu Patrinus a Parocho est designandus, cum etenim debeat administrare Baptismum cum cæremoniis ab Ecclesia institutis, debet etiam adhibere Patrinum. Quinto, Patrinus debet habere intentionem munus Patrini exercendi, alias materialiter solum se habetet, sicut si aliquis forte superveniens urbanitatis gratia puerum sustentaret. Demum Patrinus tenere debet infantem dum baptizatur, vel statim de Sacro Fonte immediate e manibus Sacerdotis, non obstetricis &c. recipere; nam Sacri Canones volunt Patrinum debere *tenere, tangere, levare, suscipere* Baptizandum, vel Confirmandum: *Sanch. l. 7. d. 56.* cum communi.

R. III. Ex novo jure Tridentini *sess. 24. de Reformat. Matr. c. 2.* cognatio spiritualis dirimit Matrimonium solum inter sequentes personas, solumque inter eas oritur cognatio spiritualis. Hæc igitur datur inter Baptizatum, & Confirmatum ex una parte, & Baptizantem, & Confirmantem, sicut & Patrinum, & Matrinam ex altera; & hæc cognatio respectu istorum dicitur paternitas; & filiatio spiritualis respectu baptizati, &c. Deinde hæc cognatio datur inter Patrem, & Matrem baptizatis &c. ex una parte, & Baptizantem, & Confirmantem, sicut & Patrinum, & Matrinam ex altera; atque hæc cognatio respectu istorum dicitur Compaternitas, quasi fiant simul Patres Baptizati, aut Confirmati.

Q. V. Quantum impedimentum cognationis spiritualis sit dubium, adeoque non attendum.

R. Olim dubium erat, an cognatio spritualis dirimens Matrimonium contraheretur a Mandante vel ab ipsius Procuratore, suscipiente aliquem nomine ipsius in Baptismo. At dicendum est dubium cessasse, cum S. Congregatio judicaverit contrahi a mandante, non ab ipsius Procuratore, uc refert Fagnanus *in 4. Decretal. ad cap. venient de cogn. spiritual.* Certe autem impedimentum esset dubium, si aliqui non designati se ingererent ad exercendum munus Patrini. Neque satis aliquis intelligeretur designatus, eo quod, dum se ingereret, Parentes, vel Parochus non rejicerent, sed tunc solum tacite admitti videretur, quando possent facile rejicere, & non rejiceretur: *Tambur. de Baptism. cap. 4. §. 2. n. 15.* Item ex eodem dubium esset an contraheretur spiritualis cognatio, si simul plures Patrini, vel Matrinæ designentur; cum etenim finis Tridentini *sess. 24. de reformat. matrim. cap. 2.* præcipientis ut unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, & una designentur, fuerit, spirituales cognationes limitare, videntur invalide plures simul designari. Verum adest declaratio S. Congregationis apud Fagnanum *in cap. ex litteris de cognat. spirit.* qua dicitur, quod si plures designati susceperint, & tetigerint, nec appareat quis prior sit designatus, contrahunt omnes cognationem spiritualem dirimentem Matrimonium. Si proinde appareat aliquem ante alios designatum, ille solum eamdem cognationem contraheret, non vero qui postea fuissent designati, utpote qui illegitime designarentur: *Tambar. n. 14.*

Q. VI. Quid sit adoptio; & quæ cognatio legalis ex ea proveniens dirimat Matrimonium.

R. Adoptio dicitur *actus legitimus, per quem is, qui natura filius non est, assumitur in filium, aut nepotem adoptantis. D. Thom. in 4. d. 42. quæst. 2. artic. 1.* Adoptio perfecta dicitur *Arrogatio*, & intervenit quando persona extranea, sui juris existens, authoritate, seu rescripto Principis ita assumitur in filium, aut nepotem ut transeat in potestatem, & familiam adoptantis, fiatque ipsius hæres necessarius: *arg. §. 1. Instit. de adopt.*, *& l. 2. C. eod.* Adoptio vera imperfecta datur, quando persona extranea nondum sui juris, authoritate Judicis inferioris ita in filium, aut nepotem assumitur, ut non transeat in familiam & potestatem adoptantis, sed adhuc maneat sub Patris, aut Avi potestate; & ulterius non sit hæres necessarius in testamento, licet succedat ab intestato: *citat. §. 1. & 2. Instit. de Adopt.* Ut autem adoptio legitime fiat, oportet Adoptantem esse masculum, nam fœminæ non possunt adoptare nisi interveniente speciali Principis concessione: *§. Fœminæ 11. Instit. de adopt.* Oportet deinde adoptantem potentem esse ad generandum: *§. 9. Instit. eod.*, quamvis adoptare possit qui per accidens non potest generare, ut sunt Sacerdotes: *Sanch. l. 7. d. 67.* Demum oporret adoptantem esse sui juris, & majorem 25. annis, sicut etiam præcedere adoptatum 18. annis in ætate: *§. 6. Instit. eod.* Ex parte vero adoptati necesse est esse præsentem, quippe absens nec adoptari, nec adoptare potest etiam per Procuratorem. *l. neque, & l. post mortem ff. de adopt.*

R. II. Ex adoptione oritur quædam propinquitas personarum, quæ dicitur cognatio legalis, & dirimit matrimonium inter sequentes personas. Primo, dirimit matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, ejusque descendentes eo modo, quo infra dicam: & hæc cognatio dicitur paternitas legalis. Neque hoc impedimentum cessat soluta adoptione, sed perpetuo durat: *can. ita diligere 30. qu. 3. l. quin etiam ff. de ritu. nupt. ac §. 1. Instit. de nupt.* Secundo, dirimit matrimonium inter filios adoptantis, & adoptatum, quæ cognatio dicitur fraternitas legalis, quod tamen impedimentum cessat soluta adoptione: *§. Inter eas 2. Instit. de nupt.*, *& cap. unic. de cognat. legal.* Advertere etiam est hoc impedimentum non dari, nisi inter filios legitimos adoptantis, & adoptatum, non autem inter ipsum, & filios illegitimos: *Sanch. l. 7. d. 67. numer.* 30. Demum dirimit matrimonium inter adoptantem, & uxorem adoptati, & inter adoptantem, & uxorem adoptantis, quod impedimentum oriens ex hac legali affinitate numquam cessat: *l. adoptivus 14. ff. de rit. nupt.* De hac ultima specie hujus impedimenti non habemus textum in jure canonico, sed tacite, & ex antiqua consuetudine approbatum est ab Ecclesia.

Q. VII. Quando hoc impedimentum cognationis legalis sit dubium, adeoque non attendendum.

R. Dum cognatio legalis ex adoptione imperfecta derivetur, valde dubium est, an dirimat matrimonium, cum non desint qui asserant neque illud impedire. Non desunt e contra quamplures DD. pro parte affirmativa, dicentes ex jure oriri hoc impedimentum ex adoptione, & talem esse simplicem, quamvis imperfectam adoptionem: *Guttier. de Matrimon. c. 102. nu. 5. Barbos. de Offic. & Potest. Episc. alleg. 51. n. 189.* & alii apud ipsum. At non minus probabilis est, meo videri, opinio contraria, tum quia adoptio imperfecta potius dici debet dispositio ad veram adoptionem, quam adoptio, ut docet S. Thomas *in Suppl. q. 57. art. 1. ad 1.*, tum quia, ut idem docet *art. 2.*, hoc impedimentum intro-

productum est ad removendum periculum incontinentiæ inter ita cognatos, hoc autem periculum solum imminet, quando adoptatus transit in potestatem, & familiam adoptantis, quod solum fit per arrogationem. *Sanch. l. 7. d. 63. a. 9. Averf. q. 16. a. 3. Salmanticens tr. 9. c. 12. punct. 3. a. 41.* Secundo, dubium est hoc impedimentum, dum intercedit inter adoptantem, & descendentes adoptati; volentes aliqui universaliter dirimere matrimonium usque ad quartum gradum lineæ rectæ, sicut in cognatione carnali: *Bonac. de matrim quæst. 3. punct. 5. §. 3. n. 4.* aliique. At bene alii dicunt non extendi talem cognationem ad alias personas, nisi ad eas, quæ tempore adoptionis sunt sub potestate adoptati. Ratio est, quia in jure solum extenditur ad eos, qui sunt sub potestate adoptati, quia ex eodem jure, dum una persona adoptatur, censentur etiam adoptatæ omnes, quæ sunt sub ejus potestate: *leg. si pater familias ff de adopt. Averf. q. 16. sect. 3. Palaus de matrim d. 4. p. 9. a. 14 Sanch. l. 7. d. 63. n. 34* Juxta hanc opinionem validum est matrimonium inter adoptantem, & filiam adoptati, quæ nata sit post adoptionem; vel si tempore adoptionis non fuerit in ipsius potestate; sicut inter adoptantem, & filiam filiæ adoptivæ, quia mulier non habet patriam potestatem. *§. Fœmina Instit. de adopt.*

Q. VIII. Quid sit Affinitas: inter quos dirimat matrimonium; & quo jure.

R. Juxta Glois. in arbore consanguinitatis *cauf. 35. q. 5.* Affinitas est *proximitas personarum ex coitu proveniens, omni carens parentela.* Dicitur *ex coitu proveniens*, quamvis enim ex jure civili *ad text. in l. non facile ff. de gradib. & affin.* affinitas solum ex coitu inter virum, & uxorem oriatur, jure tamen canonico oritur ex quocumque coitu, quamvis illicito, dummodo naturali; *c. 1. & 2. de eo qui cognov. consang. uxor.* Dixi tamen debere esse naturalam; nam non oritur ex congressu sodomitico, vel ex quacumque alia turpitudine, sed solum ex copula completa inter virum, & mulierem inter vas debitum: *can. extraordinaria 35. q. 3. junct. Gloss. v. sæpius, & cap. 2. de convers. conjugat.* Ideo autem consanguinei uxoris evadunt proximi, seu affines marito, & e contra, quamvis nulla intercedat parentela, nempe consanguinitas, quia cum vir, & mulier ratione copulæ quodammodo evadant una caro, ut dicitur Genes. 2. consanguinei unius pertinent etiam ad alterum, nimium per affinitatem.

Cum autem consanguinei uxoris evadant affines Marito, & e contra, statim dignoscitur unde desumendi sint gradus affinitatis, Mulier igitur, & vir, qui simul carnaliter commiscentur, reputantur stipes affinitatis, quo vero gradu consanguinitatis aliquis est consanguineus uxoris, fit affinis marito, & e contra, Hinc quia nepos ex fratre est in secundo gradu uxori consanguineus, in eodem gradu est affinis marito: *can. porro cauf. 35. q. 5.* Consanguinei vero uxoris, & mariti non evadunt affines inter se: *c. quod super his de consang. & affin.* unde ortum habuit illud comune effatum: *Affinitas non parit affinitatem.* Hinc duo Fratres ducere possunt duas Sorores; Pater & Filius Matrem, & Filiam, quam habuit ex alio marito &c.

R. II. Si affinitas oriatur ex copula licita dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive: *cap. non debet de consang. & affin.* Si oriatur ex copula illicita usque ad secundum inclusive ex decreto Tridentini *sess. 24. de reformat. matr. c. 4.* ac insuper declaravit S. Pius, V. in sua Coust. incip. *Ad Roman. Pontificem, &c.*

R. III. Communissime dicitur ex copula fornicaria de jure naturæ nullum oriri impedimentum dirimens matrimonium, vel enim ex ea nulla jure naturæ oritur affinitas: *l. non facile ff. de gradib. affin.*, vel si oritur, est tam imperfecta, ut ex ea non oriatur reverentia incompatibilis cum statu matrimonii, vel amicitia, ex qua oriri possit periculum continentiæ. Ita nemo movetur ad reverentiam, & amorem erga feminam, quam Pater turpiter cognovit, & multo minus erga eum, qui turpiter ipsius Matrem cognovisset; *Sanch. l. 7. d. 66. n. 3. Bonac. de Matr. q. 3. p. 12. n. 7.* Item certum est affinitatem ortam ex copula licita non dirimere jure naturæ matrimonium in primo gradu lineæ transversalis, adeoque Jacob duxit Liam, & Rachelem, quæ erant Sorores; & *Deut. 27.* præcepit Deus, ut frater duceret uxorem fratris sui, qui absque liberis decessisset. Hinc in hoc gradu multoties Summi Pontifices dispensarunt, concedendo fratri ducere uxorem fratris defuncti; vel defuncta uxore ipsius sororem ducere, *Sanchez numer. 11. Bonac. numer. 7. Palaus d. 4. part. 8. num. 11.*

At bene etiam dici potest non esse irritum jure naturæ matrimonium in primo gradu affinitatis in linea recta, ut inter privignum, & novercam, inter privignam, & vitricum, inter Socerum, & nurum, Socrum, & Generum. Huic opinioni multi refragantur, tum quia omnes gentes ab hujusmodi matrimoniis abstinuerunt: quapropter scripsit Apostolus *1. ad Cor. 5.* inter eos talem esse fornicationem, qualis nec inter gentes, itaut uxorem Patris sui aliquis haberet. Deinde Noverca est loco Matris respectu Privigni, & Vitricus loco Patris respectu Privignæ, unde talis intercedere debet reverentia, quæ jure naturæ dirimat matrimonium. Contrarium nihilominus probatur, quia *3. Reg. 2.* Adonias petiit in uxorem Abisag uxorem Patris sui defuncti; unde tale matrimonium non reputabatur juri naturæ adversum. Deinde certum est inter affines in primo gradu in linea recta longe minorem de jure naturæ intercedere debere reverentiam, quam inter consanguineos in eodem gradu, nam inter istos superioritas, & reverentia fundatur in hoc, quod unus esse suum ab alio recipiat; adeoque longe majorem reverentiam filia debet Patri, quam privigna vitrico. Esto ergo matrimonium jure naturæ sit illicitum inter affines in primo gradu lineæ rectæ, non satis constat esse irritum; adeoque si convertatur ad fidem infidelis, qui in eo gradu uxorem duxerit, non esset ab ea separandus. *D. Th. 2. 2. q. 54. art. 9. ad 3. Sanch. l. 7. d. 66. n. 7. Palaus d. 4. p. 18. a. 12.*

Cæterum D. Paulus loquitur de fornicatione cum uxore Patris eo vivente. Item quæ dicta sunt de reverentia debita affinibus ascendentibus in linea recta probant solum cum ipsis conjugium esse jure naturæ illicitum, talibus enim Ascendentibus debetur quidem reverentia similis illi, quæ debetur Parentibus, sed non tanta.

Q. IX. Quando impedimentum affinitatis sit dubium; & per consequens nullum.

R. Cum certum sit affinitatem oriri solummodo ratione copulæ generationi aptæ, sicut certum est non oriri ex penetratione vasis fœminei per virile instrumentum, si vir non seminet intra vas, ita valde incertum est, an oriatur affinitas viro seminante, sed non muliere. Quamquam igitur multi affirmativam amplectantur sententiam, non pauci etiam negativæ adhærent, & ratio illorum est, quia affinitas oritur ex eo quod verificetur Conjuges fieri unam carnem, atque hoc verificari non videtur nisi ex commistione utriusque seminis, ut expresse docet *S. Th. in 4. d. 41. q. 1. art. 1.* ibique etiam S. Bonaventura, quos sequuntur alii Theologi. Fateor hanc opinionem ad praxim me deduxisse in casu sequenti. Quædam rudis fœmina ante matrimonium cum fratre sui mariti peccaverat, nesciens ex hoc impedimentum oriri affinitatis. Cum autem postea audierit matrimonium ita contractum nullum esse, me quoad sui matrimonii validitatem interrogavit. Interim adinveni non posse sine gravissimo incommodo a tedendo debito abstinere; neque posse sine periculo certiorare Conjugem de nullitate prioris consensus, ut præscribunt literæ S. Pœnitentiariæ; ipse etenim conjux non semel interrogaverat, an cum ipsius fratre peccasset. Stante ergo quod ipsa mihi certo certius affirmasset nullatenus seminasse, dum cum Conjugis fratre ante matrimonium peccaverat; illam dimisi dicendo ipsius matrimonium validum fuisse.

Minor lis est inter DD. An contrahatur affinitas, adeoque matrimonium perfecte consummetur, si muliere seminante, vir vas non penetrando ita seminet, ut semen attrahatur a matrice, itaut fiat seminum commixtio. Communior opinio est contrahi affinitatem & perfecte matrimonium consummari: *Sanch. l. 2. disp. 21. a. 2.* Non nego tamen oppositum ab aliis asseri, requirentibus ad affinitatem, ultra perfectam consummationem, etiam completam conjunctionem corporum utriusque conjugis: *Basil. l. 9. c. 20. a. 9.* & alii quos sequitur *Diana 2. p. tract. 5. resol. 19.*

Q. X. In quibus gradibus consanguinitatis, & affinitatis possit Ecclesia dispensare, & quæ exprimenda ad obtinendam dispensationem.

R. I. Ecclesia potest dispensare in omnibus illis gradibus, in quibus dixi de jure naturæ irritum non esse matrimonium; eo magis, quia potestas dispensandi est late interpretanda, ex dictis *tract. 3. qa. 1. c. 1. quæst. 1.*

Ve-

Verum tamen est, quod dum agitur de gradu consanguinitatis, vel affinitatis, in quibus volunt multi Theologi impedimentum esse de jure naturæ, quamvis alii negent, causam dispensandi esse debere urgentissimam; quo enim fortius reputari potest impedimentum, eo urgentior causa ad dispensationem requiritur.

R.II. Dum postulatur dispensatio super impedimento consanguinitatis, exprimi fideliter debet gradus, in quo conjuncti sunt Oratores; item an in linea recta, vel transversali, quia difficilior est dispensatio in una linea, quam in alia, sicut difficilius est in gradu propinquiori, quam in remotiori. Verum tamen est subsistere dispensationem, si loco remotioris propinquior exprimatur; nam in gradu propinquiori ejusdem speciei remotior etiam continetur: *Pont. l.8.c.17.§.7.num. 31. De Just. l.1.c.4.num.131.* Item exprimendum, an consanguinitas ex duplici capite oriatur; & si Oratores inæqualiter distent a communi stipite, ut si unus in secundo, alter in tertio distet; hoc item est exprimendum ad obtinendum speciale Breve, quo declaretur gradum proximiorem non obstare. Ita decrevit S.Pius V. in sua Constitut. sub die 26. Augusti 1566. incip. *Sanctissimus &c.* Non desunt quidem qui affirment valide exequi literas dispensationis, etsi non expressus fuerit gradus proximior, dummodo non fuerit primus: *Sanchez l.8.dis.24.a n.29. Pontius de Matr. l.8.c.17.§.5. a num.* 26. at contrarium dicendum videtur ex quodam Brevi Urbani VIII. & Innocent. X. apud Reinffenst. *in append. de Dispensat. a num.* 173. atque hujusmodi matrimonia nulla esse in Curia declarari asserunt *Corrad. in Prax. dispens. l.7. c. 7. a num. 7. De Justitia l. 2. c. 3. a numer.* 40. Observare tamen est prædicta solum necessaria esse pro foro externo, in quo voluerunt Pius IV. & S. Pius V. gradum propinquiorem exprimi, & obtineri literas declaratorias illum non obstare ad evitanda scandala, & ob alias causas, quæ locum non habent pro foro interno.

Item si pro consequenda dispensatione ab impedimento consangninitatis &c. pro causa dispensandi etiam copula habita allegetur, exprimendum est, an habita fuerit sub spe facilius obtinendæ dispensationis ex notorio stilo Curiæ, ne aliquis ex fraude, & dolo commodum reportet: *Guttier. l.1.can.qq. c.15. num. 20. de Just. dispens. l.1.c.4.num.266. Gobat. Teol. tract. 9. nu. 626.* Non est tamen necesse exprimere quoties copula habita sit, neque enim numerus reddit difficiliorem dispensationem: *De Just. l.1. cap.4.num.162.* Item exprimenda est copula, si sit publica, quamvis pro causa obtinendæ dispensationis ab impedimento consanguinitatis &c. alia legitima dispensandi causa afferatur. Non pauci contrarium asserunt, quos sequitur *De Just. de dispens. l.1.c.4.a num.229.* ac ita esse de stylu Curiæ, atque ita pluries declarasse S. Congregationem asserunt Barbos. *l.2. Votar. vot. 17. a nu. 57. Marc. Anton. Genuens. in pract. Archiepisc. Neapol. cap. 25. num. 4. Garzias de Benef. p.8. cap.3. num. 70. Corrad. in prax. Disp. l.8. cap. 71. nu. 37. Gutier. l.1. can. qq. cap. 15. a num. 16.* Apud eosdem etiam reperite est, & maxime apud Corradum, S. Congregationem declarasse eamdem copulam esse exprimendam, non solum si copula præcesserit supplicationem Papæ porrigendum, sed etiam si sequatur post exhibitam supplicationem, vel etiam post concessas literas dispensationis, si nondum fuerunt executioni mandatæ. Porro stylus Curiæ tot declarationibus confirmatus demostrat, talem esse mentem Papæ dispensantis; itemque id fieri voluisse, ut consanguinei, & affines ab incestibus arceantur, tunc etenim dispensatio conceditur cum majori pœnitentia, seu majori taxa pecuniaria. Ex quo etiam deducitur, tacita copula, dispensationem obtentam dici debere subreptitiam, utpote quia tacetur verum, quo expresso, Papa alio modo, aliisque limitationibus concedit dispensationem.

Prædicta procedunt si copula sit publica, nam exprimenda non est, si sit occulta, neque enim Ecclesia velle potest gravissimam contrahentium diffamationem: *Sanch. l.8.disp.25.n.10.* Et quamvis ipse velit copulam occultam esse manifestandam dum petitur dispensatio pro impedimento a S. Pœnitentiaria, nihilominus id non esse necessarium alii affirmant: sicut etenim Dataria, vel Cancellaria etiam pro foro interno dispensat, etsi occulta copula non exprimatur, ita & dicendum de Pœnitentiaria, dum præter copulam adest alia legitima causa petendæ dispensationis, eo magis quia incestos cum consanguinea propria dispensatione non indiget: *Reinff. in append. Dispens. §.4.n.152.*

Dum pariter petitur dispensatio super impedimento affinitatis, exprimendus est gradus, & si inæqualiter Oratores distent, gradus propinquior, multiplicitas vinculi, si adsit, & copula præhabita juxta superius dicta de consanguinitate. Item quamvis non sit necesse explicare, an affinitas ex copula licita, vel illicita oriatur, dum petitur dispensatio pro tertio, vel quarto gradu, nam hæc affinitas oriri non potest nisi ex copula licita; id tamen exprimendum est si dispensatio pro primo, vel secundo gradu petatur; tum quia dispensatio difficilius conceditur quoad affinitatem ortam ex copula licita, tum quia cum hac concurrere potest publica honestas, non vero dum oritur ex copula illicita: *Sanch. l.9. disp.25.* Demum quoad affinitatem ex copula licita exprimendum est, an sit in linea recta, vel transversali, quia etsi daretur dispensatio in linea recta, v. gr. ad ducendum nepotem mariti defuncti, multo certe difficilius concederetur, quam in linea transversali, ut e. g. ad ducendam neptem ex sorore uxoris defuncti: *De Just. de dispens. l.3.c.4.n.152.* Non est tamen necesse id exprimere dum affinitas oriatur ex copula illicita, eo quod ex hac non oriatur notabiliter major reverentia ex linea recta, quam ex transversa: *Sanch. l.8. disp.24.n.14.*

Dum petitur dispensatio super impedimento cognationis spiritualis exprimendum est, an intercedat filiatio vel paternitas, aut maternitas, seu potius compaternitas, aut commaternitas, quia in paternitate spirituali difficillime dispensaretur, ut nempe pater ducat filiam spiritualem, non vero in compaternitate, quando nempe Compater ducere vellet Matrem hujus filiæ: *De Just. n.168.* Exprimi etiam debet, an cognatio spiritualis sit duplex, ut si eamdem prolem e fonte levaverit, & tenuerit in Confirmatione; vel si ejusdem unam prolem e fonte levaverit, alteram tenuerit in Confirmatione; vel si unus alterius liberos vicissim levaverit. Non multiplicatur autem spiritualis cognatio eo quod quis plures ejusdem filios e fonte levet, vel teneat in Confirmatione: *De Just. a n.169.* Cæterum exprimere non oportet, an spiritualis cognatio e Baptismo, vel Confirmatione oriatur, quia nihil, vel parum differunt: *Sanch. l.8. disp.24. n.15.*

CAPUT IV.

De impedimento Criminis, ejusque Dispensatione.

Q.I. QUæ sunt crimina dirimentia Matrimonium.

R.I. Hæc crimina oriuntur ex adulterio, & homicidio sub diversis circumstantiis. Primum crimen est adulterium cum promissione matrimonii, postquam alter conjux obierit: *can. relatum 31. qu. 1. c. propositum, c. venitus, cap. super hoc, cap. significasti de eo, qui duxit in Matrim. quam polluit per adulter.* Ita autem jura decreverunt, ne adulteri machinentur in mortem conjugis, ut possint inter se contrahere matrimonium. Ad hoc igitur impedimentum inducendum non est sufficiens sola promissio futuri matrimonii, quamvis reprobata per leges: *arg. cap. nulla Ecclesiastica de concess. præbend.*, sed ulterius oportet vere adulterium intervenire. Hoc vere non intervenit, si matrimonium peccantis non erat validum, si copula inter adulteros non sit consummata, & si uterque, vel unus ex peccantibus nesciat se committere adulterium; nam qui ignorat alterius matrimonium, non committit formaliter adulterium, & ita non datur adulterium respectu utriusque, ut requirunt SS. Canones: *cap. 1. & cap. penultim. de eo, qui duxit in uxor. &c.* Notant vero DD. quod etsi nullum inducatur impedimentum, quoties adulterium sequatur ante scientiam matrimonii, quamvis postea, illo cognito, accedat promissio matrimonii, bene vero inducitur, si promissio interveniat, non cognitu matrimonio, dum post illud cognitum sequatur adulterium; nam per subsequens adulterium eadem promissio veluti renovatur, & ita consurgit hoc impedimentum, quod datur dum simul interveniunt verum adulterium, & promissio matrimonii, ut dictum est: *Sanch. lib.7. disp.79.n. 32. & 34. Coninch. disp.31. d. 5. num.61.*

Ulterius ad hoc impedimentum inducendum, oportet simul dari adulterium, & promissionem, vivente eo-

dem

dem conjuge. Hinc si vivente eodem Conjuge interveniant adulterium, & promissio, non cessat impedimentum per revocationem promissionis, cum jam fuerit contractum. Cessaret vero, si post revocatam promissionem intervenitec adulterium, quia moraliter simul non conjungerentur. Item non daretur hoc impedimentum, si tam promissio, quam adulterium non interveniant, ut dixi, constante eodem Matrimonio; ut si quis vivente sua conjuge adulteretur cum Berta, at non illi promittat Matrimonium nisi post mortem conjugis. Idem dicendum, si quis constante primo Matrimonio adulteretur cum *Berta*, & deinde illi promitteret Matrimonium, postquam secundam duxit uxorem: *Sanch. l.7.d.79.a n.5.*, *Bonac. de Matrim. q.3.p.6.n.*12., *Averf.q.*18.*sect.* 3. Demum ad contrahendum hoc impedimentum necesse est promissionem fuisse externe sufficienter expressam, & saltem acceptatam, alias deficeret a ratione perfectæ pronunciationis, & nullam pareret obligationem: *leg. absenti ff. de pollicit.* Verum non necesse esse, quod sit mutua, fere communiter docent DD. *Sanch. l.7. dist.* 79. *n.* 20. *Pontius l.7.c.*41.*n.* 2.

R. II. Secundum crimen est adulterium, eo modo quo paulo ante dictum est, si una Matrimonium de præsenti cum adultera contrahatur: *c.* 1., *cap. veniens 7.c. final de eo qui duxit uxor & in c.* Quamvis igitur postea ob mortem conjugum isti liberi remanerent, non possent valide inter se Matrimonium contrahere. Sufficit autem præfatum Matrimonium fuisse attentatum, quamvis non consummatum, & ex alio quocumque capite nullum; nam jura solum intendunt punire Matrimonii attentationem, cum sciant ipsum esse nullum. Ita DD. communiter.

R. III. Tertium crimen dirimens Matrimonium est adulterium cum morte conjugis, sive ab adultero occidatur propria uxor, aut maritus adulteræ, sive adultera occidat suum virum, aut conjugem adulteri: *cap. super hoc, cap. significasti de eo, qui duxit in uxor. & c.* Dum vero interveniat adulterium non est necesse utrumque adulterantem in occisionem conspirare, sed sat est si unus ex eis; jura enim solum occisionem, & adulterium ad hoc crimen inducendum requirunt: *Sanch. lib.7. d.*78. *n.* 9. & communiter. Ad hoc autem impedimentum inducendum sequentes requiruntur conditiones. Primo, quod vere intercesserit adulterium, ut dixi in prima responsione. Quod fuerit consummatum; unde non sat est, si intercessissent sola oscula, & tactus obscœni: *Sanch. lib.7. disput.*79. & communiter. Quod peccantes sciant se vere cum persona conjugata peccare; unde si mulier peccaret cum conjugato, quem putaret solutum, posset cum eo valide contrahere Matrimonium, quamvis iste suam uxorem occidisset, revera etenim crimen non commisit contra conjugem occisam, cum putasset rem habere cum soluto: *Guttier. de Matrim cap.*105.*a n.*14.*Sanch.l.7.d.*8. Insuper ad hoc impedimentum inducendum necesse est, unum ex conjugibus, sive per se, sive per alium, conjugem innocentem de facto occidere, ut communiter docent DD. cum Glossa *in caput super hoc 3. de eo qui duxit & c. v. machinatio, arg. can. si quis vivente 5. caus.* 31. *q.* 1. Item necesse est conjugem innocentem eo fine necari, ut cum adultero Matrimonium contrahatur. Ratio est, quia ideo inductum est ab Ecclesia hoc impedimentum, ne conjux cupiditate cum alio contrahendi proprium conjugem occideret: *Guttier. cap.*105.*n.*16. *Pontius lib.7.cap.*45.*n.*5. *& communiter, arg. cap.* 1. *§. Ad hoc de convers. infidel. & can. si quis* 31. *q.* 1.

R. IV. Quartum crimen dirimens Matrimonium datur, quando vir, & mulier, etsi non intercedat adulterium, communi consilio in mortem alterutrius conjugis machinantur. Ita DD. communiter *arg. c.* 1. *de convers. infidel.* Oportet tamen ex dictis de facto conjugem occidi; atque eo fine occidi, ut ad invicem contrahant Matrimonium: *Pontius cit. Sanch. l.7.d.*78.*n.*3., *Palaus disp.* 2. *de Matrim. p.* 12. *n.* 5., *Bonac. q.* 3. *p.* 6. *n.* 5. & fere communiter.

Q. II. Quando impedimentum criminis sit dubium, adeoque non attendendum.

R. I. Primo, est dubium, quando inter eos, inter quos sequutum est adulterium, intervenit non vera, sed ficta promissio futuri Matrimonii. Ideo aliqui volunt etiam tunc consurgere hoc impedimentum, quia etsi promissio fuerit ficta, vere tamen movet conjugem fictionis inscium ad optandum, & forte ad inferendam mortem conjugi innocenti, quod voluerunt impedire SS. Canones, inducendo hoc impedimentum: *Sanch. lib.7.d.*79. *num.* 10. *De Justis lib.* 2.*cap.* 15.*n.*35. At bene oppositum dicitur, ficta enim promissio non est vera promissio, de qua putandum est loqui Sacros Canones. Præterea pœnalia sunt restringenda, dum præcipua non intervenit ratio adæquata, quam considerant leges, quæ fuit removere utrumque conjugem adulterum a machinanda morte conjugis: in casu autem fictæ promissionis hoc periculum solum esset respectu illius, qui eam veram esse judicaret: *Laym. tr.* 10.*p.* 4.*c.*10.*n.* 4. *Palaus disp.* 3.*p.*12.*n.*11. *Bonac.q.*3.*p.*6.*n.*8.

Item dubium esset hoc impedimentum ratione promissionis, quando uno ex adulteris Matrimonium promittente, alter taceret. Aliqui volunt talem taciturnitatem sumendam esse pro consensu, adeoque intervenire promissionem acceptatam, ut necesse est ad inducendum hoc impedimentum: *Coninch. disp.*31 *dub.* 5. *n.*58. *De Justis l* 2,*c.*15.*n* 33. Sed hujusmodi taciturnitatem non esse sumendam pro consensu alii dicunt; utpote quia tacens in odiosis non censetur consentire, hic autem consensus esset in præjudicium tacentis, utpote causans impedimentum: *Henriq. l.* 12. *de Matrim. c.*14. *n.* 3. *Anton. a Spir. S. disp.* 7. *n* 492. aliique.

R. II. Ratione adulterii reddi videtur dubium hoc impedimentum, quando non est plene consummatum, ut si vir extra vas seminaret, quamvis illud penetrasset. Si attendatur finis legis, fateor hoc impedimentum videri locum habere quocumque modo adulterium sequatur, quia semper dat occasionem optandi mortem coniugis innocentis, vel ipsam machinandi, quod jura voluerunt impedire. Nihilominus cum simus in odiosis videntur verba legis in stricta significatione usurpanda, adeoque intelligenda de adulterio perfecte consummato ratione seminationis intra vas fœminæ: *Sanch. lib.7.disp.*79.*Salmant. tract.* 9. *cap* 12. *par.*4.*n* 50.

Deinde ratione adulterii remanet dubium hoc impedimentum, quando unus ignoraret ignorantia etiam crassa & supina alterum esse conjugatum. Cum hæc ignorantia a peccato non excuset, sentiunt aliqui intervenire sufficienter adulterium ex utraque parte, sicut necesse est ad rationem hujus impedimenti: *Coninch. disp.* 31. *disp.* 5. *num.* 62., *Hurtad. disp.* 23. *diff.* 2. *num.* 7. Alii vero dicunt talem ignorantiam, licet culpabilem, excusare ab hoc impedimento incurrendo. Ratio est, quia dum agitur de ignorantia non juris, sed facti, quælibet excusat ignorantia; ut ex regula *ignorantia de reg. jur.* Præterea crimen adulterii exposcit ut cum dolo committatur; *leg. penult. ff. ad leg. Jul.*, quæcumque autem ignorantia, si non sit affectata, excludit dolum, juxta Glossam *in leg. Magna ignorantia ff. de v. s*, *Sanch. lib.* 7. *d.* 78. *n.* 38. *Aversf. q.* 18. *sect.* 3.

R. III. Ratione homicidii dubium est impedimentum criminis, dum exterius aliquo pacto non manifestetur occisionem fieri animo ducendi complicem delicti sive occisionis nempe adulterii. Ratio est, quia cum hæc pœna sit Ecclesiastica, oportet aliquo pacto fieri externam, neque etenim Ecclesia judicat quod est mere internum: *Hurtad. disput.* 23. *diff.* 1. *numer.* 3., *Pontius lib.* 7. *cap.* 95. *numer.* 4, *Diana part.* 9. *tract.* 6. *resol.* 25. Alii vero negant necesse esse hanc intentionem esse externam, utpote quia jura solum exposcunt ut homicidium ea fiat intentione, ut cum complice Matrimonium contrahatur. Verum tamen est eam intentionem ex parte utriusque non requiri: *Candid. disp.* 26. *artic.* 6. *dub.* 4. *conclus.* 6., *Sanchez lib.* 7. *d.*78. *num.* 13., quamvis ex dictis necesse sit utrumque concurrere ad homicidium, ut ratione ipsius, quando non intervenit adulterium, detur impedimentum dirimens.

Aliqui addunt quod dum impedimentum criminis oritur ex adulterio, & homicidio, adulterium præcedere debeat: *Coninch. disp.* 31. *num.* 54. *Basil. l.7.cap.*45. *nu.* 5. Quamvis igitur dum impedimentum criminis consurgit ex adulterio, & promissione futuri Matrimonii, nil referat, an adulterium, vel promissio præcedat, quia de hoc jus non curat: *arg. cap. fin. de eo, qui duxit uxor. quam polluit per adulter.*, & ex communi docet Sanch. *l.* 8. *d.* 79. *n.* 3. nihilominus aliud disponit, dum crimen oritur ex adulterio, & homicidio. Cum igitur jus nolit homicidium ab uno tantum commissum inducere impedimentum dirimens, nisi una cum eo interveniat adulterium, consequens est quod si non intercesserit adulterium, dum ab uno tantum patratur homicidium, non interve-

nit quidquid jus exposcit ad hoc impedimentum inducendum. Si Cajus igitur occideret propriam uxorem animo ducendi S jam post obitum Mariti ejusdem Sejæ, posset eo defuncto Sejam ducere, quamvis cum ea commisisset adulterium, nil etenim influxisset adulterium in mortem uxoris Caji, supposito quod adulteratus fuerit cum Seja post occisionem propriæ uxoris.

Q. IV. Quid exprimendum sit, dum petitur dispensatio quoad impedimentum criminis.

R. Cum impedimentum criminis solo jure Ecclesiastico dirimat Matrimonium, certum est Ecclesiam posse in eo dispensare. Exprimendum autem est, si hoc impedimentum ortum fuerit ex machinatione in mortem conjugis; an vero ex solo adulterio cum promissione futuri Matrimonii. In hoc casu facilius dispensatur; at dum intervenit homicidium, maxime ex utriusque machinatione; Papa numquam dispensat, præcipue pro foro externo; & dum dispensat pro foro interno quando homicidium est occultum, & unius tantum machinatione factum, requiritur urgentissima causa, & non dispensatur nisi injuncta gravi pœnitentia: *De Justis de dispens. l. 2. c. 6. n. 45.*

Si infideles antequam converterentur contraxissent Matrimonium cum aliquo ex præfatis criminibus, non indigerent dispensatione, dum ad fidem converterentur, quia tunc non erant subjecti legibus Ecclesiæ. Secus etsi unus tantum fuisset Christianus; nam sat est si impedimentum unum tantum ex contrahentibus afficiat, ut patet in impedimento Voti, Ordinis Sacri &c. *Sanch. l. 7. disp. 78. n. 3.*

CAPUT V.

De Impedimentis Disparitatis cultus, & violentia, sive metus.

Q. I. INter quos dirimat Matrimonium impedimentum disparitatis cultus.

R. I. Hoc impedimentum dirimit Matrimonium inter fidelem, & infidelem, sive inter Baptizatum, & non baptizatum. Fateor non facile invenire esse ubi hoc dirimens impedimentum decernatur, ut videre est apud Pontium *l. 7. cap. 47* at sat est, si de eo adsit receptissima in Ecclesia consuetudo, nam ipsa sufficienter habet vim legis.

R. II. Matrimonium inter Catholicum, & hæreticam, sive e contra, non est irritum; unde supponitur validum *cap. decrevit de Hæretic. in 6.* & communiter docent DD. Quod si aliqui textus contrarium innuere videantur, saltem certum est per universalem contrariam consuetudinem fuisse abrogatos. E contra certum est hujusmodi Matrimonia vetita esse ab Ecclesia: *can. oportet, can. cave 28. q. 1.* & id propter scandala, quæ exinde solent oriri, & propter periculum subversionis respectu conjugis catholici, vel saltem prolis nasciture. Cum igitur ob causas tam graves Ecclesia hujusmodi Matrimonia prohibuerit, non contraheretur sine gravi culpa Matrimonium inter personam hæreticam, & catholicam: *Gutt. de Matr. c. 104. n. 6., Gobath. tract. 9. cas. 6. n. 216.* & communiter. Multo magis illicitum esset hoc Matrimonium, quando interveniret pactum, ut de facto solet intervenire, quod filii in religione Patris hæretici, & filiæ in religione matris catholicæ educarentur. Ratio est, quia quivis parentum tenetur ex pietate, & jure divino curare ut filii æternam salutem assequantur, contra quam obligationem expresse esset prædictum pactum. Accedit etiam jure Ecclesiastico vetitum esse: *cap. final. de conversat. infidel. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4 c. 14. n. 3.*

Non desunt qui dicant licitum esse Matrimonium inter personam hæreticam, & catholicam in iis regionibus, ubi catholici permixti vivunt cum hæreticis, si absit periculum subversionis, id enim licitum fecit recepta consuetudo. Verum Theologi Germani, quibus quoad hoc omnino adnuendum est, dicunt in praxi semper adesse periculum ex tali Matrimonio, quamplura oriri peccata vel contra legem Ecclesiæ, vel ob periculum fidem amittendi, vel ratione pravæ filiorum educationis, adeoque talia matrimonia semper esse illicita: *Laym. & Gobath loc. cit. Sporer p. 4. cap. 1. sect. 1. n. 118.* Quod si in aliquo casu particulari tale abfuit periculum, Pontifices concesserunt iniri posse Matrimonium inter hæreticum, & catholicam. Cæterum jura a Doctrina generali supra tradita eximunt casum, in quo hæreticus velle fidem catholicam amplecti; nam tunc vere cessaret omne periculum subversionis: *can. non oportet 28. q. 1.* Solum nihilominus persona hæretica ad Matrimonium cum catholica ante conversionem esset admittenda, quando haberet justam causam conversionis differendæ, alias spes conversionis inanis videretur: *Laym. l. 5. n. 10. p. 4. c. 14.*

Q. II. Quo jure vis, sive metus dirimat Matrimonium; & an peccent contrahentes Matrimonium cum metu.

R. I. Non desunt Theologi affirmantes jure naturæ dirimi; at communis est solum dirimi jure Ecclesiastico. Ratio est; quia metus quantamvis gravis non tollit voluntarium, quamvis causet involuntarium secundum quid, ut dixi *tr. 1. q. 2. c. 2. quæst. 3.*, ubi autem aliquis contractus est voluntarius, habetur quod de jure naturæ necessarium est ad ipsius valorem. Item etsi Matrimonium ex metu contrahatur, non deest libertas de jure naturæ necessaria, quamvis ratione metus diminuatur, absolute enim quis posset non contrahere. Ita non adesset perfecta libertas, dum quis timore mortis contraheret Matrimonium: at nihilominus adesset libertas sufficiens. Hac ratione, *c. verum, & c. si vero de jurejurand.* dicitur validum juramentum metu gravi extortum, & tamen certum est ad juramentum libertatem requiri: *Bonac. de Matr. q. 3. p. 8. n. 8. Salmant. tr. 9. c. 9. n. 7.* Negari tamen non potest jure naturæ tale Matrimonium prohiberi; cum etenim Matrimonium importet vinculum indissolubile ordinatum ad mutuum amorem & societatem & ad generationem, & educationem prolis, non est conveniens contrahi metu, & coacte, cum hæc amori, & amicabili societati opponantur. Hinc etiam sequitur conveniens fuisse jure Ecclesiastico irritari, ut constat *in c. cum locum, c. consultationi tuæ, c. veniens il. 2. de Sponsal. & c. significavit de eo, qui duxit &c.* Ubi advertas, quod licet *c. cum loc. cit.* dicatur irritari Matrimonium coacte, vel ex metu contractum, quia in eo deest consensus, id non significat deesse consensum jure naturæ necessarium, bene vero consensum, qui jam tunc ex traditione, & forte jura etiam scripto requirebatur, quamvis de eo modo non constet: *Sanch. l. 4. disp. 14. n. 4.*

R. II. Certum est graviter peccare illum, qui incutit metum ad Matrimonium contrahendum, quia per injuriam extorquet ab alio rem gravem, & difficilem, quale est Matrimonium. Hac ratione puto cogentem debere postea valide contrahere Matrimonium, si pars coacta exposceret; ratio enim dictat injuriam illatam in eadam specie esse resarciendam, semper cui fieri possit, ut probat etiam text. *c. 1. de eo, qui duxit & c., Coninch. disp. 28. d. 1. n. 7., Bonac. de Matrim. q. 3. p. 8. n. 33.* Illum vero, qui coactus init Matrimonium, puto saltem non graviter peccare, vel verum consensum apponat, vel non. Ratio est, quia in aliis Sacramentis grave quidem peccatum sacrilegii est adhibere materiam, vel formam ineptam, sed hoc ideo, quia in iis ante esse Sacramenti nil præsupponitur, adeoque adhibendo formam, seu materiam ineptam, statim fit illis gravis injuria, eadem Sacramenta nulla reddendo. At in Matrimonio ante esse Sacramenti præsupponitur contractus, quo non subsistente, non consurgit Sacramentum; ac proinde qui coactus init Matrimonium non apponit consensum, vel etiam apponit; cum non subsistat contractus, quia a jure irritatur, non verificatur irreverenter se gerere contra Sacramentum; sed primo, & immediate apponere materiam, & formam ineptam contractui. Verum tamen est mentiri illum, qui contrahit sine consensu: *Palaus de Matr. disp. 2. p. 12. n. 13. Sanch. l. 4. d. 16. n. 6.*

Q. III. Qualis metus dirimat Matrimonium.

R. I. Suppono in præsenti quidquid dixi de metu *tract. 14. quæst. 1. cap. unic. quæst. 4.* His suppositis dicendum est primo metum levem, etsi injuste incussum, non dirimere Matrimonium. Ratio est, tum quia levis metus a jure pro metu non reputatur: *leg. nec timorem ff. de eo quod metus caus. & l. vani ff. de reg. jur.* Tum quia jus ad irritandum Matrimonium exposcit metum cadentem in virum constantem, adeoque gravem: *arg. cap. veniens, & cap. consultationi 28. de Sponsalib. Menoch. de præsumpt. lib. 3. n. 3. Sanch. l. 4 disp. 17. num. 2.* Hinc nec professio religiosa ex solo levi metu irritatur, *arg. cap. 1. 2. & penult. de his quæ vi metusve causa &c.*

R. II. Metus gravis non proveniens a causa libera, sed vel a causa intrinseca, ut si quis eligeret Matrimonium,

timens

timens mortem ob humorum abundantiam, vel a causa extrinseca, ut si eligeret Matrimonium timore infamiæ, jacturæ bonorum &c. iste, inquam, metus non irritat Matrimonium. Ratio est, quia in his casibus contrahens Matrimonium impellitur a seipso; nemine enim urgente eligit matrimonium ad hujusmodi mala vitanda: *Sanch. l. 4. d. 12. num. 3.* Item metus gravis non irritat Matrimonium, quoties ad illud extorquendum non incutiatur; ut si quis sua sponte eligeret ducere puellam, volens placare Patrem, cum quo gerebat inimicitiam. Ratio est, tum quia in jure non fit mentio, nisi de metu incusso ad Matrimonium extorquendum: *arg. cap. cum locum, & cap. veniens de Sponsal.* tum quia, cum in tali casu nemo ab illo Matrimonium extorqueat, jam ipsemet timens voluntarie illud exigit, ad malum, quod timet, vitandum: *Sanchez l. 4. disp. 12. num. 3.*, ubi hanc opinionem dicit certissimam. Quando etiam adhuc dubia esset, certum esset valere Matrimonium; cum ex alibi dictis in dubio pro illius valore semper standum sit. Demum ratione gravis timoris non irritatur Matrimonium, si sit juste incussus; nam jura irritantia ex hoc capite matrimonium, loquuntur de metu injuste incusso. Præterea jus non curat de diminutione libertatis, quoties juste diminuitur: adeoque quamvis & rescindi valeant cæteri contractus ex gravi metu initi, non tamen si metus juste incutiatur, quamvis fiant cum minori libertate: *arg. l. contract, & l. mulier ff. Quod metus causa &c.* Si igitur aliquis contraheret matrimonium metu excommunicationis ferendæ a Judice legitime minitante, vel alterius supplicii legitime inferendi, matrimonium omnino esset validum: *Sanchez l. 4. d. 13. num. 3.* & communiter.

R. III. Metus irritans matrimonium debet esse metus gravis, sive cadens in virum constantem, injustus, & incussus in ordine ad matrimonium contrahendum. Id sequitur ex jam dictis; & constat *ex cap. cum locum, & cap. veniens, junct. Gloss. ibid. v. utr.* nec est aliquis, qui neget hujusmodi metum dirimere Matrimonium.

Q. IV. An matrimonium ratione metus irritum per copulam, vel cohabitationem ratificetur?

R. Ut modo dicto tale matrimonium fiat validum, necesse est conjugem, qui ex metu contraxit, scire invaliditatem sui matrimonii, alias non consentiret in copulam, vel cohabitationem animo matrimonium ratificandi, sed quia erronee putaret suum matrimonium esse validum; atque ita non præstaret novum consensum, prout requiritur ad valorem matrimonii antea nulli: *Sanch. l. 2. disp. 4. num. 3., & d. 36. num. 2. Navar. in Man. 22. num. 76.* Deinde necesse est copulam, sive cohabitationem esse spontaneam; si enim ad valorem matrimonii non sufficit expressus consensus gravi metu extortus, multo minus tacitus per copulam, vel habitationem pari metu extortam *Mascard. de probat. conclus. 157. num. 36. Barbos. in cap. ad id 21. de Sponsal.* Sed cæterum suo loco de modo convalidandi matrimonium alias nullum.

Q. V. Quando hoc impedimentum sit dubium, adtoque non attendendum.

Tunc hoc impedimentum esset nullum, quando lis est inter DD., an metus vere dicendus sit gravis, & cadens in virum constantem. Ita dubium erit hoc impedimentum, si ex importunis precibus, & blanditiis matrimonium contrahatur; quamvis enim aliqui velint sufficere ad ingerendum gravem metum, propter gravem molestiam, quam animæ afferunt, aliis nihilominus placet affirmare se solis non inducere vim, & gravem metum; semper eum enim non conjugantur cum timore alicujus mali, vel cum metu reverentiali, ut paulo post dicam, videtur non tam difficiliter posse illis resisti. Utramque opinionem examinat inter alios *Sanch. l. 4. l. 7.*, & negativam judicat esse probabiliorem.

Idem esto judicium de metu reverentiali, quem habere solet uxor respectu viri, filii respectu Parentum, fratres, vel sorores minores respectu Fratrum, vel Sororum, quæ sint multo majores, Minor respectu Tutoris &c. Aliqui dicunt solum metum reverentialem inducere metum cadentem in virum constantem, utpote quia difficiliter negare aliquid solemus, si illud Superior exposcat: *Navar. in Man. cap. 22. numer. 50.* & alii apud Donatum *tom. 2. tract. 11. quæst. 10.* At magis communiter dicitur solum metum reverentialem

non causare metum cadentem in virum constantem, utpote quia non datur timor gravis mali, quoties solum vincenda sit repugnantia negandi aliquid Superiori, qui nihil, vel parum ex negatione offenderetur: *Sanch. l. 4. d. 6. n. 7. & 17., Less. de Just. l. 2. c. 17. n. 35., Laym. l. 4. tr. 5. c. 5. n. 6.* Si vero timori reverentiali, vel importunis precibus justus timor superaddatur, quod ex negatione Pater, vel quis alter Superior ad multum tempus erunt infensi, aspere loquuturi, superciliosi &c., quamvis nec ictus, nec verba injuriosa sint prolaturi, tunc respectu personæ timidæ, & rudis, puto, consurgere timorem cadentem in virum constantem. Ratio est, quia quamvis hujusmodi in aliis parvipendantur, ac etiam parvipendi soleant in Superioribus a personis animossioribus, non tamen parvipenduntur, nec leve malum reputantur respectu personæ timidæ, dum a Superiore proveniunt: *Sanch. l. 4. d. 6. n. 14., Less. cit.* & alii apud Leandrum *de matrim. disp. 16. q. 14.* Ita etiam innui videtur *can. puella 20. q. 1. & reg. 4. ff. de regul. jur.*

Tertio, puto dubium esse hoc impedimentum, quando quis ratione timoris eligit malum majus eo, quod timet; ut si quis ad vitandam mortem eligeret matrimonium in peccato contrahere. In hoc casu matrimonium dicitur validum, quia peccans ob vitandam mortem non agit ex timore viri constantis; ipsius etenim est semper potius quodcumque malum subire, quam peccare: *D. Th. in suppl. q. 47. art. 2. & in 4. d. 29. q. 5. art. 2.* aliique, quos sequuntur Salmanticenses *tr. 9. c. 9. q. 5. n. 26.* Aliis vero apud eosdem Salmanticenses *num. 27.* placet dicere illum vere operari ex timore cadente in virum constantem in ordine ad contractus, & matrimonium, qui operatur eo quod vere grave malum illi immineat, quamvis minus sit comparative ad illud, quod eligitur.

Quarto, dubium esset impedimentum, quando Judex secundum allegata & probata grave malum minitando juste aliquem cogeret ad matrimonium contrahendum, & aliunde de facto injuste cogeret, quia a parte rei non daretur causa illum cogendi. Hoc matrimonium non esse irritum pluribus videtur; nam cum in tali casu velit jus præsumptum reum ad matrimonium compellendum esse, non est credendum velle tale matrimonium esse irritum: *Sanch. l. 4. d. 13. n. 8. Anton. a Sp. S. d. 5. n. 233.* Aliis placet tale matrimonium dicendum irritum, quia illa coactio de facto est injusta, & justa solummodo ex falsa præsumptione: *Pont. l. 4. c. 19. n. 11.* & alii, quos sequuntur *Salmant. tr. 9. c. 9. n. 51.*

Q. VI. Quid observare debeat Judex, vel Confessarius in judicando quale malum causet metum cadentem in virum constantem.

R. Multoties spectat ad arbitrium Judicis decernere, quando tale sit malum, quod timetur, ut dici debeat inducere timorem cadentem in constantem virum: *lib. metus autem 3. ff. ex quibus caus. majores &c.* & ex communi Sperellus *decis. 5. for. eccles. an. 72.* Id autem ipsius arbitrio relinquitur, quoties jus aliquod malum non judicaverit sufficiens, vel insufficiens pro timore præfato inducendo; arbitria enim dantur, ubi certa regula non datur: *Sanch. l. 3. d. 5. n. 2.* Porro ex jure constat causare timorem cadentem in virum constantem metum gravem mortis, mutilationis, cruciatum corporis, servitutis, exilii, carceris diuturni, amissionis status, stupri, aut vis sive fœminæ inferendæ sive viro. Quoad hæc omnia passim afferunt Authores textus Legum. His addere debet Judex, sive Confessarius timorem gravis infamiæ, cujus jactura jacturæ patrimonii, immo morti, æquiparatur: timorem excommunicationis injuste inferendæ, quia ultra infamiam, quam solet afferre, gravissimum malum est ab Ecclesia etiam externe separari: timore amissionis notabilis partis bonorum; nam talis jactura jure optimo terret virum constantem. Ita communiter DD. Salmant. *tr. 9. c. 9. p. 1. an. 21.*

Præterea Judex, sive Confessarius in judicando de timore cadente in constantem virum, debet considerare malum, quod timetur, comparative ad personas; malum enim quod deterrere potest fœminam constantem potest non deterrere constantem virum; & quod deterrere potest senem, puerum &c. potest non deterrere juvenem fortem &c. *arg. l. 3. ff. quibus causis majores, arg. can. indignantur 32. quæst. 6.*, & nota Glossa *in cap. cum locum v. metus de Sp. Sanch. l. 4. d. 3. n. 2. & 4. Aversa de Matrim. q. 4. sect. 3.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Non raro accidit Amasium cum Amasia copulam habere; quod cum postea ex impraegnatione, vel alia causa deprehendatur, Parentes, vel Consanguinei nullum non movent lapidem, ut eamdem Amasiam ducat. Advertat ergo Parochus, quod si Amasius cogatur a Parentibus, vel Consanguineis puellæ, illi mortem, vel aliud grave malum minitando, matrimonium esset nullum, quia timor esset injustas, nempe incussus ab his, qui non possunt hujusmodi mala legitime inferre. Si vero inducatur ad matrimonium contrahendum ob timorem legitimæ accusationis apud Judicem, tunc quia metus esset omnino juste incussus, nullatenus invalidaret matrimonium.

II. Facile etiam accidit Amasium damnari quidem secundum allegata, & probata ad ducendam Amasiam, quando revera hujusmodi pœna in falsa fundatur præsumptione. Id intervenit dum istam a se ipso primo cognitam asserit, nec alios postea admisisse, quando revera utrumque falsum est. Cum igitur hoc matrimonium initum Judice compellente, probabile sit esse validum, videat Parochus, ne post ipsum initum, affirmet invalide fuisse contractum, si mulier ipsi detegat suas fraudes; constat enim ex ipsius dissolutione quamplurima mala eventura.

C A P U T IV.

De Impedimento Ligaminis, Publicæ Honestatis, & Impotentiæ.

Q.I. QUid sit impedimentum ligaminis.

R. Consurgit hoc impedimentum ex eo, quia persona aliqua jam contraxerit Matrimonium; cum etenim ratione Matrimonii alteri conjugi dederit potestatem in suum corpus, non remanet illi liberum alterum inire matrimonium, quo alteri potestatem in suum corpus tradat. Videat quæ dixi de polygamia; & cum ex ibidem dictis constat in lege gratiæ jure divinu prohibitam esse pluralitatem uxorum, consequens est Summum Pontificem non posse in hoc impedimento dispensare.

Q. II. Quid sit Impedimentum publicæ honestatis; unde oriatur, & inter quos dirimat Matrimonium.

R. I. Impedimentum publicæ honestatis jure Ecclesiastico dirimit Matrimonium cum consanguineis Sponsæ, & Sponsi. Cum igitur indecens esset, ut Sponsus, aut Sponsa matrimonialiter alicui conjungerentur, cujus consanguineo, seu consanguineæ, si non carne, mente, & animo ratione Sponsalium sive de præsenti, sive de futuro fuerant conjuncti, hinc est decrevisse Ecclesiam Sponsos non posse Matrimonium contrahere cum alterutrius consanguineis: *cap. ad audientiam 4. c. Sponsam 8. de Sponsal.* aliisque canonibus.

R. II. Certum est impedimentum publicæ honestatis oriri ex Sponsalibus de futuro, ut constat ex juribus citatis. Item certum est oriri ex matrimonio rato & non consummato; si etenim ratione conjunctionis animorum, quæ datur in Sponsalibus de futuro, consurgit hoc impedimentum, multo magis ratione matrimonii rati, cum in eo fortinr sic animorum conjunctio: *Sanch. l. 7. d. 70. n. 1.*, *Fagnan. in cap. ad audientiam cit.* & communiter. Id etiam inferunt DD. ex *can. si quis dispensaverit*, & *can. si quis uxorem 27. q. 2.* ut videre est apud Pontium *l. 7. c. 35. n. 2.*

R. III. Ratione Sponsalium de futuro, si sint valida, hoc impedimentum ex jure novo Tridentini *sess. 24. c. 3.* non excedit primum gradum consanguineorum Sponsi, & Sponsæ. Dixi, si sint valida; nam idem Concilium decernit non oriri hoc impedimentum ex Sponsalibus *quacumque ratione* fuerint invalida. Scio non deesse DD. qui velint ex Sponsalibus solum invalidis ex defectu interni consensus oriri hoc impedimentum, utpote quia indecens videtur Sponsum contrahere cum Sorore Sponsæ, cum qua externe apparet Sponsalia valide contraxisse: *Sanch. l. 7. d. 68. num. 14.*, *Pontius l. 7. c. 36. num. 50.* Verum dicendum est in hac materia non attendendum præcise quid in foro externo appareat; alias ex Sponsalibus veris, sed occultis nullum oriretur impedimentum: tunc etenim nulla externa esset indecentia si Sponsus duceret sororem Sponsæ. Spectanda ergo est natura rerum & cum Tridentinum dicat non oriri impedimentum publicæ honestatis ex Sponsalibus *quacumque ratione invalidis*, ideo bene dicitur non oriri ex Sponsalibus nullis defectu interni consensus. Saltem autem, ex dictis, dubium remanet, an hoc impedimentum sit inducendum ex sponsalibus solum ex defectu interni consensus invalidis, adeoque non est attendendum. Item dicas ex eadem ratione de Matrimonio rato, quod vult Sanchez inducere impedimentum publicæ honestatis, si solum sit invalidum defectu interni consensus.

Dixi etiam impedimentum publicæ honestatis oriri ex Sponsalibus, si sint absoluta. Si igitur sint conditionata, non consurgit hoc impedimentum ante adventum conditionis, quia ante illam revera non subsistunt. Qui igitur talia contraxisset Sponsalia, posset valide, non tamen licite, ante adventum conditionis ducere Sororem illius, cum qua hujusmodi sponsalia contraxerat: *Sanch. d. 69. n. 1.*

R. IV. Impedimentum publicæ honestatis oritur etiam ex matrimonio rato non consummato, & cum S. Pius in Constitutione 62. *Ad Romanum* hoc impedimentum, prout proveniens a Matrimonio rato, perseverare velit *in omnibus illis gradibus, & casibus, in quibus de jure veteri dabantur*, ideo tria sunt affirmanda. Primum est hoc impedimentum extendi ad consanguineos utriusque Conjugis usque ad quartum gradum, quia ita erat de jure veteri: *cap. non debet de cons. & affin.* Secundum, oriri etiam ex matrimonio rato invalido, dummodo non sit invalidum defectu consensus, juxta *c. Sponsam de Spons. & c. accessit de despons. impuber.*

Hinc dicendum est impedimentum publicæ honestatis non oriri ex sponsalibus, aut matrimonio per errorem, sive per metum initis sicut & ex matrimonio inito ab impuberibus, dum malitia non suppleat ætatem, quia jus in his casibus vult non adesse consensum sufficientem. Quia tamen Matrimonium impuberum, si ex aliis capitibus non fuerit nullum, habet vim Sponsalium, ut *ex cap. tuæ nos nobis de despons. impuber.*, ideo inducet impedimentum publicæ honestatis, quale consurgit ex Sponsalibus. Aliqui asserunt nec consurgere impedimentum publicæ honestatis ex Matrimonio clandestino, utpote quia putant nullum esse etiam ex defectu legitimi consensus: *Sanchez l. 7. d. 70. num. 13.* At non satis probabilem crederem hanc opinionem; nam in omni matrimonio ex quocumque capite nullo deest legitimus consensus. Supposito ergo clandestine contrahentes vere consentire, ex hoc Matrimonio ob defectum solemnitatis nullo, orietur impedimentum publicæ honestatis.

Tertium est, quod Matrimonium ratum invalidum nullum inducit impedimentum in præjudicium priorum sponsalium, *ex cap. unic. de Sponsal. in 6.* Si proinde post Sponsalia valide contracta cum Berta ducat Titius ejus Sororem, antequam cum ista rem habeat, potest cum Berta valide inire conjugium. Ratio est, quia Matrimonium cum Sorore nullum est ob sponsalia prius inita cum Berta; & aliunde jus, ut dixi, vult ex matrimonio nullo nullum consurgere impedimentum contra priora Sponsalia. Quod si sponsalia prius inita cum Berta fuerant antea mutuo consensu dissoluta, tunc matrimonium ratum postea contractum cum Sorore, quamvis invalidum, induceret impedimentum publicæ honestatis, quia tunc non esset in præjudicium priorum Sponsalium, qua ratione sancitum fuit non inducere tale impedimentum: *Salmant. tract. 9. cap. 12. n. 90.*

Q. III. An impedimentum publicæ honestatis semper duret.

R. Indubitatum est impedimentum publicæ honestatis ortum ex matrimonio rato semper durare; atque idem communiter asseritur, si oriatur ex sponsalibus, & solummodo ob mortem sponsæ dissolvantur: *capit. sponsal. de Sponsal.*, *can. si quis uxorem 27. q. 2.*, & *can. fraternitatis 35. q. 10.* Magna autem erat controversia, an cessaret impedimentum publicæ honestatis, quoties sponsalia dissolverentur ex mutuo consensu, vel ex aliqua justa causa, de quibus dixi *q. 1. c. 3.* Et quidem cessare affirmabant Palaus, Pontius, Guttierez, aliique insignes Theologi, quos affert & sequitur Barbosa *de Offic. & Potest. Episc. alleg. 51. n. 188.* Sed modo recedendum non est a contraria opinione, utpote quia eam amplexa est S. Congregatio, eamque Alexander VII. approbavit, ut referunt

runt per extensum *Gobat. tr. 9. cas. 15. num. 358.*, *&* *Pagnan. in cap. ad audientiam de Sponsal. num. 29.* Ratio opinionis adversæ ea erat, quod impedimentum publicæ honestatis ex Tridentino non oritur ex Sponsalibus invalidis, adeoque nec ex Sponsalibus legitime dissolutis, utpote quæ sunt invalida. At hæc ratio non convincit, quia Tridentinum vult hoc impedimentum non oriri a Sponsalibus ab initio invalidis, non vero si postea invalidentur; unde si semel fuerit contractum, non est postea in libertate sponsorum se ab eo liberate dissolvendo Sponsalia; sicut enim inductum est ab Ecclesia sine ipsorum voluntate, ita solum ab ea potest auferri.

Q. III. Quænam exprimenda sint, dum petitur dispensatio super impedimento publicæ honestatis.

R. Omnino constat Papam posse super hoc impedimento dispensare, cum solum jure ecclesiastico inductum fuerit. Dum vero petitur dispensatio super secundo gradu &c. non opus est exprimere, an hoc impedimentum ex matrimonio rato, vel solum ex spon salibus oriatur, nam solum ratione matrimonii oriri potest. Remanet ergo ut solum exprimendum sit ex quo oriatur, dum petitur dispensatio super primo gradu; si etenim oriatur non ex sponsalibus, sed ex matrimonio rato, vinculum fortius continet: *De Justis lib. 1. cap. 4. n. 152.*

Q. IV. Quid sit impotentia, & quotuplex.

R. I. Impotentia quoad præsens est inhabilitas habendi copulam perfectam nempe penetrandi vas fœminæ, ibique seminandi: *Sanchez lib. 7. d. 92. num. 7. &* communiter.

R. II. Hæc impotentia multipliciter dividitur. Primo, alia est naturalis, & intrinseca, alia accidentalis & extrinseca. Naturalis oritur ab ipsa natura, vel dum nempe ob arctitudinem fœminæ ipsius vas non possit a viro penetrari; vel dum ex frigiditate vir non habet spiritus sufficientes ad vas penetrandum; seu si ex nimia caliditate ita præpropere semen emittat, ut illud in vas fœmineum non possit immittere: *D.Th. in 4. d. 34. qu. unic. art. 2. ad 6.* Impotentia extrinseca non a natura, sed hominum opera oritur, ut ex maleficio, & castratione.

Secundo, dividitur in perpetuam, & temporalem. Prima datur, quando removeri non potest sine periculo vitæ: *arg. cap. fraternitatis de frigid.*, vel neque per exorcismos Ecclesiæ, si oriatur ex maleficio. Non cessat autem esse perpetua, quia temoveri posset miraculo, ut dicitur *cap. cit.*, vel etiam medio illicito, puta per contrarium maleficium, illud enim dicitur possibile, quod licite fieri potest: *can. fraternitatis 22. q. 2.*, *junct. Gloss. V. quod potest.* E contra temporalis dicitur, quando removeri potest per media naturalia, quamvia cum gravi incommodo, vel per Ecclesiæ exorcismos.

Tertio dividitur in absolutam, & respectivam. Absoluta datur, quando ita se habet respectu omnium alterius sexus, ut cum nulla illius sexus persona possit habere copulam perfectam. Respectiva datur, quando impotentia datur respectu unius, vel plurium personarum, sed non respectu omnium. Ita vir debilis coire poterit cum fœminis jam corruptis, non vero cum Virginibus. Item aliquis non poterit cum fœmina, quæ respectu ipsius erit nimis arcta, & tamen coire poterit cum alia. Idem evenit quando quis ex maleficio non potest cum una, vel altera coire, bene tamen cum aliis.

Q. II. Quando impotentia dirimat matrimonium.

R. I. Dum impotentia est perpetua, statim dirimit matrimonium. Ratio est, quia de essentia matrimonii est obligatio ad reddendum debitum conjugale, & traditio corporis ad eumdem finem, hæc autem obligatio, & traditio verificari non potest ex parte perpetuo impotentis, cum nemo det quod non habet, ut *ex reg. 70. de regul. jur. in 6.*, & impossibilium nulla sit obligatio: *leg. 185. ff. de reg. jur. in 6.* Sicut ergo impotentia perpetua respectu omnium reddit ita impotentem inhabilem ad quodcumque matrimonium, ut constat etiam ex toto titulo de frigidis, & Maleficiatis; ita impotentia perpetua respectiva reddit irritum matrimonium respectu illius personæ in ordine ad quam datur talis impotentia: *Sanchez lib. 7. d. 93. n. 5.*, *Guttier. de matrim. cap. 113. a n. 1.*

Oportet tamen hanc perpetuam impotentiam matrimonium antecedere illud enim non dirimit, si subsequatur, cum sit de sua natura indissolubile, & constat *ex can. hi qui 32. quæst. 7.* Et cum etiam matrimonium ratum sit indissolubile, dicendum hanc impotentiam non dirimere matrimonium, etsi antecedat matrimonium consummatum, si non antecedat etiam ratum. Ita communiter Canonistæ *in cap. ex litteris de frigid. &c.*, ut ibidem apud Barbosam *num. 2.* Verum tamen est, quod si dubium sit an perpetua impotentia præcesserit, vel supervenerit matrimonio jam contracto, judicandum est præcessisse. Et quidem quoad impotentiam naturalem concors est DD. sententia, quæ enim a natura insunt, semper inesse præsumuntur: *Menoch. de præsumpt. lib. 1. præs. 14. num. 3.* Idem etiam dicendum de impotentia accidentali, ex maleficio e. g. proveniente; quamvis enim dum matrimonium habere potest suum effectum, in dubio semper judicandum sit pro ipsius valore, ut communiter tradunt Canonistæ *in cap. licet ex quadam in fin. de test. & attest.* non tamen ita judicandum, dum adest perpetua impotentia; nam tunc potius consulendum est bono prolis, & periculo incontinentiæ, adeoque judicandum impotentiam præcessisse, ita etenim conjux potens potest aliud matrimonium contrahendo, filios generare, & a se removere periculum incontinentiæ. Hinc *cap. final. de frigid.* ubi erat sermo de impotentia orta ex maleficio, nam vir potuit cum alia congredi, post triennalem cohabitationem præcipitur matrimonium annullari, quod fieri non potuisset nisi præsumendum esset potentiam matrimonium præcessisse: *Sanchez lib. 7. d. 103. a numer. 5.*, *Guttier de Matrim. cap. 106. num. 2.*, *Mascard. sic probat. concl. 816. num. 19.*, *& concl. 1027. n. 3.*

R. II. Impotentia temooralis non dirimit matrimonium, ut decisum habetur *cap. fraternitatis de frigid.* constat etiam rationa, quia hæc non impedit ut conjuges non tradant sibi invicem suum corpus ad filios procreandos, quamvis aliquo tempore possit ipsius executio. Limitatur hæc doctrina in matrimonio impuberum, quod a jure irritatur, quamvis ipsorum impotentia sit temporalis; *cap. 2. de fribid. & malef.*, *cap. continebatur de desponf. impuber.*

Q. III. An Conjuges teneantur removere impotentiam coeundi.

R. Casus evenire potest respectu mulieris nimis arctæ; ac proinde inquiri potest, an teneatur pati incisionem, ut se reddat habilem ad copulam. Et quidem certum est non teneri pati incisionem cum mortis pariculo; nam ultraquamquod præsumi haud possit voluisse se cum tanto periculo obligare, talis impotentia antecedens matrimonium, quæ nonnisi hoc medio auferri possit, perpetua dicitur, adeoque matrimonium nullum est. Sed puto neque teneri pati incisionem cum gravissimæ infirmitatis periculo, cum credi non possit voluisse se ad hoc obligare. Præterea difficile est in praxi periculum gravia infirmitatis a periculo mortis separari: *Sanchez lib. 7. disput. 93. numer. 32.* E contra omnes docent teneri pati incisionem, etsi habitura sit gravem dolorem & molestiam, semper cum fieri possit sine præfatis periculis. Ratio est quia, cum conjuges sibi invicem corpus tradiderint ad generationem, tenentur removere impedimenta ad hunc finem assequendum. Nec refert talem remotionem grave incommodum allaturam; nam consurgit obligatio illud petendi, quoties non inducere possit periculum gravis infirmitatis, quia tunc incommodum tale non est, ut rationabiliter non sit tolerandum.

Hæc tamen doctrina limitanda est, quoties impotentia oriretur defectu viri, & non fœminæ; ut si vir ex sua debilitate cognoscere non posset Virginem. Ratio est, tum quia per ipsam non stat, quin matrimonium consummetur; tum quia tradidit corpus suum Viro ad aperiendum claustrum virginale modo a natura destinato, adeoque non alia nisi instrumento virili: *Pont. cap. 62.*, & alii, quos sequitur *Diana 3. part. tr. 4. res. 101.* Poterit tamen alio instrumento apertionem pati, si velit; & si nolit, adhuc matrimonium subsistit, quia impedimentum esset removibile.

Q. IV. Quid agendum quando dubitatur, an vere adsit impotentia; vel an sit perpetua.

R. Suppono quod dum certo ab initio constaret de impotentia, eamque esse perpetuam, statim judicandum esset de nullitate matrimonii. Item suppono peccare mortaliter contrahentem matrimonium si dubitet, an laboret perpetua impotentia coeundi, infert enim injuriam

alteri parti, & Sacramento matrimonii, illud exponendo periculo irritationis; *Sanchez lib. 7. d. 103. num. 10.*, *Guttier. de matrim. cap. 116. num. 3.* Dum nihilominus dubium est de eadem impotentia, vel an sit temporalis, vel perpetua, conceditur a jure integrum triennium ad explorandum, an possit haberi copula perfecta: *arg. cap. laudabilem 5. de frigid. &c. & cap. final. ibid.* adeoque ita communiter docent DD. Tempus autem triennii computandum est a die copulæ attentatæ, ut cum Glossa *in cit cap. laudabilem* communiter docent DD., conceditur etenim ad explorandum, an impotentia sit perpetua, quæ exploratio solum attentione copulæ inchoatur. Elapso vero triennio absque eo quod potuerint habere copulam perfectam, non amplius illis licet eam attentare, nam tunc præsumitur perpetua.

Verum tamen est, quod si matrimonium tunc dissolvatur, ut revera dissolvendum est, & postea appareat impotentiam non fuisse perpetuam, quia vir factus est habilis ad copulam, tunc cum per errorem pronunciatum fuisset matrimonium esse nullum, iterum esset reintegrandum, & hoc quamvis, qui perpetuo inhabilis judicatus fuit, aliud matrimonium contraxisset: *cap. laudabilem, cap. Fraternitatis de frigid.* Hoc tamen verum non est, si impotentia ablata fuerit per miraculum; si ope Dæmonis &c., nam id non prohibet quin talis impotentia bene judicata fuerit perpetua: *Sanchez lib. 7. disp. 24.*

Q. V. An sterilitas inducat impedimentum impotentiæ.

R. Semper cum haberi possit copula perfecta cum effusione veri seminis inter vas muliebre, nullum adest impedimentum ratione sterilitatis. Ratio est, quia semper cum haberi possit copula perfecta, per accidens est, si non sequatur generatio; de rebus autem judicandum est secundum quod sunt per se, non secundum quod sunt per accidens. Accedit, sterilitatem in Juvenibus multoties progressu temporis corrigi. Quia sterilitas nullum inducit impedimentum, Ecclesiam numquam Senum reprobavit matrimonium, dummodo copulam perfectam valeant habere. *Sanch. lib. 7. d. 98. num. 24. de matrimonio cap. 112. num. 12. Barbos. in cap. 2. de frigid. &c.*, aliique communiter apud ipsum. Multo minus declaravit irritum matrimonium illius, qui instante morte, ob salutem animæ, vel ad filios legitimandos duxit concubinam; omnes enim fatentur esse validum, teste Barbosa *in caput tanta qui filii sint legitim. num. 8.* Solum invalidum esset, quando constaret vi morbi potentiam generandi penitus fuisse destructam, quamvis non obstet hic, & nunc ægrotum, dum contrahit matrimonium, copulam habere non posse, nam solum per accidens esset impedita: *Palaus de Spons. d. 14. §. 2. n. 6.*

Dixi initio responsionis steriles non esse inhabiles ad matrimonium, dum verum semen emittere possint, nam sine ipso non intelligitur haberi posse copula perfecta, qualis requiritur ad matrimonium. Hinc nullum esset Matrimonium Spadonum, & Castratorum utroque carentium testiculo, ut declaravit Sixtus V. rescribendo ad Legatum Hispaniarum, sicut passim testantur Authores. Ex prædictis autem omnino dicendum est contra *Sanch. l. 7. d. 102. n. 6.* virum cui post Matrimonium utroque testiculus amputetur, non posse cum conjuge copulam habere. Ratio est, quia uxoratis solummodo licita est copula naturalis apta ad generationem, ad hanc etenim copulam exercendam fit mutua corporum traditio; talis autem non est copula, in qua vir non emittit verum semen; immo talis copula ita se habet, ac si sola mulier seminaret, quam copulam nemo dicit licitam. Nec refert talem cupulam deservire posse ad sedandam carnis concupiscentiam, nam id non est licitum uxoratis, nisi per copulam naturalem: *Rosignol. prænot. 6. n. 7.* & alii apud *Dian. tom. 2. tr. 6. resol. 165.*

Q. VI. Quid dicendum de Matrimonio Hermaphroditi?

R. Cum Hermaphroditus juxta sexum, qui prævalet, vir, aut fœmina reputetur: *l. Quæritur 10. de Stat. homin.*, in contrahendo Matrimonio reputatur vir, si talis sexus prævaleat, & e contra: *Sanchez lib. 7. disp. 106. num. 4. Guttier. de Matrim. c. 110. num. 1.* Quod si aliquis sexus ita prævaleat, ut etiam secundum alium vel ut vir, vel ut fœmina sit habilis ad Matrimonium, potest licite, & valide etiam secundum hunc sexum contrahere, nullo enim jure impeditur: *Pontius lib. 7. cap. 65. num. 8.* Debet tamen jurare coram Judice Ecclesiastico numquam in posterum copula usurum nisi secundum sexum semel electum. Idem Juramentum præstare debet Hermaphroditus, dum nullo prævalente sexu eligit vel ut vir, vel ut fœmina nubere: *Sanch. l. 7. d. 106. n. 5.*, *Guttier. c. 119.* Verum tamen est, quod si conjuge defuncto, cui nupsit ut vir, contraheret novum Matrimonium ut mulier, secundum quem sexum etiam esset habilis, tale Matrimonium illicitum utique esset, sed validum, nullum enim jure irritaretur.

Hic autem obiter advertas quandoque fœminam in marem erupisse, qua de re vide Barbosam in Votis decisivis *l. 4. Vot. 100.* unde disputant Theologi quid dicendum, si jam tamquam fœmina contraxerit matrimonium. Essemus autem extra quæstionem, si simul cum sexu virili fœmineus perseveraret, nam tunc in usu matrimonii deberet perseverare se habendo tamquam feminam. At si ita erumpat sexus virilis, ut fœmineus non perseveret, vult Tamburinus *tract. 1. cap. 12. §. 1. numer. 34.* tale Matrimonium ab initio fuisse invalidum; exposcit enim ad valorem matrimonii perpetuitatem juxta sexum, secundum quem contrahitur. At melius dicitur cum de *Lugo respons. moral. lib. 1. d. 31.* tale matrimonium ab initio fuisse validum, supposito enim vere tunc adfuisse sexum femineum, aderat quidquid pro tunc necesse erat ad valide contrahendum matrimonium. Invalidatur igitur Matrimonium eo instanti, quo fæmina erumpit in virum, nam Matrimonium inter duos viros consistere non potest.

Q. VII. Quando impedimentum impotentiæ reputandum sit dubium, adeoque nullum.

R. Impedimentum impotentiæ dubium esset, quando removeri non posset sine gravi morbo, aut læsione magna, & diuturna. Quamvis igitur periculum vitæ non immineret, multi tunc asserunt talem impotentiam reputandam perpetuam, quia durissimum esset velle conjugem arctam cum tanto incommodo aptam ad copulam reddere. Magis communiter nihilominus docent solam impotentiam, quæ non possit removeri sine periculo vitæ, seu sine miraculo, aut peccato, reputandam esse perpetuam: *Sanch. lib. 7. d. 93. numer. 17.*, alii, quos sequitur Barbosa *in cap. fraternitatis hæc autem de frigid.* Item judicandum est adhuc dubium esse impedimentum, si post triennale experimentum haberi non possint signa certa impotentiæ, & interim unus conjugum affirmet habitam fuisse copulam consummatam, alter vero neget. Ratio est, tum quia melior conditio possidentis. Tum, quia si fœmina affirmet, videtur illi credendum, cum verosimile non appareat velle habitare cum viro ad copulam impotente. Tum, quia si affirmet vir, videtur illi credendum, potius, quam mulieri: *Sanchez lib. 7. dist. 109. numer. 2. Engel. de Frigid. &c. numer. 6.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Si Confessarius advertat aliquod matrimonium nullum fuisse propter Impotentiam, & certo non appareat esse perpetuam, moneat Conjuges per integrum triennium posse ad copulam conari, etsi seminent extra vas &c. fortasse enim, si non moneat, ex conscientia erronea se peccare putabunt. Si vero ab ipso initio constet de perpetua impotentia, vel de amplius dubitare non liceat post triennale experimentum, tunc prudens Confessarius videat, an velint simul cohabitare tamquam frater, & soror longe ab omni periculo incontinentiæ, & an talis bonitatis sint, ut credi possit ita cohabitaturos. In tali casu cohabitationem illis permittunt jura: *cap. consultationi de frigid. & malef.*, *cap. laudabilem ibid. can. requisisti 33. q. 1.* Cæterum in praxi talem cohabitationem periculo non carere docent communiter, & inter alios *Guttier. l. 1. can. qq. 16. c. 18.* Et quidem, quamvis conjugibus, quibus impotentia supervenit post matrimonium legitime contractum, liceant oscula, amplexus, tactus etiam, ut aliqui asserunt, cum periculo pollutionis, dummodo sine consensu in illam, ut videre est apud *Sanch. lib. 9. d. 45. Sporer in Theol. Sacramental. p. 4. cap. 3. §. 4. n. 645.*, hæc omnia illicita sunt iis qui cum perpetua impotentia contraxerunt. Omnino proinde statim essent separandi, si velent in eodem lecto cubare, vel aliqua ex prædictis habere, seu rationabiliter timeretur ab iis non esse cessaturos, qui timor, ut dixi, facillime aderit.

II.

II. Si unquam accidat Parochum assistere debere matrimonio Hermaphroditi, utique poterit assistere, quoties contrahere velit juxta sexum prævalentem, & aliunde juxta alterum sexum habilis non sit ad matrimonium. Si vero juxta utrumque sexum sit habilis, non debet illius matrimonio assistere, si prius non compareat coram Judice Ecclesiastico, & juramento in perpetuum renunciet alteri sexui, juxta quem non contrahit.

CAPUT VII.

De impedimento Clandestinitatis.

Q. I. IN quo consistat impedimentum dirimens clandestinitatis, & de qualitatibus Parochi, sive alterius, qui assistere debeat matrimonio.

R. I. Hoc impedimentum explico verbis Tridentini *sess. 23. de ref. matrim. c. 1.*, ubi hæc habet: *Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos, S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.*

R. II. Ut matrimonium non sit irritum ratione clandestinitatis, oportet ex Tridentino citato ipsi assistere Parochum, quo nomine certe venit etiam Ordinarius, & Vicarius Generalis. Sufficit autem Parochus alterius Sponsi, ut communiter docent Theologi, cum etenim contractus matrimonii sit individuus, consequens est quod qui potest assistere matrimonio unius, possit etiam assistere matrimonio alterius cum ipso contrahentis: *argum. leg. si commune* 10. *ff. quemadm. servit. amitt.* Non oportet autem hujusmodi Parochum esse Sacerdotem, nam etiam non Sacerdos est verus Parochus, quoties sit assumptus ad Ecclesiam Parochialem: *cap. licet canon. cap. statutum de elect. in 6., Sanchez l. 3. d. 20. a num. 3., Guttier. de matrim. cap. 62. num. 16.*, & communiter. Item valide, quamvis illicite, assistit matrimonio, etsi id illi prohibuerit Episcopus, quia per hoc non cessat esse verus Parochus; & constat etiam ex declaratione S. Congregationis apud Fagnanum *in cap. litera quos de matrim. cont. interd. Eccles. num. 5. & seqq.* Item esset validum matrimonium celebratum coram Parocho suspenso, interdicto, vel etiam excommunicato vitando. Ratio est, quia usquedum beneficio non privetur, est verus Parochus. Ulterius quando verificetur assistendo exercere aliquam jurisdictionem, hæc solummodo erit voluntaria, non contentiosa, nullibi autem reperitur a jure invalidari hunc actum jurisdictionis voluntariæ, exercitæ a Parocho, dum assistit matrimonio. Dici etiam potest nullam exercere jurisdictionem, sed tantum assistere sicut testem qualificatum. Sicut igitur infames possunt esse testes matrimonio, ita & Parochus excommunicatus: *argum. cap. tantæ de Simon, Sanchez lib 3. d. 20. n. 4., Pontius l. 5. cap. 17. num 6.* Adsunt etiam qui asserant nullatenus peccaturum hujusmodi Parochum, quia nec Ordinem exercet, nec Sacramentum administrat. Mihi autem videtur nedum venialiter, sed etiam mortaliter peccare, semper cum sine necessitate id faciat, quia in re gravi, & sacra, quamvis vitandus, communicat cum Fidelibus: *Pont. l. 5 cap. 17. num. 1., Coninch. d. 27. d. 2. num.* 24 Demum ad valorem matrimonii sat est assistentia Parochi, qui talis reputetur ex errore communi, & titulo colorato, nam hic valide exercet quoscumque actus ad tale officium pertinentes, ut dixi *tract. 15. q. 2. cap. 3. quæs.* 2.

R. III. Ut alter præter Parochum valide assistat matrimonio, primo debet esse Sacerdos, & ab Ordinario, seu Parocho delegatus, ut constat ex verbis Tridentini supra citati. Quod si Sacerdos sit, quamvis non sit Curatus, vel si sit excommunicatus, interdictus &c. valide assistit matrimonio, neque enim Concilium plus requirit ad delegationem, quam esse Sacerdotem: *Sanchez l. 3. d. 20. num. 10., Laym. l. 5. tract. 10 part. 2. cap. 4. num. 4.* Licentia vero assistendi matrimonio sat est, si quocumque modo tradatur, nempe vel voce, vel scripto, vel alio signo, vel concedendo facultatem ad omnia munera parochialia; Tridentinum etenim non aliud exposcit nisi ut adsistat de licentia Ordinarii, aut Parochi: *Sanchez d. 35. num. 6. & seq.* Idem communiter dicitur dum Capellano generaliter conceditur a Parocho *Cura Animarum* in sua Parochia, nam sub tali generali concessione constat venire etiam posse assistere Matrimonio.

Q. II. An ad assistendum matrimonio requiratur Parochus domicilii, sive originis.

R. I. Non assistit valide matrimonio Parochus originis, sed omnino pertinet ad Parochum domicilii, seu habitationis. Ratio hujus conclusionis desumitur ex dispositione Tridentini, quod vult matrimonio assistere debere proprium Parochum, hic autem est solus Parochus habitationis, tum quia unusquisque dicitur Parochianus a Parochia, in qua habitat: tum quia ille est proprius Parochus, qui debet ex officio administrare Sacramenta, & potest aliis licentiam dare, ut administrent, & hoc solum pertinet ad Parochum habitationis; tum demum quia ille dicitur proprius Parochus, cui portio cannnica est tribuenda, & hæc solum Parocho habitationis tribuitur: *San. l. 3 d. 23. a. 7., Gobath. tract. 9 cas. 18. n. 486.*, & communiter. Accedunt declarationes S. Congregationis apud Reinffst. in *l. 4. Decret. tom. 3. §. 2. n. 58. & 60.*

Illud etiam observandum communiter docere Theologos proprium Parochum etiam quoad contrahendum matrimonium dici illum, in cujus Parochia quis habet quasi domicilium; hoc est, ubi habitat per majorem partem anni, quamvis animum non habeat perpetuo ibi manendi, ut evenit in Scholaribus, famulis, mercenariis &c. *Sanchez lib. 3. disp. 23. num. 12., Guttier. de Matrim. dist. 63. num. 19.* Et revera dum aliquis habeat in duplici loco habitationem, ibique æqualiter, vel fere æqualiter habitet, utrobique est Parochianus: *Barbos. de offic. & potest Episc. p. 2. alleg. 32. n. 69.* si autem utrobique sit Parochianus, non est major ratio cur possit conjungi in matrimonio potius ab uno, quam ab alio Parocho; *Sanchez d. 24. n. 5.*, & communiter. Accedit declaratio S. Congregationis apud Fagnanum *in cap. significavit sub tit. de Parochiis*, ubi declaravit validum matrimonium cujusdam Scholaris tempore solum studiorum Patavii commorantis. Dum autem dixi acquiri quasi domicilium per hoc quod aliquis animum habeat commorandi in uno loco æqualiter ac in alio, id intelligi volo non mathematice, sed moraliter; unde bene dicitur habere utrobique quasi domicilium, qui hyeme in uno loco, æstate vero alibi habitat: *Salmant. tr. 19. c. 8. p. 3. a. 32.*

Q. III. An dum filii contrahunt matrimonium, considerandum sit domicilium Parentum, an habitatio, quam ipsi filii elegerint.

R. Illorum verus Parochus est ille, in cujus Parochia habitant, etsi a parvo tempore, puta a solo mense ibi habitent, adeoque ex Tridentino coram illo contrahere debent matrimonium. Ita decisum habetur a Sac. Congregatione apud Fagnanum loc. citat., ibi enim declaratum fuit validum matrimonium contractum Romæ a Nobili Senensi cum Meretrice, quo confugerat timore Parentum, & a parvo tempore habitabat. Alias similes declarationes refert ibid. Fagnanus *a num. 36.*: & cum, eodem teste, hujusmodi declarationes illi doctrinæ innitantur, quod proprius Parochus contrahentium sit ille, in cujus Parochia habitant contrahentes tempore quo matrimonium contrahunt; consequens est non reputasse proprium ipsorum Parochum illum, in cujus Parochia Parentes habent domicilium. Quapropter mihi non satis probatur doctrina Gobath. *tract. 9 num. 533*, quam non reprobat la Croix *tom. 6. part. 3. num. 719.*, nimirum filium existentem sub patria potestate, adhuc posse contrahere matrimonium coram Parocho loci, ubi habitat Pater, quamvis alio migrasset animo non amplius ad Patriam redeundi. Cum igitur toties decisum, & declaratum fuerit, Parochum, coram quo contrahendum est matrimonium, esse Parochum habitationis, & aliunde nullo jure satis probetur filium retinere domicilium Patris, quando illud deserit animo non redeundi, non video quomodo valide posset contrahere matrimonium coram Parocho loci, ubi Pater habitat.

Immo contrarium verum est in suppositione quod filii recessissent a domo Parentum animo non amplius ad eam redeundi; sicut enim acquiritur domicilium, vel quasi domicilium ab eo momento, in quo quis alicubi figit suam habitationem animo ibi perpetuo, vel per majorem anni partem commorandi; ita amittitur

alteri parti, & Sacramento matrimonii, illud exponendo periculo irritationis; *Sanchez lib. 7. d. 103. num. 10.*, *Guttier. de matrim. cap. 116. num. 3.* Dum nihilominus dubium est de eadem impotentia, vel an sit temporalis, vel perpetua, conceditur a jureintegrum triennium ad explorandum, an possit haberi copula perfecta: *arg. cap. laudabilem 5. ac frigid. &c. & cap. fual. ibid.* adeoque ita communiter docent DD. Tempus autem trienni computandum est a die copulæ attentatæ, ut cum Glossa *in cit cap. laudabilem* communiter docent DD., conceditur etenim ad explorandum, an impotentia sit perpetua, quæ exploratio solum attentione copulæ inchoatur. Elapso vero triennio absque eo quod potuerint habere copulam perfectam, non amplius illis licet eam attentare, nam tunc præsumitur perpetua.

Verum tamen est, quod si matrimonium tunc dissolvatur, ut revera dissolvendum est, & postea appareat impotentiam non fuisse perpetuam, quia vir factus est habilis ad copulam, tunc cum per errorem pronunciatum fuisset matrimonium esse nullum, iterum esset reintegrandum, & hoc quamvis, qui perpetuo inhabilis judicatus fuit, aliud matrimonium contraxisset; *cap. laudabilem, cap. Fraternitatis de frigid.* Hoc tamen verum non est, si impotentia ablata fuerit per miraculum; si ope Dæmonis &c., nam id non prohibet quin talis impotentia bene judicata fuerit perpetua: *Sanchez lib. 7. disp. 24.*

Q. V. An sterilitas inducat impedimentum impotentiæ.

R. Semper cum haberi possit copula perfecta cum effusione veri seminis inter vas muliebre, nullum adest impedimentum ratione sterilitatis. Ratio est, quia semper cum haberi possit copula perfecta, per accidens est, si non sequatur generatio; de rebus autem judicandum est secundum quod sunt per se, non secundum quod sunt per accidens. Accedit, sterilitatem in Juvenibus multoties progressu temporis corrigi. Quia sterilitas nullum inducit impedimentum, Ecclesiam numquam Senum reprobavit matrimonium, dummodo copulam perfectam valeant habere. *Sanch. lib. 7. d. 92. num. 24. de matrimonio cap. 112. num. 12. Barbos. in cap. 2. de frigid. &c.*, aliique communiter apud ipsum. Multo minus declaravit irritum matrimonium illius, qui instante morte, ob salutem animæ, vel ad filios legitimandos duxit concubinam; omnes enim fatentur esse validum, teste Barbosa *in caput tanta qui filii sint legitim. num. 8.* Solum invalidum esset, quando constaret vi morbi potentiam generandi penitus fuisse destructam, quamvis non obstet hic, & nunc ægrotum, dum contrahit matrimonium, copulam habere non posse, nam solum per accidens esset impedita: *Tamlaus de Sponf. d. 14. §. 2. n. 6.*

Dixi initio responsionis steriles non esse inhabiles ad matrimonium, dum verum semen emittere possint, nam sine ipso non intelligitur haberi posse copula perfecta, qualis requiritur ad matrimonium. Hinc nullum asset Matrimonium Spadonum, & Castratorum utroque carentium testiculo, ut declaravit Sixtus V. rescribendo ad Legatum Hispaniarum, sicut passim testantur Authores. Ex prædictis autem omnino dicendum est contra *Sanch. l. 7. d. 102. n. 6.* virum cui post Matrimonium utroque testiculus amputetur, non posse cum conjuge copulam habere. Ratio est, quia uxoratis solummodo licita est copula naturalis apta ad generationem, ad hanc etenim copulam exercendam fit mutua corporum traditio; talis autem non est copula, in qua vir non emittit verum semen; immo talis copula ita se habet, ac si sola mulier seminaret, quam copulam nemo dicit licitam. Nec refert talem copulam deservire posse ad sedandam carnis concupiscentiam, nam id non est licitum uxoratis, nisi per copulam naturalem: *Rosignol. prænot. 6. §. 7.* & alii apud *Dian. tom. 2. tr. 6. resol. 165.*

Q. VI. Quid dicendum de Matrimonio Hermaphroditi.

R. Cum Hermaphroditus juxta sexum, qui prævalet, vir, aut fœmina reputetur: *l. Quæritur 10. de Stat. homin.*, in contrahendo Matrimonio reputatur vir, si talis sexus prævaleat, & e contra: *Sanchez lib. 7. disp. 106. num. 4. Guttier. de Matrim. c. 110. num. 1.* Quod si aliquis sexus ita prævaleat, ut etiam secundum alium vel ut vir, vel ut fœmina sit habilis ad Matrimonium, potest licite, & valide etiam secundum hunc sexum contrahere, nullo enim jure impeditur: *Pontius lib. 7. cap. 65. num. 8.* Debet tamen jurare coram Judice Ecclesiastico numquam in posterum copula usurum nisi secundum sexum semel electum. Idem Juramentum præstare debet Hermaphroditus, dum nullo prævalente sexu eligit vel ut vir, vel ut fœmina nubere: *Sanch. l. 7. d. 106. n. 5.*, *Guttier. c. 119.* Verum tamen est, quod si conjuge defuncto, cui nupsit ut vir, contraheret novum Matrimonium ut mulier, secundum quem sexum etiam esset habilis, tale Matrimonium illicitum utique esset, sed validum, nullum enim jure irritatur.

Hic autem obiter advertas quandoque fœminam in marem erupisse, qua de re vide Barbosam in Votis decisivis *l. 4. Vot. 100.* unde disputant Theologi quid dicendum, si jam tamquam fœmina contraxerit matrimonium. Essemus autem extra quæstionem, si simul cum sexu virili fœmineus perseveraret, nam tunc in usu matrimonii deberet perseverare se habendo tamquam fœminam. At si ita erumpat sexus virilis, ut fœmineus non perseveret, vult Tamburinus *tract. 1. cap. 12. §. 1. numer. 34.* tale Matrimonium ab initio fuisse invalidum; exposcit enim ad valorem matrimonii perpetuitatem juxta sexum, secundum quem contrahitur. At melius dicitur cum de *Lugo respons. moral. lib. 1. d. 31.* tale matrimonium ab initio fuisse validum, supposito enim vere tunc adfuisse sexum fœmineum, aderat quidquid pro tunc necesse erat ad valide contrahendum matrimonium. Invalidatur igitur Matrimonium eo instanti, quo fæmina erumpit in virum, nam Matrimonium inter duos viros consistere non potest.

Q. VII. Quando impedimentum impotentiæ reputandum sit dubium, adeoque nullum.

R. Impedimentum impotentiæ dubium esset, quando removeri non posset sine gravi morbo, aut læsione magna, & diuturna. Quamvis igitur periculum vitæ non immineret, multi tunc asserunt talem impotentiam reputandam perpetuam, quia durissimum esset velle conjugem arctam cum tanto incommodo aptam ad copulam reddere. Magis communiter nihilominus docent solam impotentiam, quæ non possit removeri sine periculo vitæ, seu sine miraculo, aut peccato, reputandam esse perpetuam: *Sanch. lib. 7. d 93. numer. 17.*, alii, quos sequitur Barbosa *in cap. fraternitatis hac autem de frigid.* Item judicandum est adhoc dubium esse impedimentum, si post triennale experimentum haberi non possint signa certa impotentiæ, & interim unus conjugum affirmet habitam fuisse copulam consummatam, alter vero neget. Ratio est, tum quia melior conditio possidentis. Tum, quia si fœmina affirmet, videtur illi credendum, cum verosimile non appareat velle habitare cum viro ad copulam impotente. Tum, quia si affirment vir, videtur illi credendum, potius, quam mulieri: *Sanchez lib. 7. dist. 109. numer. 2. Engel. de Frigid. &c. numer. 6.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Si Confessarius advertat aliquod matrimonium nullum fuisse propter impotentiam, & certo non appareat esse perpetuam, moneat Conjuges per integrum triennium posse ad copulam conari, etsi semiuent extra vas &c. fortasse enim, si non moneat, ex conscientia erronea le peccare putabunt. Si vero ab ipso initio constet de perpetua impotentia, vel de amplius dubitare non liceat post triennale experimentum, tunc prudens Confessarius videat, an velint simul cohabitare tamquam frater, & soror longe ab omni periculo incontinentiæ, & an talis bonitatis sint, ut credi possit ita cohabitaturos. In tali casu cohabitationem illis permittunt jura: *cap. consultationi de frigid. & malef.*, *cap. laudabilem ibid. can. requisisti 33. q. 1.* Cæterum in praxi talem cohabitationem periculo non carere docent communiter, & inter alios *Guttier. l. 1. can. 99. 16. c. 18.* Et quidem, quamvis conjugibus, quibus impotentia supervenit post matrimonium legitime contractum, liceant oscula, amplexus, tactus etiam, ut aliqui asserunt, cum periculo pollutionis, dummodo sine consensu in illam, ut videre est apud *Sanch. lib. 9. d. 45. Sporer in Theol. Sacramental. p. 4. cap. 3. §. 4. n. 645.*, hæc omnia illicita sunt iis qui com perpetua impotentia contraxerunt. Omnino prudentes statim essent separandi, si velent in eodem lecto cubare, vel aliqua ex prædictis habere, seu rationabiliter timeretur ab iis non esse cessaturos, qui timor, ut dixi, facillime aderit.

II.

II. Si unquam accidat Parochum assistere debere matrimonio Hermaphroditi, utique poterit assistere, quoties contrahere velit juxta sexum prævalentem, & aliunde juxta alterum sexum habilis non sit ad matrimonium. Si vero juxta utrumque sexum sit habilis, non debet illius matrimonio assistere, si prius non compareat coram Judice Ecclesiastico, & juramento in perpetuum renunciet alteri sexui, juxta quem non contrahit.

CAPUT VII.

De impedimento Clandestinatis.

Q. I. IN quo consistat Impedimentum dirimens clandestinitatis, & de qualitatibus Parochi, sive alterius, qui assistere debeat matrimonio.

R. I. Hoc impedimentum explico verbis Tridentini *sess. 23. de ref. matrim. c. 1.*, ubi hæc habet: *Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos, S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.*

R. II. Ut matrimonium non sit irritum ratione clandestinitatis, oportet ex Tridentino citato ipsi assistere Parochum, quo nomine certe venit etiam Ordinarius, & Vicarius Generalis. Sufficit autem Parochus alterius Sponsi, ut communiter docent Theologi, cum etenim contractus matrimonii sit individuus, consequens est quod qui potest assistere matrimonio unius, possit etiam assistere matrimonio alterius cum ipso contrahentis: *argum. leg. si commune 10. ff. quemadm. servit. amitt.* Non oportet autem hujusmodi Parochum esse Sacerdotem, nam etiam non Sacerdos est verus Parochus, quoties sit assumptus ad Ecclesiam Parochialem: *cap. licet canon. cap. statutum de elect. in 6.*, *Sanchez l. 3. d. 20. a num. 3.*, *Guttier. de matrim. cap. 62. num. 16.*, & communiter. Item valide, quamvis illicite, assistit matrimonio, etsi id illi prohibuerit Episcopus, quia per hoc non cessat esse verus Parochus; & constat etiam ex declaratione S. Congregationis apud Fagnanum *in cap. litera quos de matrim. cont. interd. Eccles. num. 5. & seqq.* Item esset validum matrimonium celebratum coram Parocho suspenso, interdicto, vel etiam excommunicato vitando. Ratio est, quia usquedum beneficio non privetur, est verus Parochus. Ulterius quando verificetur assistendo exercere aliquam jurisdictionem, hæc solummodo erit voluntaria, non contentiosa, nullibi autem reperitur a jure invalidari hunc actum jurisdictionis voluntariæ, exercitæ a Parocho, dum assistit matrimonio. Dici etiam potest nullam exercere jurisdictionem, sed tantum assistere sicut testem qualificatum. Sicut igitur infames possunt esse testes matrimonio, ita & Parochus excommunicatus: *argum. cap. tantæ de Simon*, *Sanchez lib 3. d. 20. n 4.*, *Pontius l. 5. cap. 17. num 6.* Adsunt etiam qui asserant nullatenus peccaturum hujusmodi Parochum, quia nec Ordinem exercet, nec Sacramentum administrat. Mihi autem videtur nedum venialiter, sed etiam mortaliter peccare, semper cum sine necessitate id faciat, quia in re gravi, & sacra, quamvis vitandus, communicat cum Fidelibus: *Pont. l. 5 cap. 17. num. 1.*, *Coninch. d. 27. d. 2. num. 24* Demum ad valorem matrimonii sat est assistentia Parochi, qui talis reputetur ex errore communi, & titulo colorato, nam hic valide exercet quoscumque actus ad tale officium pertinentes, ut dixi *tract. 15. q. 2. cap. 1. quæs. 2.*

R. III. Ut alter præter Parochum valide assistat matrimonio, primo debet esse Sacerdos, & ab Ordinario, seu Parocho delegatus, ut constat ex verbis Tridentini supra citati. Quod si Sacerdos sit, quamvis non sit Curatus, vel si sit excommunicatus, interdictus &c. valide assistit matrimonio, neque enim Concilium plus requirit ad delegationem, quam esse Sacerdotem: *Sanchez l. 3. d. 20. num. 10.*, *Laym. l. 5. tract. 10 part. 2. cap. 4. num. 4.* Licentia vero assistendi matrimonio sat est, si quocumque modo tradatur, nempe vel voce, vel scripto, vel alio signo, vel concedendo facultatem ad omnia munera parochialia; Tridentinum etenim non aliud exposcit nisi ut adsistat de licentia Ordinarii, aut Parochi: *Sanchez d. 35. num. 6. & seq.* Idem communiter dicitur dum Capellano generaliter conceditur a Parocho *Cura Animarum* in sua Parochia, nam sub tali generali concessione constat venire etiam posse assistere Matrimonio.

Q. II. An ad assistendum matrimonio requiratur Parochus domicilii, sive originis.

R. I. Non assistit valide matrimonio Parochus originis, sed omnino pertinet ad Parochum domicilii, seu habitationis. Ratio hujus conclusionis desumitur ex dispositione Tridentini, quod vult matrimonio assistere debere proprium Parochum, hic autem est solus Parochus habitationis, tum quia unusquisque dicitur Parochianus a Parochia, in qua habitat: tum quia ille est proprius Parochus, qui debet ex officio administrare Sacramenta, & potest aliis licentiam dare, ut administrent, & hoc solum pertinet ad Parochum habitationis; tum demum quia ille dicitur proprius Parochus, cui portio canonica est tribuenda, & hæc solum Parocho habitationis tribuitur: *San. l. 3 d. 23. n. 7.*, *Gobath. tract. 9 cas. 18. n. 486.*, & communiter. Accedunt declarationes S. Congregationis apud Reinffest. in *l. 4. Decret. tom. 3. §. 2. n. 58. & 60.*

Illud etiam observandum communiter docere Theologos proprium Parochum etiam quoad contrahendum matrimonium dici illum, in cujus Parochia quis habet quasi domicilium; hoc est, ubi habitat per majorem partem anni, quamvis animum non habeat perpetuo ibi manendi, ut evenit in Scholaribus, famulis, mercenariis &c. *Sanchez lib. 3. disp. 23. num. 12.*, *Guttier. de Matrim. dict. 63. num. 19.* Et revera dum aliquis habeat in duplici loco habitationem, ibique æqualiter, vel fere æqualiter habitet, utrobique est Parochianus; *Barbos. de offic. & potest Episc. p. 2. alleg. 32. n. 69.* si autem utrobique sit Parochianus, non est major ratio cur possit conjungi in matrimonio potius ab uno, quam ab alio Parocho; *Sanchez d. 24. n. 5.*, & communiter. Accedit declaratio S. Congregationis apud Fagnanum *in cap. significavit sub tit. de Parochiis*, ubi declaravit validum matrimonium cujusdam Scholaris tempore solum studiorum Papavii commorantis. Dum autem dixi acquiri quasi domicilium per hoc quod aliquis animum habeat commorandi in uno loco æqualiter ac in alio, id intelligi volo non mathematice, sed moraliter; unde bene dicitur habere utrobique quasi domicilium, qui hyeme in uno loco, æstate vero alibi habitat: *Salmant. tr. 19. c. 8. p. 3. n. 32.*

Q. III. An dum filii contrahunt matrimonium, considerandum sit domicilium Parentum, an habitatio, quam ipsi filii elegerint.

R. Illorum verus Parochus est ille, in cujus Parochia habitant, etsi a parvo tempore, puta a solo mense ibi habitent, adeoque ex Tridentino coram illo contrahere debent matrimonium. Ita decisum habetur a Sac. Congregatione apud Fagnanum loc. citat., ibi enim declaratum fuit validum matrimonium contractum Romæ a Nobili Senensi cum Meretrice, quo confugerat timore Parentum, & a parvo tempore habitabat. Alias similes declarationes refert ibid. Fagnanus *a num. 36.*: & cum, eodem teste, hujusmodi declarationes illi doctrinæ innitantur, quod proprius Parochus contrahentium sit ille, in cujus Parochia habitant contrahentes tempore quo matrimonium contrahunt; consequens est non reputasse proprium ipsorum Parochum illum, in cujus Parochia Parentes habent domicilium. Quapropter mihi non satis probatur doctrina Gobath. *tract. 9 num. 533*, quam non reprobat la Croix *tom. 6. part. 3. num. 719.*, nimirum filium existentem sub patria potestate, adhuc posse contrahere matrimonium coram Parocho loci, ubi habitat Pater, quamvis alio migrasset animo non amplius ad Patriam redeundi. Cum igitur toties decisum, & declaratum fuerit, Parochum, coram quo contrahendum est matrimonium, esse Parochum habitationis, & aliunde nullo jure satis probetur filium retinere domicilium Patris, quando illud deserit animo non redeundi, non video quomodo valide posset contrahere matrimonium coram Parocho loci, ubi Pater habitat.

Immo contrarium verum est in suppositione quod filii recessissent a domo Parentum animo non amplius ad eam redeundi; sicut enim acquiritur domicilium, vel quasi domicilium ab eo momento, in quo quis alicubi figit suam habitationem animo ibi perpetuo, vel per majorem anni partem commorandi; ita amittitur

ab eo momento in quo deseritur animo non amplius redeundi, ut dicam infra de matrimonio vagorum, qui reputantur sine domicilio, quamvis sciatur, ubi ipsorum Parentes habitent, & docet Sanchez *l. 3. d. 25. n. 1.*

Q. IV. Quis sit Parochus vagorum.

R. Suppono illos dici vagos, vel vagabundos, qui nullibi domicilium, vel quasi domicilium habent: *argum. leg. ejus qui 27. §. Celsus, 2. ff. ad municipalem &c.* adeoque hinc inde vagantur. Nec refert jam in animo destinasse ubinam domicilium figere velint; nam domicilium non sola animi determinatione constituitur, sed re & facto: *leg. domicilium ff. ad municipale*, adeoque aliquis dicendus est vagus quoadusque re & facto aliud domicilium obtineat: *Sanchez citat. num. 3. Guttier. de matrimonio cap. 65. num. 2.* Ex hoc infert idem Sanchez *num. 3. & 4*, illum etiam, qui relicto priori domicilio pergit ad locum, ubi habitare decrevit, dum est in via, vagum dici, quia primum vere deseruit, & secundum nondum acquisivit. Nec refert pariter hujusmodi vagos habere domicilium originis, sive Parentum; nam semper cum illud vere deseruerint, vere vagi dicuntur, & non amplius Parochiani illius Parochiæ, ubi est Parentum domicilium: *Sanchez leg. 3. d. 25. num. 3. Guttier. de Matrimonio cap. 65. n. 2. Jul. Clar. in pract. crimin. l. 5. §. 5. qu. 39. nu. 8.* & certum esse docet *Bosco de matrimonio d. 11. sect. 9. conclus. 12 n. 432.* His positis.

Dicendum proprium vagorum Parochum in ordine ad matrimonium contrahendum esse Parochum loci, ubi actu versantur, nullus etenim alius Parochus potest pro iis designari. Sufficit autem unum ea contrahentibus esse vagum, ut matrimonium coram illo contractum sit validum; nam ad valorem matrimonii sufficit præsentia Parochi unius ex Sponsis, ut etiam supra dictum est: *Sanchez lib. 3. dist. 25. num. 5. &c. Pontius lib. 5. cap. 14.*, & communiter. Observare tamen est Tridentinum *sess. 24. cap. 7. de reformat. matrim.*, ad removenda plura inconvenientia, & præcipue polygamiam, præcipere Parochis, ne adsistant vagorum matrimonio, nisi post factam diligentem inquisitionem; & nisi prius ad Ordinariorum deferant, atque ab eo licentiam adsistendi obtinuerint. Hinc esset peccatum mortale in re tam gravi transgredi hoc præceptum quamvis eo non servato, matrimonium, cui Parochus assisteret, validum esset, quia Concilium clausulam irritantem non apposuit.

Q. V. An sponsi alio procedentes, ut ibi citius, & facilius copulentur, seu ad hunc finem vagi reddantur, possint in matrimonium conjungi a Parocho loci, ubi habitant.

R. Si vere, & ex animo primum deserant domicilium, possunt valide matrimonium coram Parocho loci contrahere; nam dum hanc qualemcumque fraudem committunt, utuntur jure, quod habent pro libito domicilium deserendi, adeoque non est talis fraus, cui jus resistat: *leg. 55. ff. de reg. jur., & l. 3. §. 2. ff. de homin. lib. exhib.* atque ita in casu præsenti communiter docent DD. *Sanch. l. 3. d. 25. nu. 3. Guttier. de matr. cap. 65. nu. 11. Card. de Luca de Matrim. disc. 1. a n. 9.* dicens ita sæpe declaratum fuisse a S. Congregatione, ut etiam videre est apud Fagnanum *in cap. significavit de Paroch. a num. 37.*

Oportet tamen ex animo prius domicilium reliquisse; nam si brevi sunt ad illud redituri, adhuc sunt Parochiani loci, ubi retinent domicilium, adeoque non possent a Parocho alterius loci in matrimonium copulari. Ita Parochus Pagi, ubi aliqui ratione rusticationis morantur, post unum, aut duos menses ad Civitatis habitationem redituri, non potest illorum assistere matrimonio: *De Luc. loc. cit. Sanch. l. 3. d. 23. n. 12.*

Q. VI. Quot, & quales testes ad matrimonii valorem requirantur, & quales.

R. I. Ultra Parochum saltem duo testes assistere debent matrimonio, alias nullum esset ex novo jure Tridentini *sess. 24. cap. 1.*

R. II. Ad valorem matrimonii sufficit, si adhibeantur testes de jure naturæ habiles, qui nempe intelligere possint quid agatur, adeoque habiles sunt etiam qui jure positivo a testificando repelluntur; ut sunt excommunicati, infames, impuberes, consanguinei, mulieres &c. Ratio est, quia Tridentinum duos, aut tres testes requirit nulla facta mentione particularis qualitatis. Accedit testes, alias de jure positivo minus idoneos, fidem facere, quando concurrunt cum teste omni exceptione majori, ut probat Mascardus *conclus. 137. n. 13.* Id autem evenit in casu nostro; nam cum aliis testibus semper intervenire debet Parochus, qui est testis omni exceptione major. Præterea testes minus habiles reputantur habiles in causis favorabilibus, & ita se habet matrimonium, ut pluries dictum est: *Barbos. de Offic. & potest Ep. alleg. 32. n. 138. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 6.*

Q. VII. Qualis præsentia Parochi, & testium requiratur ad valorem matrimonii.

R. I. Oportet ex Concilio matrimonium contrahi coram Parocho, & testibus, qui eodem tempore debent esse præsentes: cum autem ex *l. coram Titio ff. de v. sign.* non possit aliquid fieri coram Titio, nisi advertat, & intelligat quod fit; hinc est Parochum, & testes ita præsentes esse debere, ut advertant, & intelligant fieri matrimonium. Ulterius Concilium vult esse præsentes, ut testimonium ferre possint de matrimonio contracto, adeoque intelligere debent quid agatur.

Quod si intelligant quid agatur, parum refert fuisse invitos, per dolos, metum, aut vim adhibitos, &c.; nam adhuc testificari possunt, ut exposcit Concilium, & ulterius dicitur fieri coram aliquo, quod fit coram ipso, quamvis invito, dummodo cognoscat quid agatur. Accedunt quamplures S. Congregationis declarationes apud Fagnanum *in c. quæsitum de pœnit. & remiss. num. 7. & Pontium l. 5. cap. 21. n. 5.*

R. II. Si Parochus affectaverit non audire consensum contrahentium, obturando aures, aufugiendo &c. tunc, quamvis non perceperit consensum contrahentium, matrimonium est validum. Ita non semel decidit S. Congregatio apud Fagnanum *in cap. quæsitum de pœnit. & remiss.* eademque sententiam, reprobato Sanchez, aliisque cum ipso opinantibus, amplexa est Rota Romana in Matrimonii contractu coram Reverendissimo P. D. Ursino Decano 4. Februar. 1697. Ratio autem quare sustinendum sit tale matrimonium, est quia qui affectat nescire, habetur pro sciente: *cap. cum inhibitio §. Si quis vero de clandest. despons.*, atque cum, teste Fagnano, huic fundamento innixa deciderit S. Congregatio, ruit interpretatio Sanchea & aliorum, qui asserunt S. Congregationem non loqui de nescientia affectata Parochi, qua revera nihil perceperit. Deinde, ut ex Cardinali de Luca observat, Rota n. 34. exposcit quidem Concilium in celabratione matrimonii, ut Parochus consensum contrahentium percipiat; at dum transit ad inducendam ipsius irritationem, nequaquam exposcit Parochi intelligentiam, sed solum ipsius præsentiam, & testium, unde cum in secunda parte dispositionis, in qua loquitur de irritatione, nulla fiat mentio quod Parochus intelligere debeat mutuum consensum, hinc est in casu, quo affectet nescire, nec audiat, quia obturaverit aures &c. sat esse ad valorem matrimonii ipsius præsentiam materialem, & haberi pro sciente. Id autem dici non posset respectu Parochi amentis, vel naturaliter impotentis ad audiendum, ut bene advertunt inter alios De Luca, & Riccius infra citandi.

Observat insuper Rota nequaquam præsumendum voluisse Concilium ita coangustare libertatem, quæ semper necessaria reputata fuit ad matrimonium, ut in arbitrio esset Parochi ex industria nolentis intelligere, reddere irritum matrimonium. Demum eadem Rota optime item observat juxta theoricam textus *in l. præcipimus Cod. de appellat.*, quod quidquid in nova lege non apparet specialiter expressum non est subintelligendum, sed judicandum sub regula veterum legum relictum: cum proinde Concilium in ea parte, qua loquitur de irritatione matrimonii, non expresse petat Parochum intelligere, sed tantum esse præsentem, solum defectus præsentiæ irritabit matrimonium. Ultra Fagnanum citatum, docent hanc sententiam *Ricc. in prax. resolut. 213. num. 3. Pont. de Matrim. l. 1. cap. 26. num. 12. Boss. de Matrim. cap. 3. §. 12. num. 22. Leand. tom. 2. tract. 9. d. 5. quæst. 40. Barbos. de potest Episc. p. 2. alleg. 32. num. 83. & 85., & de Offic. Paroch. p. 2. cap. 21. num. 47. & 49. & ad Conc. sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 1. num. 73. & 75., Cardin. de Luc. disc. 2. de Matrimon. num. 9. & in an. ad Concil. disc. 26. num. 4. & seqq. & num. 47.* & alii qui de mente S. Congregationis passim testantur. Propter rationes igitur intrinsecas, & extrinsecam Tribunalium, & DD. authoritatem apud me certa omnino est ita sententia. Quod si adhuc sub dubio aliquibus perseverare videretur, meminisse oportet in dubio semper standum esse pro valore matrimonii. Hinc cum accidisset hujusmodi casus paucis ab hinc annis

etiam

etiam in Castro Novo Caseroniæ, ubi Curatus, sive Archipresbyter clamando, & aufugiendo, noluit consensum contrahentium audire, contra alios viros doctos, & omnino credidi tale matrimonium validum esse reputandum.

Non nego tamen peccare mortaliter, qui sine justa causa induceret Parochum vi, metu, dolo, seu etiam casualiter ad interessendum Matrimonio, quia etsi id respectu testium gravis injuria non reputaretur, talis reputanda est respectu Ministri Ecclesiæ: *Sanchez lib. 3. disp. 39. numer.* 12. Justa autem causa ita agendi cum Parocho esset, si irrationabiliter recusaret assistere matrimonio: *Laym. l. 5. tract.* 10. *p.* 2. *cap.* 4. *numer.* 6.

Q. VIII. Quo in loco celebrandum sit Matrimonium.

R. Non licet Parocho extra suam Parochiam celebrare Matrimonium cum pompa, & publica benedictione, quia hæc importat aliquem quasi strepitum judicialem, qui extra proprium territorium exerceri non potest: *arg. cap. Ut animarum de Constit. in* 6., *& can.* 1. *caus.* 3. *qu.* 1., & docet in præsenti *Sanchez lib.* 3. *disp.* 19. *num.* 19. Non adhibita autem pompa, & solemni benedictione, ubivis Parochus valide assistere potest Matrimonio, sui Parochiani; nam Concilium, nulla facta loci mentione, ad valorem matrimonii non exigit nisi præsentiam Parochi, & testium; aliunde autem talis assistentia vel non est jurisdictionis exercitium, sed solum actus testis qualificati, vel est solum exercitium jurisdictionis voluntariæ, quæ etiam extra territorium potest exerceri: *arg. lib.* 2. *ff. de Offic. Proconf., & can.* 5. *caus.* 13., *Sanchez cita num.* 14 *Guttier. de Matrim. cap.* 62. *num.* 5., *Palaus de Spons. disp.* 2. *part.* 53. *§.* 9. *num.* 3. & fere communiter. Nec refert ab Authoribus adversæ sententiæ quasdam Sacræ Congregationes afferri; nam vel dicendum est declarasse non licere Parocho extra suam Parochiam assistere Matrimonio cum publica benedictione; vel dicendum est mutasse sententiam, & pro valore Matrimonii respondisse, ut testatur Fagnanus *in cap. quod nobis de clandestin. Despons. num.* 33., addendum Sanctissimum voluisse ita esse in posterum respondeodum.

Quod si omittatur benedictio, quia Matrimonium in aliena Parochia celebretur, est postea supplenda, cum sit de præcepto saltem leviter obligante: *Sanch. l.* 7. *d.* 82. *n.* 6., *Guttier. cap.* 106. *num.* 106. Immo Tridentinum *sess.* 24. *de reform. matr. cap.* 1. hortatur conjuges ut non cohabitent in eadem domo ante Sacerdotalem benedictionem in Templo suscipiendam. Dum igitur Parochus assisteret matrimonio sui Parochiani in aliena Parochia, vel etiam Diœcesi, debet solum proferre illa verba: *Ego vos conjungo in nomine Patris, Filii &c.*, quamvis ipsorum omissio magis communiter levis culpa reputatur, utpote quæ non pertinent ad Sacramentum; sed solum ad declarandum contrahentes in facie Ecclesiæ esse conjunctos: *Sanch. l.* 3. *d.* 38. *num.* 7. aliique apud Dianam *t.* 2. *tr.* 6. *resol.* 99. Inde abstinendo a publica benedictione, moneat, uti, si possibile est, ante benedictionem in propria Parochia suscipiendam, separati vivant.

Q. IX. An validum sit Matrimonium celebratum sine Parocho, & Testibus ubi non fuit promulgatum, seu acceptatum Tridentinum, & quid dicendum de Matrimonio illorum, qui ad ea loca pergunt animo ibi clandestine contrahendi.

R. I. cum Tridentinum *sess.* 24. *de reform. Matrim. cap.* 1. voluerit suum decretum robur habere a die publicationis factæ in Parochia, S. Congregatio apud Fagnanum *in cap. quodam prædecessore de Schismatic.* declaravit non obligare decretum Concilii quoadusque etiam in Parochia fuerit publicatum, quamvis publicatum fuisset in Diœcesi. Idem docet Barbosa *ad Concil. Trident. loc. cit. num.* 169. Ubi igitur numquam fuit promulgatum Concilium, certe validum est matrimonium clandestinum, quia Decretum Concilii ibi robur non habet; sicut e contra nullum erit, si contrahatur ubi Concilium fuit promulgatum, etsi contrahentes sint hæretici, quia & ipsi lege Concilii, ubi fuit promulgatum, tenentur ex dictis *tract.* 3. *q.* 3. *cap.* 1 *quæst.* 2. Sicut autem validum est Matrimonium clandestinum, ubi non fuit Concilium promulgatum, ita & ubi non fuit acceptatum, ut ex dictis *loc. cit.*

Addendum nihilominus, quod si Catholicus contrahat Matrimonium in terris hæreticorum, ubi, antequam grassaretur hæresis, promulgatum fuit Tridentinum, valide contrahit absque Parocho, dummodo testes adhibeat, dum tamen Episcopus, vel Parochus, alter Sacerdos, qui ab his assistendi licentiam habeat, non adsit, neque detur tutus accessus ad aliquem eorum alibi existentem. Ita habetur ex declaratione S. Congregationis, quam refert Reinffestuel *in l.* 4. *Decretal. tit.* 3. *§.* 3. *num.* 132. Quamvis igitur Tridentinum exigat assistentiam Parochi, & testium tamquam formam substantialem actus, atque nullus sit actus, quamvis ob extremam necessitatem forma substantialis omittatur, ut bene probat Sanch. *l.* 3. *disp.* 17. *n.* 4. nihilominus in casu præfato aliter discorrendum est. Vel igitur dicendum, S. Congregationem per epikejam judicasse noluisse Concilium dictum casum comprehendere, adeoque non exegisse in talibus circumstantiis pro valore Matrimonii Parochi assistentiam; vel dicendum S. Pontificem declarationem S. Congregationis approbandu dispensasse, ne Parochi præsentia in talibus angustiis pro valore Matrimonii exigeretur.

R. II. Si aliud non fuisset decisum a S. Congregatione, aliquibus probabile esset, euntem ad locum non recepti, vel non acceptati Concili, ut ibi sine Parocho, & testibus contrahat Matrimonium, valide contrahere, etsi brevi intenderet ad primum domicilium redire. Ratio est, quia ad conservandam libertatem Matrimonii, ejusque validitatem, videtur non reprobanda illa qualiscumque fraus, qua quis jure suo utendo, alio pergit ad illud contrahendum: *Sanchez lib.* 5. *disp.* 18. *n.* 29., *Pont. lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 4., *Coninch. de Matrimonio quæst.* 6. *sect.* 2. *& alii*. Verum S. Congregatio, approbante Urbano VIII. ut videre est apud Barbosam *de Offic. Paroch. par.* 2. *cap.* 21. *num.* 92., *& Lugo in respons. Moral. lib.* 1. *disc.* 38., qui & testatur Authographum Brevis Urbani legisse, declaravit, nullum esse Matrimonium contractam sine Parocho, & testibus in loco non promulgati Concilii, ab iis, qui retinent domicilium in loco, ubi fuit promulgatum, & eo accesserunt animo ita contrahendi. Ratio etiam videtur suffragari; nam operanti ex directa intentione fraudandi legem, etsi incidenter alii respectus concurrant, ipsa lex resistit, cum nulli velit dolum, & fraudem patrocinari: *cap. Sedes* 15. *& cap. ex tenore de Rescript. junct. leg. itaque* 12. *§.* 1. *ff. de furt.* Præterea idem reputatur agere contra legem, & in fraudem legis: *arg. leg. contr. leg. & seq. ff. de leg.* unde hæc ipso jure rescindi intelliguntur, *l. hoc modo* 64. *ff. de cond. & demonstr.*, & observat Barbosa *loc. citat.* *Engel. de clandest. despons. numer.* 30., *Gobat. trat.* 9. *cas.* 18. *numer.* 482.

Hæc tamen intelligenda tantum sunt de iis, qui procedunt ad locum, ubi non est promulgatum, vel acceptatum Concilium, non mutando domicilium, sed illud retinendo in loco, ubi receptum est. Alias dicendum de eo, qui fieret vagus, vel relicto domicilio illud transferret ubi contrahit Matrimonium; nam quæcumque interveniret fraus ex animo ibi contrahendi sine Parocho &c. re, & effectu tolleretur, quia vere fieret incola talis loci. Hinc talem fraudem non obstare valori Matrimonii declaravit eadem S. Congregatio ex dictis supra.

Q. X. Quando impedimentum clandestinitatis sit dubium, adeoque non attendendum.

R. Aliqui putant dubium esse hoc impedimentum, si Parochus, & testes assistant Matrimonio sub conditione contracto, quamvis postea coram ipsis non adimpleatur conditio, neque illis constet de illis adimpletione, saltem per testificationem contrahentium. Ratio horum est, quia sufficit ista assistentia ad obtinendum finem intentum a Tridentino: neque enim, qui ita coram Ecclesia contraxerunt, permitteretur ad alias nuptias transire, vel ante eventum conditionis, vel antequam examinetur, an adimpleta fuerit conditio. Verum contraria sententia videtur omnino amplectenda; quamvis enim Concilium, inducendo impedimentum clandestinitatis, voluerit impedire, ne postquam quis cum una occulte contraxerit, ad alias nuptias transeat, adhuc tamen verum est statuisse pro solemnitatem necessaria ad valorem Matrimonii, ut Parochus, & testes vero Matrimonio assisterent; dum autem assistunt Matrimonio canditionato solum, assistunt Matrimonio inchoato, & dissolubili: *Salm. tr.* 9. *c.* 7. *d.* 2. *n.* 81

Vere

Vere autem primum dubium esset hoc impedimentum, si matrimonio assisteret Parochus, qui talis putaretur ex solo errore communi, dum tamen careret titulo colorato. Quamvis igitur non pauci dicant non obtinere Parochi jurisdictionem, si simul cum errore communi non concurrat titulus coloratus, aliis tamen placet ex solo errore communi acquiri jurisdictionem, ut dixi *tract. 15. q. 2. c. 1. qu. 3*, & late probat Pontius *l. 5. c. 20. & seqq.*

Item dubium esset impedimentum, si Parochus assisteret Matrimonio contra mandatum Episcopi non solum prohibentis talem assistentiam, sed etiam irritantis matrimonium, si assistat. Nullum esse matrimonium docet Sanchez *l. 3. d. 22. n. 11.* propter clausulam irritantem actum. At validum dicit de *Lugo l. 1. resp. moral. d. 45.* quia semper cum Parochus officium Parochi retineat, assistendo Matrimonio cum testibus intervenit quidquid necessarium est ad valorem Matrimonii ex praescripto Tridentini; Episcopus autem non habet authoritatem nova inducendi impedimenta. Aliud esset si Parochus privaretur, vel suspenderetur ab officio; nam nulla sunt, quae fiunt per privatum, vel declaratum ab officio suspensum, ut inter alios probat Pontius *l. 5. c. 17. n. 7.*

Item dubium est hoc impedimentum, si Sacerdos assistat Matrimonio de licentia tacita Parochi volentibus multis debere esse in omni casu expressam; & formalem: *Fagnan. in cap. quod nobis n. 31. de clandest. despons., Bonac. de Matrim. q. 2 p. 8. n. 13.* atque ita asserunt declarasse S. Congregationem. Alii vero id solum putant verum quoad licentiam tacitam ex ratihabitione de futuro; nam ad valorem actus necesse est praecedere licentiam. At putant sufficere licentiam tacitam ex ratihabitione de praesenti; ut si Sacerdos sine alia expressa licentia assisteret matrimonio, dum videt hic & nunc Parochum non contradicere, seu contentum esse *Castropalaus disp. 2. de Sponsal. p. 13. §. 12. n. 3.* & alii apud ipsum.

Item apud aliquos videtur dubium esse hoc impedimentum, dum assisteret matrimonio Sacerdos, cui vel ab Ordinario, vel a Parocho demandata esset in genere administratio Sacramentorum; ac proinde hunc invalide assistere docet *Sanchez lib. 3. disp. 35. num. 8.* Verum ego nequidem dubitarem de valore hujus Matrimonii, cui enim generaliter demandatur Sacramentorum administratio, intelligitur demandari cura animarum, quae importat etiam facultatem assistendi matrimonio: *Pontius lib. 5. c. 29. num. 2. Palaus cit. num. 11.*

Item dubium est impedimentum clandestinitatis, si matrimonio assistant Parochus, seu testes, qui formaliter non sint adhibiti, hoc est, qui non fuerint requisiti, & rogati ad effectum assistendi matrimonio sed solum assistant, quia ibi sint casualiter & incidenter. Certe non pauci hujusmodi assistentiam non sufficere dicunt, dum etenim praesentia alicujus requiritur pro forma, & substantia actus, requiri videtur juxta formam juris; in jure autem qui casualiter, & non requisitus adest, censetur non adesse: *arg. leg. quaesitum 78. §. fin. de legat. 3.* neque attenditur quod casualiter, & incidenter fit, sed quod principaliter: *leg. si quis nec causam ff. si certum petatur. Fagnan. in cap. quod nobis de clandest. desponf. num. 54. Gonzal. ad regul. 9. Cancellar. Gloss. 48. num. 32. Pontius lib. 5. cap. 21. num. 4.* & alii, qui testantur ita Sacram Congregationem declarasse. Verum non pauci affirmant sufficere praesentiam Parochi, & testium, etiam illic casualiter intervenientium, seu pertranseuntium, dummodo sufficienter percipiant quid agatur. Et ratio est, quia Tridentinum non alia ratione exposcit ipsorum praesentiam, nisi ut testes esse possint; & cum aliunde causa Matrimonii sit favorabilis, non est necesse posse esse testes secundum omnem juris rigorem, atque ita pro testibus Matrimonii admittuntur etiam qui ex jure sunt inhabiles. *Sanch. lib. 3. dist. 39. num. 9. Gobath. tract. 9. cas. 18. num. 292. Barbos. de offic. Paroch. part. 2. cap. 21. num. 80.* Ita opinantes putant declarationes S. Congregationis ita esse intelligendas, ut velint Parochum &c. casualiter praesentes matrimonio, non assistere valide, quoties non sufficienter advertant quid agatur. Ad removendam autem omnem dubietatem, bene sic, si dum Parochus, & testes sunt casualiter praesentes, vel ibi dolo, & fraude fuerunt adducti, antequam contrahatur, moneantur ut velint adsistere Matrimonio; quod satis esse, ut dicantur formaliter adhibiti, docet Pontius citatus, & alii.

Item dubium est impedimentum clandestinitatis, si Parochus, & testes percipiant consensum per interpretem. Aliqui putant validum hoc Matrimonium, quia interpres perinde se habet ac vox contrahentium, ipsorum consensum declarans: *Sanchez lib. 3. d. 39. n. 14. Diana tr. 6. resol. 101.* Verum in praxi Sanchez non adhaererem, si Parocho &c. solum constaret de matrimonio ex dicto Interpretis; nam tunc certo testificari non posset de consensu contrahentium. Item testes valide testificari solum possunt de iis, quae per proprium sensum percipiunt; nam testimonium de auditu alieno non admittitur: *c. licet ex quadam.* Item Interpres certe posset illos decipere. Solum admitterem ut validam praesentiam Parochi, & testium mediante interprete, quoties non solum ex dicto interpretis, sed ex aliis etiam signis Matrimonium contrahi perciperent, ut immissione annuli in digitum Sponsae &c. *Leand. disp. 9. de Matrim. q. 36. Pontius l. 5. c. 21. n. 10. & 11.*

Demum dubium esset impedimentum clandestinitatis quoties assisteret Matrimonio alter Sacerdos de licentia Parochi excommunicati vitandi, vel suspensi. Non valide assistere ex eo probatur, quia excommunicatus exercere non potest actum jurisdictionis, & dominii, ut evenit dum alteri conceditur licentia: *can. audivimus 24. qu. 1.*, adeoque talia licentia invalide videtur concessa. Alii vero negant talem concessionem esse actum jurisdictionis, sed solum esse velut communicationem propriorum bonorum, quod certo fieri potest ab excommunicato, vel ad summum substitutionem testis qualificati, quod fieri non prohibetur excommunicato a *Gutierr. de Matrim. c. 62. num. 24., Sanchez lib. 3. d. 21. num. 8., Bonac. de Matrim qu. 2. part 8. n. 22.*

Regulae in praxi observandae.

Improbanda utique praxis illorum Parochorum, quibus dum inopinato aliqui se praesentes sistunt pro Matrimonio contrahendo, vocem elevando, vel alio modo curant non audire. Ita agendo Matrimonii valorem non impediunt, cum Ecclesiae satis sit eos tunc testificari eo modo, quo possunt, de Matrimonio, quod cognoverunt, virum, & foeminam contraxisse. Solum ergo ita agendo possunt occasionem praebere multis inconvenientibus. Et quidem si contrahentes dubitent an Parochus audiverit, fortasse & dubitabunt de valore sui Matrimonii, & nihilominus cum tali dubio, libidine impellente, Matrimonium consummabunt. Deinde exinde oriri possent lites circa talis matrimonii valorem, at dum a consanguineis fortasse ex industria in longum protrahuntur, quis facile credet hujusmodi conjuges separatos vivere? Addendum quod expleta libidine, forte & ipsos contrahentes taedebit contracti Matrimonii, adeoque & ansa ipsis dabitur illius invaliditatem falsitatibus prosequi.

Suaderem ergo tali Parocho, ut patientes audito contrahentium consensu, illos serio admoneret de sacrilegio patrato in contrahendo Matrimonio sine denunciationibus: merito timere posse ipsorum Matrimonium infelicem exitum habiturum, si tanti sceleris poenitentiam non agant: separatos vivere debere usque dum fiant denunciationes, vel usque dum Ordinarius ab eis non dispenset.

CAPUT VIII.

De Impedimento Raptus.

Q. I. Quando interveniat Impedimentum Raptus dirimens Matrimonium; & an etiam dirimat Sponsalia.

R. Raptus prout dirimit Matrimonium, ita definitur: *Violenta abductio foeminae ad contrahendum Matrimonium.* Primo igitur ad Raptum intervenire debet aliqua violentia: *arg. cap. cum causam 6. de Raptor.* quae violentia potest esse physica, ut per violentam manuum injectionem, & potest esse moralis, ut per

Pre-

Preces importunas unitas metui reverentiali, seu per metum cadentem in constantem virum: *Sanchez l. 7. d. 12. num. 36.*, *Layman lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 14. num. 2.*, & communiter. Hæc autem violentia inferri debet, ut fœmina a loco, in quo est, abducatur in alium, in quo sit sub viri potestate; neque enim violentiam pati diceretur, dum ita abduceretur, ut adhuc esset in sua libertate: *Salmat. tr. 9. cap. 13. part. 13. num.* 148. Item violentia inferenda est ipsi fœminæ, nam si solis parentibus inferatur, non satis intelligitur lædi libertas matrimonii, dum alias fœmina libere consentiat. Præterea cum odia sint restringenda, hæc violentia intelligenda est inducere impedimentum, quando fœminæ, non varo viro inferatur: *Sanchez d. 13. num. 13. Coninch. d.41. num. 48.*, & magis communiter. Ratio est, quia Concilium voluit consulere imbecillitati fœminarum, quæ proinde sunt expositæ virorum violentiæ, non vero, ordinarie loquendo, viri sunt expositi violentiæ fœminarum. Addendum hoc decretum Tridentini esse juris communis correctivum, adeoque stricte interpretandum, maxime quia non currit eadem ratio pro viris, ac pro feminis. Dum igitur modo prædicto femina rapiatur, nullum erit matrimonium, si contrahatur eo tempore, quo mulier est in potestate Raptoris. Validum e contra erit, si postquam restituta fuerit in sua libertate, consenserit habere in virum, qui illam rapuerat: *Trident. sess. 24. cap. 6.*

R. II. Etiam Sponsalia inter Raptorem, & Raptam nulla erunt. Id autem probatur, quia eadem omnino ratio, libertas nempe contrahentium, militat pro matrimonio, ac pro Sponsalibus; unde in præsenti decretum irritans matrimonium, extendi etiam potest ad Sponsalia: *Sanch lib. 7. d. 12. num. 29. Bonac. de Matrim. q. 3. p. 14. n. 10.*

Q. II. Quando impedimentum Raptus sit dubium, adeoque nullum.

R. Dubium est hoc impedimentum, quoties fœmina caperetur ratione explendæ libidinis. Cum Concilium generaliter, & indistincte loquatur de raptu, non pauci volunt habere locum hoc impedimentum, sive mulier rapiatur ratione explendæ libidinis, sive ratione contrahendi matrimonium; nam semper verificatur raptum intercedere. Alii vero opinantur non intercedere impedimentum raptus, nisi mulier rapiatur ad Matrimonium cum ea contrahendum, finis etenim Tridentini fuit consulere matrimonii libertati: & ulterius cum sermo sit de decreto correctorio juris communis, restringendum videtur ad solum raptum ratione matrimonii contrahendi: *Sanch. lib. 7. d. 12. n. 4. Palaus disp. 4. p. 2. §. 2. num. 11. Gutier. cap. 86. num. 8.*

Item dubium est impedimentum raptus, quando fœmina quæ rapitur, antea desponsata fuerit raptori per verba de futuro. Cum etiam isto raptu libertas lædatur Matrimonii, multi volunt per illum induci impedimentum dirimens, sancitum a Tridentino: *Sanchez lib. 7. d. 12. num. 13.*, *Palaus num. 14.*, *Gutier. num. 22.* At aliis placet vere in casu dicto non intervenire rigorosum raptum vere dirimentem Matrimonium; tum quia cum raptor ratione Sponsalium acquisierit jus inchoatum in illam fœminam, eaque teneatur illum ducere ratione Sponsalium, non videtur plene violari libertas, quam Tridentinum exposcit ad Matrimonium. Tum quia in jure non dicitur intervenire crimen raptus, dum rapitur Sponsa de futuro, ut constabit consideranti *can. lex illa 36. qu. 1.*, *& cap. penult. de raptor.*; quia ratione *D. Th. 2. 2. qu. 154. art. 7. ad 4.* excusat a crimine raptus sponsum abducentem Sponsam: *Less. lib. 4. cap. 3. num. 70. Enriq. l. 12. cap. 14. num. 4.*

Q. III. Quæ sint pœnæ stabilitæ a Tridentino contra Raptorem, & quando ab eis excusentur.

R. I. Hujusmodi pœnæ ex textu Concilii innotescunt. Ultra igitur nullitatem Matrimonii eo modo, quo dictum est. *Raptor*, en verba Concilii, *& omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque Dignitatum incapaces, si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.* Observare tamen est, quod licet excommunicatio ipso facto incurratur, ad alias vero pœnas bene expectari potest Judicis sententia. Ratio est, quia quamvis sint privativæ, cum nihilominus gravem contineant acerbitatem ratione perpetuæ infamiæ, hinc est ad eas subeundas bene expectari posse sententiam Judicis: *Sanchez lib. 7. d. 13. n. 1. Palaus disp. 4. p. 2. §. 2. num. 10.*

R. II. Cum simus in odiosis, dicendum est præfatas pœnas non habere locum, ubi non interveniat rigorosus raptus de quo loquitur Tridentinum. Non habent proinde locum, si mulier dolo, & fraude inducatur ad consentiendum in sui abductionem, quia ex hoc non verificatur intervenire violentiam, quæ requiritur ad raptum proprie dictum, Ad eum modum, quo non dicitur committere rapinam, qui dolo, & fraude rem alienam surripit, quia non fit violentia Domino videnti, & repugnanti, ut ad rapinam necesse est: *Sanch. d. 13. num. 11.*, *Palaus disput. 4. p. 2. §. 2. num. 15.*

Item non habent locum pœnæ Tridentini, ubi violentia non fiat fœminæ, sed Parentibus, seu Tutoribus; quia tunc ex dictis supra, non intervenit raptus, quem punire intendit Tridentinum. Idem dicendum, si ipsi fœminæ inferatur violentia non ad contrahendum matrimonium, sed ad libidinem explendam. Quia vero in utroque casu vere raptus intercederet, quem intendit punire jus commune, ideo hoc delictum puniri posset illis pœnis, quæ sunt in jure communi contra raptores.

Demum si aliquis rapiat fœminam, ut tam matrimonio conjungat cum suo Amico, non incurrit pœnas Tridentini, loquentis de Raptore pro suo matrimonio. Si vero Amicus illum movisset ad rapiendum, jam idem Amicus utpote Raptor, mediante illo, non posset valide matrimonium contrahere cum femina rapta; & ulterius incurreret pœnas Tridentini: Idem dicendum de eo, qui ad Raptoris suasionem rapuisset; nam esset fautor Raptoris: *Tambur. in Decal. lib. 7. c. 7. §. 1. n. 16.*

QUÆSTIO V.

De Dispensatione ab impedimentis Matrimonii; & de modo illud revelandi.

CAPUT I.

De iis, qui possunt dispensare in impedimentis Matrimonii: de causis requisitis ad validam, & licitam Dispensationem.

Q. I. QUis dispensare valeat in impedimentis dirimentibus matrimonium.

R. I. In omnibus impedimentis, quæ dirimunt matrimonium jure ecclesiastico, Pontifex potest dispensare. Ratio est, quia in ipso, ut supremo Capite Ecclesiæ, est plenissima potestas super ejusdem Ecclesiæ leges. Quia e contra inferior est jure naturali, & divino, non potest dispensare in impedimentis tali jure dirimentibus; cum aliunde nullibi appareat talem potestatem fuisse illi a Christo Domino concessam: *Sanchez l. 8. d. 6. n. 10.*

R. II. Episcopus, ordinarie loquendo, dispensare non potest in impedimentis dirimentibus, utpote quæ inducta sunt vel lege Pontificia, seu Concilii Generalis, adeoque non subsunt ipsius dispensationi, quia inferior dispensare non potest in lege Superioris.

Dixi, ordinarie loquendo; nam quoad forum internum dispensare potest in impedimentis dirimentibus, si impedimentum sit occultum; si adsit gravis causa ita urgens, ut dilationem non patiatur; si matrimonium jam sit contractum, vel non possit differri: de his autem conditionibus paulo post per aliqua quæsita agendum est. Omnes igitur asserunt difficiliter evenire posse, quod Episcopus possit dispensare pro foro externo in impedimentis dirimentibus: semper cum enim impedimentum sit publicum, difficiliter potest dari casus, in quo non possit dispensatio expectari; & ulterius si Episcopus in publico impedimento dispenset, potius scandala multiplicarentur: *Barbos. de Offic. & potest. Episc. alleg. 35.* Quod si casus interveniat, ut pro concedenda dispensatione etiam quoad publicum impedimentum concurrant rationes statim adducendæ pro dispensando in occulto impedimento, tunc non videtur talis facultas Episcopo deneganda, ut

ut observat Pignatellua *tom. 3. consult. 33. nu. 38. Tamburin. lib. 8. de matrim. tract. 1. de impedim. cap. 4 §. 4. num. 11.*

Si autem specialiter agatur de dispensando in gravi necessitate impedimento occulto pro solo foro interno, omnia concordant ad adstruendam hanc Episcopo potestatem. Primo igitur, ut dixi *tract. 3. q. 5. cap. 1. q. 4 resp. 2.*, potest Episcopus in lege Pontificia, vel Conciliari dispensare, quoties id necesse sit pro urgenti spirituali necessitate suarum ovium; unde in similibus circumstantiis poterit pro foro interno dispensare etiam quoad impedimenta dirimentia. Secundo, ex ibidem dictis *qu. 4. c. 3.* ex epikeja bene judicatur Legislatorem noluisse sua lege comprehendere casum, in quo observatio legis esset damnosa, seu saltem valde onerosa; observatio autem legia inducentis impedimentum in præfatis circumstantiis esset onerosissima, si Episcopus saltem non posset dispensare. Tertio, cum omnino tuta sit opinio adstruens Episcopis talem facultatem, dicendum est apud ipsos vigere consuetudinem dispensandi, consuetudo autem contra legem Ecclesiasticam præscribit: *arg. cap. fin. de consuet.*, & ulterius dat jurisdictionem: *cap. Duo simul. de Offic. Ordinat.*, *& cap. cum contingat de for. compet.* Videantur Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 35.*, *Gutier. qq. canon. lib. 1. cap. 23. Engel. de matrim. contract. cont. interd. Eccles. Sanch. l. 2. de matr disp. 40.*

Q. II. Quid agere debeat Parochus, si immineat gravissima necessitas celebrandi matrimonium, & non possit dari recursus ad Episcopum pro dispensando impedimento dirimente.

R. Casus accidere potest e. g. in Parocho rurali, qui comperit aliquem ex contrahentibus laborare impedimento dirimente, quando e. g. jam sunt in Ecclesia una cum consanguineis pro matrimonio celebrando. Certe si publicatio impedimenti graviter famæ officiat, modo reputatur solum speculativum, & ideale, in praxi vero valde periculosum illud remedium, quod passim legitur apud Theologos, ut nempe contrahentes, vel aliquis illorum votum castitatis ad tempus emittat, ut interim dispensatio saltem ab Episcopo obtineatur. Fortasse Episcopus contrariam sequens opinionem illam denegabit. Item quis juste timere non potest contrahentes, & maxime fœminam interrogationibus consanguineorum fatigatam, saltem occasionem graviter suspicandi non præbituram de vero impedimento, quod sub ratione voti celatum est? Item, quod pejus est, omnes semidocti sciunt in præfato casu docere Casistas inducendos esse contrahentes ad dictum votum, ut occultetur turpe impedimentum; unde quando audierint proxime contracturos matrimonium ab illo abstinuisse, quia inventum est obstrictos fuisse voto castitatis, statim judicabunt adfuisse turpe impedimentum. Demum potest dari casus, in quo adhiberi non possit prædictum remedium, quando nempe ageretur de contrahendo matrimonio inter aliquos laborantes impedimento dirimente, quorum aliquis esset morti proximus, & Episcopus absens; & interim vitari non posset insigne dedecus familiæ, sicut etiam quod filii remaneant illegitimi &c. vel aliquod aliud gravissimum scandalum, nisi per celebrationem Matrimonii. Ita e. grat. esset, si occidenda esset fœmina, dum comprehenderetur fuisse concubinam, non vero uxorem, uti reputabatur, morituri.

In his igitur casibus, dum nec Episcopus possit adiri, nec contrahentes essent in bona fide; in qua si essent, in ea essent reliquendi, ut monet de *Lugo de pœnit. disput. 22. sect. 22. & 24.*, putarem, salvo semper meliori judicio, Parochum procedere posse ad Matrimonium celebrandum. Ratio est, quia ideo dum adiri non potest Papa, tutissime dicitur dispensationem pertinere ad Episcopum, quia per epikejam optime interpretatur non obligare, immo cessare obligationem legis quoad Papam adeundum; at hæc ratio militat etiam in isto casu. Omnes igitur concedunt per epikejam bene affirmari cessare legem Ecclesiæ, quoties in aliquo casu particulari ipsius observantia sit difficillima, & multo magis, si perniciosa; dum ita ergo evadat lex Ecclesiastica de aliquo impedimento, nec Episcopus adiri possit, poterit Parochus judicare pro tali casu cessare illius obligationem, quamvis etenim dicamus non posse in ea dispensare, potest tamem doctrinaliter interpretari, an obliget, nec ne in aliquo casu particulari, ut dixi *tract. 3. quæst. 4. cap. 2. quæst. 1.* Ulterius cum eadem debeat esse juris dispositio, ubi eadem est ratio, ex ibidem dictis *quæst. 4.* sequitur quod si ad removenda gravia inconvenientia consentiunt DD. cessare legem quoad obligationem Pontificem adeundi, dum adiri non potest, idem dicendum sit quoad obligationem Episcopum adeundi, dum non possit adiri. Unico verbo quidquid facit præsumere voluntatem esse S. Pontificis, ut Episcopus in quibusdam gravissimis casibus possit in impedimentis dirimentibus dispensare, dum non possit Pontifex adiri, & periculum sit in mora, idem probat, meo videri, quoad Parocum dum non possit Episcopum adire. Vel si dicatur in casu, quo non possit adiri Pontifex pro dispensatione, cessare quoad hoc legis obligationem, idem dicendum videtur in casibus quibus adeundus esset Episcopus, si adiri non posit.

Hæc doctrina, quam semper in mente habui, in gravissima necessitate non videtur reprobanda, ut conformis principiis, quæ in Tractatu de Legibus communiter admittuntur. Ut tamen ex hoc non cesset, quæ debetur reverentia legibus Ecclesiæ, bene postea erit ad majorem firmitatem dispensatione a competente Superiore expostulare. Quæ hucusque dixi innuntur etiam in quadam instructione pro Novis Confessariis edita primo Papiæ, & postea Lucæ typis Leonardi Venturini *part. 2. cap. 1. num. 32.*, ac eodem tempore Romæ.

Q. III. Quando impedimentum dicatur occultum, ut semper eo valeat Episcopus dispensare.

R. Ex dictis, regulariter loquendo, Episcopus non potest dispensare super tale impedimentum nisi sit occultum, ut communiter docent DD. cum Fagnano *in cap. nimis de Filiis Præsbyter.*, & aliis supra citatis. Illud autem dicitur occultum, quod omnino secretum existit, ut nulla ratione possit probari, vel si etiam a quatuor, vel quinque personis sciatur, ita sine taciturnæ, ut prudenter revelandum non credatur, ut ex *Glossa in can. manifesta 2. quæst 1.*, *& can. non sunt hæc de Pœnit. dist. 1. v. secreta*. Si e contra sciatur a duobus, vel tribus garrulis, & maxime si inimici sint habentia impedimentum, tunc non satis occultum reputandum est. Cum igitur in tali casu periculum immineret revelationis, non esset ab Episcopo ad dispensationem procedendum, nisi cogat gravis necessitas, propter gravia inconvenientia, quæ oriri possunt, si detecto impedimento dissolvendum esset matrimonium initum cum dispensatione pro solo foro conscientiæ: *Sanchez lib. 2. d. 42. num. 11. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 35.*

Q. IV. Quando intelligatur adesse gravis, & urgens necessitas, qua stante Episcopus possit dispensare.

R. Certe Episcopus non potest super impedimento dirimente dispensare, nisi urgeat magna necessitas, ut late probat *Fagnanus in cap. Nimis de Filiis Presbyter.* cum revera Episcopi præ cæteris ad Canonum observantiam teneantur. Si tamen dispensaret ex privilegio ipsius facto a Papa, omnes concedunt sufficere ad dispensandum ex quacumque ex infra adducendis causis, ex quibus solet Papa dispensare.

Loquendo autem de magna, & urgenti necessitate, in qua Episcopus sine privilegio possit super impedimento dirimente occulto dispensare, ea ex sequentibus causis potest oriri. Primo, si difficilis sit aditus ad Summum Pontificem, ut evenire posset tempore belli &c. Secundo, si laborans impedimento valde distet a Curia Romana. Tertio, si ex dilatione dispensationis vere grave damnum, & præjudicium immineat; ut si unus Conjugum, qui invalide contraxerunt, sit morti proximus ac matrimonio nullo existente, illegitimi adituri sua hæreditatem &c. Item si putetur Conjuges vel ratione juventutis, vel amoris, quo se invicem prosequuntur, non posse se continere. Id autem maxime timendum, dum non possent separari, vel quia impedimentum non posset probari, vel quia ortum fuit ex copula fornicaria cum consanguinea uxoris, aut e contra; vel quia jam adsunt filii. Item grave præjudicium imminet, ex quo Episcopus potest dispensare, si vel ex eoquod separent conjuges, vel matrimonium statim non celebraretur, graves discordiæ, vel fortasse etiam homicidia prudenter timerentur: *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 36. numer. 5. Gobath. in Theol. experimental. tr. 9. num. 578.*

Q.V. Quomodo debuerit esse contractum matrimonium, ut Episcopus, stantibus supradictis, dispensare possit in impedimento illud dirimente, & quid si agatur de matrimonio contrahendo.

R.I. Ut Episcopus valeat dispensare sub præfato impedimento, oportet matrimonium contractum fuisse cum ignorantia impedimenti, quia jus declarat indignos dispensatione, qui mala fide contrahunt: *arg. cap. fin. de immun. Eccles. & Trid. sess. 24. de reformat. matrim. c. 5. Sanch. l. 2. d. 40. n. 4. Engel. de matrim. contra interd. Eccl. contr. n.* 11. Quia tamen Tridentinum solum vult carere spe dispensationis, qui *scienter* contraxerint intra gradus prohibitos, hinc est excusare etiam ignorantiam crassam, ex dictis *tr. 4. q. 1. c. 5. q. 1. resp. 3.* Impertiri pariter poterit dispensationem, si saltem unus ex contrahentibus fuerit in bona fide; etenim incapacitas dispensationis inducta est a Concilio in pœnam contrahentium mala fide, pœnæ autem sunt restringendæ; & ulterius non debet aliquis alterius onere prægravari, ut habetur *c. non debet de reg. jur. in 6. Sanch. & Engel. l. c.* Item oportet matrimonium fuisse contractum in facie Ecclesiæ premissis denuntiationibus, nisi ab eis præmittendis Episcopus dispensaverit, alias idem Tridentinum vult contrahentes spe dispensationis carere.

R.II. Si supradictæ conditiones, ratione quarum Episcopus dispensare potest super impedimentu dirimente Mattimonii jam contracti, concurrant ad constituendam necessitatem dispensandi super eodem impedimento quoad Matrimonium contrahendum, Episcopus pariter poterit dispensare. Id autem constat, quia eædem rationes, quæ convincunt habere Episcopum facultatem dispensandi quoad Matrimonium jam contractum, convincunt pariter habere facultatem dispensandi quoad Matrimonium contrahendum, ut constabit considerant exempla, quæ supra adduxi quæsito secundo: *Sanch. de Matrim. l. 2. d. 40. n. 8. Pont. de Matrim. l. 8. c. 13. n. 6. Barbos. de Offic. Episc. allegat. 35. n. 5. Gobat. in Theol. experiment. tr. 9. n. 581.*

Q.VI. An Regulares vi suorum privilegiorum possint in impedimentis dirimentibus dispensare.

R. Putat Reinffestuel ex pluribus a se adductis *c. 4. in 4. Decretal. n. 542. in append. de dispens. §. 2.* probabilius esse Regulares habere privilegium concessum a Leone X. quo possint pro foro interno dispensare super occulto dirimente impedimento affinitatis, etiam in primo gradu, & prolem inde susceptam legitimam declarara. De hoc privilegio & Bulla, qua fuit concessum, mentionem facit celeberrimus Episcopus Roffensis *in suo libro de causs. matrim. Reg. Angliæ*, & plures alii apud eumdem Reinff. Quamvis autem iste Author postquam illud vindicavit, ejusque existentiam demonstravit, suadeat eo non utendum nisi in urgentissimis circumstantiia, utpote quia in his materiis via tutiore incedendum est; nihilominus ejus opinione supposita, usus privilegii omnino tutus esset, utpote quia etiam in dubio standum est pro privilegiis Regularium, ut dixi *tr. 3. q. ult. c. 3. q. 3.*

Q.VII Quæ sint causæ justæ dispensationis.

R. Hujusmodi causæ ad sequentes reducuntur. Angustia loci, quia scilicet supplicanti juncta est ratione consanguinitatis, vel affinitatis major pars incolarum; unde extra eos fere nullus sit paris secum conditionis, cui possit nubere; & maxime si valde incommodum illi sit extra ipsum locum alteri nubere. Paupertas supplicantis, vel si mulier sit indotata. Necessitas auxilii, ut si mulier defectu viri, qui illi assistat, gravibus litibus quoad bona, quæ possidet, exagitetur; vel si filiis gravata ope viri indigeat. Incompetentia dotis, quæ talis potest esse vel attento statu mulieris, vel ipsius qualitatibus, deformitate nempe, provectiore ætate, infamia &c. Sedatio litis, & discordiarum; ut si necessaria sit dispensatio ad finiendam litem, ob quam mulier remanere possit indotata, vel ad sedandas graves inimicitias inter consanguineos, aut ad impediendas quæ prævidentur futuræ. Periculum infamiæ, dum nempe, non concessa dispensatione, infamanda esset mulier, quia e. g. prægnans est ex eodem copula habita cum consanguineo. Scandalum grave, ut si ex dissolutione Matrimonii jam contracti gravia scandala forent oritura, vel periculum esset, ut, qui nulliter contraxerunt in concubinatu perseverarent. Ætas excedens; ut si mulier annum vigesimum quartum excedat, ac interim nulli nubere potuerit. Illustris familiæ conservatio, & merita excellentia erga Ecclesiam. Magna eleemosyna, quæ de mandato Summi Pontificis in opera pia impendatur, & hæc stylo curiæ dicitur dispensatio sine causa, quia licet adsit causa extrinseca, nempe ipsa eleemosyna, deest tamen intrinseca, quæ scilicet de sua natura respiciat matrimonium. De his causis plura videre est apud Canonistas.

Q.VIII. An in dubio de impedimento dirimente contrahi possit matrimonium absque dispensatione.

R. Utique non est contrahendum matrimonium cum dubio de impedimento dirimente, nisi prius sufficiens adhibeatur diligentia ad illud vincendum; nam tunc dubitans exponeret matrimonium periculo nullitatis, & seipsum periculo fornicandi. Item contrahendum non est matrimonium sine dispensatione, quoties præsumptio stet pro impedimento; nam tunc judicandum est vere intervenire. Ita si quis dubitaret, an sit affinis Bertæ, quam vellet ducere, eo quod dubitet, an dum rem habuit cum ejus Sorore, intra vas seminaverit, judicare debet ita factum fuisse, cum ita eveniat ex communiter contingentibus: *Tamburin. in Decalog. l. 1. c. 3. §. 7. n. 4* Dum vero adhibita fuerit sufficiens diligentia ad dubium vincendum, vel præsumptio non stet proexistentia impedimenti, tunc, etsi dubium non vincatur, puto posse contrahi matrimonium absque dispensatione. Ratio est, quia unusquisque possidet jus certum ad contrahendum matrimonium, quod jus certum non eliditur a dubio impedimento; sicut nemo est expoliandus certa possessione super aliqua bona prupter dubium superveniens, quod ad alium pertineant. Hinc *cap. laudabili, & cap. final. de frigid. & malef.* dubitanti de sua impotentia conceditur contrahere matrimonium, quod nequaquam concederetur, quoties dubium de impedimento superaret jus certum contrahendi matrimonium. Quoties autem, non obstante dubio, tale jus perseveret, nulla fit injuria Sacramento, neque imprudenter dici potest non vitari periculum fornicandi; *Sanch l. 8. d. 6. n. 18. Dian. coord. t. 2. tr. 8. resol. 132.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Propter ignorantiam Parochorum consurgere possent gravissima inconvenientia, dum scilicet ignorant potestatem Episcopi quoad dispensandum ab impedimentis dirimentibus. Non tam difficiliter accidit post contractum matrimonium ab ipsis detegi similia impedimenta, & cum statim judicent non posse tale matrimonium convalidari absque Pontificia dispensatione, sunt causa, ut dum expectatur, putativi Conjuges pluribus fornicationibus inquinentur. In his aliisque casibus, si suos Præsules adirent, facilius tot inconvenientibus occurrerent; cum maxime non desint qui velint eosdem teneri in similibus casibus dispensare: *Suar. de leg. c. 18. n. 22.* Cum autem in iisdem casibus potestas dispensandi sit Episcopo ordinaria, poterit etiam suo Vicario delegare; adeoque & ipsum adire poterunt Parochi, si illi ab Episcopo fuerit specialiter delegata, neque enim habet ex vi Vicariatus: *Sanch. l. 2. de Matrim. d. 40. n. 12. Palaus de Sponsal. d. 4. p. ult. §. 1. n. 14.*

II. Alia in re solent in hac materia Parochi errare. Dum igitur ipsis refertur inter aliquos, qui jam matrimonium contraxerunt, esse impedimentum dirimens, statim publice de illo inquirunt, & loquuntur; atque ita quod vere erat occultum, quia uni tantum, vel duobus, aut tribus notum, publicum evadit. Hinc fit non amplius esse ab Episcopo dispensabile, quamvis alias esse posset justa causa, ut ab eo dispensaretur; sed neque a S. Pœnitentiaria, quæ in occultis tantum impedimentis dispensat. Statim ac ergo Parocho aliquod defertur impedimentum, imponat silentium Delatori, atque interim videat quid agendum: cum fortasse etiam possit dari casus ita extraordinarius, ut præstet relinquere in bona fide, qui cum tali impedimento contraxerunt.

CA.

CAPUT II.

De Nullitate Dispensationis, vel quia subreptitia sit, vel obreptitia, & de ipsius Duratione.

Q.I. QUando nulla sit dispensatio ob non existentiam causæ, ratione cujus expostulatur, vel quia aliquid non exprimatur, seu falsum exponatur.

R. I. Suppono hic dispensationem vel subreptitiam, vel obreptitiam nullam esse, eamque dici subreptitiam, in qua tacetur verum, quod erat explicandum, obreptitiam vero illam, in qua exprimitur falsum. Sed quia non semper ex taciturnitate veri, vel ex falsi expressione dispensatio redditur nulla, ideo ad particulares casus est descendendum.

Dicendum igitur est, dum non exprimatur vera causa motiva, intrinseca mater æ, in qua petitur dispensatio, nullam esse dispensationem, quia Superior intelligit dispensare, si verum sit motivum, quod proponitur ad eam obtinendam. Subsistit vero dispensatio, quamvis causa motiva extrinseca falsa sit, vel quamvis falsa sit causa impulsiva, ut etiam dixi *tract. 3. q. 5. c. 2. q. 5. resp. 2.* Et ratio est, quia intelligitur Superior sufficienter consentire in dispensationem, quoties subsistit motivum, quod illi proponitur ab obtinendam dispensationem.

R.II. In casu, quo causa motiva extrinseca, seu impulsiva, vel quid aliud exprimendum sit ex jure, consuetudine, seu stylo curiæ, vitiatur dispensatio, si non exprimatur, vel quoad hæc aliquid falsum exponatur. Ratio est, quia tunc illorum expressio, ut revera sunt, exigitur pro forma necessaria ad valorem actus. Desumunt id etiam DD. *ex c. si motu proprio de Præb. in 6.* ubi pronunciatur subreptitia impetratio Beneficii, quia non manifestatum fuit supplicantem aliud exiguum beneficium obtinere. Certe si Pontifex scivisset beneficium incongruum obtinere, eadem facilitate, & ut ita dicam, majori, Beneficium concessisset; at nihilominus nulla fuit concessio, quia non fuit manifestum quod ex jure &c. erat exprimendum: *Sanchez lib. 8. de Matrim. d. 21. numer. 13., Palaus tom. 1. tract. 3. d. 6. part. 16. §. 4. num. 5. in fin., Fagnan. in c. super litteris numer. 54. & seqq. de Rescript. De Just. de disp. lib. 1. cap. 4. num. 4. & 18.* Et hoc etiam verum est, nullam nempe reddi dispensationem, si quæ exprimenda sunt de jure, consuetudine, aut stylo Curiæ, ex ignorantia omittantur, ut videre est apud citatos DD.

R.III. Si omittantur qualitates, aut circumstantiæ, quæ de jure, consuetudine, aut stylo Curiæ non sunt exprimendæ, aut per simplicitatem, & ignorantiam aliquid falsum expressum fuerit, non vitiatur dispensatio, quoties Papa adhuc cognita veritate illam fuisset concessurus: *Fagn. cit. Engel. de Rescript. numer. 12.* Dixi, si per simplicitatem, aut ignorantiam aliquid falsum fuerit expressum; nam quæcumque falsitas dolose expressa vitiat rescriptum, *cap. super litter. 20. de Rescript.* Et quamvis ibi sermo sit de Rescriptis Justitiæ, seu ad lites, nihilominus quod ibi decernitur attendendum est etiam in rescriptis gratiæ, tum quia etiam respectu talium rescriptorum æquum est dolosum Oratorem *in suæ perversitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequi; ac mendax peccator carere debet penitus impetratis*, ut dicit Pontifex in capite citato; tum quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debeat, *ex c. fides Apostolica 15. de Rescript.* tum quia rescripta Apostolica, & præcipue litteræ gratiolæ, ad instantiam partis emanatæ, continent saltem tacite illam clausulam: *Si preces veritate nitantur*, ut constat *c. 2. de Rescript.*

Q. II. An subsistat dispensatio quando inter plures causas motivas, quæ proponuntur, aliqua falsa est.

R.I. Si pro una obtinenda dispensatione expressæ fuerint plures causæ, quarum quælibet solet movere ad dispensandum, valet dispensatio, si ex illis aliqua vera sit. Ratio est, quia dum una vera sit, jam intelligitur Papa habere sufficiens motivum verum ad concedendam dispensationem, adeoque sufficienter est illi voluntaria. Accedit quod dum exprimuntur plura non necessaria, propositio copulativa resolvitur in disjunctivam: *arg. cap. cum jam dudum de Præbend. in 6.* & ad veritatem propositionis disjunctivæ sat est unam partem esse veram: *Sanchez lib. 8. d. 21. num. 42. & 44. Sperell decis. 20. num. 39. de Just. de dispens. lib. 3. cap. 1. num. 59.* Juxta dicta autem superius non substinenda esset dispensatio, si causa falsa fuisset dolose adducta.

R.II. Si duæ simul petantur dispensationes, & pro una ipsarum causa falsa dolose allegetur, neutra subsistit, si una in ordine ad alteram expostcatur. Exemplum sit in eo, qui petit dispensari a voto castitatis, allegando non posse se continere; simulque petat ducere posse consanguineam, falso allegando hanc esse indotatam. In prædicto igitur casu nulla reputanda est utraque dispensatio, quia cum una ad aliam ordinetur, non præsumitur velle Pontificem, Oratorem ad illud matrimonium habilitare, quoties dolose fe gesserit. Si vero ex ignorantia, & simplicitate falsum expressit quoad unam obtinendam, non reputandum est alteram esse nullam, quia bene creditur voluisse Pontificem tuam dispensationem valere quoad fieri potest cum Oratore non doloso; & juxta *cap. utile de reg. juris in 6.* utile per inutile non vitiari: *Palaus t. 1. tr. 3. disp. 6. p. 16. §. 5. a n. 5.* Qui bene addit *n. 7.* quod si plures dispensationes simul expostulatæ sint disparatæ, ut si petatur dispensatio voti, & irregularitatis, eo quod una non subsistit, quia dolo falsum expressum fit, bene subsistat altera. Ratio est, quia cum una non concedatur in ordine ad aliam, idem est ac si in diversis supplicationibus diversæ expostulatæ essent dispensationes; unde sicut tunc, quamvis una non subsisteret ex dolosa expressione falsi, altera omnino valida esset, idem dicendum, etsi eadem supplicatione diversæ disparatæ dispensationes fuerint expostulatæ.

Q.III. An error in nomine, & cognomine Oratorum, vel in Diœcesi, & Patria vitiet dispensationem.

R. I. Ex jure error in nomine, & cognomine non vitiat rescriptum, semper cum alias constet de quo sermo sit *l. si nomine C. de Testam.* unde multi volunt nec vitiare dispensationem matrimonialem: *De Justit. de dispens. l. 1. c. 4. n. 54.* Verum aliud servandum in præsenti materia ex indubitato stylo Curiæ vult Corradus *de dispens. l. 7. c. 5. a num. 3.* quem dicit habere vim legis: *arg. cap. ex litter. de Constit. & cap. quam grave de rescript.* & merito Introductum asserit ad vitandas plures fraudes. Solum concedit hunc errorem non obstare, quoties error esset solum in aliqua syllaba; ut si loco *Antonii* scriberetur *Antonini*; vel si tantum exprimeretur unum nomen illius, cui duo nomina in Baptismo fuissent imposita.

R. II. Error in nomine Diœcesis vitiat dispensationem, neque enim tunc eam exequi potest Ordinarius Oratorum; cum illi non fuerit demandata, neque ille, cui per errorem data est, quia dans intelligit committere Ordinario Oratorum, ut ex Trident. *sess. 22. cap. 5.* seu Oratricis, si sit diversæ Diœcesis. Accedit notorius stylus Curiæ: *De Just. l. 1. c. 44. a num. 66. Corrad. l. 7. c. 5. n. 29.* Error autem circa locum Oratorum vitiat dispensationem, quoties petatur dispensatio ob angustiam loci, vel ob locum ad litus maris; tunc etenim locus determinatus est causa motiva, seu finalis concedendæ dispensationis; unde error loci redundat in causam, qua Pontifex movetur ad dispensandum. Extra prædictos casus error loci, quia de materiali se habet ad dispensationem, illam non vitiat: *De Justit. n. 59. Corrad. n. 30.*

Q. IV. Quo tempore debeant verificari causæ allegatæ pro dispensatione obtinenda.

R.I. Quamvis fere omnes concordent non esse necesse præfatas causas esse tempore, quo supplicatio mittitur & traditur Pontifici, ut videre est apud *Sanch. l. 8. d. 30. n. 2.* nihilominus non pauci volunt veras esse debere eo tempore, quo litteræ dispensationis Romæ expediuntur: *Sanchez num. 4. Guttier. Can. qq. l. 8. c. 15. n. 131.* aliique plures. Verum bene sustineri potest sufficere, si veræ sint eo tempore, quo Ordinarius, vel alius Papæ Delegatus actu dispensat. Observandum igitur est tempore antiquo non fuisse validas dispensationes, ni causæ, quarum ratione petebantur, veræ essent, dum litteræ dispensationis Romæ expediebantur, & hoc quia tunc ipse Papa dispensabat, nec id alteri committebat. Hinc gratias dispensationis tunc nullas fuisse, si tunc non verificabantur ipsius causæ, habetur *c. quia circa de consf. & affin. & cap. si eo tempore de rescript.* At cum modo Papa ipse non dispenset, sed committat Delegato dispensare sub conditio-

tiones, si preces veritati nitantur, nil obstat quin Delegatus possit dispensare, si causæ allegatæ pro dispensatione veræ sint, dum Delagatus actu dispensat, cum Papa non aliud requirat, nisi ut preces veritati nitantur, antequam dispensetur. Si proinde Oratores, prævidentes adfuturam causam petendæ dispensationis, eam proinde anticipato petant, ut citius contrahere possint matrimonium, non est necesse ab iis allegatem fuisse causam, quæ fuerit vera, dum dispensatio Romæ solicitabatur, vel ibi expeditæ fuerunt literæ dispensationis, sed sat est, si causa verificetur antequam Delegatus actu dispenset: *Pyrrh. Corrad. in prax. disp. l. 7. c. 6. n. 24. Garz. de Benef. p. 6. c. 2. n. 283.* aliique plures. Cæterum etiam illi, qui volunt causam veram esse debere tempore solicitationis, & gratiæ a Papa concessæ, concedunt verum pariter esse debere verificari dum Delegatus dispensat; cum etenim etiam per ipsos ultimo tunc perficiatur dispensatio, oportet verificari conditionem, sub qua conceditur; si nempe preces veritati nitantur: *Sanch. n. 12. Pontius l. 8. c. 20. De Just. de disp. l. 1. c. 6. n. 285.*

R. II. Non est necesse causas pro dispensatione allegatas veras esse, dum contrahitur matrimonium, si jam exequuta sit dispensatio, ipsis veris existentibus. Huic responsioni refragatur *Sanch. l. 8. d. 30. n. 14.* aliique illi principio innixi, quod cessante causa cessat effectus, ut habetur *c. cum cessante de appel.* Hoc autem principium verum est, quoties cessat causa quoadusque effectus non sit plene perfectus, & consummatus; nam tunc adhuc intelligitur a causa pendere, adeoque si cesset, & cessabit effectus. In casu autem nostro statim ac a Delegato exequuta est dispensatio, statim etiam sublatum est perfecte impedimentum, & impedimentum semel ablatum numquam reviviscit: *arg. c. ex tuæ de fil. presb.* unde habetur illa regula 73. juris in 6. *Factum legitime retractari non debet, licet casus veniat, in quo non potuit inchoari.* Cum autem fateantur DD. hanc regulam habere locum, quoties actus fuit perfectus & consummatus, consequens est etiam non retractari dispensationem semel completam, adeoque non redire vinculum semel ablatum. Quod si *l. 1. ff. de condictione sine causa* videntur æquiparari ab initio causam non fuisse, ac postea desiisse, dicendum est id verificari, quoties intentio est concedentis, ut causa cessante cesset effectus. At in casu nostro non habemus fundamentum id dicendi, cum Papæ deleganti dispensationem simulque Delegato eam exequenti satis sit verificari causam tempore actualis dispensationis: *Pontius de matr. l. 9. c. 22. n. 4. Guttier. de matr. c. 125. n. 2. De Just. l. 3. c. 1. n. 82.*

Q. V. An ad valorem dispensationis exprimenda sit repulsa alias data, sive dispensatio alias concessa.

R. I. Neque ex jure, neque ex stylo Curiæ constat necesse esse repulsam alias datam exprimere. Ulterius repulsa alias data non probat negandam gratiam, si Superior repulsæ datæ recordaretur; sæpe enim accidit ex multiplicatione precum Superiorem magis percipere necessitatem supplicantis, illique concedere, quod alias negavit: *Suar. de leg. l. 2. c. 22. Sanch. l. 8. de matr. d. 22. n. 14.*

Ubi obiter advertas, quod si Superior gratiam petitam negaverit, integrum adhuc est eam expostulare ab altero Superiore ipsi inferiore, dum alias ipsi competat illam concedere. Ratio est, quia, eo quod denegata fuerit a Superiore Majori, non per hoc intelligitur auferri authoritatem, quæ competit inferiori: *Suarez citat. Palaus tom. 1. tract. 3. d. 6. part. 16. §. 6. num. 1.*

R. II. Regula generalis est mentionem faciendam esse jam alias obtentæ dispensationis, quoties concessio primæ secundam concedere impediret. Ratio est, quia, ut concedens gratiam voluntarie concedere intelligatur, debet cognoscere quanta sit gratia, quam concedit; neque enim voluntas fertur in incognitum: dum autem ratione jam concessæ dispensationis secunda non concederetur, constat, quod si prima dispensatio non exprimatur, Superior non cognoscit quantitatem gratiæ, quam facit, secunda dispensando, unde convincitur non habere voluntatem gratiam concedendi: *Palaus cit. n. 5.* Hinc si qui e. gr. semel impetravit dispensationem ob crimen uxoricidii, iterum petat dispensationem ob novum uxoricidium, nulla erit hæc secunda dispensatio, si Orator primæ non meminerit; nam hujusmodi secunda dispensatio non videtur concedenda etiam ex textu *l. 3. Cod. de Episcop. audiend. Sanch. lib. 8. dist. 11. n. 2.* Item si quis obtinuerit dispensationem ad ducendam Bertam suam consanguineam, ac interim dum ea uti posset, mutato animo, velit ducere Cajam pariter consanguineam, non esset valida dispensatio obtenta quoad hanc ducendam, dum prioris mentio non fieret. Ratio est, quia non solet Pontifex gratiam tam exorbitantem concedere, hanc nempe, vel illam consanguineam ducendi. Ubi notandum in hoc casu nullam esse secundam, & subsistere priorem dispensationem, quia Pontifex non intelligit concedere posteriorem, dum prior existit: *Pontius l. 8. c. 16. Palaus t. 1. tr. 3. d. 6. punct. 16. §. 4. n. 9.* Neque videtur assentiendum *Sanch. l. 8. d. 22. n. 19.* qui vult cessare priorem, & subsistere posteriorem; quia dum Pontifex hanc concedit, primam excludere censetur. Non inquam, illi assentiendum, quia non satis comprehenditur Pontificem excludere velle priorem, cujus non recordatur, vel habere generalem voluntatem illam excludendi.

Cum e contra non sit necesse exprimere priorem dispensationem, si ipsius expressio non impediret secundam, hinc bene dicitur, quod si antea obtenta sit alia dispensatio disparata, v. g. quoad votum Religionis ingrediendæ, non est necesse eam exprimere, dum expostularetur dispensatio quoad illegitimitatem Natalium pro beneficio obtinendo: *Suarez de leg. l. 6. c. 23. Sanchez l. 8. d. 22. n. 5.* Item, si prior dispensatio fuit ex aliquo capite nulla, non est necesse illam exprimere, dum denuo exposcitur, quia si nulla sit, ut non obtenta habetur; cum *ex regul. non præstat de reg. jur. in 6.* nullum præstet impedimentum, quod de jure non sortitur effectum: *Sanchez n. 21.* Idem dici potest, si dispensatio jam obtenta cessaverit, quia e. g. aliquis jam duxerit consanguineam, pro qua ducenda dispensationem petit, & hæc mortua sit. In hoc casu, si petat novam dispensationem pro alia consanguinea ducenda, non est necesse prioris mentionem facere, utpote quia, si adsit causa novum cum consanguinea ineundi matrimonium, non videtur Pontifex retardandus a nova dispensationa concedenda, eo quod ex dispensatione simile antea initum sit conjugium: *Sanch. n. 13. Palaus tom. 1. tr. 3. d. 6. punct. 16. §. 4. n. 7.* Addit Palaus idem dicendum de eo, qui obtinuit dispensationem a voto castitatis ad matrimonium contrahendum, si mortua uxore iterum petat dispensationem ab eodem voto ad aliud ineundum conjugium.

Q. VI. An ad validam dispensationem necesse sit exprimere in eadem supplicatione omnia impedimenta, quibus Orator laborat.

R. In eadem supplicatione exponenda sunt omnia impedimenta Oratoris. Ratio est, quia si singillatim petatur dispensatio super quocumque impedimento, Papa non cognoscit quantitatem gratiæ, quam concedit; cum valde amplior sit gratia, dum cognoscit dispensare unam eamdemque personam pluribus laborantem impedimentis, quam si super uno tantum eamdem dispensare credat; ut evenit quando impedimenta singillatim proponuntur. Tum quia Papa concedens dispensationem intelligitur dispensare sub tacita conditione, si aliud non obstet: *arg. cap. 1. de ætat. & qualit. Ordin. in 6.*: dum vero simul non exprimerentur, obstarent ea, quorum mentio facta non esset. Accedit stylus Curiæ, qui maxime in hac materia est omnino observandus: *De Just. de disp. l. 1. c. 4. nu. 87. Pontius de Matr. l. 8. c. 17. §. 5. n. 25.*

Id tamen limitandum primo, si plura habens impedimenta, velit aliquod ex ipsis alia via ac per pontificiam dispensationem removere. Exemplum fit in eo, qui obstrictus voto castitatis emisso ante pubertatem, & post pubertatem non ratificato, ducere vellet consanguineam. Si iste velit removere impedimentum voti per irritationem factam a Patre, non est necesse quod exprimat Papæ, nisi consanguinitatem; hanc enim solam exprimendo, exprimit totam gratiam, quam ab ipso exposcit.

Item limitandum, dum exposcens dispensationem habeat duplex impedimentum, unum occultum, e. g. affinitatis ex copula fornicaria, aliud publicum, nempe consanguinitatis. In hoc casu non est necesse exponere in Dataria utrumque impedimentum ad vitandam infamiam, sed sat est, si occultum exponatur Pœnitentiariæ. At in supplicatione, qua in S. Pœnitentiaria petitur dispensatio pro occulto impedimento, publicum etiam est exponendum, non ut super hoc dispenset, sed quia tunc major est difficultas dispensandi super occulto impedimento: *De Just. de disp. lib. 1. c. 4. n. 103. Sanchez l. 8. d. 23. n. 7.*

Q. VII. An ad valorem dispensationis explicandum sit

sit jam matrimonium fuisse contractum; & quæ insuper quoad hoc sint exprimenda.

R. Si Matrimonium fuit bona fide contractum, non est necesse hoc exprimere ad valorem dispensationis, quia hoc non retardat ipsam dispensationem, sed potius illam reddit faciliorem, unde male facerent Oratores id non exprimendo. Si vero contractum fuit matrimonium mala fide etiam ex parte unius tantum, id est exprimendum: *De Just. l. 3. c. 16. n. 15. Genuens. in prau. c. 20. n. 7. Corrad. in prau. l. 1. c. 8. n. 9.* Idem dicas, si matrimonium contractum fuerit sub spe facilius obtinendæ dispensationis: *Guttier. l. 2. canon. qq. c. 15. Sanch. l. 8. disp. 25. n. 12.* Item si consummarunt matrimonium mala fide contractum: *Corrad. l. 8. c. 3. n. 4.* seu si clandestine contraxerunt, vel omiserunt denunciationes, quamvis inculpabiliter ignorarent impedimentum. Ratio horum omnium est, quia quæ dixi esse exprimenda, impedire possunt dispensationem si exprimantur, ut patet ex Trid. *sess. 24. de reform. matr. c. 5.* adeoque iis non expressis nulla esset dispensatio. Accedit etiam ex stylo Curiæ esse exprimenda, ut passim notant DD. citati.

Quando explicanda sit copula, quam habuerunt Oratores, dixi agendo de impedimento consanguinitatis, & affinitatis; sicut etiam agendo de aliis impedimentis, explicavi quæ narranda sint, dum ipsorum petitur dispensatio.

Q. VIII. An dispensatio intelligatur concessa ad unicum tantum actum.

R. Jam Tractatu tertio *qu. 5. c. 3.* explicavi quando Dispensatio cessare intelligatur. Superest hic videre, an dispensatio a voto castitatis, religionis &c. ad effectum nubendi, intelligatur solum pro una vice concessa, ita ut, dissoluto per mortem alterius matrimonio, secundum non liceat inire. Dicendum ergo est, quod, si dispensatio non restringatur ad unicum tantum matrimonium contrahendum, vel non respiciat particularem personam, ratione cujus dispensetur, extendi potest ad aliud matrimonium contrahendum, dummodo tamen perseveret causa dispensationis. Exemplum sit in eo, qui stimulis carnis non resistat, & exposceret dispensationem a voto castitatis, ut inire possit matrimonium. Si in isto, mortua conjuge, perseveret eadem causa, poterit aliam ducere; tum quia dum dispensatio ad unicum tantum restringitur matrimonium, solet id in eadem exprimi; unde dum non exprimitur, reputandum est non limitari. Tum quia, dum quis absolute dispensatur ad matrimonium contrahendum, tollitur absolute impedimentum respectu illius; unde dispensatus novum poterit conjugium inire. Tum quia cum Dispensans consolere voluerit periculo æternæ salutis dispensati, credendum est voluisse uti posse dispensatione, quoadusque periculum perseverat. Solum igitur dispensatio intelligenda est ad unicum actum limitata, quoties ita in ea exprimatur, vel etiam quoties concessa fuerit in ordine ad particularem personam: ut si peteretur ab aliquo dispensatio a voto ad ducendam aliquam ab eo defloratam, vel cum qua vivit in concubinatu, vel ob hoc sit diffamata: *Sanch. de matr. l. 8. disp. 32.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Advertat Confessarius dispensationem impetratam pro eam ignorante, sive etiam pro invito, validam esse; nullo enim jure reprobatur: *Sanch. l. 8. disp. 26. n. 4. Bonac. de privil. part. 3. n. 1.* Et hoc verum est etiam quoad dispensationes S. Pœnitentiariæ, quamvis aliqui contradicant; neque enim illud præcipue considerat qualis sit Orator, sed intendit præbere remedium casui, qui illi proponitur, quicumque sit Orator: *Diana tom. 3. tr. 2. resol. 83.* & alii apud ipsum. Si igitur Confessarius agnoscat aliquos matrimonium contraxisse cum impedimento dirimente, & simul videat, quod, si tale impedimentum illis aperiat, occasionem præbebit pluribus peccatis, maxime si putet a copula non cessaturos, ipse petat dispensationem quoad illud impedimentum, & post ejus adventum, detecto impedimento, revalidet matrimonium, ut dicetur capite sequenti.

II. Notet Confessarius quod dum dubium est, an dispensatio sit ad aliquod extendendum, nec ne; est potius limitanda; reputatur etenim odiosa, cum si vulnus legis: *Sanchez de matrimon. lib. 8. disp. 2. num. 9.* Si proinde aliquis e. gr. dispensatus fuerit a voto castitatis, dubiumque oriatur, an totaliter fuerit dispensatus, vel solum ad contrahendum hic & nunc matrimonium, solum ad hunc effectum judicandum est fuisse dispensatum. E contra, si dubium emergat de valore ipsius dispensationis, dispensatio sustinenda est, utpote quia jura judicant pro valore actus: *leg. quoties ff. de reb. dubiis, capit. Abbas de v. s. Sanch. lib. 8. disp. 21. numero 20. & 25. Palaus de privileg. disp. 6. part. 16. §. 4. numero 3. Pontius lib. 8. cap. 17. num. 2.*

Videat proinde Confessarius, seu Parochus, quod si post adventum dispensationis insurgat lis, an sit exequenda, quia reperitur e. g. expressam fuisse aliquam causam falsam, & dubitatur, an fuerit motiva, vel impulsiva, vel quia dubitatur, an sit satis expressa veritas narratorum &c. standum est pro validitate ipsius dispensationis. Idem dicendum si expressæ fuerint duæ causæ motivæ, quarum utraque sit sufficiens ad dispensationem, quidquid enim aliqui contrarium suadeant, dum una falsa sit, standum est pro valore dispensationis; cum etenim, ut supra dictum est, tunc copulativa resolvatur in disjunctivam, sat est unam fuisse veram: & ulterius, si ordinarie ex quacumque illarum causarum concedatur dispensatio, bene præsumi potest quamlibet etiam solitarie sumptam sufficienter movisse ad eam concedendam. Cum igitur ad summum in tali casu dubius sit valor dispensationis, ab illius Executore pro valida habenda est.

Idem dicendum quoties probabiliter ex utraque parte disputant DD. de valore dispensationis. Aliqui e.g. dicunt dispensationem obtentam ab eo, qui emisit votum Religionis, & in ea perseverandi, nullam esse, si ad eam obtinendam expositum solum fuerit votum Religionis, non vero votum in ea perseverandi: *Sanchez l. 8. disp. 21. n. 33.* Aliis vero placet validam esse, quia votum Religionis non videtur diversum a voto profitendi: *Diana tom. 2. tract. 6. resolut. 68.* & alii apud ipsum. In hoc igitur casu, cum dubia sit dispensatio, valida censenda est, & idem, ut dixi, judicandum de quacumque dispensatione concessa in casibus, in quibus utrinque vere probabiliter de ea disputatur. Solum crederem non attendendam dispensationem in casibus, in quibus non fuerit expressum, quod ex consuetudine, vel stylo Curiæ erat exprimendum, quamvis non desint qui pro illius valore judicent. Ratio est, quia Pontifex numquam intelligit recedere in dispensando ab eadem consuetudine, seu stylo. Hac ratione quamvis speculative vera videatur opinio, qua dicitur non exprimendam esse copulam habitam a consanguineis, qui petunt dispensationem ad matrimonium contrahendum, ut pluribus docent Salmaticenses *tract. 9. cap. 14. num. 40.* nihilominus ab ea recessi, quia etiam moderni Scriptores testantur illi stylum Curiæ adversari.

III. Pro praxi exequendi literas dispensationis emanatas a Sacra Pœnitentiaria, explicabo quæ solent contineri in literis dispensationis super impedimento occulto affinitatis post contractum matrimonium; nam continent omnes clausulas principales literarum, quibus datur facultas dispensandi etiam super aliis impedimentis, additis eis, quæ præcise requiruntur pro hujus impedimenti dispensatione.

Primo igitur si hujusmodi literæ ita habeant inscriptionem: *Discreto viro, Confessario ex approbatis ab Ordinario*, possunt exequi a quocumque, qui etiam non sit Doctor in S. Theologia &c. dummodo tamen vel sit approbatus ab Ordinario, in cujus Diœcesi exequuntur, quamvis non sit Ordinarius ipsius Pœnitentis, vel sit approbatus ab Ordinario pœnitentis. A quocumque alio istæ literæ invalide exequerentur: *De Just. lib. 1. cap. 8. num. 99.* Si vero hujusmodi literæ hanc habeant inscriptionem: *Discreto viro Confessori, Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori &c.* valide eas exequi non possunt, nisi ii, qui vere in publica Universitate, sive Academia insigniti sint laurea Doctoratus in Theologia, sive Jure Canonico. Ratio est, quia carentes hac prærogativa vere non sunt Delegati a S. Pœnitentiaria ad suas literas exequendas; præcipue cum illis delegentur ratione dignitatis: *arg. cap. statutum de rescript. in 6.* adeoque invalide exequerentur a quocumque non Doctore, quamvis doctissimo: *Sanchez lib. 8. d. 34. num. 5. Pontius de Matrimon. l. 8.*

l. 8. cap. 21. §. 1. num. 13., *De Just. lib. 1. cap. 8. a n. 95.* Oportet insuper hujusmodi Doctores esse Confessarios approbatos ab Ordinario, eo modo quo supra dictum est. ut patet ex ipso rescripto S. Pœnitentiariæ. Ex privilegio autem concesso a Gregorio XIII. Societati Jesu possunt ipsius Confessarii specialiter ad hoc delegati a Præposito generali, vel de ejus licentia ab aliis Superioribus Societatis, exequi literas S. Pœnitentiariæ. Extenditur eadem facultas ad alios Mendicantes habentes communicationem cum privilegiis Societatis: *Sanch. l. 8. d. 34. n. 11. Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 63. a n. 8.*, *De Just. l. 1. cap. 8. n. 10.* Idem possunt facere Lectores Jubilati Ordinis Seraphici ex privilegio Innocentii XI. ut constat ex illius Bulla *Exponi nobis &c.* emanata 27. Nov. 1679.

Vult deinde S. Pœnitentiaria, ut constat ex ejus literis, ut Confessarius, qui debet eas exequi, sit electus ab eo, pro quo fuerunt expeditæ; unde non electus ab eodem non intelligetur esse Delegatus ipsius S. Pœnitentiariæ. Quod si electus id facere recuset, vel ob nimium rigorem displiceat pœnitenti, poterit alium eligere; nam ita fieri potest in foro conscientiæ, pro quo dumtaxat tales literæ conceduntur: *Sanchez l. 8. d. 27. nu. 40. Corrad. l. 7. cap. 4. n. 72. De Just. l. 1. cap. 8. n. 122.*

Debet tertio Confessarius executor examinare, an verum sit quod fuit expositum S. Pœnitentiariæ, nulla enim esset dispensatio, si id verum non esset, utpote quia deficeret conditio, sine qua non conceditur facultas ad dispensandum: *argum. cap. cum lecta de rescript.* Quia tamen in foro conscientiæ pœnitenti etiam non juranti creditur, ideo satis est, si Confessarius ex testimonio ipsius pœnitentis adinveniat veras fuisse preces expositas: *Sanchez lib. 8. d. 34. num. 21.*, *De Just. lib. 1. cap. 8. n. 127.* Non valide autem dispensaret quoties alias sciret falsum esse, quod pœnitens exposuit; nam revera deficeret conditio, sub qua concessa est facultas dispensandi: *De Just. n. 129.* Ulterius advertendum, quod si concessa est dicta facultas cum ista clausula: *quatenus si ita esse per diligens Oratoris examen invenerit &c.* omissio examinis nullam reddit dispensationem, nam tunc examen pœnitentis habet rationem conditionis, & non servata conditione, seu forma præscripta, semper corruit actus, ut dixi supra, & tradunt in præsenti etiam Guttierez *can. qq. lib. 2. cap. 15. num. 112.*, *Garz. de benef. part. 6. cap. 2. num. 265.* Si vero concedatur dicta facultas cum ista clausula: *si ita est: si preces veritati nitantur*, tunc peccabit quidem Confessarius omittendo examen veritatis; at non obstante tali omissione, valida erit dispensatio, si verum fuerit expositum, utpote quia dictæ clausulæ de jure insunt omni dispensationi, quamvis non exprimantur: *cap. 2. de rescript.*, expressio autem illius quod de jure tacite inest, nec formam, nec conditionem importat: *Sanch. l. 3. d. 33. num. 3.*

Quarto, cum modo, quidquid fuerit de antiquo stylo, apponatur in literis S. Pœnitentiariæ illa clausula, *audita prius sacramentali confessione*, oportet ad valorem dispensationis dispensandum sacramentaliter confiteri Confessario electo pro dispensatione. Et ratio est, quia clausula in ablativo posita conditionem importat: *leg. a testatore ff. de condit. & demonstr.*, & cum conditio rationem formæ importet: *leg. qui hæredis leg. Mævius ff. eod.*, consequens est indispensabiliter necessariam esse ad valorem actus: *cap. cum dilecta 22. de rescript.*, *& leg. diligenter 5. digestis, mandati.* Accedit ad demonstrandam necessitatem sacramentaliter confitendi prædicto Confessario, non concedi ipsam facultatem dispensandi, nisi in actu confessionis, ut constat ex illa clausula: *in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis confessionis tantum, & non aliter, nec alio modo.* Certe ex prædictis verbis clara est necessitas dispensandi in actuali confessione; nam illa particula *tantum* solum includit expressum, & cætera excludit: *Barb. de diction. d. 403. num. 2.*, & illæ particulæ *non aliter, nec alio modo* important præcisam necessitatem, & excludunt omnem modificationem, & interpretationem: *Barbos. de clausul. 281.*

Quintu, si talis naturæ sit dispensatio, ut præscribatur in ea removeri occasionem, puta si quis petat dispensationem affinitatis, quia ante contractum matrimonium vir peccaverit cum Sorore illius, quam duxit, vel vellet ducere, id intelligendum est de occasione proxima, unde non esset necesse removere illam a domo Oratoris, si non amplius peccent. Quia tamen ita præscribitur per clausulam in ablativo positam, videlicet: *sublata occasione, si qua adhuc extat*, hinc est, ex dictis supra, hanc clausulam induere rationem conditionis, qua non adimpleta, invalida esset dispensatio &c.

Item, quia eodem modo mandatur impositio pœnitentiæ: *injuncta ei pœnitentia salutari*, hinc est, ad valorem dispensationis prærequiri, ut imponatur pœnitentia, si quæ specificetur in ipsis literis dispensationis; nam hæc, vel illa particularis pœnitentia non est conditio, quæ de jure insit, & a qua proinde pendeat valor actus, ut supra dictum est. Quod si præcipiatur injungendam confessionem Sacramentalem *singulis mensibus, ut minimum semel &c.* hodie non est in arbitrio Confessarii id variare, eo quod *ad minimum semel*, idem est ac *saltem*, quæ dictio est *implicativa, non limitativa*: *Barbos. diction. 355. numer. 6. Gobath. in Quinar. cap. 37. a n. 213.*, qui bene asserit peccare mortaliter pœnitentem, quoties semel in mense omittat confessionem, utpote quia tale præceptum non est de re levi.

Sexto, conceditur Executori facultas ad absolvendum a quibusvis sententiis, & censuris, juxta formam scilicet, qua hæc absolutio conceditur in foro Sacramentali.

Septimo, imponitur Executori negare dispensationem, si putativi conjuges separari possint sine scandalo; vel si induci possint ad habitandum tamquam frater, & Soror. Facile possent separari sine scandalo putativi conjuges, quando essent vagi, & non habiti essent ut conjuges in loco, in quo executioni mandatur dispensatio. Cæterum difficile est talem separationem fieri posse sine scandalo, in loco, ubi ut conjuges habiti sunt, sicut etiam illos inducere ad cohabitandum sine periculo incontinentiæ. Quoties igitur Confessarius, consideratis considerandis, prudenter judicet nullum ex prædictis posse obtineri, deveniendum est ad dispensationem, nec debet velle de iisdem per experientiam certiorari: *Sanch. l. 8. d. 34. nu. 60.*, *De Just. l. 1. cap. 8. n. 178.*

Additur non debere dispensare Confessarium, si pœnitens alio impedimento præter expressum in literis supplicationis laboret; ex communi enim sententia dispensatio non tollit, nisi id, quod expressum est: *arg. c. Inter dilectos 6. §. Cæterum de fid. instr.*

Octavo, præcipitur iterum secreto celebrari matrimonium, certiorata parte innocente de nullitate prioris consensus. Sed de his cap. sequenti.

Nono, vult Pontifex pro foro tantum conscientiæ declarari legitimam prolem, si quæ sit. Ubi advertas prolem susceptam ex matrimonio nullo, sed bona fide, saltem ex parte unius, contracto præmissis denunciationibus, de jure esse legitimam: *argum. leg. filium 6. digestis de his, qui sui, vel alieni, & princip. instit. de patr. potest.*, *& cap. 2. qui filii sint legitimi, cap. cum inhibitio 3. de clandest. despons. junct. Gloss. v. ambo parentes.* Videndus etiam inter alios Barbosa *in cap. ex tenore 14. qui filii sint legitimi nu. 2.* Dum ergo vult Pontifex discernendam esse illegitimam pro foro conscientiæ prolem, loquitur de prole nata a conjugibus, quorum uterque mala fide matrimonium contraxerit. Ubi tamen notandum quod proles nata ante tale matrimonium solum legitimatur quoad effectus spirituales, seu ecclesiasticos, puta quoad beneficia, Ordines, & Dignitates Ecclesiasticas; de his enim Papa valet disponere, non vero quoad effectus temporales, puta quoad successionem in hæreditatem. Ratio autem est, quia dum jus civile non foveat peccatum &c. non subest jurisdictioni Papæ, quapropter illud abrogare non potest, quatenus excludit illegitimos a successione &c. *Covar. de Matrim. part. 2. cap. 8. §. 8. a nu. 43.*, *Sanchez lib. 8. dist. 7. num. 1.*, *Pontius lib. 11. cap. 5. num. 6.*, *Corrad lib. 8. cap. 3. nu. 50. & 53.*, *De Just. lib. 1. cap. 7. num. 270.* & magis communiter contra Lotherium *de re Benef. lib. 2. quæst. 8. num. 109. & Barbos. in capit. per venerabilem qui filii sint legitimi &c. num. 3.* Verum si filii ita nati essent subditi Papæ, intelligerentur dispensati, & facti legitimi etiam quoad effectus temporales; nam ex una parte certum est Papam id posse facere respectu suorum subditorum, & ulterius sine limitatione vult decernendos legitimos.

Neque hic hallucineris putando præfatos filios fieri plene legitimos per subsequens matrimonium, vi dispensationis contractum; nam hoc pacto non legitimantur filii spurii, ii nempe, qui nati sunt a parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec nativitatis poterat

esse matrimonium ratione impedimenti dirimentis: *arg. cap. tanta qui fil. sint legit. Barb. ibid. n 30.* communiterque DD. Quod si nihilominus post ipsorum nativitatem Parentes bona fide contraxerunt matrimonium, utpote quia ignorabant esse inter eos impedimentum dirimens, tunc dici potest ax tali matrimonio putativo fieri legitimos, ut videre est Consilio 11.

Quoad filios vero natos tempore matrimonii, quamvis nulliter, & mala fide contracti, dicendum est decerni legitimos & quoad effectus Ecclesiasticos, & quoad effectus civiles. Ratio est, quia Papa madianta sua dispensatione facit, ut tale matrimonium habeatur veluti si ab initio fuisset valide contractum, & consequenter ejus validitas retrotrahitur ad sui initium; unda filii ex eo nati, cum considerentur veluti si semper fuissent legitimi, habilitantur ad omnes effectus tum ecclesiasticos, tum civiles. *Barbos. cit. n.4. Pontius n.4. Corrad. n.46. De Just. n.269.* & fere communiter. Hæc autem legitimatio, ut valida sit, fieri debet in actu Sacramentalis confessionis, & solum attenditur pro foro conscientiæ; pro foro enim externo perinda se habet, ac si non fuisset obtenta. Hæc omnia constant ex ipsis literis.

Decimo, quia istæ literæ S. Pœnitentiariæ nullatenus suffragari possunt pro foro axterno, præcipitur etiam in eis, *ut nullus super his testis adhibeatur: ut Confessarius nullas det literas testimoniales de facta dispensatione: ut literæ dispensationis dilanientur sub pæna excommunicationis latæ sententiæ*, per quam tamen dispensationem intelligitur ita essa corrumpendas, quod nullatenus deservire possint pro foro externo: *ut nullum ipsarum extet exemplum*, intellige tamen authenticum: *ut post ipsarum executionem latori non restituantur*.

Undecimo, cum literæ S. Pœnitentiariæ contineant hanc clausulam: *Gratis ubique*, neque Officiales Pœnitentiariæ, neque Executores ipsarum possunt aliquid exigere, vel sponte oblatum acceptare, etiam sub prætextu laboris: *Lezan. v. literæ Apostolicæ n. 34. Gobath. in Quinar. tr. 5. c. 37. n. 279.* Post factam vero dispensationem, cum tunc non amplius sit locus quod Judex muneribus excæcatus inique dispenset, poterit sponte oblatum aeceptata: *De Justis l. 1. cap. 6. n. 245. Sanch. l. 8. d. 35. n. 14.*

IV. Quia multoties occurrere possunt Parochis diversi casus, pro quibus necesse sit ad S. Pœnitentiariam recurrere, hic ponitur pro ipsis Parochis sequens Instructio. Ne igitur post adventum literarum eas obreptitias, vel subreptitias inveniant, antequam literas conscribant, examinent qualitatem casuum, ac eorumdem circumstantias, & videant bene exprimere quæ de jure, consuetudine, vel stylo Curiæ sunt exprimenda. Id autem possunt facere sive idioma re latino, sive quocumque alio propriæ regionis; nam S. Pœnitentiaria habet Officiales in omni idiomate peritos. Exprimant item post casus axpositionem, nomen & cognomen illius, cui a S. Pœnitentiaria sit rescribendum; nec refert tala nomen, & cognomen esse fictitium. Denique axprimant vulgari nomine Civitatem, vel Oppidum, quo dirigendæ sunt literæ S. Pœnitentiariæ, addita data mensis, & anni. En exemplar quod communiter circumfertur.

Eminentissime & Reverendissime Domine.

N. Mulier emisit votum castitatis, manet in periculo incontinentiæ nisi nubat: supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium.

Terminet Epistolam &c. dignetur Eminentia Vestra rescribere ad N.N. & exprimat nomen, & cognomen cui est referibendum: Ad Civitatem N. exprimendo nomen Civitatis. Per Oppidum N. exprimendo vulgari nomine nomen Oppidi. Et dirigere Breve, seu Gratiam simplici Confessario, sive Magistro in Theologia, siva Decretorum Doctori, sive Parocho &c.

Extra

Eminentissimo & Reverendissimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiario.

Romam

Si responsio tardaverit, iterum scribant Confessarii, ne forte sit daperdita, & numquam Pœnitentes desperent.

CAPUT III.

De revalidatione Matrimonii invalide contracti.

Q. I. AN obtenta Dispensatione, ad revalidandum Matrimonium requiratur novus consensus utriusque conjugis.

R. Omnino requiritur novus consensus ex parte utriusque. Ratio est, quia ad essentiam matrimonii requiritur validus consensus ex parta utriusqua contrahentis; cum igitur in matrimonio jam contracto non solum nullus fuerit consensus præstitus ab eo, qui impedimentum ignorabat; sed etiam consensus præstitus a non ignorante impedimentum, quia nempe erat inhabilis ad contrabendum illud matrimonium, consequens ast novum utriusque consensum externe aliquo modo expressum requiri. Accedit nulliter, & invalida factum, ut non factum & invalidum reputari: *l. quoties 6. ff. qui satisdare cog.*; ille ergo consensus primo invalide præstitus ab ignorante impedimentum, tamquam non præstitus reputabitur, adeoque erit omnino da novo ponendus: *D. Thom. in 4. dist. 47. quæst. unic, articul. 4. ad 6., Guttier. de Matrim. cap. 47. a num. 3. Sanchez l. 2. d. 35. num. 2., Pontius l. 4. cap. 24. n. 2.* & fera communiter.

Q. II. An ad revalidandum matrimonium post obtentam dispensationem quoad impedimentum dirimens, necesse sit certiorare de nullitate prioris matrimonii conjugem ignarum impedimenti; & quomodo.

R. I. Utique dicendum necesse esse certiorare conjugem ignarum da nullitate prioris matrimonii, ita enim apertis verbis in literis dispensationis præcipitur. Ratione etiam aperte convincitur, quia non potest dari novum matrimonium, nisi in illud consentiat conjux impedimenti ignarus; numquam autem potest intelligi in novum matrimonium consentire, nisi sciat primum fuisse nullum, semper cum enim credat validum, scit non posse aliud matrimonium inire. Quicumque ergo novus consensus sive verbis, sive factis præstitus ab ignorante nullitatem sui matrimonii, nihil aliud erit nisi confirmatio prioris; & per consequens si prior nullus fuit, & veluti si non fuisset amissus, ita & ejus confirmatio: *Guttier. de Matr. c. 47. a n. 4. Pontius de Matr. l. 4. c. 25. a num. 2., Tamb. tract. 4. c. 7. §. 4.*, & magis communiter.

R. II. Certum est ita novum consensum exigendum a parte ignorante impedimentum, & alterius delictum, ut nullatenus istud detegatur; & ita etiam præcipitur in literis S. Pœnitentiariæ. Primus igitur modus novum consensus obtinendi a parte inscia impedimenti ast, si alter conjux, tempore opportuno expectato, quo videat ignorantem impedimentum ipsum amare, petat ut pro securitate suæ conscientiæ da novo apponat consensum, ac si numquam inissent matrimonium; asserendo se putare vere tunc non consensisse, adeoque pro sua quiete optare mutuum novum consensum apponi. Ubi notandum bene dicere possa sine mendacio se ab initio non consensisse, consensus enim invalidus perinde se habet ac si non fuisset appositus.

Secundus modua revalidandi matrimonium est, si expectatis opportunis circumstantiis in quibus conjux impedimenti ignarus alterum ferventi amore prolequi demonstrat, tunc iste inducat ad novum matrimonium conditionate contrahendum; ut si diceret: eo quod me diligere demonstras, dic quæso, si nullum esset nostrum matrimonium, iterum ne me accipere intendis? Quod si ille respondeat *intendo*, simulque qui interrogavit addat *& ego*, jam novum matrimonium initum est. Nec refert expresse nullitatem prioris matrimonii non fuisse declaratam; nam æquivalenter fuit declarara, facta mentione conditionata illius nullitatis; hoc etenim satis fuit ut novus consensus ad antiquum matrimonium non referretur, sed vere daretur ad novum contrahendum, stante conditione nullitatis: *Sanch. l. 2. d. 36. num. 5. Gobath in Quin. tract. 5. cap. 37. a n. 132.* & magis communiter contra Pontium.

Maxima autem difficultas est in præsenti materia, an i omnibus prudenter consideratis, v. g. exiguo amore, immo contrarietate, quæ inter putativos conjuges intercedit;

cedit; vel etiam suspicione, quam semper una pars habuerit, alteram nempe secum cum impedimento affinitatis ob illicitam copolam contraxisset, appareat esse rem plenam periculi, & scandalorum, vel etiam a longe nullitatis contracti Matrimonii mentionem facere. In hoc casu non desunt, qui velint sufficere, si sola pars impedimenti conscia novum apponat consensum. Ate go nescio videre quomodo tuta sit hujusmodi opinio, essentia etenim matrimonii importat mutuum contrahentium consensum, numquam autem verificatur intervenisse consensum partis ignorantis impedimentum, utpote quia consensus jam præstitus, nullus fuit, & quod ab initio fuit nullum, idem est ac si factum non fuisset. Item nec satis intelligo quomodo revalidari possit novum matrimonium, si conjux impedimenti ignarus, novum apponat consensum cum ignorantia nullitatis prioris matrimonii; nam tunc novus consensus necessario refertur ad consensum primo præstitum, ut supra probatum est.

Q. III. An requiratur novus utriusque contrahentis consensus, si matrimonium fuit nullum, quia una pars ficte consensit; vel per metum cadentem in constantem virum.

R. Ad valorem hujus matrimonii satis est, si iterum consentiat qui ficte, vel per metum consensit. Ratio est, quia si non fuit revocatus, moraliter censetur per se erare consensus ab altero conjuge præstitus; unde ad valorem matrimonii non requiritur nisi accessio consensus illius, qui non consensit. Quod vero alterius consensus perseveret, probatur tum quia, quamvis consensus unius imbibitum habeat conditionem quod alter etiam consentiat, non tamen actu intelligit cessare a consensu, si altera pars non consentiat, adeoque perseverat consensus præstitus, si non revocetur. Tum quia, quamvis consensus contrahentis matrimonium, importet traditionem proprii corporis, & acceptationem alterius, quod non verificari videtur dum alter non consentiendo non tradit proprium, neque acceptat corpus alterius; nihilominus, ut dixi, consentiens non intendit revocare actum suæ traditionis, vel acceptationis, dum alter non consentiat: perseveranta proinde virtualiter ipsius traditione, & acceptatione, completur matrimonium dum accedit verus alterius consensus. Neque dicendum revera non sufficere consensum ab uno præstitum, quia nempe processit ex errore personæ, quam putabat habilem ad matrimonium, cum vere defectu consensus non esset talis, adeoque novum consensum esse præstandum; sicuti si quis contrahere putasset cum Titia, dum esset Caja, vel cum serva, quæ libera putaretur. Non, inquam, hoc dicendum; nam non intercessit error personæ, cum de facto quæ non consensit, habilis, & legitima fuerit pro matrimonio contrahendo, utpote nullo laborans impedimento; & aliunde defectus consensus non reddit inhabilem ad matrimonium; sed solum impedit, ne hic & nunc verus matrimonii contractus resultet. Eo igitur accedente statim verum consurget matrimonium: *D. Th. in 4. d. 29. q. 2. art. 3. ad 2., S. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 7., Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. num. 1., Bon. de Matr. cap. 2. n. 38.* & alii apud ipsum.

Præfatæ opinioni videntur etiam S. Canones suffragari; nam *cap. ad id de Sponsal. & Matrim.* dicitur, stante cohabitatione mulieris, quæ per vim contraxerat, intelligi convalidatum ipsius matrimonium, quia cohabitando *consensisse videtur*. Item *cap. significavit de eo, qui duxit in matrimon. quam polluit per adulter. & c. proposuit de conjug. serv.*, dicitur convalidatum matrimonium per vim a viro contractum ratione copulæ subsecutæ, quia hæc libero æquivalet consensui. Dum igitur S. Canones possunt præsumere vere postea consensisse illum, qui ab initio nulliter consenserat, nil aliud exposcunt ad pronunciandum pro validitate matrimonii. Solet pro contraria sententia afferri declaratio Clementis VIII., at respondetur vel de ea non satis constare, vel suam opinionem ut Doctorem privatum exposuisse.

Melius autem faceret qui non præstitit consensum; si non solum iterum interne consentiat, sed etiam si consensum externus manifestet. Ratio est, quia ad valorem matrimonii requiritur ex parte utriusque contrahentis consensus externe manifestatus; cum autem prima externa manifestatio ficti consensus omnino fuerit falsa, adeoque vere dici non possit per eam fuisse consensum manifestatum; necessaria videtur nova externa veri consensus manifestatio: *Pontius l. 4. cap. 25. num. 2.*

& plures alii, contradicente Bossio *num. 42.* & non paucis apud ipsum.

Q. IV. An ad revalidandum matrimonium publice in facie Ecclesiæ contractum, quod tamen fuit nullum ob occultum impedimentum, necessarium sit, ut contrahentes illud revalident coram Parocho, & Testibus.

R. Satis est, si soli secreto iterum consentiant; ita enim declarasse S. Pium V. testatur Navarrus, *in Manual. c. 22. numer. 70. & de Sponsal. cons. 14.* Idipsum eumdem Pontificem, & S. Congregationem declarasse, asserit Fagnanus *in cap. is, qui fidem de Sponsal.* Addendum in literis dispensationis nullum fieri verbum de præsentia Parochi, & testium, sicuti præcipitur in dispensatione quoad publicum impedimentum; immo præscribitur, ut putati conjuges ad vitanda scandala de novo inter se secreto contrahant.

Rationem etiam probatur, quia, dum Tridentinum exigit ad valorem matrimonii præsentiam Parochi, & testium, non potuit hunc casum comprehendere. Cum igitur ideo præsentiam præfatorum decreverit, quia voluit impedire, ut, qui secreto unam duxerat, cum alteram publice non contraheret, ejus dispositio in casu nostro non militat; illi etenim, qui jam publice unum matrimonium contraxit, quamvis nullum ex occulto impedimento, alteri nubere non permittitur. Porro ubi ratio, & finis legis aliquem casum nullatenus continet, neque ad illum extenditur. *Sanchez l. 2. d. 37. nu. 3., Navar. cit., Gobath. in Quinar. c. 37. num. 137.* & magis communiter.

Regulæ in praxi observandæ.

Facile variis difficultatibus, ac timoribus implicatum se videbit Confessarius, seu Parochus, si agetur de revalidando matrimonio nulliter contractu ob occultum impedimentum, dum ex diversis circumstantiis videat rem esse periculosam, vel conditionate talis nullitatis meminisse. Consideret igitur Parochus, seu Confessarius, si tunc expediat, ut Confessarius ignorantis impedimentum proponat pœnitenti matrimonii revalidationem. Prudenter igitur occasionem loquendi assumendo, posset illi repræsentare non posse non esse Deo gratum, si iterum ita cum Conjuge matrimonium contraheret, ut jam contractum nullum reputetur. Ita autem agendi hanc potest reddere rationem, quia expedit esse tutos de validitate matrimonii; si etenim ex aliquo ignorato impedimento nullum fuisset, tunc, quia nec fuisset Sacramentum, nulla ex eo derivasset gratias; alias tam necessaria ad sancte mutuam fidelitatem servandam, ad alia Matrimonii onera sustinenda, & ad prolem pie educandam. Hinc ad rem Deo gratam faciendam, consulat, ut sub conditione proponat alteri iterum contrahere, si nempe defectu consensus &c. matrimonium inter eos fuisset nullum. Interim autem admoneatur conjux impedimento obstrictus, quid respondere debeat, si illi Matrimonii revalidatio proponatur, & quod semper uterque cavere debet a consensu de futuro, dicendo e.g. *vellem iterum contrahere, si matrimonium nullum esset:* cum necessarius sit novus præsens consensus, ut etiam explicavi capite superiore.

QUÆSTIO VI.

De Divortio.

CAPUT UNICUM.

De Divortio.

Q. I. QUid sit Divortium, & quibus ex causis fieri possit.

R. I. In præsenti pro divortio intelligitur legitima viri, & uxoris separatio, manente vinculo matrimonii valide contracti. Quamvis autem hujusmodi separatio facta sine legitimis causis, sit illicita, quia matrimonium importat individuam vitæ societatem, licita tamen est si legitime fiat, ut constat ex Rescriptis Alexandri III. *de divort.*, & ex definitione Tridentini *sess. 24. can. 8.* Ista autem separatio potest dupliciter fieri,

nempe quoad thorum tantum, & quoad thorum, & cohabitationem simul.

R. II. Causæ legitimi divortii sunt sequentes. Mutuus consensus, Lapsus unius conjugis in hæresim, vel in infidelitatem, Periculum salutis spiritualis, Sævitia, Morbus contagiosus, Adulterium.

Q. II. An ex mutuo consensu possit fieri divortium.

R. Hoc utique licitum est cum unusquisque possit cedere juri suo, & Christus Dominus centuplum promiserit, & vitam æternam iis, qui ob ipsius amorem uxores dimiserint. Possunt igitur conjuges mutuo consensu separari, si uterque ingredi velit in Religionem *can. scripsit 37. qu. 3. c. veniam de Regular.* Item solus vir, consentiente uxore, ingredi potest Religionem, dummodo uxor remanens in sæculo propter ætatem non veniat in suspicionem incontinentiæ, & emittat votum perpetuum castitatis: *c. uxorat. de convers. conjug. c. cum sis ibid.*, & simul additur intelligi etiam debere de muliere, quod dicitur de viro. Idem dicendum si vir consentiente uxore, suscipiat Sacros Ordines, dum ipsa voveat perpetuam castitatem sive in sæculo, sive in Monasterio: *c. conjugatus de convers. conjug.* Demum possunt separari, vel si uterque emittat votum castitatis perpetuæ: *can. quod Deo 33. q. 5., can sunt qui dicunt 27. q. 2.*, vel si absque voto mutuo consensu velint esse continentes, cum unusquisque ad renunciandum juri suo liberam habeat facultatem: *cap. cu conscient. de crimin. fals.*

Q. III. An fieri possit divortium propter hæresim, vel apostasiam a fide.

R. Id omnino licitum est parti innocenti, ut patet ex *c. fin. de convers. conjug.*, & ex aliis capitibus statim citandis. Quia tamen in hoc casu conceditur divortium ratione periculi peccandi respectu illius, qui cum conjuge hæretico, vel infideli cohabitaret, hinc est quod si iste resipiscat, tenetur innocens illum admittere; *c. 2. de divort.*, *& can. non solum n. 28. q. 1.* Solum non teneretur illum admittere, si resipisceret post judicium Ecclesiæ, & ipsa pars innocens ingredi vellet Religionem: *c. fin. de convers. conjug.*, *& c. de illa de divort.* Cum autem in illo capite absolute dicatur conjugem innocentem non esse cogendum post judicium Ecclesiæ, ut ad conversum reddeat, hinc aliqui putant id esse universaliter verum, etsi conjux innocens nolit ingredi Religionem: *Sanchez l. 10. d. 15. & 19.* Verum hoc caput *De illa* concordandum est cum *c. fin. de convers. conjug.*, *& c. quanto de divort.*, ubi innocenti conceditur non redire ad conjugem, qui resipuit, solum dum velit ingredi in Religione. Vel dicendum cum Glossa in dictum caput *De illa*, fuisse hoc caput correctum per sequens caput *Quanta &c.* Et quidem Christus Dominus *Matth. 19.* pro causa perpetui divortii solum assignat adulterium. Videatur Barbosa *in cap. quanto*, ibique alii Canonistæ.

Q. IV. An ob periculum animæ, seu incitationem ad peccatum divortium fieri possit.

R. Quamvis *c. 2. de Divort.* solum allegetur incitatio ad deserendam fidem pro causa, qua conjux innocens possit facere divortium, id tamen merito extenditur ad quamcumque incitationem ad grave peccatum. Ratio est, quia cuivis licet jure divino animæ periculum vitare, juxta illud Matth. 5. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te.* Ideo autem a SS. Canonibus non fit mentio de incitatione ad alia crimina, quia vir his inquinatus, e.g. si sit fur &c., non solet ad ea mulierem incitare. Porro tam in hoc, quam in superiori casu potest mulier propria authoritate a viro discedere, ad id enim quod jure divino conceditur, non indigemus pro foro interno Judicis authoritate. Hinc *can. idololatria 5. caus. 28. q. 1.*, permittitur mulieri, in similibus casibus *omnino* posse discedere, quæ dictio importat absque alia dispositione fieri posse: *Sanch. l. 10. d. 15. num. 6.*, & in præsenti casu, *l. 10. d. 17. num. 5.*, & communiter DD. apud Barbosam *in cap. 2. de divort. numer. 4.* Quod si mulier ad peccatum incitata non possit in foro externo incitationem probare, adeoque cogatur etiam per censuras cum conjuge habitare, vel ad eum redire, parere non debet, si prudenter timeat in peccatum lapsuram; & ob peccatum vitandum etiam censuras patienter tolerare: *arg. cap. inquisit. de sent. excom.*, *& c. literas de restit. Spoliat.*

Q. V. An sævitia viri præbeat causam sufficientem divortii: & an volens discedere id facere possit propria authoritate.

R. I. Hujusmodi sævitia clare recensetur inter legitimas causas divortii: *c. ex transmissa 8.*, *& c. litteras 13. de restit. spoliat.*, & quidem tam jus naturale, quam divinum concedunt facultatem se tuendi adversus imminens periculum vitæ, aut gravis damni. Datur igitur justa causæ divortii non solum si prudenter timeatur periculum vitæ: *arg. l. consensu C. de repud.*, sed etiam gravis verberationis, vel crudelis tractationis; hæc enim omnia causant metum cadentem in constantem virum: *Sanchez l. 10. d. 18. num. 16. Pontius l. 19. c. 23. num. 5.* & communiter, *arg. dictæ legis consensu §. 2.*, *& Novel. 72. c. 15.* Nec refert uxorem commisisse culpam dignam gravis verberationis &c.; nam quamvis Maritus possit uxorem correctionis causa leviter verberare, non tamen graviter punire, quamvis culpabilem, ut docent communiter Canonistæ *in cap. Quemadmodum 25. de jurejur.*, & in præsenti Sanchez *l. 10. d. 18. nu. 16 Pontius l. 9. c. 23. nu. 5. in fin.* Et ratio est, quia graviter punire ad publicam pertinet Judicis authoritatem, ut docui etiam *tract. 30. q. unic. cap. 3. quæst. 1.*

Constat ex dictis levia verbera non dare justam causam divortii, & docent communiter DD. cum Glossa *in canon. sicut. 39. caus. 7. qu. 7. v. judicari.* At neque gravis verberatio præterita justam præbet causam divortii, quando prudenter non timeatur iterum a conjuge ad eadem verbera redeundum; si etenim conjux, quæ gravia verbera passa est, deberet post discessum iterum redire ad suum virum, quoties judicari posset emendatus, multo magis deberet non discedere, quando posset judicare iterum ad sæva verbera non rediturum: *Sanchez. l. 10. d. 18. num. 16.*, *Guttier. l. 1. can. qq. 2. c. 24. num. 9.*, *Laym. l. 5. tract. 10. p. 3. c. 7. n. 17.* Tunc autem judicare posset ad verbera non rediturum, quando alias pacifice habitare solet cum uxore, & solum graviter illam læsit ob insolitam iram, perturbationem &c. Item non resultaret causa timendi iterum eamdem læsionem, etsi de novo minitaretur eadem gravia verbera, quoties constaret non solere minas exequi: *Sanchez numer. 13.*; *Mascard. de probat. conclus. 1379. n num. 2.*; *Menoch. de Arbitr. centur. 2. cas. 140. numer. 2.*

R. II. Si revera adsit periculum gravis læsionis, & periculum sit in mora, ut ordinarie evenire solet, potest uxor propria authoritate a viro discedere, habet etenim hoc ab ipsa natura, unicuique concedens jus defensionis, quæ in præsenti consistit in fuga: *Guttier. l. 1. can qq. c. 28. num. 8.*, *Laym l. 5. tract. 10. p. 3. c. 7. num. 18.* Quamvis autem, petente viro uxorem, innuat canones supra citati post sufficientem cautionem esse illi reddendam, id tamen puto esse verum solum, dum plene probata non sit sævitia viri; nam si de ea plene constet, videretur imprudenter fides præstari ipsius cautioni; & aliunde *cap. ex transmissa 8. de restit. spoliat.* dicitur omnino removendam uxorem, cujus securitati non possit sufficienter provideri: *Pontius l. 9. c. 33. n. 6.* & alii apud ipsum.

Demum notandum, quod sicut sævitia viri legitimam præbet causam divortii, ita dicendum de sævitia uxoris insidiantis vitæ mariti &c., non minus etenim jus naturale dat facultatem mulieri se defendendi per separationem a Marito, quam Marito per separationem ab uxore: *Sanchez l. 10. d. 18. num. 8.*, *Palaus de Sponsal. d. 7. p. 6. §. 9. numer. 6.* & communiter. In Sacris autem Canonibus solum mentio fit de sævitia viri, quia in viris frequentior est, id autem non limitat ipsorum dispositionem, quoties eadem ratio militet respectu sævitiæ mulieris.

Q. VI. Quando ratione morbi celebrari possit divortium.

R. Si conjux sanus sciverit ante matrimonium alterum laborare morbo contagioso, & nihilominus illi nupserit, nec potest velle separationem quoad habitationem, nec debitum negare, quia convincitur scienter acceptasse periculum infectionis. Item si ex alterius morbo contagioso conjux sanus non subjaceat judicio Medicorum periculo gravis infectionis, irrationabiliter vellet vel negare debitum, vel ab habitatione separari: *cap. 1. & 2. de Conjug. Lepros.* Potest vero non solum negare debitum, sed etiam vel ab habitatione separari, quoties ex sola cohabitatione illi immineat grave infectionis periculum. Ratio est, quia non potest judicari conjuges ante matrimonium ignaros alterius infectionis, voluisse se obligare ad cohabitandum cum tanto periculo, quia jus naturæ dictat prius con-

consulendum proprio individuo: *Novar. in Man. c. 16. n. 25., Sanch. l. 9. d. 24. num. 17., Barbos. in cap. de coniug. Lepros.*

Q. VII. An ratione adulterii divortium fieri possit; & quam certitudinem habere debeat de eo, qui vult divortium instituere.

R. I. Constat de jure divino fieri posse divortium ratione adulterii; nam *Matth. 19.* dicitur: *Quicumque dimiserit uxorem, nisi propter fornicationem, mœchatur* ex quo patet propter fornicationem, quæ in conjugibus semper est adulterium, licere uxorem dimittere. Id etiam concedit jus Ecclesiasticum: *cap. significasti 4. cap. ex litteris 5., cap. gaudemus 8. de divort.* Par autem est quoad hoc jus viri, & mulieris: *arg. can. fin. caus. 32. q. 5., can. si quis uxorem ibi qu. 1., & can. placuit q. 7.*, & communiter DD. Ratio autem est, quia fides coniugalis non minus exposcit maritum non dividere cum alia carnem suam, quam uxorem cum alio; unde si potest maritus facere divortium propter adulterium uxoris, idem jus competit uxori propter adulterium mariti.

R. II. Ratione cujuscumque copulæ sive naturalis, sive innaturalis, qualia intercedit in sodomia, & bestialitate, sive sit activa, sive passiva, institui potest divortium: *arg. can. meretrices 32. qu. 4. & can. Dixit Dominus 10. q. 1.* & communiter. Ratio est, quia in omnibus dictis casibus dividitur caro contra fidem matrimonii, quæ est ratio instituendi divortium. Hinc non datur sufficiens divortii causa, si mulier patiatur oscula, & etiam tactus impudicos cum proprii, & alieni corporis pollutione; quamvis enim hoc sit contra fidem matrimonii, non tamen importat divisionem carnis. Accedit materiam divortii, utpote odiosam, esse limitandam. Neque quoad hoc attendendum jus civile ob præfatos tactus concedens divortium; nam causæ matrimoniales secundum canones regulandæ sunt: *Sanchez l. 10. d. 4. a n. 9., Laym. lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 7.*

R. III. Cum in dubio semper melior sit conditio possidentis, sequitur quod cum conjux, de qua est suspicio adulterii, sit in possessione matrimonii, non sit ea expoliandus propter merum dubium, seu suspicionem adulterii. Quod si *can. dimit Dominus 32. caus. 32. quæst. 1.* videtur admitti divortium propter solam adulterii suspicionem, dicendum est ibi sermonem esse de suspicione violenta, ex qua etiam in foro externo conjux, de quo suspicatur, condemnaretur: puta si repertus fuerit exutus vestibus cum persona diversi sexus, si in eodem lecto, si in loco tam secreto, ut concurrentibus aliis circumstantiis, bene præsumi posset tale crimen intervenisse: *arg. cap. litteris 22. de præsumpt.*

Q. VIII. An detur justa causa divortii ratione copulæ, quam uxor per vim, seu metum passa est.

R. I. Si vere, muliere omnino reluctante, per vim oppressa sit, non intervenit justa causa divortii; nam subire non debet pœnam ratione adulterii materialis, sive inculpabilis, quale est dum vi opprimitur, ut cum Glossa communiter recepta *in can. ita ne 3. caus. 32. q. 5.* communiter docent DD. Nec obstat mulierem vi oppressam fuisse, quia noluit obedire Marito fugam suadenti. Non, inquam, hoc obstat, quia id non tollit revera vi oppressam fuisse, adeoque adulterium non esse illi voluntarium: *Sanch. lib. 10. d. 15. num. 14.* Ex quod autem solum adulterium voluntarium, seu graviter culpabile præbeat justam causam divortii, hinc non posset vir discedere ab uxore, si alter illam fraudulenter sub specie mariti cognovisset: *can. in lectum 6. caus. 34. q. 1. & 2.* Idem dicendum, si alteri nupserit, quia putabat Maritum esse defunctum, dummodo statim ac vivum cognoverit, a secundo discesserit: *Sanch. l. 10. d. 5. n. 11.*

R. II. Si mulier patiatur copulam non ex violentia, sed ex metu, potest vir contra eam divortium instituere. Ratio est, quia, quamvis adulteratur ex metu cadente in constantem virum, non desinit adulterium esse illi voluntarium, & culpabile, adeoque præbet causam sufficientem divortio, ut communissime docent DD. cum *Sanchez num. 16.* Merito autem dicitur in tali casu virum debere ex charitate injuriam remittere, si alias non habeat causas ab uxore discedendi.

Q. IX. Quando non liceat facere divortium ratione adulterii, quamvis graviter culpabilis.

R. Vir non potest facere divortium, si adulterium suadeat, vel in ipsum consentiat, ut docent communiter DD. cum Glossa *in cap. discretionem 6. de eo, qui cogn. consang. uxor.* Et ratio est, quia, ut dicitur in citato capite *discretionem: adulterium non potest objicere, qui uxorem adulterandam tradidit.* Nec opus est virum expresse consentire, sed satis est, si tacite; nam taciti, & expressi idem est judicium: *l. Cum quid ff. si certum petat.* Tunc autem tacite consentire intelligeretur, quando posset facile prohibere, & non prohiberet, juxta *reg. 43. de reg. jur. in 6.* Quod puto verificari etiam de uxore, quando revera posset commode contradicere. *Pirbing. de Divort. num. 11. cum Aversa &c.* Nihilominus difficilius silentium uxoris sumitur pro consensu, cum tacere soleat ob timorem viri. Ita etiam silentium viri non sumitur pro consensu, quoties tacet ob metum gravis mali, quia e. g. timet grave damnum sibi inferendum a viro potente cum sua uxore peccante: *Sanchez l. 10. disp. 5.* Non censetur pariter consentire, quoties taceat, ut, adhibitis testibus, probare possit adulterium; hoc enim non est illud velle, sed solum uti mediis ad illud in judicio probandum, ut possit uxorem adulteram repellere: *Pirbing. n. 12.*

Putant etiam communiter DD. non intelligi virum consentire in adulterium uxoris, etsi hæc adulterata fuerit, quia maritus injuste domo expulerit, unde ob paupertatem, vel aliam causam incidit in tale crimen. Ita expresse deciditur *c. significasti 4. de divort. ubi Glossa v. materiam, Barbosa in d. c* & alii apud ipsum. Verum ego distinguerem, & hoc verum esse crederem, quoties mulier domo ejecta esset, non præviso futuro ipsius adulterio, sed ex sævitia, vel quia jam adulterata esse creditur, ut dicitur *in cit. c. significasti.* Quod si vir absque ulla causa, prævidendo mulierem ratione paupertatis, vel alia ratione adulteraturam, e domo ejecit, tunc in ipsius adulterium videtur consentire, utpote volens causam ipsius, adeoque & convincitur velle adulterium, quo stante privatur jure faciendi divortium: *Sanch. l. 10. disp. 5. num. 6.* Ita in ipsius adulterium unusquisque diceret eum consentire, quoties absque justa causa eam mitteret in aliquam domum, ubi adulteratura prævideretur. Hanc etiam doctrinam asserui *tr. 20. unic. cap. 2. reg. 9.*

Q. X. Quando non liceat facere divortium ob condonationem injuriæ ratione adulterii illatæ; vel quia etiam altera pars idem crimen commiserit.

R. I. Quando Conjux innocens remittit injuriam sibi illatam ratione adulteri conjugi nocenti, non licet facere divortium. Notandum igitur conjugem innocentem teneri dimittere conjugem adulteram, quoties illam retinendo publicum scandalum oriretur; vel si illam retinendo ad peccandum fieret animosior, onde dimittere deberet saltem quantum necesse foret ad correctionem peccantis. In hoc sensu intelligendi sunt illi textus, in quibus præcipitur conjugi innocenti adulterum dimittere: *cap. 1. de adult. can. 1. caus. 32. q. 1. & can. 4. ibid. D. Th. in 4. d. 35. art. 2. Pont. l. 9. c. 17. n. 3.* His autem non intervenientibus, conjux innocens non tenetur dimittere conjugem adulterum; unusquisque etenim potest renunciare beneficio, quod in ipsius favorem inductum est: *l. penult. C. de pact.* divortium autem introductum est in favorem innocentis. Præterea concessum in gratiam alicujus non debet illi esse nocivum: *c. quod 61. de reg. jur. in 6. & l. 6. C. de leg.*, divortium autem concessum in favorem innocentis posset multoties esse ipsi nocivum, si nocentem repellere teneretur, puta si illo ejecto viveret in periculo incontinentiæ, damnum pateretur in re domestica, in educatione familiæ &c., non ergo facere divortium tenetur: *Sanchez lib. 10. disp. 5. n. 19. Engel. de divort. n. 18. &c.* Si autem potest non facere divortium, & injuriam condonare, sequitur, ea condonata, non amplius habere jus ad faciendum divortium. Nihil autem refert, si injuria etiam condonetur post divortium; sicut enim si condonet ante divortium non potest amplius ad illud procedere, ita si condonet post divortium, tenetur nocentem iterum recipere; condonata etenim injuria, intelligitur illi restitutum jus ad cohabitandum &c. *Sanchez l. 8. d. 14. n. 7.*

Ista autem condonatio dupliciter fit; scilicet expresse, quando nempe verbis, aut litteris expressis indicatur: *arg. leg. si maritus ff. ad leg. Jul. de adult.* & tacite, & hæc condonatio tacita ex pluribus colligitur. Primo, si conjux innocens copulam habeat cum nocente, iterum

enim tunc fit cum eo una caro; & ulterius reputatur actus benevolentiæ, quo injuria remittitur. Ita communiter DD, cum Glossa *in cap. fin. v. fornicatione de adulter. junct. l. quæsitum 40. §. Item quæritur ff. ad l. Jul. de adult.* Item si intercedant alia signa conjugalis familiaritatis, ut si conjux innocens nocentem amplectatur, osculetur, impudice tangat &c., hæc etenim reputantur signa condonationis illatæ injuriæ: *Glossa, & DD. communiter §. fin. Instit. de injur.* Immo sola cohabitatio, si adulterium esset publicum, reputaretur signum amicitiæ, & condonationis injuriæ: *l. crimen 10. Cod. ad leg. Jul. de adult., Sanch. l. 10. d. 4.*

Ut tamen ex prædictis tacita injuriæ condonatio præsumatur, sequentia oportet verificari. Primo, ut præfata fiant a conjuge certo sciente alterius adulterium; neque etenim potest esse intentio condonandi injuriam, quæ non sufficienter sciatur: *leg. manifestissimi 22. Cod. de furt., Surd. de alim. tit. 7. q. 16. n. 101., Sanchez cit. num. 9.* Secundo, oportet prædicta fieri sponte, & libere, non ex gravi metu damni imminentis; neque enim censetur condonare, qui aliquid facit metu, vel necessitate coactus: *Sanchez nu. 13.*, & communiter. Tertio, oportuit fieri præfata absque ignorantia sui juris; neque enim reputaretur innocentem condonare injuriam, quoties actus supradictos faceret cum nocente, quia putaret adhuc ad eos teneri; vel edoctus fuisset non posse ab eis cessare: *Sanchez cit. num. 16.*, cum communi.

R. II. Non licet facere divortium ob adulterium unius, si alter quoque adulteretur, ut expresse deciditur *cap. significasti 4. de divort.* Et ratio est, quia paria crimina mutua compensatione delentur: *c. intelleximus 6., & c. fin. de adult., & l. viro atque uxore ff. solut. matr.* Ubi etiam advertendum non referre, an prius unus quam alter commiserit adulterium; nam semper cum verificatur utrumque conjugem adulteratum esse, verificatur in utroque par esse delictum, quod proinde compensatione tollatur. Hac ratione neque refert quoad forum internum, adulterium unius esse publicum alterius occultum; nam vere culpabiles sunt coram Deo ejusdem delicti; & hoc solum attenditur in tali foro: *D. Thom. in 4. d. 35. qu. un. art. 6 ad 5., Sanchez lib. 10. d. 6. n. 9.*, & communiter. Cum autem in foro externo secundum allegata, & probata procedatur, in eo non parificantur adulterium publicum, & occultum, cum de hoc in tali foro non constet, neque etiam satis esset, si adessent indicia, quia liquidum cum illiquido non compensatur: *l. fin. de compens.* Domum in præsenti datur mutua delictorum compensatio, etsi unus sæpius, vel gravius quam alter fuerit adulteratus. Ratio est, quia radix, & fundamentum divortii est fractio fidei cum divisione carnis cum altera carne; & cum hoc intercedat semper cum datur adulterium, hinc est utrumque conjugem adulterantem parem esse in ea re, quæ dat causam divortii, adeoque ipsorum delicta per compensationem tolli, etsi unus alterum superaverit in numero, & malitia peccati: *Sanch. l. 10. disp. 6. n. 8.*

Major difficultas est, an compensentur adulteria, si innocens adulteretur postquam post sententiam divortii nocentem dimisit. Verior autem videtur sententia affirmativa; nam quamvis post sententiam divortii conjux innocens non teneatur cum nocente cohabitare, reddere debitum &c., adhuc tamen tenetur illi fidem servare; si proinde adulteretur, committit delictum consimile delicto alterius, ex quo locus datur compensationi: *cap. fin. de adulter., ubi Barbos. n. 4.*, & favet *c. ex litteris de divort. ubi Fagnan. n. 9., Pontius l. 9. c. 20. n. 6.* Nec refert sententiam jam latam abiisse in rem judicatam, adeoque non revocandam, ut cum S. Thoma docet in casu præsenti *Sanchez lib. 10. disp. 10. num. 30.* Non, inquam, hoc refert; nam non dicimus retractandam rem judicatam, sed ex novo delicto illius, qui erat innocens, nocentem habere actionem, qua velit delicta compensari, ac proinde in pristinum restituendum.

Q. XI. An facto divortio teneatur, seu possit innocens pro libito nocentem revocare.

R. I. Suppono divortium ex parte innocentis esse perpetuum, nec amplius teneri adulterum quamvis emendatum recipere. Ratio est, quia, quamvis pœnitentia deleat culpam coram Deo, non tamen tollit injuriam factam homini, & pœnam ipsi correspondentem, ut advertit *Gloss. in can. admonere 33. qu. 2. v. pœnitentia, arg. leg. quis sit fugitivus ff. de ædilit. edict. S. Thom. in d. 35. qu. un. art. 6. ad 2. Pontius lib. 9. cap. 1. n. 6.* Sicut nihilominus innocens, ex dictis supra, potest non facere divortium, ita & poterit revocare nocentem, cum etenim divortium in sui favorem fuerit factum, non est in ejus odium detorquendum, ut dixi ibidem, quod sequeretur si privaretur jure nocentem revocandi. Neque huic juri cessisse dicendum est, eo quod acquieverit sententiæ divortii, cum judicandum sit ipsi acquievisse tantum prout erat in sui favorem. Accedit quod si ex sententia divortii expoliaretur jure nocentem revocandi, hic reportare posset commodum ex suo delicto, quod nolunt jura, adeoque dicendum est redire debere ad conjugem illum revocantem: *D. Thom. in 4. d. 35. q. unic. art. 3. ad 6., Sanch. lib. 10. d. 10. num. 3., Pontius l. 9. cap. 19. n. 1.* & communiter DD. cum Glossa *in cap. ex litteris de divort. v. redire.* Id tamen limitandum, si res adhuc sit integra. Pro quo.

Q. XII. Quando Conjuges post divortium ingredi possint in Religionem.

R. I. Pars innocens, si adulterium sit publicum, potest illico ingredi Religionem. Ratio est, quia ex una parte, dum adulterium est publicum & notorium, puta quia maritus aliquam imprægnaverit, atque id in judicio fuerit probatum, pars innocens potest in utroque foro propria authoritate facere divortium, ut cum Glossa communiter recepta *in cap. fin. de adult. v. fornicationis*, docent DD. ibidem, & videri etiam possunt *Sanch. l. 10. disp. 11. n. 5. & 10. Barbosa in cap. ex parte de Sponsal. num. 6.*, & alii apud ipsum. Ex alia vero cum conjux adulterando amittat omne jus conjugale: *cap. 4. de divort.*, removetur omne obstaculum ingressui in Religionem: *arg. c. constitutus 15., & c. veniens 16. de convers. Conjugator., junct. can. Agathosa 21. caus. 27. q. 2., & can. 2. caus. 32. qu. 1., Sanchez cit., Barbosa in cit. cap. Constitutus cum communi.* Ubi vero adulterium sit occultum, cum tunc non liceat quoad forum externum conjugi innocenti nocentem dimittere, hinc est ante sententiam divortii ipsi non licere ingredi religionem. Quod si ante illam ingressus fuisset in Religionem, restituendus esset alterei conjugi: *arg. c. Item cum quis de restit. spoliat.* & communiter DD. Item restituendus illi esset, etsi ingressus esset Religionem post sententiam divortii, quoties probaretur talem sententiam latam fuisse per errorem: *Sanchez lib. 10. disp. 9. num. 9.* Et ratio est, quia qui ita professus est non potuit se obligare cum alterius præjudicio: *arg. c. placuit de convers. Conjug.* bene tamen cum proprio, unde non posset debitum petere. Quod si uterque Conjux professus esset in aliqua Religione post injustam sententiam divortii, quia nempe lata fuerit per errorem, uterque debet in ea perseverare, utpote quia professio illorum esset valida, cum non eam emiserint ex errore circa substantialia status religiosi, & ulterius falsa æstimatio divortii causavit errorem solum circa causam impulsivam profitendi, non circa motivam, quæ est servire Deo in Religione, *Sanch. a n. 10.*

R. II. Conjux nocens non potest ingredi Religionem sine licentia innocentis Conjugis; cum etenim hic ex dictis jus habeat illum revocandi, hoc jure ipsum privare non potest ingrediendo Religionem: *Glossa in c. ex litteris v. redire de divort., Sanch. lib. 10. disp. 10. n. 12.* Solum igitur ingredi posset in Religionem, quando pars innocens concessisset licentiam, vel quando ipsa jam emisisset professionem in aliqua Religione, tunc enim non amplius posset nocentem revocare. Item quando pars innocens, post repetitas monitiones, nollet recipere partem nocentem, quamvis emendatam. Advertere proinde est, quod licet pars innocens non statim teneatur recipere nocentem, vel dare licentiam ut religionem ingrediatur *argum. cap. gaudemus 19. de divortio*, nihilominus si post repetitas monitiones, & elapso saltem biennio, nolit partem jam nocentem, sed emendatam recipere, intelligitur vel tacite dare licentiam ingrediendi Religionem, vel irrationabiliter negare; unde illi liberum erit in Religione profiteri: *Barbosa in cit. cap. gaudemus, Sanchez lib. 10. d. 10. n. 16.*

Ubi autem Conjuges ingrediantur Religionem causa divortii, non requiruntur illæ conditiones, quas exigunt SS. Canones, dum Conjux de consensu alterius fit Religiosus; quod nempe & alter Conjux ingrediatur Re-

ligio-

ligionem; si juvenis sit, vel non possit remanere in sæculo sine periculo incontinentiæ; & si sit senex, & simul absque tali periculo possit in sæculo remanere, emittat votum perpetuum castitatis, qua de re videndus inter alios Fagnanus *in c. cum sis de convers. Conjug. a n. 7.* Hæ igitur conditiones solum requiruntur, ubi quivis Conjux illæsa conservat jura conjugalia: *Sanch. n. 15.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Si aliquis Conjux sua sævitia causam dederit divortii, advertat Confessarius incapacem absolutionis quoadusque ita non mutet mores, ut conjux, qui discessit, putet tuto posse ad illum redire, cum malum quod fecit reparare teneatur. Item si conjux morbo contagioso fuerit causa divortii saltem quoad thorum, debet omni diligentia illum a se removere, ne alter ab exercitio sui juris impediatur.

II. Non difficiliter accidere potest Maritum propria authoritate fecisse divortium, saltem quoad thorum ab uxore, quia ipsam adulteram judicaverit; & si non repellit ab habitatione, id facit ne propriam publicet infamiam, non tamen desinit eam torvis oculis aspicere, ac cum ea sæve se gerere. Primo igitur Confessarius moneat incapacem esse absolutionis, si crudeliter cum ea agat, quamvis propriis oculis ipsam adulterantem vidisset, gravis enim punitio non pertinet ad Maritum. Secundo, moneat incapacem esse absolutionis, si divortium fecerit etiam quoad solum thorum ex mera suspicione adulterii, nisi adeo esset violenta, ut contrarium prudenter judicari non posset, sicut dixi capite superiori. Certe gravis esset injustitia ob meram suspicionem cum uxore aspere se gerere, eamque a thoro repellendo privare ob incertum delictum jure certo quod habet. Tertio, si certum esset adulterium uxoris, interroget Confessarius Maritum, an ipse unquam fuerit adulteratus; & dum & ipse in idem crimen inciderit, moneat ipsorum delicta compensari; ac proinde nullum jus habere uxorem non solum ab habitatione, sed nec a thoro repellendi, adeoque incapacem esse absolutionis, si cum ea perfecte non reconcilietur.

III. Confessarius, quantum fieri potest, removeat Conjuges a divortio faciendo, & solum videat ipsius causas e medio tollere. Quoties non fiat divortium pleno utriusque Conjugis consensu ad liberius Deo vacandum (hoc etiam raro admitti debet, & solum quoad personas probatæ virtutis) ex quacumque alia causa fiat divortium, origo est innumerorum malorum: puta irreconciliabilis odii inter ipsos conjuges, gravium rixarum inter utriusque consanguineos, detractionum &c. Insuper si filii adsint, ex divortio Parentum ipsorum educationi quam maximum præjudicium infertur. Disponunt quidem leges in tali casu filios sive masculos, sive fœminas educandos apud Patrem, si non sit minus idoneus, Matris expensis, si locuples sit, quando hæc dederit causam divortii, sive apud Matrem, Patris, expensis, si ipse, & non uxor fuerit culpabilis: *Auth. si Pater Cod. divort. fact., Novell. 117. cap. 7., Guttier. can. qq. l. 1. c. 24. n. 19., Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 19.* At si educentur filii apud Patrem, quantumvis idoneum, numquam satis providebitur ipsorum educationi: & maxime fœminarum, quia suis distractus negociis numquam satis poterit vigilare. Si vero apud Matrem educentur, hæc non poterit satis illos cohibere, a vitiis immunes servare, maxime masculos, qui facti grandiusculi non solent Matrem timere, neque hæc potest satis scire quo pergant, ubi, & cum quibus morentur &c. Demum notet Confessarius non solum dissuadendum, sed omnino impediendum divortium, quoties conjux innocens nocentem expellendo, esset in periculo incontinentiæ, tenetur etenim adhibere media ad se præservandum a peccato; quapropter si non potest se continere, teneretur etiam post expulsionem revocare conjugem ejectam, quamvis ratione adulterii ab eo perpetuum divortium fecisset.

QUÆSTIO ULTIMA

De Debito Conjugali.

CAPUT UNICUM.

De debito Conjugali; & de dispensatione super impedimento ipsum debitum petendi.

Q. I. An actus conjugalis sit actus bonus; & an fiat culpabilis, si exerceatur ratione vitandæ fornicationis, seu causa sanitatis, aut voluptatis.

R. I. Cum Apostolus ad Hebr. 13. hæc habet: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*, consequens est bonum per se esse actum conjugalem, adeoque & meritorium. Constat autem bonum esse, & meritorium quoties imperetur a Religione, dum nempe exerceatur ad procreandam sobolem, quæ Deum colat; vel Virtute Justitiæ, dum scilicet ad reddendum debitum exerceatur.

R. II. Si exerceatur ratione vitandæ fornicationis, putat *S. Th. in 4. dist. 31. art. 2. ad 2.*; esse peccatum veniale, quia prætermittitur finis ob quem institutum est matrimonium; neque enim institutum est ob finem vitandæ fornicationis, nisi secundum indulgentiam, ut habet Apostolus 1. *ad Cor. 7.* Cum S. Thoma sentit S. Augustinus *in Enchir. c. 78., & de bon. conjugal. c. 6. & 10., S. Gregor. 3. p. Pastoral. admonit. 28.* Non paucis vero Theologis, quos sequitur Leander *disp. 25. qu. 15.* placet in hoc nullum intervenire peccatum, utpote quia finis est bonus, quamvis sit in tali actu aliqua imperfectio, eo quod prætermittatur finis principalis, ad quem de sua natura tendit matrimonium. Eadem ratione quia scilicet finis sanitatis honestus est, plures quos sequitur *Sanch. lib. 9 disput. 10.* putant vacare omni culpa actum conjugalem ob eumdem finem exercitum. Illis tamen refragatur *S. Th. loc. cit. in respons. ad 4., D. Antonin. 2. p. tit. 1. c. 20. §. 11.* & non pauci Theologi, cum intervenire videatur culpabilis deordinatio, dum usus Matrimonii ordinatur ad finem nullatenus a natura intentum, quantumvis honestum.

R. III. Non vacat culpa veniali exercere actum conjugalem causa delectationis. Ratio est, tum quia tunc non ordinatur in finem honestum, unde non potest dici omnino licitus: tum quia intervenit hæc deordinatio, scilicet intendi ut finem, quod institutum est a natura tamquam medium; delectatio etenim posita est in actu conjugali ut medium ad facilius illum exercendum. Hinc Innocentius XI. sub *n. 9.* sequentem damnavit propositionem: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum penitus caret culpa, ac defectu veniali.*

Q. II. An obligatio reddendi debitum Conjugi petenti sit sub gravi præcepto; & an apponi possint impedimenta ad illud reddendum.

R. I. Cum ratione matrimonii vir acquirat dominium corporis uxoris, & e contra, consequens est dari obligationem reddendi debitum Conjugi petenti; unde ait Apostolus 1. ad Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro.* Omnes autem concordant hanc obligationem esse ex genere suo gravem, tum ratione sui, quia est de re gravi; tum ratione inconvenientium, quæ ex ipsius negatione possunt oriri, odii nempe, incontinentiæ &c., quamvis aliæ causæ ob verecundiam prætexantur. Potest autem denegatio debiti nullum esse peccatum, vel solum veniale in sequentibus casibus. Primo, si conjux solum blanditiis peteret, nisi ita ob verecundiam petat; dum enim petit solis precibus, & blanditiis non videtur velle saltem plene uti jure suo. Idem dicendum, si qui petit, rogatus facile desistit; nam tunc cedit juri suo. Secundo; si ad breve tempus redditio debiti differatur, puta si usque ad noctem, dum tamen non sit in petente periculum incontinentiæ. Tertio si dum absit tale periculum, raro negetur, quod considerandum est justa majorem, vel minorem frequentiam, qua ab altero petitur. Aliqui volunt non esse obligationem saltem sub gravi reddendi, ne multiplicentur filii, dum Parentes non possunt illos alere. At huic opinioni non adhæreo; nam nolle unquam reddere, redderetur nimis grave petenti: si vero aliquando reddendum est, tunc ex rariore usu matrimonii facilius fœmina concipiet; utpote quia magis appetet venerem:

Sanch. l. 9. d. 25. a n. 1. Bonac. de matr. q. 4. p. 1. nu. 12., Laym. tract. 10. part. 3. c. 1. n. 16. Quando autem ex alus capitibus liceat debitum denegare, in sequentibus explicabitur.

Cum autem non adsit obligatio reddendi debitum, nisi aliquis conjugum petat, observandum cum *S. Th. in 4. d. 31. q. 2. ar. 2. & d. 32. q. unic. a 2. q. 1. ad 1.* tripliciter intelligi debitum peti. Primo, dum petitur verbis expressis. Secundo, dum petitur signis, quamvis ob verecundiam expresse non petatur. Tertio, dum petitur interpretative, quando nempe aliquis conjugum ostendit se versari in periculo incontinentiæ; nam tunc interpretandum est debitum exigere, illique est succurrendum ab altero conjuge tum ratione fidelitatis, qua debent a se invicem removere omnem pravam libidinem; tum ratione charitatis, qua opitulandum est proximo, maxime in gravi spirituali periculo constituto.

Quæ dixi de obligatione reddendi debitum, intelligendum est post elapsum primum bimestre; nam intra illud jus dat facultatem non reddendi debitum, ut conjuges declarare possint, an ingredi valint Religionem: *c. ex publico de convers. conjug.*

R. II. Omnino certum est non licere conjugi libere ponere impedimenta proxime impedientia redditionem debiti, qualia sunt simul non habitare, vel si vir crebro se polluat, seu alias cognoscat, unde fiat impotens ad reddendum debitum conjugale. Et ratio est, quia lex imponens aliquam obligationem imponit etiam apponere media ad eam adimplendam, adeoque & ad eam non impediendam. Hinc reddens se impotentem ad reddendum debitum conjugale, cum aliis peccando &c. dupliciter peccat, quatenus nempe facit actum pravum; & quatenus violat legem justitiæ illi præcipientem, ne se reddat talibus mediis impotentem.

Quod si sermo sit de modis ex se licitis, puta jejunio, aliisque pœnitentiis, quibus caro maceratur, puto esse distinguendum. Si hæc sub nullo cadant præcepto, puto omnino ab eis abstinere debere illum, qui ratione ipsorum se reddit impotentem; neque enim vacandum est operibus consilii, quando impediunt satisfacere operibus justitiæ. Si vero talia opera cadant sub præcepto, puta servare jejunia Ecclesiæ &c. tunc videndum est, an simus in circumstantiis, quibus præceptum fortius obliget ad opus incompossibile cum jejunio. Hoc utique præceptum daretur, quando dum vir jejunio se redderet impotentem, uxor esset in periculo incontinentiæ; nam tunc non solum urget præceptum justitiæ reddendi debitum, cum tunc certe uxor habeat jus, ut sibi reddatur quod petit, sed etiam charitatis, quæ vult subveniendum proximo existenti in gravi periculo peccandi: hæc autem præcepta absque dubio strictim obligant, quam præceptum positivum jejunii. Ulterius non potuit esse mens S. Matris Ecclesiæ in talibus circumstantiis obligare ad jejunium. Dum vero uxor non esset in periculo incontinentiæ, crederem vigere obligationem jejunii, quamvis ex eo vir ad tempus redderetur impotens ad reddendum debitum; nam non videtur uxor habere jus petendi, quoties hoc impediat observantiam legis Ecclesiæ; atque cum hoc onere dicendum est matrimonium contraxisse, ut scilicet Ecclesiæ præcepta servarentur. Dixi, si ad tempus impotens reddatur; si etenim observando longum jejunium, puta quadragesimale, vel omnino, vel valde impotens ad debitum reddendum redderetur, rarius, seu mitius deberet illud jejunium observare. Ratio est, quia saltem lex Charitatis obligat, ne alteri matrimonium reddatur valde grave, quod sequeretur, si vir jejunando non posset nisi raro reddere debitum, eaque lex prævalet præcepto Ecclesiæ. Præterea facile accidere potest periculum incontinentiæ respectu illius, cui raro redditur debitum. Quod autem dixi de viro sunt etiam de uxore intelligenda. Pariter juxta præfatas distinctiones volo intelligendas, quæ exemplificando dixi *Tr. 9. qu. 2. r. 2. reg. 1.*

Q. III. Quando non liceat petere ratione temporis, quamvis liceat reddere.

R. Primo, videtur non licere petere in præcipuis anni Solemnitatibus, & esse peccatum veniale tunc petere debitum, quia valde distrahit ab oratione, aliisque operibus spiritualibus, quibus Conjuges tunc insistere debent: *can. proposuisti 2. d. 82. can. si caus. 33. quæst. 4. c. quotiescumque ibid., Nicolaus Papa ad cons. Bulgar. c. 39., D. Th. in suppl. qu. 64 art. 5., D. Bonav. in 4. d. 32. qu. 2. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 11.*

Hæ autem rationes etiam probant non licere sine levi culpa petere, quando recipienda est, vel paulo antequam recepta fuit Eucharistia; nam usus conjugii nimis divertere habet ab actuali devotione, tunc temporis necessario exercenda. Verum aliis placet per se nullum esse peccatum usum conjugii in præcipuis anni Solemnitatibus; nam non constat aliquo jure prohiberi, & solum importare quamdam indecentiam, si eo tempore exerceatur. Idem dicendum videtur, si exerceatur ea die, qua recipienda est S. Eucharistia, dummodo non causet talem mentis avagationem, ut irreverenter foret accipienda. Ego autem nescio concipere, quomodo excusari posset a veniali irreverentia ille, qui paulo ante, vel paulo post susceptam Eucharistiam copulam cum uxore habet.

R. II. Non pauci dicunt continere culpam venialem usum conjugii eo tempore quo uxor gravida est: *can. si causa 33. q. 4. can. origo ibid., can. non solum q. 7.* Et ratio est, quia tunc intendi non potest finis principalis matrimonii, qui est prolis procreatio. Cessante vero periculo abortus, non esse nisi culpam venialem, docet *D. Th. in 4. d. 31. in exposit. text., & D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 4.* Huic vero opinioni necessario refragari debent ii, qui affirmant exerceri posse absque omni peccato, etsi prolis procreatio non intendatur, dummodo alter honestus finis, qualis e. g. est vitare fornicationem, intendatur: *Salmant. tr. 9. c. 16. p. 5. n. 78.* & alii apud ipsos.

R. III. Actus conjugii tempore menstrui, vel puerperii exercitus ratione immunditiæ, & indecentiæ non videtur culpa vacare: *Salmant. num. 76., Leander disputat. 25. q. 22.* aliique apud ipsos. Quidam autem docuerunt esse peccatum mortale, propter grave damnum lepræ, quam patitur proles, si mulier eo tempore concipiat. At communiter hæc opinio rejicitur, quia difficile est eo tempora mulierem concipere, vel si concipiat, prolem lepra infectam orituram. Solum apparet peccatum mortale in actu conjugali exercito paulo post partum ob grave periculum sanitatis uxoris. Secluso præfato periculo, aliqui volunt neque intercedere culpam venialem, si conjugium in casibus præfatis exerceatur; neque etenim illis satis probari videtur eam materialem immunditiam esse contra Dei legem: *Anton. a Sp. S. tr. 11. disp. 9. sect. 2. n. 602.*

In præfatis autem casibus saltem ut plurimum licebit alteri conjugi reddere, ut magis explicabo quæsito sequenti, & docent *S. Th. in 3. d. 31. q. 1. art. 2. q. 2. & 3., D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 5.*

Q. IV. Quando non liceat petere ratione modi innaturalis, quamvis alteri reddere liceat.

R. Certe non licet petere sine gravi culpa exercendo copulam cum periculo effundendi semen extra vas; nam tunc impediretur generatio, seu exerceretur actus contra naturam. Item certum est non posse absque gravi culpa etiam solum inchoate exerceri actum conjugalem extra vas naturale, ut dixi *tract. 12. cap. ult. quæs. 3.* Quæsitum ergo præsens est de petitione debiti exercendi quidem in vase, naturali, sed modo innaturali v. g. stando &c., cum modus naturalis exercendi actum conjugalem sit, quod vir sit incubus, & mulier succuba. Utique igitur conjuges nullatenus peccarent, quando, interveniente justa causa modo præfato actum conjugii exercerent, puta ob cavendum periculum abortus, vel ob corporis dispositionem, qua minus sint apti ad exercendam copulam. Dum vero nulla intercedat causa exercendi actum conjugalem modo innaturali, semper aderit aliqua culpa; intervenit enim moralis difformitas non observando modum a natura institutum. Quia tamen hoc leve est, ideo communiter dicitur non excedere culpam venialem: *S. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 22. §. 3.* Monet autem hic Sanctus uxores, ut quantum fieri potest, viros ab ita congrediendo divertant; & si hoc fieri non possit, & timeant verbera, vel aliud malum, tandem consentiant.

Q. V. Quando non liceat copula Conjugatis ratione affinitatis, seu cognationis spiritualis.

R. I. Si Vir peccet Cum Consanguinea Uxoris in primo, vel secundo gradu, eo quod fiat suæ Uxori affinis, non potest amplius petere debitum: *c. de eo, qui cogn. cons. uxor. suæ*; unde si petat, quia petit copulam incestuosam, graviter peccat: *D. Th. in 4. d. 34. art. 5.*

art. 5. Debet tamen teddere, quia ipsius delictum officere non debet Conjugi innocenti: *cap. discretionem ibidem*.

Quod si uterque Conjux ex copulis habitis cum consanguineis alterius, facti sint ad invicem affines, neutri licet aut petere, aut reddere; quia uterque in pœnam delicti privatur juri suo; *cap. discretionem de eo, qui cogn. &c.* Idem aliqui dicunt, dum Conjux commisir incestum cum consanguineo alterius, sed de consensu illius; cum etenim tunc uterque conjux sit culpabilis, videtur in nullo ipsorum remanere jus petendi, adeoque nec reddendi copulam, quæ esset incestuosa. Id tamen ab aliis non admittitur, quia cum simus in odiosis, non est sine textu expresso adstruenda hæc privatio juris petendi respectu consentientis: *Salm. tr. 9. c. 15. numer.* 15. Item si conjuges facti sint affines maliriose, animo scilicet se defraudandi debito conjugali, tunc non cessat in illis obligatio reddendi: *arg. cap. si vir de cogn. Spir.*, ubi asseritur fraudem, & malitiam nulli patrocinari debere.

Cæterum non privaretur jure petendi Vir, si peccaret cum consanguinea uxoris in tertio, vel quarto gradu; nam tunc non evaderet affinis suæ uxoris, utpote quia affinitas, quæ oritur ex copula illicita, de iure Tridentini secundum gradum non excedit, ut suo loco dictum est. Quæ dicta sunt de viro peccante cum consanguinea uxoris, eodem modo valent, si uxor peccet cum consanguineo mariti.

Ut autem ex hoc incestu oriatur privatio petendi debitum, sequentia debent verificari. Primo, quod copula cum consanguinea conjugis adeo fuerit perfecta, ut ex ea oriri potuerit affinitas, eo modo quo dixi supra *qu. 4. cap. 3. qu. 9.* Aliquibus nihilominus videtur ad incurrendam pœnam privationis petendi sat esse, si sequatur incestus per solam penetrationem vasis muliebris, quamvis ibi vir semen non effundat; nam dicunt tunc sufficienter dari incestum, cujus ratione hæc pena inducta est. Nihilominus quia versamur in pœnalibus, adeoque strictior facienda sit interpretatio, bene sustineri potest prima sententia; *Sanchez lib. 7. d. 15. num.* 20. Deinde Incestus debuit esse culpabilis, unde non privaretur jure petendi uxor vi oppressa; ubi etenim culpa non est, neque locum habet pena: *arg. cap. discretionem cit.* & communiter DD.

Tertio, ad hanc penam inducendam oportet incestum fuisse *scienter* commissum: *cap. 1. De eo, qui cognovit consang. uxor.*: ubi autem non inducitur pœna nisi ex crimine scienter commisso, sufficit etiam ignorantia crassa, & supina ad excusandum a tali pena, ex dictis: *tr. 4. qu. 1. c. 5. qq. 1. resp.* 4. unde non privaretur jure petendi vir, qui ex ignorantia etiam crassa, & supina, adeoque graviter culpabili, nesciret se cum consanguinea uxoris peccare: *Sanchez l. 9. d. 32. num.* 87. & communiter. Iste autem Doctor *sub num.* 50. vult solam ignorantiam non excusare a pena privationis juris petendi debitum. Verum juxta dicta *tract. 1. q. 2. c. 3. quæst. 3. resp.* 2. putarem ignorantiam talis penæ ab eadem incurrenda excusare; extraordinarium enim est hanc penam annexam esse tali delicto, adeoque rationi consonum videtur ab ea eximi illam ignorantem. Accedit, omnes fateri hanc opinionem esse probabilem, & proinde tuto in praxi puto amplecti posse; nam omnes dicunt in penalibus benigniora esse sequenda, & in odiosis strictiorem faciendam interpretationem.

Quarto, contra eumdem Sanchez & alios, puto non privari jure petendi debitum uxorem, quæ ex metu cadente in constantem virum consenrit in copulam cum consanguineo Mariti. Quamvis igitur hæc peccet violando legem Dei, & naturæ, non est dicendum peccare contra legem Ecclesiæ, quæ non solet velle suas leges obligare cum gravi incommodo, quod de se annexum non sit illarum observantiæ: dum autem non violet legem inducentem talem penam, nec dicendum est eadem pena obstringi. Immo quamvis peccaverit peccato fornicationis, non peccavit peccato incestus, utpote quia extra gradus jure naturæ prohibitos, hoc consurgit, eo quod violetur Ecclesiæ lex interdicens copulam cum talibus consanguineis; unde si in talibus circumstantiis eadem lex non violetur, nec interveniet peccatum incestus: *Pontius l. 10, c. 87. n. 6. Bonac. q. 4. p. 2. n. 5.*

R. II. Ratione cognationis spiritualis non oritur privatio juris petendi debitum; quapropter eo non privaretur Pater, qui extra casum necessitatis proprium filium baptizaret. Quidquid igitur in oppositum statutum videatur *can. 1. can. si quis 2. can. 3. caus. 30. qu. 1.*, certum est *cap. si vir 2. de cognat. spiritual.* aperte sanciri non esse separandos conjuges, sive ex ignorantia, sive ex malitia, factos spiritualiter affines, itemque subditur: *nec alter alteri debet debitum subtrahere*; & cum indifferenter de utroque dicatur debitum reddere debere, consequens est in utroque supponi jus petendi. Addenda illa ratio reflexa, qua dicitur odia esse restringenda, adeoque in hoc casu non inducendam talam penam, cum de ea ex jure sufficienter non constet: *Coninch. d. 34. dub. 6. n. 69.*, & alii, quos sequuntur Salmanticenses *tr. 9. c. 15. p. 3. n. 24.*

Q. VI. Quid agendum quoad petitionem, vel redditionem debiti, dum constat de nullitate matrimonii, vel dubium adest de illius validitate; & an inducatur tale dubium, si unus testificetur de nullitate contracti matrimonii.

R. I. Si constet de matrimonii nullitate, non licet petere, vel reddere. Ratio est, quia qui redderet alteri conjugi, cui ignota esset hæc nullitas, dum ipsi constet de matrimonii nullitate, sciret se accedere ad non suam, adeoque habere copulam fornicariam, quæ numquam licita est: *D. Th. in 4. d. 27. q. 1. art. 2. q. 4.* Hinc *cap. Inquisit. de sent. excomm.* dicitur de tali conjuge, debere *potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale*.

R. II. Quoad dubitantem de valore matrimonii, diversimode discurrendum est. Si unus tantum Conjugum dubitet de valore matrimonii bona fide contracti, ante adhibitas sufficientes diligentias, si ex eis fructus speretur, non potest petere, sed tantum reddere debitum. Non potest, inquam, petere quia, sicut nemo jus habet utendi aliqua re tamquam sua, si dubium illi superveniat, an vere illa res sua sit, antequam faciat sufficientes diligentias ad dubium superandum, ita dubitans de valore matrimonii non poterit petendo velle uti altero conjuge tamquam suo. Bene tamen reddere poterit alteri non dubitanti; hoc etenim non est velle uti eodem conjuge tamquam suo, sed obedire alteri habenti jus certum ad petendum, quo expoliari non potest propter suas rationes incertas de nullitate, matrimonii: hæ etenim cedere debent juri certo: *cap. Dominus de secund. nupt.*, *& cap. Inquisitionis §. fin. de sent. excom.* Si vero uterque conjux dubitet de valore matrimonii, neutri, antequam adhibeant sufficientem diligentiam ad deponendum dubium, licebit petere, aut reddere. Non utique petere ex dictis immediate ante; sed neque reddere, quia cum uterque dubitet, nemo habet jus certum petendi; adeoque non potest se exponere periculo fornicandi.

Postquam vero adhibitæ sunt sufficientes diligentiæ, observandum quod si dubitans adinveniat rationem probabilem, qua assentiatur nullitati, non vero rationem probabilem, qua assentiri possit valori Matrimonii, tunc petere non potest; nam habet quidem rationem qua nullitati sui matrimonii assentiatur, non autem, qua validitati assentiatur. Bene autem, ex dictis paulo ante, potest reddere alteri conjugi non dubitanti: *S. Th. in 4. d. 31. q. unic. art. 5. q. 1. ad 3. Sanch. de Matrim. l. 2. d. 43. n. 3. Bonac. q. 4. p. 4. a n. 4.* Si vero post adhibitam sufficientem diligentiam pro neutra parte videat habere rationes probabiles, vel pro utraque parte habere rationes probabiles, pro validitate nempe & invaliditate, tunc qui remanet in tali dubio potest petere, & reddere, illud ponendo, ea ratione quod melior sit conditio possidentis. Item ipsius ignorantia reputanda est invincibilis, utpote quæ adhibitis diligentiis vinci non potest: *Sanch. d. 41. n. 46.*, *Bonac. n. 5.*, *Anton. a Sp. S. disp. 9. n. 634.*

Si vero matrimonium ab initio mala fide, cum dubio nempe impedimenti, ab utroque contractum sit, poterunt reddere, & petere, quoties adhibendo diligentiam adinvenit rationem vere probabilem pro tali dubio deponendo: *Enriq. lib. 11. cap. 11. num. 5.* At supposito talem rationem non adinvenire, neuter potest petere, quia neutri favet possessio, utpote qui inceperunt mala fide possidere; sicut & neuter potest reddere, in tantum enim reddere possent, in quantum redderent habenti jus petendi. Ex hoc autem sequitur eum, qui mala fide contraxit, nempe cum dubio, reddere debere

alte-

Sanch. l. 9. d. 25. a n. 1. Bonac. de matr. q. 4. p. 1. nu. 13., Laym. tract. 10. part. 3. c. 1. n. 16. Quando autem ex aliis capitibus liceat debitum denegare, in sequentibus explicabitur.

Cum autem non adsit obligatio reddendi debitum, nisi aliquis conjugum petat, observandum cum *S. Th. in 4. d. 32. q. 2. ar. 2. & d. 32. q. unic. a2. q. 1. ad 1,* tripliciter intelligi debitum peti. Primo, dum petitur verbis expressis. Secundo, dum petitur signis, quamvis ob verecundiam expresse non petatur. Tertio, dum petitur interpretative, quando nempe aliquis conjugum ostendit se versare in periculo incontinentiæ; nam tunc interpretandum est debitum exigere, illique est succurrendum ab altero conjuge tum ratione fidelitatis, qua debent a se invicem removere omnem pravam libidinem; tum ratione charitatis, qua opitulandum est proximo, maxime in gravi spirituali periculo constituto.

Quæ dixi de obligatione reddendi debitum, intelligenda sunt post elapsum primum bimestre; nam intra illud jus dat facultatem non reddendi debitum, ut conjuges declarare possint, an ingredi velint Religionem: *c. ex publico de convers. conjug.*

R. II. Omnino certum est non licere conjugi libere ponere impedimenta proxime impedientia redditionem debiti, qualia sunt simul non habitare, vel si vir crebro se polluat, seu alias cognoscat, unde fiat impotens ad reddendum debitum conjugale. Et ratio est, quia lex imponens aliquam obligationem imponit etiam apponere media ad eam adimplendam, adeoque & ad eam non impediendam. Hinc reddens se impotentem ad reddendum debitum conjugale, cum aliis peccando &c. dupliciter peccat, quatenus nempe facit actum pravum; & quatenus violat legem justitiæ illi præcipientem, ne se reddat talibus modis impotentem.

Quod si sermo sit de modis ex se licitis, puta jejunio, aliisque pœnitentiis, quibus caro maceratur, puto esse distinguendum. Si hæc sub nullo cadant præcepto, puto omnino ab eis abstinere debere illum, qui ratione ipsorum se reddit impotentem; neque enim vacandum est operibus consilii, quando impediunt satisfacere operibus justitiæ. Si vero talia opera cadant sub præcepto, puta servare jejunia Ecclesiæ &c. tunc videndum est, an simus in circumstantiis, quibus præceptum fortius obliget ad opus incompossibile cum jejunio. Hoc utique præceptum daretur, quando dum vir jejunio se redderet impotentem, uxor esset in periculo incontinentiæ; nam tunc non solum urget præceptum justitiæ reddendi debitum, cum tunc certe uxor habeat jus, ut sibi reddatur quod petit, sed etiam charitatis, quæ vult subveniendum proximo existenti in gravi periculo peccandi: hæc autem præcepta absque dubio strictius obligant, quam præceptum positivum jejunii. Ulterius non potuit esse mens S. Matris Ecclesiæ in talibus circumstantiis obligare ad jejunium. Dum vero uxor non esset in periculo incontinentiæ, crederem vigere obligationem jejunii, quamvis ex eo vir ad tempus redderetur impotens ad reddendum debitum; nam non videtur uxor habere jus petendi, quoties hoc impediat observantiam legis Ecclesiæ; atque cum hoc onere dicendum est matrimonium contraxisse, ut scilicet Ecclesiæ præcepta servarentur. Dixi, si ad tempus impotens reddatur; si etenim observando longum jejunium, puta quadragesimale, vel omnino, vel valde impotens ad debitum reddendum redderetur, rarius, seu mitius deberet illud jejunium observare. Ratio est, quia saltem lex Charitatis obligat, ne alteri matrimonium reddatur valde grave, quod sequeretur, si vir jejunando non posset nisi raro reddere debitum, eaque lex prævalet præcepto Ecclesiæ. Præterea facile accidere potest periculum incontinentiæ respectu illius, cui raro redditur debitum. Quod autem dixi de viro sunt etiam de uxore intelligenda. Pariter juxta præfatas distinctiones volo intelligendas, quæ exemplificando dixi *Tr. 9. qu. 2. c. 2. reg. 1.*

Q. III. Quando non liceat petere ratione temporis, quamvis liceat reddere.

R. Primo, videtur non licere petere in præcipuis anni Solemnitatibus, & esse peccatum veniale tunc petere debitum, quia valde distrahit ab oratione, aliisque operibus spiritualibus, quibus Conjuges tunc insistere debent: *can. proposuisti 2. d. 82. can. si cauf. 33. quæst. 4. c. quotiescumque ibid., Nicolaus Papa ad consult. Bulgar. c. 39., D. Th. in suppl. qu. 64. art. 5., D. Bonav. in 4. d. 32. qu. 2. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 11.*

Hæ autem rationes etiam probant non licere sine levi culpa petere, quando recipienda est, vel paulo antequam recepta fuit Eucharistia; nam usus conjugii nimis divertere habet ab actuali devotione, tunc temporis necessario exercenda. Verum aliis placet per se nullum esse peccatum usum conjugii in præcipuis anni Solemnitatibus; nam non constat aliquo jure prohiberi, & solum importare quamdam indecentiam, si eo tempore exerceatur. Idem dicendum videtur, si exerceatur ea die, qua recipienda est S. Eucharistia, dummodo non causet talem mentis avagationem, ut irreverenter foret accipienda. Ego autem nescio concipere, quomodo excusari posset a veniali irreverentia ille, qui paulo ante, vel paulo post susceptam Eucharistiam copulam cum uxore habet.

R. II. Non pauci dicunt continere culpam venialem usum conjugii eo tempore quo uxor gravida est: *can. si causa 33. q. 4. can. origo ibid., can. non solum q. 7.* Et ratio est, quia tunc intendi non potest finis principalis matrimonii, qui est prolis procreatio. Cessante vero periculo abortus, non esse nisi culpam venialem, docet *D. Th. in 4. d. 31. in exposit. text., & D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 4.* Huic vero opinioni necessario refragari debent ii, qui affirmant exerceri posse absque omni peccato, etsi prolis procreatio non intendatur, dummodo alter honestus finis, qualis e. g. est vitare fornicationem, intendatur: *Salmant. tr. 9. c. 16. p. 5. n. 78.* & alii apud ipsos.

R. III. Actus conjugii tempore menstrui, vel puerperii exercitus ratione immunditiæ, & indecentiæ non videtur culpa vacare: *Salmant. num. 76., Leander disputat. 25. q. 22.* aliique apud ipsos. Quidam autem docuerunt esse peccatum mortale, propter grave damnum lepræ, quam patitur proles, si mulier eo tempore concipiat. At communiter hæc opinio rejicitur, quia difficile est eo tempore mulierem concipere, vel si conceperit, prolem lepra infectam orituram. Solum apparet peccatum mortale in actu conjugali exercito paulo post partum ob grave periculum sanitatis uxoris. Secluso præfato periculo, aliqui volunt neque intercedere culpam venialem, si conjugium in casibus præfatis exerceatur; neque etenim illis satis probari videtur eam materialem immunditiam esse contra Dei legem: *Anton. a Sp. S. tr. 11. disp. 9. sect. 2. n. 602.*

In præfatis autem casibus saltem ut plurimum licebit alteri conjugi reddere, ut magis explicabo quæsito sequenti, & docent *S. Th. in 3. d. 31. q. 1. art. 2. q. 2. & 3., D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 5.*

Q. IV. Quando non liceat petere ratione modi innaturalis, quamvis alteri reddere liceat.

R. Certe non licet petere sine gravi culpa exercendo copulam cum periculo effundendi semen extra vas; nam tunc impediretur generatio, seu exerceretur actus contra naturam. Item certum est non posse absque gravi culpa etiam solum inchoate exerceri actum conjugalem extra vas naturale, ut dixi *tract. 12. cap. ult. quæst. 3.* Quæsitum ergo præsens est de petitione debiti exercendi quidem in vase naturali, sed modo innaturali v.g. stando &c., cum modus naturalis exercendi actum conjugalem sit, quod vir sit incubus, & mulier succuba. Utique igitur conjuges nullatenus peccarent, quando, interveniente justa causa modo præfato actum conjugii exercerent, puta ob cavendum periculum abortus, vel ob corporis dispositionem, qua minus sint apti ad exercendam copulam. Dum vero nulla intercedat causa exercendi actum conjugalem modo innaturali, semper aderit aliqua culpa; intervenit enim moralis difformitas non observando modum a natura institutum. Quia tamen hoc leve est, ideo communiter dicitur non excedere culpam venialem: *S. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 20. §. 3.* Monet autem hic Sanctus uxores, ut quantum fieri potest, viros ab ita congrediendo divertant; & si hoc fieri non possit, & timeant verbera, vel aliud malum, tandem consentiant.

Q. V. Quando non liceat copula Conjugatis ratione affinitatis, seu cognationis spiritualis.

R. I. Si Vir peccet Cum Consanguinea Uxoris in primo, vel secundo gradu, eo quod fiat suæ Uxori affinis, non potest amplius petere debitum: *c. de eo, qui cogn. consf. uxor. suæ;* unde si petat, quia petit copulam incestuosam, graviter peccat: *D. Th. in 4. d. 34. art. 5.*

art. 5. Debet tamen reddere, quia ipsius delictum officere non debet Conjugi innocenti: *cap. discretionem ibidem*.

Quod si uterque Conjux ex copulis habitis cum consanguineis alterius, facti sint ad invicem affines, neutri licet aut petere, aut reddere; quia uterque in pœnam delicti privatur juri suo; *cap. discretionem de eo, qui cogn. &c.* Idem aliqui dicunt, dum Conjux commisit incestum cum consanguineo alterius, sed de consensu illius; cum etenim tunc uterque conjux sit culpabilis, videtur in nullo ipsorum remanere jus petendi, adeoque nec reddendi copulam, quæ esset incestuosa. Id tamen ab aliis non admittitur, quia cum simus in odiosis, non est sine textu expresso adstruenda hæc privatio juris petendi respectu consentientis: *Salm. tr. 9. c. 15. numer.* 15. Item si conjuges facti sint affines malitiose, animo scilicet se defraudandi debito conjugali, tunc non cessat in illis obligatio reddendi: *arg. cap. si vir de cogn. Spir.*, ubi asseritur fraudem, & malitiam nulli patrocinari debere.

Cæterum non privaretur jure petendi Vir, si peccaret cum consanguinea uxoris in tertio, vel quarto gradu; nam tunc non evaderet affinis suæ uxoris, utpote quia affinitas, quæ oritur ex copula illicita, de jure Tridentini secundum gradum non excedit, ut suo loco dictum ast. Quæ dicta sunt de viro peccante cum consanguinea uxoris, eodem modo valent, si uxor peccet cum consanguineo mariti.

Ut autem ex hoc incestu oriatur privatio petendi debitum, sequentia debent verificari. Primo, quod copula cum consanguinea conjugis adeo fuerit perfecta, ut ex ea oriri potuerit affinitas, eo modo quo dixi supra *qu. 4. cap. 3. qu. 9.* Aliquibus nihilominus videtur ad incurrendam pœnam privationis petendi sat esse, si sequatur incestus per solam penatrationem vasis muliebris, quamvis ibi vir seman non effandat; nam dicunt tunc sufficienter dari incestum, cujus ratione hæc pena inducta est. Nihilominus quia versamur in pœnalibus, adeoque strictior facienda sit interpretatio, bene sustineri potest prima sententia; *Sanchez lib. 7. d. 15. num.* 20. Deinda Incestus debuit essa culpabilis, unda non privaretur jure petendi uxor vi oppressa; ubi atenim culpa non est, neque locum habet pena; *arg. cap. discretionem cit.* & communiter DD.

Tertio, ad hanc penam inducendam oportet incestum fuisse *scienter* commissum: *cap. 1. De eo, qui cognovit consang. uxor.*: ubi autem non inducitur pœna nisi ex crimine scienter commisso, sufficit etiam ignorantia crassa, & supina ad excusandum a tali pena, ex dictis: *tr. 4. qu. 1. c. 5. qu. 1. resp.* 4. unde non privaretur jure petendi vir, qui ex ignorantia etiam crassa, & supina, adeoque graviter culpabili, nesciret se cum consanguinea uxoris peccare; *Sanchez l. 9. d. 32. num.* 87. & communiter. Iste autam Doctor *sub num.* 50. vult solam ignorantiam non excusare a pena privationis juris petendi debitum. Verum juxta dicta *tract. 3. q. 2. c. 3. quæs. 3. resp.* 2. putarem ignorantiam talis penæ ab eadem incurrenda excusare; extraordinarium enim est haoc penam annexam essa tali delicto, adeoque rationi consonum videtur ab ea eximi illam ignorantem. Accedit, omnes fateri hanc opinionem esse probabilem, & proinde tuto in praxi puto amplecti posse; nam omnes dicunt in penalibus benigniora esse sequenda, & in odiosis strictiorem faciendam interpretationem.

Quarto, contra eumdem Sanchea & alios, puto non privari jure petendi debitum uxorem, quæ ex metu cadente in constantem virum consentit in copulam cum consanguineo Mariti. Quamvis igitur hæc peccet violando legem Dei, & naturæ, non est dicendum peccare contra legem Ecclesiæ, quæ non solet velle suas leges obligare cum gravi incommodo, quod de se annexum non sit illarum observantiæ: dum autem non violet legem inducentem talem penam, nec dicendum est eadem pena obstringi. Immo quamvis peccaverit peccato fornicationis, non peccavit peccato incestus, utpote quia extra gradus jure naturæ prohibitos, hoc consurgit, eo quod violetur Ecclesiæ lex interdicens copulam cum talibus consanguineis; unde si in talibus circumstantiis eadem lax non violetur, nec interveniet peccatum incestus: *Pontius l. 10. c. 87. n. 6. Bonac. q. 4. p. 2. n.* 5.

R. II. Ratione cognationis spiritualis non oritur privatio juris petendi debitum; quapropter eo non privaretur Parer, qui axtra casum necessitatis proprium filium baptizaret. Quidquid igitur in oppositum statutum videatur *can. 1. can. si quis 2. can. 3. caus. 30. qu. 1.*, certum est *cap. si vir 2. de cognat. spiritual.* aperte sanciri non esse separandos conjuges, sive ex ignorantia, sive ax malitia, factos spiritualiter affines, itemque subditur: *nec alter alteri debet debitum subtrahere*; & cum indifferenter da utroque dicatur debitum reddere debere, consequens est in utroque supponi jus petendi. Addenda illa ratio reflexa, qua dicitur odia esse restringenda, adeoque in hoc casu non inducendam talem pœnam, eum de ea ex jure sufficienter non constet: *Coninch. d. 34. dub. 6. n. 69.*, & alii, quos sequuntur Salmanticenses *tr. 9. c. 15. p. 3. n. 24.*

Q. VI. Quid agendum quoad petitionem, vel redditionem debiti, dum constat de nullitate matrimonii, vel dubium adest de illius validitate; & ao inducatur tale dubium, si unus testificetur de nullitate contracti matrimonii.

R. I. Si constet de matrimonii nullitate, non licet petere, vel reddere. Ratio est, quia qui redderet alteri conjugi, cui ignota esset hæc nullitas, dum ipsi constet de matrimonii nullitate, sciret se accedere ad non suam, adeoque habere copulam fornicariam, quæ numquam licita est: *D. Th. in 4. d. 27. q. 1. art. 2. q. 4.* Hinc *cap. Inquisit. de sent. excomm.* dicitur de tali conjuge, debere *potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.*

R. II. Quoad dubitantem da valore matrimonii, diversimode discurrendum ast. Si unus tantum Conjugum dubitet de valore matrimonii bona fide contracti, ante adhibitas sufficientes diligentias, si ex eis fructus speretur, non potest petere, sed tantum reddere debitum. Non potest, inquam, petere quia, sicut nemo jus habet utendi aliqua re tamquam sua, si dubium illi superveniat, an vere illa res sua sit, antequam faciat sufficientes diligentias ad dubium superandum, ita dubitans de valore matrimonii non poterit petendo velle uti altero conjuge tamquam suo. Bene tamen reddere poterit alteri non dubitanti; hoc atenim non est velle uti eodem conjuge tamquam suo, sed obedira alteri habenti jus certum ad petendum, quo expoliari non potest propter suas rationes incertas de nullitate, matrimonii: hæ etenim cedere debent juri certo: *cap. Dominus de secund. nupt.*, & *cap. Inquisitionis §. fin. de sent. excom.* Si vero uterque conjux dubitet de valore matrimonii, neutri, antequam adhibeant sufficientem diligentiam ad deponendum dubium, licebit petere, aut reddere. Non utique petere ex dictis immediate ante; sed neque reddere, quia cum uterque dubitet, nemo habet jus certum petendi; adeoque non potest se exponere periculo fornicandi.

Postquam vero adhibitæ sunt sufficientes diligentiæ, observandum quod si dubitans adinveniat rationem probabilem, qua assentiatur nullitati, non vero rationem probabilem, qua assentiri possit valori Matrimonii, tunc petere non potest; nam habet quidem rationem qua nullitati sui matrimonii assantiatur, non autem, qua validitati assentiatur. Bene autem, ex dictis paulo ante, potest reddere alteri conjugi non dubitanti: *S. Th. in 4. d. 31. q. unic. art. 5. q. 1. ad 3. Sanch. de Matrim. l. 2. d. 43. n. 3. Bonac. q. 4. p. 4. a n. 4.* Si vero post adhibitam sufficientem diligentiam pro neutra parta videat habere rationes probabiles, vel pro utraque parte habere rationes probabiles, pro validitate nempe & invaliditate, tunc qui remanet in tali dubio potest petere, & reddere, illud ponendo, ea ratione quod melior sit conditio possidentis. Item ipsius ignorantia reputanda est invincibilis, utpota quæ adhibitis diligentiis vinci non potest; *Sanch. d. 41. n. 46.*, *Bonac. n. 5.*, *Anton. a Sp. S. disp. 9. n. 634.*

Si vero matrimonium ab initio mala fide, cum dubio nempe impedimenti, ab utroque contractum sit, poterunt reddere, & petere, quoties adhibendo diligentiam adinvenit rationem vere probabilem pro tali dubio deponendo: *Enriq. lib. 11. cap. 11. num. 5.* At supposito talem rationem non adinvenire, neuter potest petere, quia neutri favet possessio, utpote qui inceperunt mala fide possidere; sicut & neuter potest reddere, in tantum enim reddere possent, in quantum redderent habenti jus petendi. Ex hoc autem sequitur eum, qui mala fide contraxit, nempe cum dubio, reddere debere

alte-

alteri, si absque dubio contraxerit; quia iste habet jus certum ad usum matrimonii, quamdiu de ipsius nullitate non constet: *c. Dominus de secund. nupt.*, *Sanch. cit. n.2.*, *Bonac. cit.* n. 10.

R. III. Ad dubitandum de nullitate matrimonii, non satis est, si unus conjugum dicat ab initio non consensisse, cum verisimilius sit modo mentiri, quam dum contraxit matrimonium: *c. per tuas de probat.* Secus esset, si aliud suaderent circumstantiæ; ut si id assereret in periculo mortis; si ex conscientiæ angustiis, maxime si adderet juramentum, & paratus esset iterum matrimonium revalidare &c: *Sanch. l.2. d.45. n.3. Bonac. q.4. p.4. n.19.* Item non habetur prudens ratio dubitandi ex dicto personarum, quæ fidem non mereantur, vel ex fama proveniente ab incerto Auctore; iis enim imprudenter crederetur: *Sanch. l.2. d.45. n.29. Bonac.* n.20. Demum dictum unius etiam fide digni, & jurantis, non inducit necessitatem, ut post contractum matrimonium illi credatur, maxime in proprium præjudicium: *c. a nobis de test. & attestat.* & idem dicas de fama publica ab uno Authore derivante: *Sanch. n.25. Bonac. cit.* Dum vero agitur de matrimonio contrahendo, dictum unius fide digni dat motivum prudens ultra non procedendi, antequam fiat sufficiens diligentia ad veritatem investigandam.

Q. VII. Quid agendum quoad redditionem, & petitionem debiti, si Conjuges habeant votum castitatis vel ingrediendi Religionem.

R. I. Si aliquis emisit votum castitatis vel ante matrimonium, vel post contractum matrimonium, antequam obtineat dispensationem nullatenus potest petere, quia juxta hanc partem potest votum observare. Ubi etiam observandum ante consummationem Matrimonii non teneri ingredi Religionem, ut ibi plene possit votum observare; nam ultraquamquod ejus votum non fuerit de ingrediendo Religionem, neque censetur se voluisse obligare ad illud plene servandum medio magis arduo, quam sit observantia castitatis: *Extrav. Antiqua Joan.* 22. Sat proinde est, si non petat, & peccati commissi pœniteat, si post votum contraxit matrimonium. Cæterum reddere tenetur conjugi petenti, quoties is jus habeat petendi, nam nunc obligationem habet reddendi. Ratio autem est, quia obligatio reddendi debitum est rigorosæ justitiæ, cum oriatur ex mutua corporum traditione, unde vincit obligationem voti, quæ oritur ex simplici promissione; atque ita qui vovit reddere tenetur: *cap. quidem cap. placet de convers. conjug.* Dixi tamen, petens jus habeat petendi, quod jus non habet in primo bimestri, vel si factus fuerit alteri affinis &c., unde tunc qui vovit non teneretur reddere, quia nihil esset quod illum cogeret ad non observandum perfecte suum votum: addo quod si uxor, quæ vovit castitatem; non posset petere dispensationem, & interim non reddendo intra primum bimestre se exponeret gravi odio Mariti &c., tunc reddere posset: nam rebus valde notabiliter variatis obligatio voti non subsistit.

Si vero unus conjugum post contractum matrimonium emiserit votum de consensu alterius, & iste consentiendo voluerit cedere juri suo, tunc qui vovit non posset petere, ut patet, sed nec etiam reddere, quia alter renuntiaverit juri petendi. Si autem huic juri non intellexerit renuntiare, sed solum permittere alteri, ut faciat quod voluerit, tunc huic petenti reddendum est; jus enim habet petendi. Eodem modo discurrendum, si ambo conjuges mutuo consensu voverint castitatem, si etenim intellexerunt sibi ad invicem remittere obligationem reddendi, neutri licet vel petere, vel reddere. Dum vero non intellexerint etiam juri petendi renunciare, reddendum esset petenti, dum ab hoc diverti non posset, quia jus petendi non amisit. Ad eum modum quo tenetur reddere suam pecuniam Domino, quamvis iste vovisset numquam a me petere: *Salmant. tract. 9. c. 25. p. 2. n. 19.* Si vero contrarium non constet, puto conjuges mutuo consensu voventes sibi ad invicem remittere obligationem reddendi, & colligitur *ex can. manifestum, & can. de eo. 33. q. 5.*

R. II. Qui emisit votum Religionis, ultraquamquod contrahere non possit matrimonium, peccat etiam illud consumando ad instantiam alterius petentis. Ratio est, quia iste ratione emissi voti tenetur se non reddere impotentem ad ingrediendam Religionem; impotens autem ad id se redderet, quoties etiam solum reddendo matrimonium consummaret. Consummato autem matrimonio posset petere, & reddere; quia iia de se non obstat votum religionis: *Sanch. l. 9. de Matrim. d. 33. a n. 14, Pellizar. tr. 8. c. 3. sect. 2. n. 267.*

Q. VIII. Quæ obligatio sit reddendi debitum conjugale, dum petens illicite petie ex parte personæ.

R. Tunc dicitur debitum conjugale solum illicite peti ex parte personæ, quando actus de se nil continet pravum, sed solum fit illicitus ex circumstantia personæ, puta quia habet votum castitatis, vel quia ex copula habita cum consanguinea Conjugis facta est illi affinis &c. In hoc igitur casu distinguendum est, & dicendum primo, quod si illicite petens habet jus petendi, alter tenetur reddere. Exemplificatur in eo, qui peteret debitum conjugale post emissum votum castitatis. Hic utique illicite petit, at quia per votum solum respectu Dei obligatur ad continentiam, consequens est non amisisse jus petendi ex matrimonio acquisitum. Huic igitur petenti alter conjux, si fraterna correctione non possit illum divertere, debet reddere; nam ex una parte exercet actum licitum, & ex alia, dum in uno perseveret jus petendi, correspondet tali juri obligatio reddendi respectu alterius conjugis: *Bonac. q. 4. de Matrim. p. 3. n. 3.*

Si vero petens non habeat jus petendi, vel quia adulteratus est, vel quia factus est affinis ex copula cum consanguinea alterius conjugis, tunc certum est alterum non habere obligationem reddendi, immo nec deberet, si & ipse factus esset affinis, vel haberet votum castitatis, ex dictis quæsito septimo. Supposito autem non habere ista impedimenta quoad reddendum, difficultas est, an possit reddere non habenti jus petendi, dum illicite petit. Cum igitur *c. discretionem de eo, qui cognov. consang. uxor. suæ* innocens jure petendi non privetur, videtur a fortiori dicendum posse reddere. Hæc opinio utique est communior, at non puto contrariam sua probabilitate carere; accedere etenim e. gr. animo reddendi ad Conjugem incestuosum, videtur esse quædam cooperatio ipsius iniquæ actioni. Nec satis, meo videri, id excusatur, dicendo posse permitti alterius peccatum, ne conjux reddens habeat gravamen se privandi jure reddendi. Ratio est, quia semper cum iste habeat jus petendi, nullum vel fere nullum gravamen est se privare jure reddendi, quando etenim conjux incestuosus petit, poterit & ipse petere, & ita ad ipsum accedere non animo reddendi; seu utendi petitione debiti.

Illud autem certum est posse accedere ad conjugem animo reddendi, quoties iste non illicite peteret, quamvis non haberet jus petendi, adeoque non corresponderet in altero obligatio reddendi. Ita potest conjux reddere adultero petenti, quamvis non teneatur. Quod si & ipsa adulteraia esset, teneretur etiam reddere; nam tunc delicta compensantur: *cap. penult. & fin. de adulter.*, adeoque uterque conjux idem jus habent, ac si non peccassent. Item quamvis nulla sit obligatio, reddi potest viro petenti in amentia, & in ebrietate; immo daretur obligatio reddendi, quoties periculum esset vel quod ad alteram accederet, vel quod semen effunderet.

Q. IX. Quid dicendum de obligatione reddendi, quando petens illicite petit ex parte actus.

R. Tunc illicite petitur ex parte actus, quando ipse actus conjugalis esset peccaminosus; ut si quis peteret cum periculo abortus &c. In hoc igitur casu non licet petere, nec reddere: & ratio est, quia cum actus ab utroque exerceatur, uterque facit actum de se graviter culpabilem, quod numquam licitum est. Si vero intercederet solum culpa venialis videtur aliquibus excusanda e. gr. uxor, si ad vitandum aliquod incommodum reddat, adeoque, ut dixi supra *quæs. 4.* vult S. Antoninus uxorem tandem reddere debere marito petenti modo innaturali, dum tamen solum venialiter peccet: *Salmant. tr. 9. c. 16. p. 3. nu. 20., Sanch. &c.*

Ego autem puto neque reddere debere, quamvis solum adsit culpa venialis ex parte actus. Et ratio est, quia actus est venialiter malus prout ab utroque conjuge exercetur, ut si sine justa causa more pecudum congrediantur; nemo autem in nullo casu tenetur ad faciendum actum, quamvis de sua natura solum venialiter malum. Præterea excusatur quis a cooperando alterius peccato, dum id faciat ad vitandum suum damnum, sive ad utendum jure suo, dum tamen ipsius actio de sua natura mala non sit. In præsenti autem suppono actum ex parte utriusque esse saltem venialiter malum: *Bonac. hic q. 4. p. 3. n. 9.*

Ex

Ex dictis ſupra ſequitur non licere petere, aut reddere cum periculo abortus. Item ſi ex modo, congrediendi ſit periculum ſeminandi extra vas. Item ſi copula habeatur cum gravi detrimento ſalutis, nam nemo eſt Dominus ſuæ vitæ. Immo nec reddi poteſt cum gravi præjudicio valetudinis petentis; nam unuſquiſque etiam cum ſuo incommodo tenetur impedire, ne alter ſe ponat in grave vitæ diſcrimen. Quod ſi hoc diſcrimen eſſet ex parte reddentis, ſolum poſſet reddere ex motivo virtutis, e. g. ut impediret pollutionem in petente, vel ut non accederet ad non ſuam. Vide quæ dixi *tr. 15. q. unic. c. 1. quæſ. 3. & 4.* Hinc excuſatur a peccatu uxor, ſi petat, vel reddat, quando experta eſt non poſſe parere ſine gravi vitæ periculo, id enim poteſt facere ad vitandum periculum incontinentiæ vel in ſe, vel in Conjuge: *Sanch. l. 7. d.* 102. *nu. 9.* Ex dictis numquam etiam licitum erit vel reddere, vel petere in loco publico.

Quoad copulam vero habendam in loco ſacro primo obſervandum eſt ſolum excuſandam eſſe ratione neceſſitatis; omnes enim gravem apprehendunt irreverentiam in hoc, quod conjuges ſine neceſſitate in Eccleſia copulentur. Inſuper jura ſine ulla diſtinctione inter copulam conjugalem, aut fornicariam aſſerunt violari Eccleſiam per humani ſeminis effuſionem: *cap. unic. de conſecr. Eccl. in 6., can. Eccleſiis de conſecr. d.* 1. Ubi autem neceſſitas adſit, nec apprehenditur intervenire loci Sacri irreverentia, nec vigere prohibitionem Eccleſiæ; ultraquamquod enim ipſius præcepta non obligant cum gravi incommodo, non poteſt præſumi potius velle e. g. conjugum incontinentiam, quam in Eccleſia copulari. Semper dum igitur urgeat grave incontinentiæ periculum, licitum erit conjugibus in Eccleſia copulari, dummodo occulte fiat, & non poſſint extra ipſam exire. Deinde ſi conjuges diu manere debeant in Eccleſia, puta per viginti dies, aut menſem, ab aliquibus ab ipſo initio reputantur non ligari prohibitione coeundi, quia non videtur Eccleſia velle ad hoc obligare Conjuges diu manſuros in loco ſacro: *Sanch. l. 9. d. 15. num. 12., Leſſ. de ſpecieb. luxur. l. 4. cap. 3. d. 12. num. 85.*

Porro pro loco ſacro, in quo de ſe non liceat Conjugibus petere, aut reddere, intelligitur ſolum Eccleſia conſecrata, aut benedicta, quidquid nempe intra hæc loca continetur, non vero quod extra ipſa eſt. Pariter ad hunc effectum intelligitur ſacer ille locus, qui authoritate Epiſcopi eſt deputatus ad Divina Officia perſolvenda, vel ad ſepulturam fidelium. Horum ſolummodo reverentiæ locorum adverſatur humani ſanguinis, ſeu ſeminis effuſio, ut dixi *tract. 18. quæſt. 2. c. 4. quæſ. 4.*, unde in iis ſolummodo non licet actum conjugalem exercere: *Sanch. cit., Pontius lib.* 10.

Q. X. An opus conjugii dicendum ſit culpabile ex parte actus, ſi Maritus nolit ſeminare, vel ſi ſe polluat extra vas, adeoque non liceat uxori reddere.

R. I. Certum eſt per ſe numquam licere a copula incepta deſiſtere, quoties periculum eſſet effundendi ſemen extra vas, ut de ſe patet. Item dicendum videtur, uno conjuge diſſentiente, non licere alteri poſt inceptam copulam deſiſtere a ſeminando, tum quia unuſquiſque conjux jus habet, ut copula perficiatur, tum ne deſiſtendo ponatur in periculo incontinentiæ. An nihilominus reddendum ſit volenti deſiſtere, conjuge repugnante, patebit ex ſequenti reſponſione: Item non poteſt vir deſiſtere a ſeminando poſtquam uxor ſeminavit; quia tunc fruſtraretur ſemen fœmineum. Illi etiam, qui putant ſemen fœmineum neceſſarium eſſe ad generationem, conſequenter aſſerunt non poſſe deſiſtere a ſeminando poſtquam vir ſeminavit, ne generatio impediatur. Sed & quia non deſunt aſſerentes ſemen fœmineum ad generationem non neceſſarium, ideo ſaltem a mortali excuſant fœminam non ſeminantem, etſi vir ſeminaverit; *c. 10. Sanch. l. 9. d. 17.*

Demum dum conjuges abſque ſeminando mutuo conſenſu deſiſtunt a copula incepta abſque periculo pollutionis, videtur contra aliquos dicendum ſaltem non peccare mortaliter. Ratio eſt, quia reduci poteſt ad tactum impudicum, qui, remoto periculo pollutionis, inter conjuges non pertingit ad peccatum mortale. Vel dicendum quod ſicut Conjugibus licita eſt copula perfecta, ita ejus tantummodo inchoatio: *D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 6., Pontius lib. 10. c. 11. num. 9., Sanch. l. 9. diſp. 19. num. 3.*

R. II. Si vir poſt inceptam copulam ſe retrahat, & ſeminet extra vas, non proinde impeditur fœmina a petendo, vel reddendo, quoties illi grave ſit ſe continere. Ratio eſt, quia ex dictis in Tractatu de Charitate *q. 3. c. 6. quæſ. 4.*, nemo tenetur cum ſuo gravi incommodo abſtinere ab actione per ſe licita, & ad quam jus habet, quamvis alter in ea ex propria malitia peccet; tunc enim peccatum non intelligitur volitum, ſed permiſſum: *Pont. l. 10. c. 11. n. 8., Tamb. l. 7. in Decal. c. 3. §. 5. num. 4.*

Hic autem obiter advertas per accidens permitti aliquando poſſe ſeminis effuſionem fieri extra vas deſiſtendo ab incepta copula, puta ſi ſuperveniret hoſtis, ſi adverteretur periculum gravis morbi antea non præviſum &c. Ratio eſt, quia in ſimilibus caſibus non eſſet volita effuſio ſeminis extra vas, ſed ſolum ex rationabili cauſa permiſſa. Idem puto contra aliquos dicendum, ſi aliquis ſuperveniret, qui deberet videre conjuges actu copulam exercentes; nam ad removendum alterius periculum, licite permitti videtur ſeminis effuſio: *Sanch. l. 9. d. 20. num. 6., Anton. a Sp. S. diſp. 9. ſect. 4. num. 610.*

Alia vide *tr. 14. q. un. c. 7. quæſ. 9.*

Q. IX. Quis poſſit diſpenſare ſuper impedimento debitum petendi.

R. I. Certum eſt Epiſcopum poſſe diſpenſare ſuper dicto impedimento, quoties removere poſſit votum, a quo oritur. Inſuper videtur habere talem facultatem, etſi proveniat a voto perpetuæ & perfectæ caſtitatis emiſſo ante matrimonium; quamvis enim de hac facultate ex jure non conſtet, dicendum eſt eam obtineri ab Epiſcopis ratione conſuetudinis. Præterea ut plurimum illam haberent ratione urgentis neceſſitatis: *Sanch. lib. 8. de matr. d. 12. nu. 4.* & alii apud ipſum. Si vero votum caſtitatis emiſſum ſit poſt contractum matrimonium, cum tunc non poſſit dici perfectæ caſtitatis, quia vovens ſaltem reddere tenetur, certe Epiſcopus poterit diſpenſare ſuper impedimento petendi, quod ex eo oritur; *Gobath. in Theol. experim. tract. 10. n. 630.* Excipe niſi unus Conjugum ante conſummatum matrimonium una cum voto caſtitatis votum Religionis emiſiſſet; nam tunc tale votum omne robur habet, & poteſt exacte obſervari. Item excipiendus caſus, quo uterque conjux per modum mutui contractus, aut reciprocæ conventionis votum caſtitatis emiſerint; nam tunc ut dixi *quæſ. 7.* reputantur ſe invicem liberare ab obligatione reddendi; unde nil deeſt tali voto, ut ſit perfectum, & abſolutum, a quo proinde Epiſcopus non valeat diſpenſare: *Sanch. l. 9. d. 37. n. 10. arg. can. quod Deo 33. q. 5.* Eo ipſo autem quod non poſſit a voto diſpenſare, nec poteſt velle ipſum non obligare quoad aliquem partialem effectum, & proinde removere impedimentum petendi debitum conjugale: *Sanch. lib. 8. d. 11. n. 19.* Accedit nullam dari in hoc caſu conſuetudinem, qua Epiſcopus poſſit diſpenſare, ſicut datur quoad diſpenſandum ſuper impedimento petendi debitum reſpectu illius, qui ante matrimonium emiſit votum perpetuæ caſtitatis.

R. II. Sicut ratione conſuetudinis poteſt Epiſcopus diſpenſare ſuper impedimento petendi debitum reſpectu illius, qui ratione voti caſtitatis impeditur, eadem ratione poteſt diſpenſare cum eo, qui impeditur ob affinitatem, de quo impedimento dictum eſt ſupra quæſ. 5.; *Sanch. l. 8. d. 12. n. 13.* & communiter.

R. III. Regulares diſpenſare poſſunt ſuper impedimento debitum petendi. Et quidem ſi impedimentum ratione voti caſtitatis oriatur, poterunt ſuper eo Regulares diſpenſare, utpote qui habent eamdem poteſtatem ac Epiſcopi quoad vota diſpenſanda; ut ex variis privilegiis paſſim docent DD. & inter illos *Sanch. ex l. 4. Moral. c. 43. n. 2.* Cum ergo Epiſcopus poſſit aliquando totaliter, aliquando partialiter tollere obligationem voti caſtitatis impedientis petitionem debiti, prout ſupra dictum eſt, idem facere poterunt Regulares. Item poſſunt diſpenſare ſuper eodem impedimento, quatenus oritur ex inceſtu cum conſanguinea conjugis; & id tum ratione conſuetudinis, quæ dat juriſdictionem: *cap. Duo ſimul de Offic. Ordin.*; tum ratione diverſorum privilegiorum, de quibus paſſim apud Authores. Immo non deſunt Authores, qui doceant non eſſe neceſſarium pro uſu talis facultatis, ut Confeſſarii Regulares ſint ad hoc ſpecialiter a ſuis Superioribus deputati: *Anton. a Sp. S. in Direct. Regul. p. 1. tr. 2. d. 1. ſect. 2. §. 3. n. 112. Dian. p. 5. tract. 13. reſol. 46.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Meminisse debet Confessarius illius doctrinæ, qua dicitur quod dum monitio non est profutura, vel quod dum ex ea gravia scandala sint oritura, & aliunde pœnitens non habeat ignorantiam graviter culpabilem, idem Confessarius desistere debet a monitione facienda. Hinc merito inferunt Theologi non esse in talibus circumstantiis detegendam nullitatem matrimonii, seu conjuges non posse nec reddere, nec petere. Idem dicas, si Confessarius videat Conjugem privatum esse jure petendi, & tamen prudenter timeat non cessaturum a petitione, etsi de tali privatione moneatur.

Idem observare debet, dum exercere actum conjugalem est venialiter malum, vel ratione finis, vel ratione temporis, vel ratione modi illum exercendi. In praxi videmus difficillime regulas perfectæ honestatis, & temperantiæ a Conjugatis servari; vel quia æstus libidinis ad omnes venereæ delectationis modos impellat; vel quia ille, qui intra omnes modestiæ limites se contineret, ab altero conjuge ibi sistere non permittitur. Dum ergo bona fide excuset, non facilis sit Confessarius in detegenda malitia actus, maxime si venialis sit; & multo magis si non desint Authores, qui omni vacare culpa affirment.

II. Advertat Confessarius, ne uxores sub specie pietatis, vel alio motivo, alienas se ostendant a reddendo debitis Maritis; ex hoc etenim non raro illis permolestæ redduntur, ac occasionem præbent ad alias divertendi. Quod debitum est; etiam libenter est persolvendum; nec tristi vultu cum socio comedendum; ajebat in præsenti materia S. Franciscus Salesius *in introductione Vitæ Devotæ 3. p.c.39.* E contra monendi sunt Mariti, ne proprias uxores fastidire demonstrent, & veluti coacte cum illis conjugium exercere. Id præbet etiam ipsis non levem occasionem alios amore impudico prosequendi. Accedit Conjugatos reddere debere, quoties unus ex eis virtualiter petit, & cum hoc pacto petere intelligatur, dum potest esse in periculo incontinentiæ, consequens est Maritum posse, non raro teneri ad reddendum suæ uxori, quamvis non petenti. Certum est quod si illam fastidire demonstret, & fere numquam petendo ad ipsam accedat, non facile ab eo uxor debitum exposcet conjugale; at interim, maxime si juvenis sit, & non valde pietatis exercitiis addicta; prudenter eimendum sæpe in periculo incontinentiæ versaturam.

III. Non facilis sit Confessarius in suadendo votum castitatis conjugatis; nam id gravissimum erit uxori, si ipsa semper petere debeat, dum id facere non possit Maritus. Maritus etiam ægre feret numquam ab uxore debitum expostulari. Quod si ambo mutuo consensu velint vovere castitatem, & sibi invicem etiam obligationem reddendi remittere, nec in hoc concedendo facilis debet esse Confessarius, nisi utriusque conjugis jam a multo tempore virtutem probaverit; & ex profectu de virtute in virtutem prudenter judicare possit emittendum votum fideliter servaturos. Non ergo adnuere debet statim ac tale desiderium ipsi proponunt; & quamvis initio conversionis, vel susceptæ vitæ spiritualis videantur omnia propter Deum supergressuri. Heu quam facile tepescere, vel etiam frigescere non raro apparet, quæ magna videbatur Charitas; & qui excellentiorem perfectionem videbantur appetere, ad dimissa vitia redire! Cautus proinde semper sit Confessarius, & a Patre luminum semper novam lucem enixe expostulet, qua pro se, ac Animabus, quarum ductor est, qualis sit vera Æternæ salutis via possit dignoscere.

CONSTANTINI
RONCAGLIA

CONGREGATIONIS MATRIS DEI

CONSILIORUM MORALIUM

LIBER SINGULARIS.



VENETIIS, MDCCLX.

TYPIS FRANCISCI PITTERI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

enim tunc fit cum eo una caro; & alterius reputatur actus benevolentiæ, quo injuria remittitur. Ita communiter DD. cum Glossa *in cap. fin. v. fornicatione de adulter. junct. l. quæsitum 40. §. Item quæritur ff. ad l. Jul. de adult.* Item si intercedant alia signa conjugalis familiaritatis, ut si conjux innocens nocentem amplectatur, osculetur, impudice tangat &c., hæc etenim reputantur signa condonationis illatæ injuriæ: *Glossa, & DD. communiter §. fin. Instit. de injur.* Immo sola cohabitatio, si adulterium esset publicum, reputaretur signum amicitiæ, & condonationis injuriæ: *l. crimen 10. Cod. ad leg. Jul. de adult., Sanch. l. 10. d. 4.*

Ut tamen ex prædictis tacita injuriæ condonatio præsumatur, sequentia oportet verificari. Primo, ut præfata fiant a conjuge certo sciente alterius adulterium; neque etenim potest esse intentio condonandi injuriam, quæ non sufficienter sciatur: *leg. manifestissimi 22. Cod. de furt., Surd. de alim. tit. 7. q. 16. n. 301., Sanchez cit. num. 9.* Secundo, oportet prædicta fieri sponte, & libere, non ex gravi metu damni imminentis; neque enim censetur condonare, qui aliquid facit metu, vel necessitate coactus: *Sanchez nu. 13.*, & communiter. Tertio, oportuit fieri præfata absque ignorantia sui juris; neque enim reputaretur innocentem condonare injuriam, quoties actus supradictos faceret cum nocente, quia putaret adhuc ad eos teneri; vel edoctus fuisset non posse ab eis cessare: *Sanchez cit. num. 16.*, cum communi.

R. II. Non licet facere divortium ob adulterium unius, si alter quoque adulteretur, ut expresse deciditur *cap. significasti 4. de divort.* Et ratio est, quia paria crimina mutua compensatione delentur: *c. intelleximus 6., & c. fin. de adult., & l. viro atque uxore ff. solut. matr.* Ubi etiam advertendum non referre, an prius unus quam alter commiserit adulterium; nam semper cum verificatur utrumque conjugem adulteratum esse, verificatur in utroque par esse delictum, quod proinde compensatione tollatur. Hac ratione neque refert quoad forum internum, adulterium unius esse publicum alterius occultum; nam vere culpabiles sunt coram Deo ejusdem delicti; & hoc solum attenditur in tali foro: *D. Thom. in 4. d. 35. qu. un. art. 6 ad 5., Sanchez lib. 10. d. 6. n. 9.*, & communiter. Cum autem in foro externo secundum allegata, & probata procedatur, in eo non parificantur adulterium publicum, & occultum, cum de hoc in tali foro non constet; neque etiam satis esset, si adessent indicia, quia liquidum cum illiquido non compensatur: *l. fin. de compens.* Demum in præsenti datur mutua delictorum compensatio, etsi unus sæpius, vel gravius quam alter fuerit adulteratus. Ratio est, quia radix, & fundamentum divortii est fractio fidei cum divisione carnis cum altera carne; & cum hoc intercedat semper cum datur adulterium, hinc est utrumque conjugem adulterantem parem esse in ea re, quæ dat causam divortii, adeoque ipsorum delicta per compensationem tolli, etsi unus alterum superaverit in numero, & malitia peccati: *Sanch. l. 10. disp. 6. n. 8.*

Major difficultas est, an compensentur adulteria, si innocens adulteretur postquam post sententiam divortii nocentem dimisit. Verior autem videtur sententia affirmativa; nam quamvis post sententiam divortii conjux innocens non teneatur cum nocente cohabitare, reddere debitum &c., adhuc tamen tenetur illi fidem servare; si proinde adulteretur, committit delictum consimile delicto alterius, ex quo locus datur compensationi: *cap. fin. de adulter., ubi Barbos. n. 4.*, & favet *c. ex litteris de divort. ubi Fagnan. n. 9., Pontius l. 9. c. 20. n. 6.* Nec refert sententiam jam latam abiisse in rem judicatam, adeoque non revocandam, ut cum S. Thoma docet in casu præsenti *Sanchez lib. 10. disp. 10. num. 30.* Non, inquam, hoc refert; nam non dicimus retractandam rem judicatam, sed ex novo delicto illius, qui erat innocens, nocentem habere actionem, qua velit delicta compensari, ac proinde in pristinum restituendum.

Q. XI. An facto divortio teneatur, seu possit innocens pro libito nocentem revocare.

R. I. Supposito divortium ex parte innocentis esse perpetuum, nec amplius teneri adulterum quamvis emendatum recipere. Ratio est, quia, quamvis pœnitentia deleat culpam coram Deo, non tamen tollit injuriam factam homini, & pœnam ipsi correspondentem, ut advertit *Gloss. in can. admonere 33. qu. 2. v. pœnitentia, arg. leg. quis sit fugitivus ff. de ædilit. edict. S. Thom. in d. 35. qu. un. art. 6. ad 2. Pontius lib. 9. cap. 1. n. 6.* Sicut nihilominus innocens, ex dictis supra, potest non facere divortium, ita & poterit revocare nocentem, cum etenim divortium in sui favorem fuerit factum, non est in ejus odium detorquendum, ut dixi ibidem, quod sequeretur si privaretur jure nocentem revocandi. Neque huic juri cessisse dicendum est, eo quod acquieverit sententiæ divortii, cum judicandum sit ipsi acquievisse tantum prout erat in sui favorem. Accedit quod si ex sententia divortii expoliaretur jure nocentem revocandi, hic reportare posset commodum ex suo delicto, quod nolunt jura, adeoque dicendum est redire debere ad conjugem illum revocantem: *D. Thom. in 4. d. 35. q. unic. art. 3. ad 6., Sanch. lib. 10. d. 10. num. 3., Pontius l. 9. cap. 19. n. 1.* & communiter DD. cum Glossa *in cap. ex litteris de divort v. redire.* Id tamen limitandum, si res adhuc sit integra. Pro quo.

Q. XII. Quando Conjuges post divortium ingredi possint in Religionem.

R. I. Pars innocens, si adulterium sit publicum, potest illico ingredi Religionem. Ratio est, quia ex una parte, dum adulterium est publicum & notorium, puta quia maritus aliquam impraegnaverit, atque id in judicio fuerit probatum, pars innocens potest in utroque foro propria authoritate facere divortium, ut cum Glossa communiter recepta *in cap. fin. de adult. v. fornicationis*, docent DD. ibidem, & videri etiam possunt *Sanch. l. 10. disp. 11. n. 5. & 10. Barbosa in cap. ex parte de Sponsal. num. 6.*, & alii apud ipsum. Ex alia vero cum conjux adulterando amittat omne jus conjugale: *cap. 4. de divort.*, removetur omne obstaculum ingressui in Religionem: *arg. c. constitutus 15., & c. venicus 16. de convers. Conjugator:, junct. can. Agathosa 21. caus. 27. q. 2., & can. 2. caus. 32. qu. 1., Sanchez cit., Barbosa in cit. cap. Constitutus cum communi.* Ubi vero adulterium sit occultum, cum tunc non liceat quoad forum externum conjugi innocenti nocentem dimittere, hinc est ante sententiam divortii ipsi non licere ingredi religionem. Quod si ante illam ingressus fuisset in Religionem, restituendus esset alteri conjugi: *arg. c. Item cum quis de restit. spoliat.* & communiter DD. Item restituendus illi esset, etsi ingressus esset Religionem post sententiam divortii, quoties probaretur talem sententiam latam fuisse per errorem: *Sanchez lib. 10. disp. 9. num. 9.* Et ratio est, quia qui ita professus est non potuit se obligare cum alterius præjudicio: *arg. c. placuit de convers. Conjug.* bene tamen cum proprio, unde non posset debitum petere. Quod si uterque Conjux professus esset in aliqua Religione post injustam sententiam divortii, quia nempe lata fuerit per errorem, uterque debet in ea perseverare, utpote quia professio illorum esset valida, cum non eam emiserint ex errore circa substantialia status religiosi, & ulterius falsa æstimatio divortii causavit errorem solum circa causam impulsivam profitendi, non circa motivam, quæ est servire Deo in Religione, *Sanch. a n. 10.*

R. II. Conjux nocens non potest ingredi Religionem sine licentia innocentis Conjugis; cum etenim hic ex dictis jus habeat illum revocandi, hoc jure ipsum privare non potest ingrediendo Religionem: *Glossa in c. ex litteris v. redire de divort., Sanch. lib. 10. disp. 10. n. 12.* Solum igitur ingredi posset in Religionem, quando pars innocens concessisset licentiam, vel quando ipsa jam emisisset professionem in aliqua Religione, tunc enim non amplius posset nocentem revocare. Item quando pars innocens, post repetitas monitiones, nollet recipere partem nocentem, quamvis emendatam. Advertere proinde est, quod licet pars innocens non statim teneatur recipere nocentem, vel dare licentiam ut religionem ingrediatur *argum. cap. gaudemus 19. de divortio*, nihilominus si post repetitas monitiones, & elapso saltem biennio, nolit partem jam nocentem, sed emendatam recipere, intelligitur vel tacite dare licentiam ingrediendi Religionem, vel irrationabiliter negare; unde illi liberum erit in Religione profiteri: *Barbosa in cit. cap. gaudemus, Sanchez lib. 10. d. 10. n. 16.*

Ubi autem Conjuges ingrediantur Religionem causa divortii, non requiruntur illæ conditiones, quas exigunt SS. Canones, dum Conjux de consensu alterius fit Religiosus; quod nempe & alter Conjux ingrediatur Re-

figionem; si juvenis sit, vel non possit remanere in sæculo sine periculo incontinentiæ; & si sit senex, & simul absque tali periculo possit in sæculo remanere, emittat votum perpetuum castitatis, qua de re videndus inter alios Fagnanus *in c. cum sis de convers. Conjug. a n.7.* Hæ igitur conditiones solum requiruntur, ubi quivis Conjux illæsa conservat jura conjugalia; *Sanch. n.* 15.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Si aliquis Conjux sua sævitia causam dederit divortii, advertat Confessarius incapacem absolutionis quoadusque ita non mutet mores, ut conjux, qui discessit, putet tuto posse ad illum redire, cum malum quod fecit reparare teneatur. Item si conjux morbo contagioso fuerit causa divortii saltem quoad thorum, debet omni diligentia illum a se removere, ne alter ab exercitio sui juris impediatur.

II. Non difficiliter accidere potest Maritum propria authoritate fecisse divortium, saltem quoad thorum ab uxore, quia ipsam adulteram judicaverit; & si non repellit ab habitatione, id facit ne propriam publicet infamiam, non tamen desinit eam torvis oculis aspicere, ac cum ea sæve se gerere. Primo igitur Confessarius moneat incapacem esse absolutionis, si crudeliter cum ea agat, quamvis propriis oculis ipsam adulterantem vidisset, gravis enim punitio non pertinet ad Maritum. Secundo, moneat incapacem esse absolutionis, si divortium fecerit etiam quoad solum thorum ex mera suspicione adulterii, nisi adeo esset violenta, ut contrarium prudenter judicari non posset, sicut dixi capite superiori. Certe gravis esset injustitia ob meram suspicionem cum uxore aspere se gerere, eamque a thoro repellendo privare ob incertum delictum jure certo quod habet. Tertio, si certum esset adulterium uxoris, interroget Confessarius Maritum, an ipse unquam fuerit adulteratus; & dum & ipse in idem crimen inciderit, moneat ipsorum delicta compensari; ac proinde nullum jus habere uxorem non solum ab habitatione, sed nec a thoro repellendi, adeoque incapacem esse absolutionis, si cum ea perfecte non reconcilietur.

III. Confessarius, quantum fieri potest, removeat Conjuges a divortio faciendo, & solum videat ipsius causas e medio tollere. Quoties non fiat divortium pleno utriusque Conjugis consensu ad liberius Deo vacandum (hoc etiam raro admitti debet, & solum quoad personas probatæ virtutis) ex quacumque alia causa fiat divortium, origo est innumerorum malorum: puta irreconciliabilis odii inter ipsos conjuges, gravium rixarum inter utriusque consanguineos, detractionum &c. Insuper si filii adsint, ex divortio Parentum ipsorum educationi quam maximum præjudicium infertur. Disponunt quidem leges in tali casu filios sive masculos, sive fœminas educandos apud Patrem, si non sit minus idoneus, Matris expensis, si locuples sit, quando hæc dederit causam divortii, sive apud Matrem, Patris, expensis, si ipse, & non uxor fuerit culpabilis: *Auth. si Pater Cod. divort. fact.*, *Novell.* 117. *cap.* 7., *Guttier. can. qq. l.* 1. *c.* 24. *n.* 19., *Laym. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 19. At si educentur filii apud Patrem, quantumvis idoneum, numquam satis providebitur ipsorum educationi: & maxime fœminarum, quia suis distractus negociis numquam satis poterit vigilare. Si vero apud Matrem educentur, hæc non poterit satis illos cohibere, a vitiis immunes servare, maxime masculos, qui facti grandiusculi non solent Matrem timere, neque hæc potest satis scire quo pergant, ubi, & cum quibus morentur &c. Demum notet Confessarius non solum dissuadendum, sed omnino impediendum divortium, quoties conjux innocens nocentem expellendo, esset in periculo incontinentiæ, tenetur etenim adhibere media ad se præservandum a peccato; quapropter si non potest se continere, teneretur etiam post expulsionem revocare conjugem ejectam, quamvis ratione adulterii ab eo perpetuum divortium fecisset.

QUÆSTIO ULTIMA

De Debito Conjugali.

CAPUT UNICUM.

De debito Conjugali; & de dispensatione super impedimento ipsum debitum petendi.

Q. I. AN actus conjugalis sit actus bonus; & an fiat culpabilis, si exerceatur ratione vitandæ fornicationis, seu causa sanitatis, aut voluptatis.

R. I. Cum Apostolus ad Hebr. 13. hæc habet: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*, consequens est bonum per se esse actum conjugalem, adeoque & meritorium. Constat autem bonum esse, & meritorium quoties imperetur a Religione, dum nempe exerceatur ad procreandam sobolem, quæ Deum colat; vel Virtute Justitiæ, dum scilicet ad reddendum debitum exerceatur.

R. II. Si exerceatur ratione vitandæ fornicationis, putat *S. Th. in 4. dist. 31. art. 2. ad 2.*; esse peccatum veniale, quia prætermittitur finis ob quem institutum est matrimonium; neque enim institutum est ob finem vitandæ fornicationis, nisi secundum indulgentiam, ut habet Apostolus 1. *ad Cor.* 7. Cum S. Thoma sentit S. Augustinus *in Enchar. c.* 78., *& de bon. conjugal. c.* 6. *&* 10., *S. Gregor.* 3. *p. Pastoral. admonit.* 28. Non paucis vero Theologis, quos sequitur Leandet *disp* 25. *qu.* 15. placet in hoc nullum intervenire peccatum, utpote quia finis est bonus, quamvis sit in tali actu aliqua imperfectio, eo quod prætermittatur finis principalis, ad quem de sua natura tendit matrimonium. Eadem ratione quia scilicet finis sanitatis honestus est, plures quos sequitur *Sanch. lib.* 9 *disput.* 10. putant vacare omni culpa actum conjugalem ob eumdem finem exercitum. Illis tamen refragatur *S. Th. loc. cit. in respons. ad* 4., *D. Antonin.* 2. *p. tit.* 1. *c.* 20. *§.* 11. & non pauci Theologi, cum intervenire videatur culpabilis deordinatio, dum usus Matrimonii ordinatur ad finem nullatenus a natura intentum, quantumvis honestum.

R. III. Non vacat culpa veniali exercere actum conjugalem causa delectationis. Ratio est, tum quia tunc non ordinatur in finem honestum, unde non potest dici omnino licitus: tum quia intervenit hæc deordinatio, scilicet intendi ut finem, quod institutum est a natura tamquam medium; delectatio etenim posita est in actu conjugali ut medium ad facilius illum exercendum. Hinc Innocentius XI. sub n. 9. sequentem damnavit propositionem: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum penitus caret culpa, ac defectu veniali.*

Q. II. An obligatio reddendi debitum Conjugi petenti sit sub gravi præcepto; & an apponi possint impedimenta ad illud reddendum.

R. I. Cum ratione matrimonii vir acquirat dominium corporis uxoris, & e contra, consequens est dari obligationem reddendi debitum Conjugi petenti; unde ait Apostolus 1. ad Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro.* Omnes autem concordant hanc obligationem esse ex genere suo gravem, tum ratione sui, quia est de re gravi; tum ratione inconvenientium, quæ ex ipsius negatione possunt oriri, odii nempe, incontinentiæ &c., quamvis aliæ causæ ob verecundiam prætexantur. Potest autem denegatio debiti nullum esse peccatum, vel solum veniale in sequentibus casibus: Primo, si conjux solum blanditiis peteret, nisi ita ob verecundiam petat; dum enim petit solis precibus, & blanditiis non videtur velle saltem plene uti jure suo. Idem dicendum, si qui petit, rogatus facile desistit; nam tunc cedit juri suo. Secundo; si ad breve tempus redditio debiti differatur, puta si usque ad noctem, dum tamen non sit in petente periculum incontinentiæ. Tertio si dum absit tale periculum, raro negetur, quod considerandum est justa majorem, vel minorem frequentiam, qua ab altero petitur. Aliqui volunt non esse obligationem saltem sub gravi reddendi, ne multiplicentur filii, dum Parentes non possunt illos alere. At huic opinioni non adhæreo; nam nolle unquam reddere, redderetur nimis grave petenti: si vero aliquando reddendum est, tunc ex rariore usu matrimonii facilius fœmina concipiet; utpote quia magis appetet venerem:

Sanch. l. 9. d. 25. à n. 1. Bonac. de matr. q. 4. p. 1. nu. 12., Laym. tract. 10. part. 3. c. 1. n. 16. Quando autem ex aliis capitibus liceat debitum denegare, in sequentibus explicabitur.

Cum autem non adsit obligatio reddendi debitum, nisi aliquis conjugum petat, observandum cum *S. Th. in 4. d. 31. q. 2. ar. 2. & d. 32. q. unic. a2. q. 1. ad 1.* tripliciter intelligi debitum peti. Primo, dum petitur verbis expressis. Secundo, dum petitur signis, quamvis ob verecundiam expresse non petatur. Tertio, dum petitur interpretative, quando nempe aliquis conjugum ostendit se versare in periculo incontinentiæ; nam tunc interpretandum est debitum exigere, illique est succurrendum ab altero conjuge tum ratione fidelitatis, qua debent a se invicem removere omnem pravam libidinem; tum ratione charitatis, qua opitulandum est proximo, maxime in gravi spirituali periculo constituto.

Quæ dixi de obligatione reddendi debitum, intelligenda sunt post elapsum primum bimestre; nam intra illud jus dat facultatem non reddendi debitum, ut conjuges declarare possint, an ingredi valint Religionem: *c. ex publico de convers. conjug.*

R. II. Omnino certum est non licere conjugi libere ponere impedimenta proxime impedientia redditionem debiti, qualia sunt simul non habitare, vel si vir crebro se polluat, seu alias cognoscat, unde fiat impotens ad reddendum debitum conjugale. Et ratio est, quia lex imponens aliquam obligationem imponit etiam apponere media ad eam adimplendam, adeoque & ad eam non impediendam. Hinc reddens se impotentem ad reddendum debitum conjugale, cum aliis peccando &c. dupliciter peccat, quatenus nempe facit actum pravum; & quatenus violat legem justitiæ illi præcipientem, ne se reddat talibus mediis impotentem.

Quod si sermo sit de modis ex se licitis, puta jejunio, aliisque pœnitentiis, quibus caro maceratur, puto esse distinguendum. Si hæc sub nullo cadant præcepto, puto omnino ab eis abstinere debere illum, qui ratione ipsorum se reddit impotentem; neque enim vacandum est operibus consilii, quando impediunt satisfacere operibus justitiæ. Si vero talia opera cadant sub præcepto, puta servare jejunia Ecclesiæ &c. tunc videndum est, an simus in circumstantiis, quibus præceptum fortius obliget ad opus incompossibile cum jejunio. Hoc utique præceptum daretur, quando dum vir jejunio se redderet impotentem, uxor esset in periculo incontinentiæ; nam tunc non solum urget præceptum justitiæ reddendi debitum, cum tunc certe uxor habeat jus, ut sibi reddatur quod petit, sed etiam charitatis, quæ vult subveniendum proximo existenti in gravi periculo peccandi: hæc autem præcepta absque dubio strictim obligant, quam præceptum positivum jejunii. Ulterius non potuit esse mens S. Matris Ecclesiæ in talibus circumstantiis obligare ad jejunium. Dum vero uxor non esset in periculo incontinentiæ, crederem vigere obligationem jejunii, quamvis ex eo vir ad tempus redderetur impotens ad reddendum debitum; nam non videtur uxor habere jus petendi, quoties hoc impediat observantiam legis Ecclesiæ; atque cum hoc onere dicendum est matrimonium contraxisse, ut scilicet Ecclesiæ præcepta servarentur. Dixi, si ad tempus impotens reddatur; si etenim observando longum jejunium, puta quadragesimale, vel omnino, vel valde impotens ad debitum reddendum redderetur, rarius, seu mitius deberet illud jejunium observare. Ratio est, quia saltem lex Charitatis obligat, ne alteri matrimonium reddatur valde grave, quod sequeretur, si vir jejunando non posset nisi raro reddere debitum, eaque lex prævalet præcepto Ecclesiæ. Præterea facile accidere potest periculum incontinentiæ respectu illius, cui raro redditur debitum. Quod autem dixi de viro sunt etiam de uxore intelligenda. Pariter juxta præfatas distinctiones volo intelligendas, quæ exemplificando dixi *Tr. 9. qu. 2. c. 2. reg. 1.*

Q. III. Quando non liceat petere ratione temporis, quamvis liceat reddere.

R. Primo, videtur non licere petere in præcipuis anni Solemnitatibus, & esse peccatum veniale tunc petere debitum, quia valde distrahit ab oratione, aliisque operibus spiritualibus, quibus Conjuges tunc insistere debent: *can. proposuisti 2. d. 32. can. si caus. 33. quæst. 4. c. quotiescumque ibid., Nicolaus Papa ad cons. Bulgar. c. 39., D. Th. in suppl. qu. 64. art. 5., D. Bonav. in 4. d. 32. qu. 2. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 11.*

Hæ autem rationes etiam probant non licere sine levi culpa petere, quando recipienda est, vel paulo antequam recepta fuit Eucharistia; nam usus conjugii nimis divertere habet ab actuali devotione, tunc temporis necessario exercenda. Verum aliis placet per se nullum esse peccatum usum conjugii in præcipuis anni Solemnitatibus; nam non constat aliquo jure prohiberi, & solum importare quamdam indecentiam, si eo tempore exerceatur. Idem dicendum videtur, si exerceatur ea die, qua recipienda est S. Eucharistia, dummodo non causet talem mentis evagationem, ut irreverenter foret accipienda. Ego autem nescio concipere, quomodo excusari posset a veniali irreverentia ille, qui paulo ante, vel paulo post susceptam Eucharistiam copulam cum uxore habet.

R. II. Non pauci dicunt continere culpam venialem usum conjugii eo tempore quo uxor gravida est: *can. si causa 33. q. 4. can. ergo ibid., can. non solum q. 7.* Et ratio est, quia tunc intendi non potest finis principalis matrimonii, qui est prolis procreatio. Cessante vero periculo abortus, non esse nisi culpam venialem, docet *D. Th. in 4. d. 31. in exposit. text., & D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 4.* Huic vero opinioni necessario refragari debent ii, qui affirmant exerceri posse absque omni peccato, etsi prolis procreatio non intendatur, dummodo alter honestus finis, qualis e. g. est vitare fornicationem, intendatur: *Salmant. tr. 9. c. 16. p. 5. n. 78.* & alii apud ipsos.

R. III. Actus conjugii tempore menstrui, vel puerperii exercitus ratione immunditiæ, & indecentiæ non videtur culpa vacare: *Salmant. num. 76., Leander disputat. 25. q. 22.* aliique apud ipsos. Quidam autem docuerunt esse peccatum mortale, propter grave damnum lepræ, quam patitur proles, si mulier eo tempore concipiat. At communiter hæc opinio rejicitur, quia difficile est eo tempore mulierem concipere, vel si concipiat, prolem lepra infectam orituram. Solum apparet peccatum mortale in actu conjugali exercito paulo post partum ob grave periculum sanitatis uxoris. Secluso præfato periculo, aliqui volunt neque intercedere culpam venialem, si conjugium in casibus præfatis exerceatur; neque etenim illis satis probari videtur eam materialem immunditiam esse contra Dei legem: *Anton. a Sp. S. tr. 11. disp. 9. sect. 2. n. 602.*

In præfatis autem casibus saltem ut plurimum licebit alteri conjugi reddere, ut magis explicabo quæsito sequenti, & docent *S. Th. in 3. d. 31. q. 1. art. 2. q. 2. & 3., D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 5.*

Q. IV. Quando non liceat petere ratione modi innaturalis, quamvis alteri reddere liceat.

R. Certe non licet petere sine gravi culpa exercendo copulam cum periculo effundendi semen extra vas; nam tunc impediretur generatio, seu exerceretur actus contra naturam. Item certum est non posse absque gravi culpa etiam solum inchoate exerceri actum conjugalem extra vas naturale, ut dixi *tract. 12. cap. ult. quæst. 3.* Quæsitum ergo præsens est de petitione debiti exercendi quidem in vase naturali, sed modo innaturali v. g. stando &c., cum modus naturalis exercendi actum conjugalem sit, quod vir sit incubus, & mulier succuba. Utique igitur conjuges nullatenus peccarent, quando, interveniente justa causa modo præfato actum conjugii exercerent, puta ob cavendum periculum abortus, vel ob corporis dispositionem, qua minus sint apti ad exercendam copulam. Dum vero nulla intercedat causa exercendi actum conjugalem modo innaturali, semper aderit aliqua culpa; intervenit enim moralis difformitas non observando modum a natura institutum. Quia tamen hoc leve est, ideo communiter dicitur non excedere culpam venialem: *S. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 20. §. 3.* Monet autem hic Sanctus uxores, ut quantum fieri potest, viros ab ita congrediendo divertant; & si hoc fieri non possit, & timeant verbera, vel aliud malum, tandem consentiant.

Q. V. Quando non liceat copula Conjugatis ratione affinitatis, seu cognationis spiritualis.

R. I. Si Vir peccet cum Consanguinea Uxoris in primo, vel secundo gradu, eo quod fiat suæ Uxori affinis, non potest amplius petere debitum: *c. de eo, qui cogn. cons. uxor. suæ*; unde si petat, quia petit copulam incestuosam, graviter peccat: *D. Th. in 4. d. 34. art. 5.*

art. 5. Debet tamen reddere, quia ipsius delictum officere non debet Conjugi innocenti; *cap. discretionem ibidem*.

Quod si uterque Conjux ex copulis habitis cum consanguineis alterius, facti sint ad invicem affines, neutri licet aut petere, aut reddere; quia uterque in pœnam delicti privatur juri suo; *cap. discretionem de eo, qui cogn. &c.* Idem aliqui dicunt, dum Conjux commisit incestum cum consanguineo alterius, sed de consensu illius; cum etenim tunc uterque conjux sit culpabilis, videtur in nullo ipsorum remanere jus petendi, adeoque nec reddendi copulam, quæ esset incestuosa. Id tamen ab aliis non admittitur, quia cum simus in odiosis, non est sine textu expresso adstruenda hæc privatio juris petendi respectu consentientis: *Salm. tr. 9. c. 15. numer.* 15. Item si conjuges facti sint affines maliciose, animo scilicet se destaudandi debito conjugali, tunc non cessat in illis obligatio reddendi: *arg. cap. si vir de cogn. Spir.*, ubi asseritur fraudem, & malitiam nulli patrocinari debere.

Cæterum non privaretur jure petendi Vir, si peccaret cum consanguinea uxoris in tertio, vel quarto gradu; nam tunc non evaderet affinis suæ uxoris, utpote quia affinitas, quæ oritur ex copula illicita, de iure Tridentini secundum gradum non excedit, ut suo loco dictum est. Quæ dicta sunt de viro peccante cum consanguinea uxoris, eodem modo valent, si uxor peccet cum consanguineo mariti.

Ut autem ex hoc incestu oriatur privatio petendi debitum, sequentia debent verificari. Primo, quod copula cum consanguinea conjugis adeo fuerit perfecta, ut ex ea oriri potuerit affinitas, eo modo quo dixi supra *qu. 4. cap. 3. qu. 9.* Aliquibus nihilominus videtur ad incurrendam pœnam privationis petendi sat esse, si sequatur incestus per solam penetrationem vasis muliebris, quamvis ibi vir semen non effundat; nam dicunt tunc sufficienter dari incestum, cujus ratione hæc pena inducta est. Nihilominus quia versamur in pœnalibus, adeoque strictior facienda sit interpretatio, bene sustineri potest prima sententia; *Sanchez lib. 7. d. 15. num.* 20. Deinde Incestus debuit esse culpabilis, unde non privaretur jure petendi uxor vi oppressa; ubi etenim culpa non est, neque locum habet pena; *arg. cap. discretionem cit.* & communiter DD.

Tertio, ad hanc penam inducandam oportet incestum fuisse *scienter* commissum: *cap. 1. De eo, qui cognovit consang. uxor.*: ubi autem non inducitur pœna nisi ex crimine scienter commisso, sufficit etiam ignorantia crassa, & supina ad excusandum a tali pena, ex dictis: *tr. 4. qu. 1. c. 5. qu. 1. resp. 4.* unde non privaretur jure petendi vir, qui ex ignorantia etiam crassa, & supina, adeoque graviter culpabili, nesciret se cum consanguinea uxoris peccare; *Sanchez l. 9. d. 32. num. 87.* & communiter. Iste autem Doctur *sub num.* 50. vult solam ignorantiam non excusare a pena privationis juris petendi debitum. Verum juxta dicta *tract. 1. q. 2. c. 3. quæs. 3. resp.* 2. putarem ignorantiam talis penæ ab eadem incurrenda excusare; extraordinarium enim est hanc penam annexam esse tali delicto, adeoque rationi consonum videtur ab ea eximi illam ignorantem. Accedit, omnes fateri hanc opinionem esse probabilem, & proinde tuto in praxi puto amplecti posse; nam omnes dicunt in penalibus benigniora esse sequenda, & in odiosis strictiorem faciendam interpretationem.

Quarto, contra eumdem Sanchea & alios, puto non privari jure petendi debitum uxorem, quæ ex metu cadente in constantem virum consentit in copulam cum consanguineo Mariti. Quamvis igitur hæc peccet violando legem Dei, & naturæ, non est dicendum peccate contra legem Ecclesiæ, quæ non solet velle suas leges obligare cum gravi incommodo, quod de se annexum non sit illarum observantiæ: dum autem non violet legem inducentem talem penam, nec dicendum est eadem pena obstringi. Immo quamvis peccaverit peccato fornicationis, non peccavit peccato incestus, utpote quia extra gradus jure naturæ prohibitos, hoc consurgit, eo quod violetur Ecclesiæ lex interdicens copulam cum talibus consanguineis; unde si in talibus circumstantiis eadem lex non violetur, nec interveniet peccatum incestus: *Pontius l. 10. c. 87. n. 6. Bonac. q. 4. p. 2. n. 5.*

R. II. Ratione cognationis spiritualis non oritur privatio juris petendi debitum; quapropter eo non privaretur Pater, qui extra casum necessitatis proprium filium baptizaree. Quidquid igitur in oppositum statutum videatur *can. 1. can. si quis 2. can. 3. caus. 30. qu. 1.*, certum est *cap. si vir 2. de cognat. spiritual.* aperte sanciri non esse separandos conjuges, sive ex ignorantia, sive ex malitia, factos spiritualiter affines, itemque subditur: *nec alter alteri debet debitum subtrahere*; & cum indifferenter de utroque dicatur debitum reddere debere, consequens est in utroque supponi jus petandi. Addenda illa ratio reflexa, qua dicitur odia esse restringenda, adeoque in hoc casu non inducendam talem pœnam, cum de ea ex jure sufficienter non constet: *Coninch. d. 34. dub. 6. n. 69.*, & alii, quos sequuntur Salmanticenses *tr. 9. c. 15. p. 3. n. 24.*

Q. VI. Quid agendum quoad petitionam, vel redditionem debiti, dum constat de nullitate matrimonii, vel dubium adest de illius validitate; & an inducatur tale dubium, si unus testificetur de nullitate contracti matrimonii.

R. I. Si constet de matrimonii nullitare, non licet petere, vel reddere. Ratio est, quia qui redderet alteri conjugi, cui ignota esset hæc nullitas, dum ipsi constet de matrimonii nullitate, sciret se accedere ad non suam, adeoque habere copulam fornicatiam, quæ numquam licita est: *D. Th. in 4. d. 27. q. 1. art. 2. q. 4.* Hinc *cap. Inquisit. de sent. excomm.* dicitur de tali conjuge, debere *potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale*.

R. II. Quoad dubitantem de valore matrimonii, diversimode discurrendum est. Si unus tantum Conjugum dubitet de valore matrimonii bona fide contracti, ante adhibitas sufficientes diligentias, si ex eis fructus speretur, non potest petere, sed tantum reddere debitum. Non potest, inquam, petere quia, sicut nemo jus habet utendi aliqua re tamquam sua, si dubium illi superveniat, an vere illa res sua sit, antequam faciat sufficientes diligentias ad dubium superandum, ita dubitans de valore matrimonii non poterit petendo velle uti altero conjuge tamquam suo. Bene tamen reddere poterit alteri non dubitanti; hoc etenim non est velle uti eodem conjuge tamquam suo, sed obedire alteri habenti jus certum ad petendum, quo expoliari non potest propter suas rationes incertas de nullitate, matrimonii: hæ etenim cedere debent juri certo: *cap. Dominus de secund. nupt.*, *& cap. Inquisitionis §. fin. de sent. excom.* Si vero uterque conjux dubitet de valore matrimonii, neutri, antequam adhibeant sufficientem diligentiam ad deponendum dubium, licebit petere, aut reddere. Non utique petere ex dictis immediate ante; sed neque reddere, quia cum uterque dubitet, nemo habet jus certum petendi; adeoque non potest se exponere periculo fornicandi.

Postquam vero adhibitæ sunt sufficientes diligentiæ, observandum quod si dubitans adinveniat rationem probabilem, qua assentiatur nullitati, non vero rationem probabilem, qua assentiri possit valori Matrimonii, tunc petere non potest; nam habet quidem rationem qua nullitati sui matrimonii assentiatur, non autem, qua validitati assentiatur. Bene autem, ex dictis paulo ante, potest reddere alteri conjugi non dubitanti: *S. Th. in 4. d. 31. q. unic. art. 5. q. 1. ad 3. Sanch. de Matrim. l. 2. d. 43. n. 3. Bonac. q. 4. p. 4. a n. 4.* Si vero post adhibitam sufficientem diligentiam pro neutra parta videat habere rationes probabiles, vel pro utraque parte habere rationes probabiles, pro validitate nempe & invaliditate, tunc qui remanet in tali dubio potest petere, & reddere, illud ponendo, ea ratione quod melior sit conditio possidentis. Item ipsius ignorantia reputanda est invincibilis, utpota quæ adhibitis diligentiis vinci non potest: *Sanch. d. 41. n. 46.*, *Bonac. n. 5.*, *Anton. a Sp. S. disp. 9. n. 634.*

Si vero matrimonium ab initio mala fide, cum dubio nempe impedimenti, ab utroque contractum sit, poterunt reddere, & petere, quoties adhibendo diligentiam adinvenit rationem vere probabilem pro tali dubio deponendo: *Enriq. lib. 11. cap. 11. num. 5.* At supposito talem rationem non adinvenire, neuter potest petere, quia neutri favet possessio, utpote qui inceperunt mala fide possidere; sicut & neuter potest reddere, in tantum enim reddere possent, in quantum redderent habenti jus petendi. Ex hoc autem sequitur eum, qui mala fide contraxit, nempe cum dubio, reddera debere alte-

alteri, si absque dubio contraxerit; quia iste habet jus certum ad usum matrimonii, quamdiu de ipsius nullitate non constet: *c. Dominus de secund. nupt.*, *Sanch. cit. n.2.*, *Bonac. cit. n.10.*

R. III. Ad dubitandum de nullitate matrimonii, non satis est, si unus conjugum dicat ab initio non consensisse, cum verosimilius sit modo mentiri, quam dum contraxit matrimonium: *c. per tuas de probat.* Secus esset, si aliud suaderent circumstantiæ; ut si id assereret in periculo mortis; si ex conscientiæ angustiis, maxime si adderet juramentum, & paratus esset iterum matrimonium revalidare &c: *Sanch. l.2. d.45. n.3. Bonac. q.4. p.4. n.19.* Item non habetur prudens ratio dubitandi ex dicto personarum, quæ fidem non mereantur, vel ex fama proveniente ab incerto Auctore; iis enim imprudenter crederetur: *Sanch. l.2. d.45. n.29. Bonac. n.20.* Demum dictum unius etiam fide digni, & jurantis, non inducit necessitatem, ut post contractum matrimonium illi credatur, maxime in proprium præjudicium: *c. a nobis de test. & attestat.* & idem dicas de fama publica ab uno Authore derivante: *Sanch. n.25. Bonac. cit.* Dum vero agitur de matrimonio contrahendo, dictum unius fide digni dat motivum prudens ultra non procedendi, antequam fiat sufficiens diligentia ad veritatem investigandam.

Q. VII. Quid agendum quoad redditionem, & petitionem debiti, si Conjuges habeant votum castitatis vel ingrediendi Religionem.

R. I. Si aliquis emisit votum castitatis vel ante matrimonium, vel post contractum matrimonium, antequam obtineat dispensationem nullatenus potest petere, quia juxta hanc partem potest votum observare. Ubi etiam observandum ante consummationem Matrimonii non teneri ingredi Religionem, ut ibi plene possit votum observare; nam ultraquamquod ejus votum non fuerit de ingrediendo Religionem, neque censetur se voluisse obligare ad illud plene servandum medio magis arduo, quam sit observantia castitatis: *Extrav. Antiqua Joan. 22.* Sat proinde est, si non petat, & peccati commissi pœniteat, si post votum contraxit matrimonium. Cæterum reddere tenetur conjugi petenti, quoties is jus habeat petendi, nam nunc obligationem habet reddendi. Ratio autem est, quia obligatio reddendi debitum est rigorosæ justitiæ, cum oriatur ex mutua corporum traditione, unde vincit obligationem voti, quæ oritur ex simplici promissione; atque ita qui vovit reddere tenetur: *cap. quidem cap. placet de convers. conjug.* Dixi tamen, petens jus habeat petendi, quod jus non habet in primo bimestri, vel si factus fuerit alteri affinis &c., unde tunc qui vovit non teneretur reddere, quia nihil esset quod illum cogeret ad non observandum perfecte suum votum: addo quod si uxor, quæ vovit castitatem; non posset petere dispensationem, & interim non reddendo intra primum bimestre se exponeret gravi odio Mariti &c., tunc reddere posset: nam rebus valde notabiliter variatis obligatio voti non subsistit.

Si vero unus conjugum post contractum matrimonium emiserit votum de consensu alterius, & iste consentiendo voluerit cedere juri suo, tunc qui vovit non posset petere, ut patet, sed nec etiam reddere, quia alter renuntiaverit juri petendi. Si autem huic juri non intellexerit renuntiare, sed solum permittere alteri, ut faciat quod voluerit, tunc huic petenti reddendum est; jus enim habet petendi. Eodem modo discurrendum, si ambo conjuges mutuo consensu voverint castitatem, si etenim intellexerunt sibi ad invicem remittere obligationem reddendi, neutri licet vel petere, vel reddere. Dum vero non intellexerint etiam juri petendi renunciare, reddendum esset petenti, dum ab hoc diverti non posset, quia jus petendi non amisit. Ad eum modum quo tenetur reddere suam pecuniam Domino, quamvis iste vovisset numquam a me petere: *Salmant. tract.9. c.25. p.2. n.19.* Si vero contrarium non constet, puto conjuges mutuo consensu voventes sibi ad invicem remittere obligationem reddendi, & colligitur *ex can. manifestam, & can. de eo. 33. q.5.*

R. II. Qui emisit votum Religionis, ultraquamquod contrahere non possit matrimonium, peccat etiam illud consumando ad instantiam alterius petentis. Ratio est, quia iste ratione emissi voti tenetur se non reddere impotentem ad ingrediendam Religionem; impotens autem ad id se redderet, quoties etiam solum reddendo matrimonium consummaret. Consummato autem matrimonio posset petere, & reddere, quia iis de se non obstat votum religionis: *Sanch. l.9. de Matrim. d.33. a n.14.*, *Pellizar. tr.8. c.3. sect.2. n.267.*

Q. VIII. Quæ obligatio sit reddendi debitum conjugale, dum petens illicite petit ex parte personæ.

R. Tunc dicitur debitum conjugale solum illicite peti ex parte personæ, quando actus de se nil continet pravum, sed solum fit illicitus ex circumstantia personæ, puta quia habet votum castitatis, vel quia ex copula habita cum consanguinea Conjugis facta est illi affinis &c. In hoc igitur casu distinguendum est, & dicendum primo, quod si illicite petens habet jus petendi, alter tenetur reddere. Exemplificatur in eo, qui peteret debitum conjugale post emissum votum castitatis. Hic utique illicite petit, at quia per votum solum respectu Dei obligatur ad continentiam, consequens est non amisisse jus petendi ex matrimonio acquisitum. Huic igitur petenti alter conjux, si fraterna correctione non possit illum divertere, debet reddere; nam ex una parte exercet actum licitum, & ex alia, dum in uno perseverer jus petendi, correspondet tali juri obligatio reddendi respectu alterius conjugis: *Bonac. q.4. de Matrim. p.3. n.3.*

Si vero petens non habeat jus petendi, vel quia adulteratus est, vel quia factus est affinis ex copula cum consanguinea alterius conjugis, tunc certum est alterum non habere obligationem reddendi, immo nec deberet, si & ipse factus esset affinis, vel haberet votum castitatis, ex dictis quæsito septimo. Supposito autem non habere ista impedimenta quoad reddendum, difficultas est, an possit reddere non habenti jus petendi, dum illicite petit. Cum igitur *c. discretionem de eo, qui cognov. consang. uxor. suæ* innocens jure petendi non privetur, videtur a fortiori dicendum posse reddere. Hæc opinio utique est communior, at non puto contrariam sua probabilitate carere; accedere etenim e. gr. animo reddendi ad Conjugem incestuosum, videtur esse quædam cooperatio ipsius iniquæ actioni. Nec satis, meo videri, id excusatur, dicendo posse permitti alterius peccatum, ne conjux reddens habeat gravamen se privandi jure reddendi. Ratio est, quia semper cum iste habeat jus petendi, nullum vel fere nullum gravamen est se privare jure reddendi, quando etenim conjux incestuosus petit, poterit & ipse petere, & ita ad ipsum accedere non animo reddendi; seu utendi petitione debiti.

Illud autem certum est posse accedere ad conjugem animo reddendi, quoties iste non illicite peteret, quamvis non haberet jus petendi, adeoque non corresponderet in altero obligatio reddendi. Ita potest conjux reddere adultero petenti, quamvis non teneatur. Quod si & ipsa adulterata esset, teneretur etiam reddere; nam tunc delicta compensantur: *cap. penult. & fin. de adulter.*, adeoque uterque conjux idem jus habent, ac si non peccassent. Item quamvis nulla sit obligatio, reddi potest viro petenti in amentia, & in ebrietate; immo daretur obligatio reddendi, quoties periculum esset vel quod ad alteram accederet, vel quod semen effunderet.

Q. IX. Quid dicendum de obligatione reddendi, quando petens illicite petit ex parte actus.

R. Tunc illicite petitur ex parte actus, quando ipse actus conjugalis esset peccaminosus; ut si quis peteret cum periculo abortus &c. In hoc igitur casu non licet petere, nec reddere: & ratio est, quia cum actus ab utroque exerceatur, uterque facit actum de se graviter culpabilem, quod numquam licitum est. Si vero intercederet solum culpa venialis videtur aliquibus excusanda e. g. uxor, si ad vitandum aliquod incommodum reddat, adeoque, ut dixi supra *quæs.4.* vult S. Antoninus uxorem tamdem reddere debere marito petenti modo innaturali, dum tamen solum venialiter peccet: *Salmant. tr.9. c.16. p.5. nu. 20.*, *Sanch. &c.*

Ego autem puto neque reddere debere, quamvis solum adsit culpa venialis ex parte actus. Et ratio est, quia actus est venialiter malus prout ab utroque conjuge exercetur, ut si sine justa causa more pecudum congrediantur; nemo autem in nullo casu tenetur ad faciendum actum, quamvis de sua natura solum venialiter malum. Præterea excusatur quis a cooperando alterius peccato, dum id faciat ad vitandum suum damnum, sive ad utendum jure suo, dum tamen ipsius actio de sua natura mala non sit. In præsenti autem suppono actum ex parte utriusque esse saltem venialiter malum: *Bonac. hic q.4. p.3. n.9.*

Ex

Ex dictis supra sequitur non licere petere, aut reddere cum periculo abortus. Item si ex modo, congrediendi sit periculum seminandi extra vaa. Item si copula habeatur cum gravi detrimento salutis, nam nemo est Dominus suæ vitæ. Immo nec reddi potest cum gravi præjudicio valetudinis petentis; nam unusquisque etiam cum suo incommodo tenetur impedire, ne alter se ponat in grave vitæ discrimen. Quod si hoc discrimen esset ex parte reddentis, solum posset reddere ex motivo virtutis, e. g. ut impediret pollutionem in petente, vel ut non accederet ad non suam. Vide quæ dixi *tr. 14. q. unic. c. 1. quæs. 3. & 4.* Hinc excusatur a peccato uxor, si petat, vel reddat, quando experta est non posse parere sine gravi vitæ periculo, id enim potest facere ad vitandum periculum incontinentiæ vel in se, vel in Conjuge: *Sanch. l. 7. d. 102. nu. 9.* Ex dictis numquam etiam licitum erit vel reddere, vel petere in loco publico.

Quoad copulam vero habendam in loco sacro primo observandum est solum excusandam esse ratione necessitatis; omnes enim gravem apprehendunt irreverentiam in hoc, quod conjuges sine necessitate in Ecclesia copulentur. Insuper jura sine ulla distinctione inter copulam conjugalem, aut fornicariam asserunt violari Ecclesiam per humani seminis effusionem: *cap. unic. de consecr. Eccl. in 6., can. Ecclesiis de consecr. d. 1.* Ubi autem necessitas adsit, nec apprehenditur intervenire loci Sacri irreverentia, nec vigere prohibitionem Ecclesiæ; ultraquamquod enim ipsius præcepta non obligent cum gravi incommodo, non potest præsumi potius velle e. g. conjugum incontinentiam, quam in Ecclesia copulari. Semper dum igitur urgeat grave incontinentiæ periculum, licitum erit conjugibus in Ecclesia copulari, dummodo occulte fiat, & non possint extra ipsam exire. Deinde si conjuges diu manere debeant in Ecclesia, puta per viginti dies, aut mensem, ab aliquibus ab ipso initio reputantur non ligari prohibitione coeundi, quia non videtur Ecclesia velle ad hoc obligare Conjugea diu mansuros in loco sacro: *Sanch. l. 9. d. 15. num. 12., Less. de specieb. luxur. l. 4. cap. 3. d. 12. num. 85.*

Porro pro loco sacro, in quo de se non liceat Conjugibus petere, aut reddere, intelligitur solum Ecclesia consecrata, aut benedicta, quidquid nempe intra hæc loca continetur, non vero quod extra ipsa est. Pariter ad hunc effectum intelligitur sacer ille locus, qui authoritate Episcopi est deputatus ad Divina Officia persolvenda, vel ad sepulturam fidelium. Horum solummodo reverentiæ locorum adversatur humani sanguinis, seu seminis effusio, ut dixi *tract. 18. quæst. 2. c. 4. quæs. 4.*, unde in iis solummodo noo licet actum conjugalem exercere: *Sanch. cit., Pontius lib. 10.*

Q. X. An opus conjugii dicendum sit culpabile ex parte actus, si Maritus nolit seminare, vel si se polluat extra vas, adeoque non liceat uxori reddere.

R. I. Certum est per se numquam licere a copula incœpta desistere, quoties periculum esset effundendi semen extra vas, ut de se patet. Item dicendum videtur, uno conjuge dissentiente, non licere alteri post incœptam copulam desistere a seminando, tum quia unusquisque conjux jus habet, ut copula perficiatur, tum ne desistendo ponatur in periculo incontinentiæ. An nihilominus reddendum sit volenti desistere, conjuge repugnante, patebit ex sequenti responsione: Item noo potest vir desistere a seminando postquam uxor seminavit; quia tunc frustraretur semen fœmineum. Illi etiam, qui putant semen fœmineum necessarium esse ad generationem, consequenter asserunt non posse desistere a seminando postquam vir seminavit, ne generatio impediatur. Sed & quia non desunt asserentes semen fœmineum ad generationem non necessarium, ideo saltem a mortali excusant fœminam non seminantem, etsi vir seminaverit; *c. 10. Sanch. l. 9. d. 17.*

Demum dum conjuges absque seminando mutuo consensu desistunt a copula incœpta absque periculo pollutionis, videtur contra aliquos dicendum saltem non peccare mortaliter. Ratio est, quia reduci potest ad tactum impudicum, qui, remoto periculo pollutionis, inter conjuges non pertingit ad peccatum mortale. Vel dicendum quod sicut Conjugibus licita est copula perfecta, ita ejus tantummodo inchoatio: *D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 6., Pontius lib. 10. c. 11. num. 9., Sanch. l. 9. disp. 19. num. 3.*

R. II. Si vir post incœptam copulam se retrahat, & seminet extra vas, non proinde impeditur fœmina a petendo, vel reddendo, quoties illi grave sit se continere. Ratio est, quia ex dictis in Tractatu de Charitate *q. 3. c. 6. quæs. 4.*, nemo tenetur cum suo gravi incommodo abstinere ab actione per se licita, & ad quam jus habet, quamvis alter in ea ex propria malitia peccet; tunc enim peccatum non intelligitur volitum, sed permissum: *Pont. l. 10. c. 11. a. 8., Tamb. l. 7. in Decal. c. 3. §. 5. num. 4.*

Hic autem obiter advertas per accidens permitti aliquando posse seminis effusionem fieri extra vas desistendo ab incœpta copula, puta si superveniret hostis, si adverteretur periculum gravis morbi antea non prævisum &c. Ratio est, quia in similibus casibus non esset volita effusio seminis extra vas, sed solum ex rationabili causa permissa. Idem puto contra aliquos dicendum, si aliquis superveniret, qui deberet videre conjuges actu copulam exercentes; nam ad removendum alterius periculum, licite permitti videtur seminis effusio: *Sanch. l. 9. d. 20. num. 6., Anton. a Sp. S. disp. 9. sect. 4. num. 610.*

Alia vide *tr. 14. q. un. c. 7. quæs. 9.*

Q. IX. Quia possit dispensare super impedimento debitum petendi.

R. I. Certum est Episcopum posse dispensare super dicto impedimento, quoties removere possit votum, a quo oritur. Insuper videtur habere talem facultatem, etsi proveniat a voto perpetuæ & perfectæ castitatis emisso ante matrimonium; quamvis enim de hac facultate ex jure non constet, dicendum est eam obtineri ab Episcopis ratione consuetudinis. Præterea ut plurimum illam haberent ratione urgentis necessitatis: *Sanch. lib. 8. de matr. d. 12. na. 4.* & alii apud ipsum. Si vero votum castitatis emissum sit post contractum matrimonium, cum tunc non possit dici perfectæ castitatis, quia vovens saltem reddere tenetur, certe Episcopus poterit dispensare super impedimento petendi, quod ex eo oritur: *Gobath. in Theol. experim. tract. 10. n. 630.* Excipe nisi unus Conjugum ante consummatum matrimonium una cum voto castitatis votum Religionis emisisset; nam tunc tale votum omne robur habet, & potest exacte observari. Item excipiendus casus, quo uterque conjux per modum mutui contractus, aut reciprocæ conventionis votum castitatis emiserint; nam tunc ut dixi *quæs. 7.* reputantur se invicem liberare ab obligatione reddendi; unde nil deest tali voto, ut sit perfectum, & absolutum, a quo proinde Episcopus non valeat dispensare: *Sanch. l. 9. d. 37. a. 10. arg. can. quod Deo 33. q. 5.* Eo ipso autem quod non possit a voto dispensare, nec potest velle ipsum non obligare quoad aliquem partialem effectum, & proinde removere impedimentum petendi debitum conjugale: *Sanch. lib. 8. d. 11. n. 19.* Accedit nullam dari in hoc casu consuetudinem, qua Episcopus possit dispensare, sicut datur quoad dispensandum super impedimento petendi debitum respectu illius, qui ante matrimonium emisit votum perpetuæ castitatis.

R. II. Sicut ratione consuetudinis potest Episcopus dispensare super impedimento petendi debitum respectu illius, qui ratione voti castitatis impeditur, eadem ratione potest dispensare cum eo, qui impeditur ob affinitatem, de quo impedimento dictum est supra quæs. 5.: *Sanch. l. 8. d. 12. n. 13.* & communiter.

R. III. Regulares dispensare possunt super impedimento debitum petendi. Et quidem si impedimentum ratione voti castitatis oriatur, poterunt super eo Regulares dispensare, utpote qui habent eamdem potestatem ac Episcopi quoad vota dispensanda; ut ex variis privilegiis passim docent DD. & inter illos *Sanchez l. 4. Moral. c. 43. n. 2.* Cum ergo Episcopus possit aliquando totaliter, aliquando partialiter tollere obligationem voti castitatis impedientis petitionem debiti, prout supra dictum est, idem facere poterunt Regulares. Item possunt dispensare super eodem impedimento, quatenus oritur ex incestu cum consanguinea conjugis; & id tum ratione consuetudinis, quæ dat jurisdictionem: *cap. Duo simul de Offic. Ordin.*; tum ratione diversorum privilegiorum, de quibus passim apud Authores. Immo non desunt Authores, qui doceant non esse necessarium pro usu talis facultatis, ut Confessarii Regulares sint ad hoc specialiter a suis Superioribus deputati: *Anton. a Sp. S. in Direct. Regul. p. 1. tr. 2. d. 1. sect. 2. §. 3. n. 112. Dian. p. 5. tract. 13. resol. 46.*

Regulæ in praxi observandæ.

I. Meminisse debet Confessarius illius doctrinæ, qua dicitur quod dum monitio non est profutura, vel quod dum ex ea gravia scandala sint oritura, & aliunde pœnitens non habeat ignorantiam graviter culpabilem, idem Confessarius desistere debet a monitione facienda. Hinc merito inferunt Theologi non esse in talibus circumstantiis detegendam nullitatem matrimonii, seu conjuges non posse nec reddere, nec petere. Idem dicas, si Confessarius videat Conjugem privatum esse jure petendi, & tamen prudenter timeat non cessaturum a petitione, etsi de tali privatione moneatur.

Idem observare debet, dum exercere actum conjugalem est venialiter malum, vel ratione finis, vel ratione temporis, vel ratione modi illum exercendi. In praxi videmus difficillime regulas perfectæ honestatis, & temperantiæ a Conjugatis servari; vel quia æstus libidinis ad omnes venereæ delectationis modos impellat; vel quia ille, qui intra omnes modestiæ limites se contineret, ab altero conjuge ibi sistere non permittitur. Dum ergo bona fide excuset, non facilis sit Confessarius in detegenda malitia actus, maxime si venialis sit; & multo magis si non desint Authores, qui omni vacare culpa affirment.

II. Advertat Confessarius, ne uxores sub specie pietatis, vel alio motivo, alienas se ostendant a reddendo debitis Maritis; ex hoc etenim non raro illis permolestæ redduntur, ac occasionem præbent ad alias divertendi. Quod debitum est, etiam libenter est persolvendum; nec tristi vultu cum socio comedendum; ajebat in præsenti materia S. Franciscus Salesius *in introductione Vitæ Devotæ 3. p. c. 39.* E contra monendi sunt Mariti, ne proprias uxores fastidire demonstrent, & veluti coacte cum illis conjugium exercere. Id præbet etiam ipsis non levem occasionem alios amore impudico prosequendi. Accedit Conjugatos reddere debere, quoties unus ex eis virtualiter petit, & cum hoc pacto petere intelligatur, dum potest esse in periculo incontinentiæ, consequens est Maritum posse, non raro teneri ad reddendum suæ uxori, quamvis non petenti. Certum est quod si illam fastidire demonstret, & fere numquam petendo ad ipsam accedat, non facile ab eo uxor debitum exposcet conjugale; at interim, maxime si juvenis sit, & non valde pietatis exercitiis addicta; prudenter timendum sæpe in periculo incontinentiæ versaturam.

III. Non facilis sit Confessarius in suadendo votum castitatis conjugatis; nam id gravissimum erit uxori, si ipsa semper petere debeat, dum id facere non possit Maritus. Maritus etiam ægre feret numquam ab uxore debitum expostulari. Quod si ambo mutuo consensu velint vovere castitatem, & sibi invicem etiam obligationem reddendi remittere, nec in hoc concedendo facilis debet esse Confessarius, nisi utriusque conjugis jam a multo tempore virtutem probaverit; & ex profectu de virtute in virtutem prudenter judicare possit emittendum votum fideliter servaturos. Non ergo adnuere debet statim ac tale desiderium ipsi proponunt; & quamvis initio conversionis, vel susceptæ vitæ spiritualis videantur omnia propter Deum supergressuri. Heu quam facile tepescere, vel etiam frigescere non raro apparet, quæ magna videbatur Charitas; & qui excellentiorem perfectionem videbantur appetere, ad dimissa vitia redire! Cautus proinde semper sit Confessarius, & a Patre luminum semper novam lucem enixe expostulet, qua pro se, ac Animabus, quarum ductor est, qualis sit vera Æternæ salutis via possit dignoscere.

CONSTANTINI

RONCAGLIA

CONGREGATIONIS MATRIS DEI

CONSILIORUM MORALIUM

LIBER SINGULARIS.



VENETIIS, MDCCLX.

TYPIS FRANCISCI PITTERI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



CONSILIA MORALIA

CONSILIUM I.

ARGUMENTUM.

Consideratur quale dominium competere possit Usurario accessionis usurariæ, maxime si quæ habuit a Mutuatariis cum propriis miscuerit rebus; ac proinde an possit pro libito accessione usuraria suis Creditoribus solvere. Insuper ad examen revocantur, quam obligationem habeant restituendi ii, qui habuerunt ab Usurario, quæ ipse obtinuit a Mutuatariis.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Exponuntur diversæ difficultates examinandæ.*
3 *Usurarius non fit Dominus accessionis usurariæ.*
4 *Non potest præsumere sibi esse donata, quæ habuit a Mutuatariis.*
5 *Per mixtionem rei habitæ a Mutuatario cum propriis non acquirit illius dominium privativa a Mutuatario.*
6 *Saltem ex toto cumulo ipsi ante alios satisfaciendam est.*
7 *Quæ sint res, quæ functionem accipiunt, & quæ non.*
8 *Qui habuit ab Usurario res, quæ functionem non accipiunt, tenetur eas restituere Mutuatario.*
9 *Res habitæ ab Usurario, si functionem accipiant, non est necesse restituere Mutuatario, qui eas tradidit.*
10 *Illi essent restituendæ si extarent, quoties Usurarius eas distrahendo factus esset impotens ad restitutionem.*

1 UIDAM Usurarius plura injuste acquisivit; ex his autem aliqua adhuc extabant apud eumdem, aliqua apud alias personas, quibus tradidit ipse Usurarius, quia demum ex justo Dei judicio, post plurima injuste acquisita, pecuniam injuste partam deperdidit, & propria etiam bona fere in totum coactus est ad solvendum æs alienum distrahere, inquisivit a me quid demum facere deberet ut propriæ consuleret conscientiæ.

2 Ego autem primo gratias egi Misericordi Deo, qui usurarium ad inopiam reducendo, ipsum veluti coegit propria peccata deserere; atque utinam dixi, aliquando saperent & intelligerent perditissimi hi homines, & agnoscerent injuste aliena acquirendo, ultra æternæ pœnæ reatum, in pœnam tanti sceleris etiam propriarum rerum jactutam subituros. Nihilominus ne hominem ad desperationem adigerem, sequentia ab ipso præstanda dixi, si volebat propriæ consulere conscientiæ.

Descendendo igitur ad elucidanda ea, quæ necesse erat ad examen revocare, ut fieret satis petitionibus Usurarii, resolvendæ erant sequentes difficultates. Primo, an factus esset Dominus lucri usurarii, qua ratione aliqui dicebant posse ante alios Mutuatarios solvere Viro potenti minis instanti pro solutione sui crediti. Secundo, an saltem factus esset Dominus alicujus quantitatis frumenti, ex vi puri mutui (quamvis usuram titulo fictæ emptionis bonum palliasset,) habiti a Rusticis, eo quod cum proprio miscuerat; adeoque an saltem ex hoc capite potuisset ante Rusticos Mutuatarios præfato solvere. Tertio, an Nurus Usurarii acquisierit dominium cujusdam torquis aurei & panni serici, quæ Usurarius habuerat a Mutuatariis; & an Filius Usurarii potuerit retinere quamdam quantitatem frumenti & olei, quam pariter Usurarius habuerat a Mutuatariis, & dederat suo filio divisim a Patre cum Conjuge habitanti.

Ad primam autem difficultatem respondendum judicavi ex communiori & vera sententia Usurarium non acquirere dominium usurariæ accessionis. Id autem manifestissime constat ex jure, quo sancitur ex nuda traditione rerum dominium non transferantur: *leg. numquam 31. ff. de acquir. rer. dom. reg. tradit. ib. §. Per traditionem Instit. de rer. divis.* Deinde si dominium transferetur, id fieret vel ex vi ipsius contractus mutui, vel ex contractu liberali, puta donatione. Utique vero non transfertur vi ipsius contractus mutui, cum omnes leges repugnent cuicumque traditioni factæ ex vi mutui. Præterea ut consurgat vetus titulus transferendi rei traditæ dominium, necesse est consurgere ex vi justi contractus, injustissime autem ex vi mutui aliquid supra sortem exigitur, cum hoc jure naturali, divino, & humano vetitum sit. 3

Præterea non transfertur dominium usurarum in Usurarium ratione liberalis donationis factæ a mutuatario: nam, ultraquamquod hæc non præsumatur, constat usuras solvi ex necessitate, ut nempe mutuum obtineatur, vel ne deinde mutuatarius videatur non stare promissis, aut ne a potente Usurario iniquis litibus, aliisque vexationibus torqueatur. Deinde quis non videat quod si in his contractibus præsumenda esset liberalis donatio, non consurgeret in Usurario obligatio restitutionis, ni forte Judex donationem infringeret? Quis autem hoc dicit? Quæ jura volunt expectandam a Judice donationis rescissionem, antequam Usurarius obligationem habeat restituendi? Accadit omnes concedere, quod si mutuatarius det Usurario rem, quæ functionem non accipiat, iste debet illam in individuu restituere, non ergo Mutuatarius se privavit talium rerum dominio. Demum si Mutuatarius dedit Usurario agrum, iste tenetur & agrum & fructus ex eo perceptos restituere, & hoc non alia ratione, nisi quia, ut ait D.Th.2.2.*q.87.art.3.* res Domino fructificat adeoque mutuatario, & non usurario, qui agri dominium non acquisivit: *Sot. de just. art.3. Rebell. l.8. q.14. Azor.3. p.l.5. c.11. Bonac. de contr. d.39. p.14. n.1.* aliique quos dedi, *tr.14. q.3. c.6. quæst.1.* Remanet ergo, generaliter loquendo, Usurarium ex rebus vi mutui acceptis, non posse ante mutuatarios solvere Viro potenti instanti pro solutione, cum constet neminem posse ex rebus alienis solvere, quæ ipse aliis dare tenetur. 4

Quoad secundam difficultatem, an nempe dici posset 5

set translatum dominium frumenti, quod accepit Usurarius a Mutuatariis, eo quod ipsum cum proprio miscuerit, videtur fortasse affirmative respondendum; per mixtionem etenim cum rebus Usurarii accessio usuraria, maxime si minor sit, fieri ipsius Usurarii videtur: *§. Quod si frumentum Instit. de rer. divis. & l. 2. §. 1. ff. si certum pet. l. si alieni nummi ff. de solut. l. nam & si fur ff. & si certum petat. l. si frumentum ff. de rer. vindicat.*

6 Histamen non obstantibus, mihi considerandum videbatur, quod licet jus videatur concedere usurario dominium totius cumuli tritici, nihilominus non habet facultatem illud distrahendi cum præjudicio mutuatarii. Observare igitur est, quod etsi tunc solum videatur transferri dominium rei, cujus facta est mixtio, quando hæc facta fuerit de communi utriusque consensu: *§. 27. Instit de rer. divis.* nihilominus etiamsi mixtio non fiat ex communi consensu, adhuc dici popotest in Domino rei mixtæ perseverare ejusdem rei dominium. Dum igitur mixtio fiet communi duorum consensu, dominium erit apud utrumque ratione voluntatis amborum consentientium in mixtionem. Dum vero mixtio fiat ab uno sine consensu alterius, iste cumulative cum altero retinebit dominium totius acervi tritici, eo quod in eo etiam res sua contineatur. Hinc jus concedit domino rei mixtæ, ut ex acervo detrahere possit quantum rei propriæ mixtum fuit *e leg. idem Pompon. 6. ff. de re jud.* sicut etiam nemo dicet quod si usurarius distraxisset quantum proprii frumenti erat in illo acervo, non posset dominus mixti frumenti propria authoritate sumere tamquam proprium quod superesset. Ex his autem dignoscitur adhuc cumulative cum altero dominium totius acervi possidere. *Passerin. in c. quamquam 2. de usur. in 6. n. 23.* Illud saltem videtur esse extra controversiam, quod dominus rei mixtæ, etsi mixtio facta fuerit absq; ipsius consensu, jus habeat ut ante alios sibi ex illo cumulo restituatur frumentum, quod suum erat, utpote qui præ aliis habet jus, ut ex illo acervo vel propria authoritate, vel implorato Judicis Officio suum extrahat frumentum. Videnda quæ dixi *tr. 14. q. 3. c. 6.*

Ex præjactis autem fundamentis respondendum duxi, quod si frumentum usurarii non sufficiens erat ad solvendum Viro potenti pro solutione etiam minus instanti, non poterat usurarius solvere cum frumento, quod miscuit Mutuatarii. Quidquid ergo foret, an iste Vir potens esset pro suo credito aliis præferendus, vel an talem prælationem obtinuerit pro diligentia in exigendo suum creditum, qua de re *leg. qui autem §. Sciendum ff. quæ in fraud. Creditor, & l. inter eas ff. de re judic.* in casu nostro non erat certe illi satisfaciendum ex frumento a Rusticis tradito usurario; nam ipsius, quamvis mixti cum frumento usurarii, vel cumulative cum eo retinebant dominium, vel jus habebant, ut ex eo ante alios illi satisfieret.

7 Ut cognosceretur demum quæ obligatio esset restituendi ea, quæ Nurus, & Filius acceperant ab usurario, distinguendum fuit inter ea, quæ functionem accipiunt, & inter ea, quæ non accipiunt functionem. Illæ res dicuntur functionem accipere, itaut nempe una vice alterius fungi possit, quæ usu consumuntur, ut sunt pecunia, frumentum, oleum &c. & ratio est, quia cum soleant esse ejusdem bonitatis, qualitatis, & valoris in ordine ad communem usum, bene potest una loco alterius substitui. E contra res mobiles, quæ usu non consumuntur, functionem non accipiunt; res etenim mobiles usu non consumptibiles dispares esse solent in valore: *leg. 2. §. Mutui ff. si certum petat* & suffragatur S. Th. 2. 2. *q. 78. art. 3.*

8 Quoad istas res, quæ functionem non accipiunt, cum constet usurarium non posse illas nec titulo lucrativo, nec oneroso valide distrahere, semper remanere Mutuatarii, consequens est, quod sicut iste habet actionem, ut a quocumque eas sibi vendicet, ita restituendæ sint ab iis, qui habuerunt ab usurario, utpote quia nemo potest sine injustitia retinere quod alienum esse cognoscit. Et hoc etiam verum putarem, etsi usurarius posset alteram rem ejusdem speciei & bonitatis loco illius, quam distrahit, subrogare, quotiescumque Mutuatarius vel ex peculiari affectu ad rem propriam, vel ex aliquo motivo esset rationaliter invitus, nec vellet loco rei suæ alienam recipere.

Ex his compertum omnino est torquem, aureum, & pannum sericum fuisse omnino restituenda Mutuatario a Nuru, quæ ea ab usurario acceperit.

Quoad vero res, quæ functionem accipiunt, frumentum nempe & oleum, quorum pars adhuc extabat apud illos, qui acceperunt ab usurario, ita judicandum duxi: Si dum usurarius hujusmodi a Mutuatariis accepta aliis tradidit, non se reddidit impotentem ad restituendum Mutuatario frumentum & oleum ejusdem valoris & bonitatis, tunc cum valide, & licite in alios distraxerit quæ accepit a Mutuatariis, hi, qui hujusmodi acceperunt, non tenentur restituere. Dixi valide & licite hæc ab usurario fuisse distracta; cum etenim jura concedant, in iis quæ functionem accipiunt non esse obligationem reddendi eamdem numero rem, quam quis a Domino accepit, sed satis esse aliam ejusdem bonitatis & valoris restituere, consequens est nullam injuriam fecisse Usurarium Mutuatario, quoties distrahendo frumentum ab eo habitum, adhuc potens erat aliud ejusdem bonitatis restituere. Hinc autem constat eos, qui ab eo frumentum acceperunt, dominium ejusdem acquisivisse, & per consequens respectu illorum cessat omnis restituendi obligatio. Ita communis Theologorum sententia. 9

Si vero usurarius jam ita vergeret ad inopiam, 10
ut distrahendo frumentum &c. habitum a Mutuatariis, impotens factus fuerit ad aliud ejusdem valoris & bonitatis restituendum, jam invalide & illicite illud distraxit. Et ratio est, quia tunc jura quoad res, quæ functionem accipiunt, permittunt rem, quæ alterius erat, alienare, quando altera ejusdem speciei & bonitatis potest loco illius ab Alienante subrogari. Hinc *l. rogasti §. ult ff. de reb credit. l. nam & si, l. si & me & Titium eod. tit.* habetur hujusmodi res distractas a Servo remanere sub dominio illius cujus erant, utpote quia servus, fures & alii hujusmodi farinæ homines non solent habere, quomodo Domino satisfaciant aliis rebus ejusdem valoris, & bonitatis. In hoc igitur casu dixi eos, qui habuerunt ab usurario frumentum, oleum &c. debuisse illud restituere mutuatariis, quia ipsorum dominium nec habuit usurarius, nec potuit valide distrahere. Quoad partem vero, quæ consumpserant, dixi restituere debere prout facti fuissent ditiores, ex notis regulis de possessore bonæ fidei &c.

CONSILIUM II.

ARGUMENTUM.

Agitur de præscriptione, vi cujus aliquis possit se eximere ab obligatione majorem Missarum numerum celebrandi, vel qua inducatur obligatio celebrandi plures Missas, quam præscripserit Testator.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Dum a tempore immemorabili major, vel minor Missarum numerus celebretur: ita prosequendum est.*
3 *Potest vi præscriptionis minor Missarum numerus celebrari.*
4 *Hujusmodi præscriptio debuit esse saltem quadragenaria.*
5 *Hæres possessoris malæ fidei non potest præscribere.*
6 *Id tamen intelligendum quoad præscriptionem ordinariam, non vero quoad præscriptionem longissimi temporis, dum sit in bona fide.*
7 *Per lapsum temporis immemorabilis eximitur hæres ab obligatione faciendi celebrare omnes Missas, quas videtur præscripsisse Testator.*
8 *Pro præscribendis iis, quæ præstanda sunt singulis annis, tot requiruntur præscriptiones, quot anni.*
9 *Pro præscribendis iis, quæ præstanda sunt singulis annis, observandum est quot transferint præscriptiones.*
10 *Videtur posse præscribi adversus Capellanum obligatio celebrandi majorem numerum Missarum, quam præscripserit Testator.*
11 *Opinio negativa sustinetur a pluribus DD.*
12 *Sed alia & alia ratione.*
13 *Successor in Capellania obligari non potest ad majorem numerum Missarum, quam Testator præscri-*

pserit,

pserit, quamvis talis numerus præscriptus fuisset adversus Antecessorem.

1 Titius credens suum Antecessorem solummodo reliquisse obligationem faciendi Missas ter in hebdomada celebrare, ita per multos annos continuavit; ac cum postea casu ipsius legisset Testamentum, invenit quater singulis hebdomadibus ex ipsius præscripto fuisse celebrandum. Quæsivit proinde ad quid teneretur respectu Missarum omissarum, & quid in posterum præstandum esset.

E contra fui quandoque a Cajo interrogatus, an Hæres posset obligare Capellanum, cum ipse contulit Capellaniam, ad celebrandum quotidie, ut ab Antecessore factum fuerat, cum postea modernus Capellanus reperiisset ipsius Fundatorem solum obligasse ad quater celebrandum in singulis hebdomadibus, ac in festis BB. Virginis.

2 Ut satisfacerem primæ parti casus propositi, plura erant explicanda, ut ad ipsius resolutionem breviori manu descenderem; at quia in ipsius expositione omissa fuere, oportuit multa distinguere. Primo ergo dicebam, quod si transierat tempus immemoriale, quo ante modernum Capellanum solummodo ter in hebdomada fuerat celebratum, tunc extra controversiam judicari potuisset plene satisfactum esse oneribus Capellaniæ. Quamvis igitur admittatur contra tempus immemoriale prævalere posse probationem vitiosi initii, qua de re *Engel. in Man. p. 3. c. 1. §. 2. a n. 7.* nihilominus ubi concludenter non appareat vel defectu privilegii, vel alia ratione initium vitiosum fuisse, ex tempore immemoriali nascitur præsumptio juris, quod ex justo titulo fiat aliquid, vel omittatur: *leg. hoc jure §. Ductus aquæ ff. de aq. quotid. Laym. l. 3. tr. 1. c. 8. a n. 14. Mol. d. 75. n. 8. Pirh. l. 3. tit. 4. n. 4.* & dixi *tr. 13. q. 1. cap. 4. quæs. 5.* Hinc in præsenti casu ratione temporis immemorialis dici posset celebratum fuisse ex justa causa minorem numerum Missarum ac præscripserit Testator; vel quia e. g. legitima authoritate ad talem numerum fuerint reductæ, vel quia ita reduxerit Testator in antiquo Codicillo, vel privata Scriptura, quamvis hujus reductionis modo non extet memoria.

3 Secundo, dicebam quod etsi non transisset tempus immemoriale, potuerat, generaliter loquendo, præscribi numerus Missarum sive ex parte Capellani, qui eas debebat celebrare, sive ex parte illius, ad quem pertinebat eas facere celebrare. Id autem probatur, quia obligatio ad aliquid agendum pro alio, & libertas ab obligatione, sunt ex iis, quæ præscriptione inducuntur, vel extinguuntur; unde si omnia, quæ necessaria sunt ad legitimam præscriptionem ex parte præfatorum subsistebant, potuerunt præscribere contra obligationem celebrandi, vel faciendi celebrare majorem numerum Missarum. Supposita autem bona fide, cum qua debuit incipere possessio non celebrandi, difficultas solum est quoad tempus necessarium ad hujusmodi præscriptionem.

4 In hoc vero omnino adhærendum videtur iis, qui volunt hujusmodi præscriptionem regulandam esse secundum leges præscriptionis contra Ecclesiam, quæ tam de Jur. Civ. *Auth. quas rationes C. de SS. Eccl.* quam Canonico: *c. de quarta, c. ad aures, c. illud de præscr. & cap. 1. de præscr. in 6.*, quadraginta annorum spatium requirit. Ratio est, quia qui agit ad minuendum numerum Missarum, agit ad minuendum cultum Divinum, & Ecclesiarum, quem constat ex majori Missarum numero derivare; cum autem Ecclesiæ sit sustinere, quæ ad Divinum cultum, & particularium Ecclesiarum pertinet, consequens est contra Ecclesiæ jus procedere, qui ad numerum Missarum minuendum agit, adeoque tale jus nonnisi quadragenaria præscriptione infringi, vel minui: *Passer. de Stat. Hom. qu. 187. n. 1102.*

5 Opponebatur quod si ageretur de obligatione, quam hæres haberet ob dispositionem testamentariam sui Avi, non valeret contra ipsam præscribere, utpote quia supponi non potest Patrem omisisse bona fide facere celebrare Missas præscriptas, cum supponi non possit ignorasse, quæ suus respective Pater in Testamento disposuerat. Stante autem mala fide Authoris, eadem transire videtur in hæredem tam primum, quam ulteriorem, ut communiter docent Canonistæ *in cap. si diligenti de præscript.*, atque ipsorum opinionem, ut veriorem, firmat Rota *d. 373. a n. 12. p. 9. recent.* Supposito autem vel de facto hæredem esse in mala fide, vel in eadem fictione juris reputandum, semper verum est non posse contra suam obligationem præscribere, utpote quia præscriptio cum mala fide non currit.

6 Verum, ut bene discurrit *Card. de Luc. de Cred. disc. 131. a n. 16.* præfata doctrina non est sine distinctione admittenda. Si igitur agatur de hærede, qui velit præscribere ex solo jure sui Authoris, qui erat in mala fide, vel de hærede, qui ipse sit in mala fide, tunc utique verum est non illi suffragari præscriptionem vel etiam longissimi temporis, quia ubi supponatur mala fides, omnino corruit præscriptio, juxta *c. fin. de præscr.* Dum vero agatur de hærede, sive primo, sive ulteriore, qui bona fide possederit, vel egerit ad extinguendam aliquam obligationem, atque, ut ita dicam, jure proprio tendat ad aliquid præscribendum, tunc omnino dicendum illi suffragari præscriptionem longissimi temporis, juxta textum *in l. omnes, & l. sicut C. de præscr. 30. vel 40. annor.* Neque huic juris civilis dispositioni obstat Jus Canonicum, ex quo in præscriptione longissimi temporis obstare malam fidem veram, non vero tantum præsumptam, probat de Luca loc. cit. *n. 22.*, etiam ex traditis ab ipsa Rota *d. 280. n. 10. p. 6. recent.* & alibi. Et ratio est, quia Jus Canonicum omnino removere intendit præscriptionem in peccato fundatam, non vero præscriptionem, in qua vere non sit, sed solum mala fides præsumatur. Vide quæ dixi *tr. 13. q. 1. cap. 4. quæs. 6. resp. 4.* Verum tamen est non posse hæredem pro præscribendo computare tempus sui Authoris, utpote qui supponitur fuisse in mala fide, sed illi solum suffragatur tempus, quo ipse bona fide cessavit a faciendo celebrare Missas a Testatore præscriptas.

Ut vero explicem ad quid modo teneatur hæres, 7
qui bona fide lapsu plurimorum annorum, non quater, sed ter in hebdomada fecit celebrare, procedendum est cum distinctione. Si hæres, de quo agitur, non fuerit vel primus, vel secundus, sed ulterior, adeo ut tempus immemoriale 100. e. g. annorum transierit, absque eo quod celebratum fuerit quater in hebdomada, tunc ita prosequi potest; lapsus etenim hujusmodi temporis facit præsumere justum titulum, ut ita fieri potuerit, ac possit, & proinde quod ex justo titulo extincta fuerit obligatio Missas in tali numero celebrandi.

Dum vero e. g. transierint quadraginta quinque an- 8
ni, in quibus hæres bona fide non fecerit celebrare quater in hebdomada, tunc in posterum debet curare ut hujusmodi Missarum numerus celebretur, & iterum Missam semel in hebdomada relictam, exceptis quinque primis annis. Ratio est, quia hoc est discrimen inter illud, quod semel præstandum est, & illud, quod singulis annis, quod primum totaliter extinguitur lapso tempore ad præscriptionem requisito: quoad ea vero, quæ singulis annis præstanda sunt, non sufficit unica præscriptio, sed tot requiruntur anni, quot sunt præscriptiones: *Bordon. de legat. c. 16. n. 67. De Luca de Cred. disc. 3. n. 8. disc. 131. n. 14. & de Hæred. disc. 33. num. 13.* ex firmatis etiam *a Rota decis. 373. part. 9. recent.*

Supposito ergo singulis annis requiri singulas præscri- 9
ptiones, ac insuper in præsenti casu ad præscribendum exigi annos quadraginta, non cessabit obligatio solvendi quoad illud, quod de minus solutum est spatio quadraginta annorum pro celebratione Missarum; quoad hæc enim non datur præscriptio, cum non elapsi fuerint quadraginta anni sine solutione. Anno vero quadragesimo primo præscribitur, quod primo anno de minus solutum est, cum quoad hoc elapsi fuerint quadraginta anni a die cessationis solutionis, & ita successive prosequendo singulis annis post tempus lapsum acquiritur una præstatio non facta tempore anteriori. Concludendum proinde est Hæredem de quo in præsenti casu, debere curare ut celebrentur Missæ per integros 40. annos omissæ, atque in posterum quotannis facere eas celebrare juxta numerum a Testatore præscriptum; cum etenim, ut dictum est, quæ debentur singulis annis præstationes, non præscribuntur ni illis singulæ correspondeant præscriptiones, consequens est spectare subsequentium annorum, in quibus ex cessatione bonæ fidei currere non possunt novæ præscriptiones, vigere obligationem quoad numerum Missarum a Testatore præscriptarum. Quod dictum est de hærede, applica Capellano, qui bona fide singulis annis

omiserit aliquas Missas, quas celebrare tenebatur.

10 Descendendo modo ad alteram partem casus, quoad eam divisos Authores reperio. Aliqui igitur volunt esse contra Capellanum majorem Missarum numerum præscribi, itaut teneatur in majori numero celebrare, quam præscripserit Fundator, ea scilicet ratione, quod si sentire potest commodum præscribendi, ut in minori numero celebret, debet & sentire incommodum, ut vi præscri-

11 ptionis teneatur in majori numero celebrare. Alii vero omnino negant, quia ex jure actus gestus per errorem non nocet erranti; *leg. si per errarem ff. de jurisd. omn. Judic.*, itemque consuetudo a particulari inducta persona nullam inducit obligationem, sed solum si a majori, vel saniori Communitatis parte inducatur: *Bord. de legat. cap.* 16. n. 82. Addit Tamburinus *l. 3. cap. 7. §. 1. num. 6.* in præsenti casu non habere locum præscriptionem, quia servitus, quæ debetur a persona, non cadit sub præscriptione, *ex leg. final. C. de long. temp. præscrip.* Hac vero ratione non probat Pasqualigus *qu.* 1195. sed incedendo alia via dicit, ideo non dari præscriptionem, qua Capellanus teneatur celebrare majorem Missarum numerum, quia non datur præscriptio in incorporabilibus, nisi aliquis sit, qui quasi possideat. Nemo autem videtur esse qui quasi possideat Capellanum debere plures Missas celebrare, quam ex vi fundationis teneretur; neque enim quasi possident Hæredes Fundatoris, cum nescirent, an celebratæ fuerint plures Missæ, quam esset obligatio, neque videtur quasi possidere ipsa Ecclesia, in qua fuerunt celebratæ; si etenim ipsi Ecclesiæ addicta est celebratio, ipsa sustinet onus faciendi eas celebrare per suos Ministros, & tunc non potest contra seipsam possidere. Si vero celebratio alicui Ecclesiæ non erat addicta, jam erat in mera facultate celebrantis ibi, vel alibi celebrandi; unde Ecclesia in qua Missæ fuerunt celebratæ, non quasi possidet Sacerdotem eas debuisse celebrare, neque enim currit præscriptio contra actus facultativos.

12 At Pasqualigo non consentit Passerinus *de Stat. Hom. qu.* 187. *a. 4. n.* 1106., & putat Fundatorem, seu hæredem quasi possidere majorem numerum Missarum, quem ex errore Ecclesia vel Capellanus celebravit, cum etiam errans & nesciens quasi possideat, si de facto possideat, & habeat aliquod bonum. Item putat Ecclesiam Congregationem nempe Fidelium, quasi possidere illum majorem numerum Missarum, ex quo resultat major Dei cultus, & commoditas Missas audiendi. At quamvis ego inter hæc DD. dissidia primæ adhæsissem opinioni, propter rationem a Tamb. adductam, nihilominus relinquendo legenti libertatem eligendi, quam opinionem maluerit, alia via me expedire ab hac decisione arbitratus sum.

13 Cum igitur ageretur de moderno Capellano, qui statim ac obtinuit Capellaniam, adinvenit non teneri ad celebrationem Missarum in tanto numero ac Antecessor celebraverit, omnino credo non posse ab Hærede obligari ad celebrandum præfatum num. Missarum, Rat. est, quia quamvis præscriptio potuerit habera locum contra Antecessorem, hæc tamen non præjudicat Successori; nam in annuis præstationibus tot præscriptiones requiruntur, quot sunt personæ, quæ debent subire annuam obligationem: *Mansi cons.* 391. *n.* 31.

14 Dum igitur agatur de eo, qui aliquid possidet non ex proprio jure, & ex propria persona, sed ratione juris obtenti a suo Antecessore, utique ad præscribendum contra eum computari potest tempus decursum contra suum Antecessorem, utpote quia non habet diversum jus, ac Antecessor haberet. At dum quis aliquid obtinet ex jure proprio, ac propria persona, nemo potest contra illum aliquid præscribere ratione temporis contra Antecessorem decursi, sed oportet contra novum ipsius jus novam currere legitimi temporis præscriptionem: *Rota p. 15. recent. decis.* 183. *a n.* 13. Cum igitur in casu nostro agatur de novo Capellano, qui supposita hæredi præsentatione, & Ordinarii Institutione, jure proprio, & ex propria persona obtinet Capellaniam, non valet contra eum præscriptio, quæ currere potuerit contra Antecessorem, adeoque injustissime adigeretur ad celebrandas omnes Missas, quas Antecessor celebraverit. Addendum quod dum aliqui vocati fuerunt aliquid possidendum solum post mortem Antecessoris, sicut non valent agere ante ipsius mortem, ita nec contra eos currit præscriptio, nisi a tempore, quo fuerunt ad aliquid possidendum vocati, utpote quia tempore Antecessoris nulla est Successori negligentia imputabilis: *Rota part. 5. recent. dec.* 558. Hic &c.

CONSILIUM III.

ARGUMENTUM.

Examinatur obligatio Capellani non valentis ob suam paupertatem facere celebrare Missas præscriptas a Fundatore Capellaniæ canonice erectæ.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*

2 *Habens aliquam obligationem potest saltem differre illius adimplementum, quoties illi satisfaciendo non habeat unde vivat, vel debeat contra decentiam sui status mendicare &c.*

3 *Capellanus facit suos fructus Capellaniæ ratione tituli canonice obtenti.*

4 *Sacerdos, qui ex eleemosyna manuali tenetur celebrare, non facit eamdem suam, si non celebret, secus qui obtinet Beneficium respectu fructuum ipsius.*

5 *Beneficiatus habens ex Beneficio fructus correspondentes celebrationi Missarum, non potest agere ab ipsius reductionem, bene vero vel differre vel omittere, ratione necessitatis.*

6 *Ratione ejusdem necessitatis potest amittere ob præsumptam licentiam Fundatoris.*

7 *In quibusdam circumstantiis relicta pro Missis celebrandis converti possunt in pauperum eleemosynam.*

8 *Aliquando eleemosyna magis Deo grata est, quam celebratio Missarum.*

9 *Non potest præsumi Fundatorem voluisse obligare Capellanum Consanguineum ad mendicandum, ut satisfaciat oneribus ab ipso injunctis.*

10 *Bene satisfit voluntati Testatorum per media æquipollentia, immo recedi ab ipsa potest, dum eligitur medium magis conducens ad finem ab ipsa intentum.*

N. N. in suo Testamento voluit fundandam Capellam in sua Parocia, quam Capellam instituit hæredem universalem, concedendo tamen sua bona in perpetuam emphyteusim quibusdam de sua cognatione. Item voluit in electione Capellani cæteris semper præferendum, si quis esset de eadem cognatione, concedendo ipsi, & non aliis, qui non essent de tali cognatione, ut posset super fructus Capellaniæ ad titulum patrimonii ordinari. Imposita autem Capellano obligatione unius Missæ in singulis hebdomadibus, & alterius in quacumque die festa, voluit taxari ab Ordinario quid Capellano tribuendum sit ab Emphyteutis: Ordinarius autem solum assignavit scuta circiter 30. eidem Capellano.

Cum autem hujusmodi taxa non sufficiens sit pro sustentatione moderni Capellani, ab aliquo tempore habitualiter infirmi, & ex bonis paternis parum vel nihil recipere valentis, quæsivit, an possit differre, vel etiam omittere Missarum celebrationem, usque dum, si Deus valetudinem restituat, possit per seipsum celebrare, cum modo sit Clericus viginti annor.

Si bene perpendantur causæ, ex quibus potest quis cessare ab aliqua re solvenda, vel adimplenda, utique constabit talem Capellanum non habere obligationem faciendi celebrare Missas injunctas a Testatore. Et quidem omnes conveniunt hæredem, cui imposita sit a Testatore obligatio alicujus oneris adimplendi, v. gr. faciendi celebrare tot Missas, excusari ad adimplenda simili obligatione, quoties eam satisfaciendo non haberet unde viveret. Et ratio primo est, quia tunc qui imposuit obligationem, non censetur voluisse in talibus circumstantiis ad executionem mandari; & quando alia fuisset illius mens, utique irrationabiliter satisfactionem injuncti oneris exegisset. Præterea de jure naturæ est, ut quisque ex rebus propriis prius se sustentet, & deinde, si potest, oneribus sibi injunctis satisfaciat. Permittunt etiam Theologi illi hæredi non solvere, quoties ob solvendum teneretur artem sibi indecentem exercere, ut esset ars manualis respectu Viri Nobilis; adeoque multo magis

exi-

eximunt illum a mendicando, ut ita ex his, quæ habuit a Testatore, injuncta opera adimpleat. Ita DD. communiter, dum agunt de causis excusantibus a restitutione.

3 Quod autem dictum est de præfato hærede, omnino militat in casu nostro. Cum igitur Capellania, quam possidet Capellanus, de quo in casu, habeat veram rationem simplicis Beneficii, utpote fundata Episcopi authoritate, neque Capellanus sit amovibilis, competit eidem Capellano, non minus quam hæredi, percipere fructus ad ipsam pertinentes, eo quod quodcumque Beneficium necessario importet perpetuum jus fructus exigendi ex bonis Ecclesiasticis. Supposito autem istos fructus ob titulum Capellaniæ ad Capellanum pertinere, cessabit obligatio satisfaciendi obligationi Missarum impositæ a Testatore, quoties adsit causa rationabilis vel non satisfaciendi, vel differendi satisfactionem, inter quas causas certe recensenda paupertas Capellani, qui non habeat unde se alat, ut de se patet. Præterea non tenetur, immo non debet mendicare, ut ita ex fructibus Capellaniæ possit facere Missas celebrare; ad hoc enim removendum vult Trid. *sess. 21. cap. 2. de reform.* ut unusquisque Ordinandus habeat vel ex Beneficio, vel ex pensione, vel ex patrimonio, unde sufficienter valeat sustentari.

4 Non militat igitur in casu nostro illa paritas, qua dicitur accipientem stipendium pro Missa celebranda, illud non facere suum, nisi Missam celebret. Hoc utique verum est, quia dans stipendium non intelligit fieri Sacerdotis, nisi adimpleta conditione celebrationis. At Capellanus in casu nostro facit suos fructus Capellaniæ ex vi tituli ejusdem Capellaniæ legitime obtenti; & solum vult se eximere ab onere sibi imposito faciendi Missas celebrare, ex ea justa causa, quod ita insumendo fructus Capellaniæ, non habet aliunde unde possit etiam miserrime se sustentare.

5 Neque etiam in casu nostro urget quod aliqui dixerunt, non esse locum ad minuendas, vel omittendas Missas a Testatore injunctas, quia ex fructibus Capellæ abundanter percipit Capellanus duos julios pro qualibet Missa, imposita a Testatore: Hæc igitur transmittendo, dico non esse in præsenti sub lite, an detur locus reductioni, vel omissioni Missarum, quia non adsint fructus sufficienter correspondentes Missis præscriptis Capellano a Testatore. Sed quæstio est, an cum Capellanus non adhuc possit celebrare per seipsum, possit differre, vel omittere celebrationem Missarum, quia faciendo illas celebrare, non habet quomodo etiam ægre se sustentet; & juxta hanc considerationem neminem credo futurum, qui non concederet Capellano posse celebrationem Missarum vel differre, vel omittere.

6 At etiam absolute concedenda, videtur Capellano Missarum omissio. Ratio est, quia, dum probabiliter præsumi potest Testatorem remisaurum esse a se impositam obligationem, potest ille, cui imposita est, ab ea cessare, cum in talibus circumstantiis non intelligatur illi fieri injuria; & ita rationabilis præsumpta remissio Creditoris liberat debitorem a solutione: *Palaus de Just. disp. 1. p. 16. §. 5. num. 5. Less. lib. 2. cap. 10. n. 48. Bonac. d. 1. qu. ult. p. 2. num. 8.* In casu autem nostro talis rationabilis Præsumptio sufficienter daretur ex sola paupertate Capellani, non valentis per se celebrare, & non habentis quomodo se sustentet, si per alios faciat celebrare; neque etenim credere tunc est Fundatorem voluisse in tali casu cogere Capellanum ad mendicandum, ut ipsius satisfaceret voluntati: *Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 3. nu. 7. Amosta z. de Caus. piis*
7 *lib 3. cap. 6. nu. 31.* Quod si sola paupertas dat sufficiens fundamentum Theologis credendi nullam injuriam fieri Fundatori si Capellanus insumat redditus Capellaniæ pro sua necessaria sustentatione, omissa Missarum celebratione, id multo magis verificabitur in casu præsenti, in quo, ultra paupertatem Capellani, habemus Testatorem voluisse Capellanos de Familia a se designata potuisse ordinari supra reditus Capellaniæ ad titulum patrimonii, adeoque ex eis percipere suam sustentationem. Præterea tales Capellani pertinent ad suam cognationem, ratione cujus bene præsumi posse condonationem alicujus obligationis, quando motivum urgentius aliud non suadeat, communiter docent DD.

8 Demum cum Capellanus in tali necessitate suscipere debeat fructus Capellaniæ veluti eleemosynas sibi tributas a Fundatore in suffragium animæ suæ, ut notat Amostazus loco citato, non videtur incongruum hoc opus celebrationi Missarum subrogare. Verum igitur est per se, & communiter loquendo; celebrationem Missæ esse quid præstantius ipsa eleemosyna; at stante gravi proximi necessitate, & maxime consanguineorum, quibus præ aliis vult charitas esse succurrendum, bene eleemosyna potest reddi opus Deo magis gratum. Audiatur Sotus *in 4. dist. 45. qu. 2. art. 2.*, ubi hæc habet: *Quoniam dictam est Sacrificium Missæ omnium suffragiorum esse potissimum, admonito hic opus est: quod quamquam id verissimum sit ex objecto eu genere suo, quia Christus illic offertur; nihilominus ratione necessitatis pauperum, quos nobis Christus tantopere commendavit: pauperes semper habebitis vobiscum: potest eleemosyna quandoque esse Deo gratior, & acceptior in satisfactionem pro Defunctis, quam longa Missarum celebratio. Absit, ut quis negaverit Missas in primis esse pro Defunctis offerendas. Veruntamen postquam aliquo numero pro ratione qualitatis personæ offeruntur, melius est largissimas eleemosynas in pauperes profundere, quam centenas, & millenas Missas accumulare. Necessitas etenim pauperum, etiam corporalis, efficere potest, ut verum sit tunc etiam verbum Christi: Misericordiam volo, non Sacrificium. Et divites jussit ut de mammona iniquitatis amicos pauperes sibi conciliarent, qui eos reciperent in æterna Tabernacula. At in die Judicii non aliam rationem mittendi alios in Vitam Æternam, atque alios excludendi commemorat, quam, quia esurivi, & dedistis mihi manducare. Nam quod uni, inquit, ex minimis meis fecistis.* Consonat Raynaud Heterocl. Spir. *sect. 3. par. 3. q. 2.*

Stante ergo gravi Capellani necessitate, additaque qualitate consanguinitatis Capellani respectu Fundatoris Capellæ, nullatenus judicandum fieri contra ipsius voluntatem, omissa celebratione Missarum, substituere eleemosynam, quæ ex dictis, in præsentibus circumstantiis esset Deo gratior, quam Missarum celebratio; unde bene dici potest hic voluntatem Testatoris per media æquipollentia adimpleri, ut concedunt leges: *leg. certum ff. si certum petatur, l. servus ff. de v. obl.* cum etiam laudabile sit media a Testatore præscripta omittere, quoties aliud magis conducens ad finem ab ipso intentum, nempe ad præstandam rem Deo gratam, eligatur: *Rota car. Seraph. dec. 589. n. 9. & 11.* Eo maxime, quia subrogando eleemosynam loco Sacrificii, adhuc suffragatur anima Testatoris. Quapropter &c. 9

CONSILIUM V.

ARGUMENTUM.

Sermo est de quadam obligatione, qua quis promisera in suo Testamento, hæredem obligare ad revelandum indemnem solventem quamdam pecuniæ summam; & demonstratur hujusmodi qualemcumque obligationem semper fuisse revocabilem,

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Quæcumque dispositio testamentaria de sua natura semper est revocabilis.*
3 *Obligatio de sua natura revocabilis semper licite revocari potest, etsi exinde alicui damnum sequatur.*
4 *Ad revocandam donationem sufficit illius pænituisse.*
5 *Vir, qui una cum uxore faceret testamentum in communem utriusque utilitatem, ea defuncta, potest illud revocare.*
6 *Promissio respicit rem faciendam, non vero rem factam.*
7 *Ex eo quod fecit vir doctus, interpretari potest quando voluerit se obligare.*

CAjus putans non esse extra quæstionem, an ipse quamdam pecuniæ summam teneretur solvere Sempronio, qui eam expostulabat, inquirit a Titio utriusque Consanguineo, an si solvisset talem summam Sempronio, ipse postea restituisset eidem Cajo. Titius ita respondit Cajo prout sequitur: *Nolens ego ullam ex has rerum*

inter vos litem oriri, jam cogitavi quomodo hanc possim impedire. Poteris igitur pecuniam, a Sempronio expostulatam, solvere, eam quippe a meo hærede omnino recipies. Et revera Titius in Testamento, quod jam fecerat, Hæredem ad eam summam Cajo erogandam gravaverat. At quia voluntas hominis est ambulatoria, post aliquod tempus, priore revocato Testamento, novum condidit, ac in eo disposuit, quod si Hæres ab eo institutus aliunde jure non tenebatur ad solvendam pecuniam, quam Cajus erogaverat Sempronio, non amplius haberet locum quod in priori disposuerat Testamento. Hoc stante.

Cajus post mortem Titii intendit obtinere ab ipsius Hærede pecuniam ab ipso traditam Sempronio; dicebat etenim ratione responsionis sibi traditæ, Titium contraxisse realem obligationem eamdem pecuniam solvendi. Interrogatus proinde fui, an Hæres, in quem transeunt omnes reales obligationes Testatoris, teneretur revera solvere Cajo, quam ab eo exigebat pecuniam.

2 Omnino autem negative respondendum credidi, ea ductus ratione quod Hæres majorem non potuit habere obligationem, quam habuerit Testator; hunc autem nullam contraxisse obligationem restituendi Cajo, quod solverat Sempronio, credendum fuit. Ratio est, quia dum dixit se *jam cogitasse quomodo impedire deberet lites suborituras, ac Cajum accepturum a suo Hærede quod solvisset Sempronio*; idem fuit ac dicere se in suo Testamento gravasse hæredem (uti de facto fecerat) ad eamdem pecuniam solvendam Cajo. Quod autem vi Testamenti dispositum est, semper est non solum valide, sed etiam licite, dum non adsit juramentum de eo non revocando, revocabile; semper enim testamentum posse revocari volunt Jura: *cap. cum Martha de celebr. Missar. can. ultima voluntas 15. q.2. l. 4. ff. de alim. legat.*, illudque nulla ratione reddi debere irrevocabile: *leg. cum duobus §. Idem respondit ff. pro socio*, & communiter Canonistæ, & Theologi. Si ergo Titius Testator potuit valide, & licite revocare quod in favorem Caji in suo primo Testamento disposuerat, consequens est nullam obligationem in suum Hæredem transmissam fuisse.

Conquerebatur Cajus ex vi responsionis habitæ a Titio, damnum passum fuisse, quia nempe non solvisset eam pecuniæ summam, quam expostulabat Sempronius, nisi a Titio restituendam credidisset: qui autem alterum damnificavit, tenetur damnum causatum compensare.

3 Verum observare est quamcumque obligationem, quam potuerit contrahere Titius, semper intelligendam juxta naturam actus, & secundum quod de tali actu jura disponunt; si proinde ipsius quæcumque fuerit obligatio, erat de sua natura, & ex legum dispositione revocabilis, sicuti licite potuit ipsam revocare, ita frustra conquereretur, qui nimia fidens similibus obligationibus aliquod fecit, quod non fecisset, adeoque passus est damnum: neque enim debuit facile credere suum damnum compensandum ex vi obligationis valide, & licite rescindibilis. Hinc damnum, quod passus est, debet imputare suæ nimiæ credulitati, vel quia non consuluit Viros Doctos, si ipse ignorabat naturam talis obligationis. Ita frustra Donatarius conquereretur de Donante, si nimis fidens donationi sibi factæ causa mortis, aliquas fecerit expensas, quas non fecisset, adeoque damnum passus esset; nimis enim fiduciam habuisset in obligatione semper revocabili: *§. ut ex 1. Inst. de donat. l. 1. ff. de mort. caus. Don.*, & ad quam revocandam sat est Donantem donationis pœnitere: *l. mort. caus. C. de donat. caus. mort.* atque id etsi donatio fuerit acceptata: *Less. l. 2. c. 18. a 116. Pal. tract. 32. d.*
4 *a. p. 14. n. 5.* Ita pariter frustra quis conquereretur de damno sibi illato a Filio-familias, qui promisisset restituere quod mutuo acceperat, si postea posset denegare restitutionem ex vi privilegii Macedoniani, ut *ex l. 1. & per tot Cod. ad Sen. Consf. Maced.*; nam fidere non debebat promissioni favore legum revocabili. Præterea vel Cajus debebat solvere Sempronio pecuniam, quam expostulabat, vel non. Si primum, nullum damnum passus est, sed præstitit id, ad quod tenebatur. Si secundum, repetat quod solvit, & ita reparet damnum, quod passus est.

5 Semper igitur est verum, quemcumque nimis fidentem super obligationem revocabilem, sibi imputare debere, si exinde damnum patiatur. Hinc Molina, loquens de Viro, qui postquam una cum Uxore fecerat Testamentum, quo in communem utilitatem uterque de rebus propriis disposuerat, post mortem Uxoris revocavit factum Testamentum in præjudicium Animæ ejusdem Uxoris, hæc habet disp. 152 *Cum Testamentum, & quæcumque alia prædictarum dispositionum (donationis nempe causa mortis, institutionis Majoratus &c.) revocabilia sint ad nutum ea constituentium, utique etiamsi communi consensu, & de utriusque bonis aliqui simile quidpiam statuant, disponere censetur juxta naturam actus, quem efficiunt, & juxta jura, quæ eadem de re sunt; atque ideo, stante semper integrum sit cuique illorum ab ea dispositione discedere, etiamsi alius mortuus fuerit, neque quod ad se attinet, possit ab ea discedere. Qui autem id ignorat sibi imputet, eaque de re interroget; neque enim id juri alterius præjudicare debet.*

Scribentes pro Cajo rem totam paucis verbis confecerunt. Titius, ajebant, promisit Cajo solvere eam pecuniam, quam ipse solvisset Sempronio; & cum ex promissione acceptata oriatur obligatio realis adimplendi rem promissam, hinc sicut hanc realem obligationem contraxit Titius Testator, ita & ea transire potuit ad hæredem.

Verum ex parte Titii Testatoris nullam intercessisse veram promissionem solvendæ pecuniæ, quam Cajus Sempronio solvisset, omnino compertum est. Promis- 6
sio igitur ex D. Thoma 2.2. *q. 88. art. 11.* est voluntatis propositum, quo aliquis se obligat ad aliquid faciendum, vel non faciendum, unde respicit aliquid in futurum præstandum, vel non præstandum: at verba Titii fuerunt de re, quam jam fecerat, nempe se jam cogitasse, quomodo dirimerentur lites, & quomodo reciperet a suo Hærede, quod tradidisset Sempronio. Accedit quod cum esset Titius Vir Doctus, maxime
in morali facultate, non revocasset in alio Testamento 7
jam factam dispositionem, si intellexisset vere promittere; sciebat etenim acceptatam promissionem non posse nec valide, nec licite revocari. Porro dispositioni Viri docti acquiescendum notat inter alios Ursaja *discept. Eccles. tom. 6. p. 2. disp. 52. n. 121. & Rot. cor. Cels. decis.* 145 *n. 26.*

Sed demus, aliquam intercessisse promissionem: hæc non alia fuit, nisi disponendi in Testamento, quod Cajus obtineret a suo Hærede quod tradidisset Sempronio, ita etenim ex facto ipso, & verbis Titii inferebatur; unde remanet semper potuisse revocare, quod ita disposuisset, cum ad summum talis promissio irrevocabilis reddatur, si promissioni accedat juramentum, ut sentiunt Theologi apud Dianam Coordinatum *tract. 8. de Test. resol.* 102. Hinc &c.

CONSILIUM V.

ARGUMENTUM.

Obligatio imposita a Testatoribus non est adimplenda nisi juxta vires legati pro eadem relicti, etsi aliter disposuisse videantur. Insuper demonstratur nomine Orphanorum veniae etiam filios habentes Parentes inutiles.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Semper reputandum est Testatores voluisse, quod in suo Testamento præscripserant.*
3 *Non est adimplenda obligatio imposita per errorem.*
4 *Non est præsumendum Testatorem voluisse Executores, sive Legatarios adimplere ex propriis quod ipse disposuit.*
5 *Voluntas Testatoris bene interpretatur juxta regulas Charitatis, & Justitia.*
6 *Voluntas Testatorum loco legis habenda est.*
7 *Dummodo non orta fuerit ex errore.*
8 *Legatarius potest velle reductionem legati, si onus superet ipsius vires, etsi aliter substitutus offerret se integre adimplere.*
9 *Injuncta a Testatore possunt adimpleri per media æquipollentia, vel quæ magis conducant ad finem a Testatore intentum.*
10 *Legata adimplenda sunt juxta præsumptam mentem Testatoris.*

11 Or-

11 *Orphani videntur solum ii, qui orbati sunt utroque Parente, vel saltem carent Patre.*

12 *Multoties male judicant, qui ex solo cortice littræ mentem Testatorum interpretantur.*

13 *Habentes Parentes inutiles consequi possunt legata relicta pro Orphanis.*

14 *Mulieres habentes Maritos inutiles gaudent privilegiis Viduarum.*

15 *In distribuendis Legatis relictis pro Orphanis non semper necesse est præferre Orbatos Parentibus, habentibus Parentes inutiles.*

1 NN. lagavit aureos quingentos solvendos singulis annis a suo Hærede cuidam Loco Pio, si in eo reciperentur omnea pauperes Orphani, & Orphanæ Oppidi: disponendo insuper quod renuente Loco Pio omnes hujusmodi personas acceptare, distribueretur prædictum annum legatum eisdem pauperibus Orphanis in suis domibus degentibus. Ex hoc autem duplex ortum est quæsitum, unum scilicet ex parte Administratorum prædicti Loci Pii, alterum vero ex parte Hæredis. Primi igitur inquirebant, an acceptara possent tale legatum, & deinde solummodo recipera intra locum pium Orphanos, non quidem omnes, sed juxta vires Legati. Hæres vero inquirebat, ao supposito legatum non acceptari a Loco Pio, utpote oon sufficiens pro recipiendis omnibus pauperibus orphanis, posset indifferenter inter Orphanos distribuere, nulla habita respectu aliquorum majori consideratione; & an etiam filii, filiæque habentes parentes inutiles sub nomine Orphanorum posset intelligi.

2 Respondendo igitur primo quæsito, ego omnino credidi potuisse Administratores Loci Pii acceptare legatum, ac deinde Orphanos intra illud recipere solummodo juxta vires legati. Ratio est, quia numquam præsumitur Testatorem, si fatuus non sit, ea intentione aliquid legare, ut non sortiatur effectum; immo evidens omnino est verba Testatoris cum effectu esse accipienda, ut ex communi notat Fagnanus in *in c. relatum de Cle. non resid.*, & ejusdem verba etiam esse impropianda, ut effectum sortiantur, sicuti observat idem Fagnanus *in c. Pastor. nu. 13. de appellat.* Cum igitur semper ita accipienda sint verba Testatoris, ut intelligatur voluisse, quod disposuit, ad executionem mandari, supponi debet in casu præsenti Testatorem legando quingentos aureos Loco Pio pro recipiendis omnibus Orphanis, pro omnibua talis loci orphanis alendis sufficientes reputasse; credere etenim omnino debebat locum pium non acceptaturum legatum, quod futurum esset in suum gravamen. Clare proinde coastat obligationem impositam a Testatore Loco Pio omnes alendi, omnino ex errore ortam esse, quod autem gestum est per errorem, utpote involuntarium non attenditur: *leg. si per error. ff. de jurisd. omn. Judic.*

3 Hinc recte dicitur semper ita esse interpretandam mentem Testatoris ut nemo ex proprio, quod ille disposuerit, adimpleri voluerit: *Bordon. de cessat. legat.* Immo etsi aliquis promisisset Defuncto, omnia quæ disposuerit adimpleturum, ni aliter se exprimat, intelligitur adimplecturum oon ex proprio, sed si ita
4 patiatur hæreditas: *Pasqual. q. 183. nu. 3.* Ita pariter interpretanda est voluntas Testatoris, ut oon habens aliquam commoditatem ex dispositione ab ipso facta, neque incommodum ex eadam proveniens recipere debeat, adeoque onus injunctum juxta commodum ex legato derivans esse mensurandum: *Rota cor. Merl.*
5 *decis. 4.* Et quidem, si mens Testatorum justam interpretationem recipit ex regulis Charitatis: *Mantic. de Conject. ult. volunt. tit. 11. n. 5.* multo magis ex regulis justitiæ, quæ non patitur legatarium gravari ultra commodum ex legato sibi proveniens.

6 Ex duplici fundamento in contrarium Scribentes putabant nequaquam concedendum legatum Loco Pio, quoties Orphanos recipere renueret. Primo, quia voluntas Testatorum loco legis consideranda est; *c. nos quidem 3. de Testam. can. 4. caus. 13. q. 2.* adeoque, si in casu præsenti non adimplebatur in receptione omnium Orphanorum, dicendum erat esse contra voluntatam Testatoris, si Administratores Loci Pii admisissent legatum, absque eo quod omnes Orphanos alerent. Secundo dicebant Testatorem considerasse non afferre aliquod emolumentum Loco Pio, sed suffragari Orphanis in propriis domibus degentibus, si Locua Pius omnes alere renuisset, adeoque renuente Loco Pio omnes alere, dari locum, ut legatum Orphanis in propriis domibus degentibus distribueretur. At natura ex his rationibus ab antedictis descendere cogit.

Verum igitur est voluntatem Testatoris tamquam 7
Legem esse considerandam, quoties ipsius dispositio in errore non fundetur, non vero si ex errore orta sit, ut in casu præsenti omnino credi debet. Ita Hæres non tenetur integre solvere legata relicta a Testatore, quoties superent vires hæreditatis, quia præsumitur Testatorem ita ex errore legasse: *Monacell. p. 2. Formular. tit. 14. n. 33.* & apud ipsum Rota. Ita etiam communiter docent DD. Legatarium ad nihil teneri ultra vires legati, quamvis non integre adimpleatur quod disposuerat Testator, vel quia nempe, ut dixi, ex errore ita dispositum judicatur, vel quia si forte alia fuisset mens Testatoris, id non paterentur regulæ justitiæ: *De Luc. de Pens. disp. 33. n. 15.*

Semper igitur verum est posse Legatar. velle re- 8
ductionem onerum injunctorum a Testat., quando ita non patiatur legatum. Immo id verum est, etsi alter substitutus primo legatario se promptum offerret ad adimplenda quæcumque præscripserit Testator. Et ratio est, quia dum Legatarius non plene adimpleat mentem Testatoris, quia tenuitas legati ita exposcat, jam credere est vel non facere contra mentem Testatoria, vel solum illum infringere, quatenus est injusta, unde non datur locus substitutioni: *Pasqual. de Sacram. q. 131.*

Ex prædictis corruit, quod secundo loco dicebatur pro removendo legato a Loco Pio. Non erat igitur locus tali remotioni, quia non potest præsumi Testatorem voluisse omnes Orphanos recipi a Loco Pio, eos de proprio alendo, ut abunde dictum est; eo maxime quia sciebat redditus talis Loci ad alia opera pia fuisse destinatos. Neque refert Testatorem primo & principaliter Orphanos contemplasse. Sicut enim quavis Testator, primo, & per se in dispositione pii legati respiciat favorem Animæ suæ, potest ille, cui legatum relictum est, ipsius velle diminutionem, quoties onua superet vires legari; ita dicendum in casu præsenti, quamvis Testator primo, & per se contemplatus fuerit Orphanos, & voluerit a Pio Loco exequi, quod pro ipsis reliquerat.

Accedit quod si tale legatum insufficiens est pro alendis omnibus Orphanis in Loco Pio, multo magis insufficiens erit pro omnibus alendis in propriis domibus; nam quod ipsis tribueretur, deberet etiam deservire pro solvenda pensione domus, quam conducunt, sicut etiam necesse foret, quod & alii cum Orphanis commorantes, de eo quod Orphanis tribueretur, participarent: hujusmodi enim personæ simul commorantes solent esse pauperrimæ, adeoque & volune participare de eo, quod alteri cum eo commoranti traditur, & maxime si sint Consanguinei &c. Eo ipso igitur, quod ferendum sit mentem Testatoris præcipue fuisse Orphanis opitulari, cum ex legato minus subsidii accipere possint in propriis domibus, quam si in pio loco recipiantur, consequens est ita fieri posse: ultraquamquod enim quæcumque dispositio possit per
medium æquipollens ei, quod aliquis præscripserit ad 9
executionem mandari, *l. certum ff. si cert. petat.*, *l. servus ff. de verb. obligat.*, etiam laudabile est medium a Testatore relictum omittere, quoties aliud magis conducens ad finem ab ipso intentum eligatur: *Rot. cor. Seraphin. decis. 489. n. 9. & 11.*

Quod si nihilominus ob aliquam aliam causam non 10
detur locus, ut Administratores Pii Loci admittant legatum, exequendum tamen juxta ejus vires, adeoque incumbat Hæredi vel Testamentariis Executoribus illud distribuere Orphanis in propriis domibus degentibus, advertere debent non posse illud distribuere habenuo solum pro ratione propriam voluntatem, sed juxta præsumptam mentem Testatoris. Semper autem reputandum est præ aliis, cæteris paribus, respexisse orphanos consanguineos, inde orphanos magis pauperes, magis pios &c., & potius Orphanos loci, ubi obiit Testator, quam extraneos. Videantur quæ dixi *tr. 14. q. 14. c. 7. quæs. 6.* Semper autem moneo omnino abstinendum a tribuendis hujusmodi legatis illis Orphanis, qui ex ignavia, vel alio vitio nolunt sibi victum honeste comparare.

Ad ultimum vero quæsitum, si hæreamus in pura li-

tera, videretur respondendum vel non esse distribuendum legatum nisi orbatis utroque Parente, vel saltem Patre. Orphanos ergo solum dici eos, qui utroque carent Parente, videtur asseri a jure, nempe *leg. Orphanotrophos C. de Episc. & Cler.* Alii adnumerant inter Orphanos solo Patre orbatos, quia carens Patre destitutus auxilio dicitur, non vero si sola Matre, mulieres etenim ob defectum consilii parum vel nihil considerantur; *Covar. pract. c. 6. nu. 2. Gratian discept. Forens. cap. 666. Alciat. l. 1. Prætermissor. v. Orphanotrophos.* Hinc habentes Patrem, etsi inutilem, volunt non pauci exclusos a consequendis legatis pro Orphanis, quia in ipsis non videtur verificari voluntas Testatoris, quæ proprie, & meliori modo est adimplenda; *Manic. de conject. l. 3. tit. 4. n. 15. Menoch. de præsumpt. l. 6. præs. 76. n. 8. Sanc. cons. l. 4. c. 2. dub. 13. Lugo de just. disp. 24. sect. 13. n. 303.*

12 Verum numquam acquiescere potui hujusmodi opinioni; & loquendo de habentibus Parentes omnino inutiles, omnino credo capaces consequendi legatum pro Orphanis relictum. Considero ergo in quibuscumque humanis actibus, & maxime factis per ultimam voluntatem, insipientiam esse hærere in cortice verborum, cum regula recte agendi sit considerare voluntatem Testatoris, quamvis sonus verborum repugnaret, ut de se constat, & expresse habetur *in l. non aliter 67. §. 1. ff. de legat. 3.* & ex aliis juribus post alios deductis per Manticam *de conject. l. 3. tit. 3. nu. 9., & Peregr. de fideicom. art. 11. n. 6.* Sæpe etiam ita respondit Rota, præsertim *dec. 93. p. 7. recent.* & apud Dunozet *dec. 447.* & apud Ottobon. *dec. 254. in fin.* Hinc sæpe Card. de Luca ridet eos, qui sistendo in puro cortice verborum, non attendunt quid præcipue intenderit, qui aliquid disposuit, cum hoc facere debeant omnes Judicantes juxta veritatem. De hac re pluribus in locis agit, ut videre est *de Feud. disc. 44. n. 17. de Camb. disc. 24. de Dot. disc. 89. n. 10. de Alienat. dis. 11. n. 5.* & alibi.

13 Si autem consideremus quid per se & præcipue intenderint Testatores, qui aliqua legata fecerunt in favorem Orphanorum, nil aliud fuit, quam opitulari filiis & filiabus, quæ non possunt habere alimenta, vel dotem a Patre; & maxime removere hujusmodi legatis filias a periculo prostitutionis. Cum igitur quod per se & principaliter contemplati sunt hujusmodi Testatores, plene, & adamussim verificetur in habentibus Parentes inutiles nescio videre quare excludendi sint a consecutione lega-
14 torum pro Orphanis relictorum. Hinc quæ Viduis ex jure conceduntur privilegia, extenduntur ad habentes maritos inutiles, quia in ipsis verificatur motivum, unde aliqua privilegia facta sint Viduis: *Covar. pract. c. 7. n. 2. Scace. de appellat. q. 7. n. 116.* Ita jura, relicta rigorosa ratione grammaticali, putant dicendam viduam eam Ecclesiam, quæ habet Prælatum inutilem: *c. inter corporalia 2. de translat. Episc.* sicut etiam carere Syndico eam Universitatem, quæ inutilem habet.

Bene ergo & Orphani dici possunt illi Filii, qui parentes omnino inutiles habent; idem enim est ac si non haberent. Immo pejus non raro est ipsos habere, quam non habere; necessitas enim alendi parentes inutiles non solum reddit majorem filiorum, & filiarum paupertatem, sed potest esse causa, ut ex turpi lucro vivant; non raro ipsis inutilibus, sed iniquissimis Parentibus ad id impellentibus. Hujusmodi ergo Filios, & Filias non excludendas a legatis relictis pro Orphanis, inter alios docent Diana *p. 2. tr. 2. resol. 52. Jo. M. Novari de elect. For. sect. 2. q. 7. n. 3. Lara &c.*

15 Immo bene docetur, quod dum major sit ipsorum paupertas, anteponi possunt Orphanis vere Parentibus orbatis, cum tunc ipsis magis vigeat ratio, quam habuerunt Testatores aliqua Orphanis legandi, & eo opus Deo sit gratius, quo pauperiores inter contemplatos a Testatore eliguntur: *Amostaz. de caus. piis l. 1. cap. 6. n. 47.* Hac eadem ratione in distributione legati pro Consanguineis relicti, dum Testator præcipue indigentiam, non consanguinitatem respexerit, consanguineis proximioribus præferendi sunt remotiores, si pauperiores: *Guttier. cons. 26. num. 11.* Ex his igitur &c.

CONSILIUM VI.

ARGUMENTUM.

Quæ sit Obligatio Parochorum quoad opitulandum pauperibus, val habeant superflua ex fructibus Beneficii, sive ex aliis bonis, vel non habeant.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Parochi magis stricte quam alii Ecclesiastici, & Laici, tenentur ad eleemosynam.*
3 *Et id etsi nil habeant superflui ex redditibus beneficii.*
4 *Tenentur ad eleemosynam elargiendam etiam, ne Parochiani ratione paupertatis ruant in peccata.*
5 *Possunt aliis pauperibus præferre consanguineos vere pauperes.*
6 *Ex assumptione alicujus ad Beneficium Parochiale ipsius Consanguinei, non acquirunt statum altiorem, unde necesse habeant majoribus sumptibus ad se decenter sustentandum.*
7 *Parochus in valde gravi Parochiani necessitate debet aliquando superflua naturæ sibi subtrahere ad illi succurrendum.*
8 *Dum nil superflui habet ex propriis bonis debet aliquanda ab aliis inquirere, ut opituletur pauperibus Parochianis.*
9 *Debet Parochus aliquanda suadere Parochianis, ut amittendo dare eleemosynam pro Missis celebrandis, illam distribuant pauperibus.*
10 *Male agit, si dum aliud exposcunt pauperum necessitates, quod sibi quacumque ratione superest expendit in ornatum Ecclesiæ, vel in supellectilem Ecclesiæ non necessariam.*

QUidam Parochus non exiguam obmurmurandi 1
suis Parochianis occasionem præbebat, quia cum a pluribus annis curam Animarum exerceret, exiguas in pauperes eleemosynas erogaret. Iste autem multipliciter se excusabat. Primo, quia quibusdam annis si quid superflui illi erat, hoc non ex fructibus Beneficii, sed vel ex fructibus bonorum patrimonialium, vel parsimonialium, quorum partem etiam quibusdam suis Consanguineis pauperibus subministrabat. Secundo, quia aliquibus annis ob sterilitatem nil superflui etiam ex bonis patrimonialibus illi remansit ad sui decentem sustentationem. Tertio; quia si annis uberioribus aliquid superflui ex Beneficio obtinuerat, illud in Ecclesiæ ornatum insumpserat. Quærebat proinde, an ex his rationibus sufficienter excusari posset coram Deo, & coram hominibus, eo quod exiguas fecisset eleemosynas.

Ut satisfacerem primo quæsito, observabam Pasto- 2
res Animarum magis stricte quam Laicos teneri ad opera Misericordiæ. Primo igitur tenentur ex ea ratione quod debent esse forma gregis, eique se exemplar omnium virtutum exhibere; unde tenentur ad erogandas eleemosynas, non solum ex lege generali Charitatis, sed etiam ex vi proprii Status perfectioris, & excellentioris: *Sotus l. 10. de just. qu. 4. cap. 3. & 4. Ledesm. de Statib. c. 3. concl. 23. diff. 1.* Secundo, quia Pastores Animarum sunt Patres pauperum, unde Sacerdotes non opitulantes necessitatem patientibus dicuntur vacuum nomen portare, ut habetur etiam *cap. fratrem nostrum dist. 86.*: non ergo solum tenentur alere pauperes, quia habeant superflua ex redditibus Ecclesiasticis, qui vocantur patrimonium pauperum: *can. decim. c. 36. q. 1. & can. quidquid 16. quæst. 1.*; sed etiam quia id ex- 3
postulat officium Pastoris, & Patris Pauperum, quod de sua natura exigit, ut oves non solum spiritualiter, sed etiam temporaliter alantur, dum sint pauperes, ut bene ratiocinatur Bannes *in 2. 2. qu. 32. art. 6. dub. ult.* Inutilis est ergo Parochi excusatio, dum dicit ex vi sui status solum teneri ad eleemosynas, quoties habeat superflua ex redditibus Ecclesiasticis; hæc etenim ratio, præscindendo a valde gravi pauperum necessitate, suffragari potest aliis Ecclesiasticis, qui non sint Parochi. At cum Parochi ex vi sui status teneantur ad eleemosynas elargiendas, quia debent præbere suis Ovibus exemplum Virtutum omnium, maximeque eleemosynæ, & quia ratione Curæ animarum assumpserunt officium Pastoris, & Patris pauperum, hinc

hinc est nullatenus excusari posse ab alargiendis eleemosynis, quia nil superflui habeant bonorum Ecclesiasticorum, sed debere multo magis quam Laicos eleemosynas facere ex quacumque ratione habeant superflua.

4 Addendum non raro occasione paupertatis pauperes suæ Parœciæ in vitia præcipitanter prolabi; unde videntur filiæ pauperum facillima se prostituere, aa filii latrociniis incumbere; ut omittam modo imprecationes, & blasphemias, quæ occasione paupertatis audiuntur: quapropter etiam paupertas dicitur a DD, Lupus, qui rapit, & dispergit Oves. Si ergo, ut dicitur *Jo.* 19. bonus Pastor, qui non sit mercenarius, videndo lupum venientem non fugit, sed, si necesse sit, etiam animam suam ponit, & multo magis debebit ponere propriam superfluam substantiam, ne oves suæ tam facile ruant in peccata,

5 Non per hoc tamen nego non licere Parochis sive ex superfluis fructuum Beneficii, sive ex superfluis bonorum patrimonialium Consanguineis opitulari, si sins pauperes. Immo, cæteris paribus, pauperes consanguinei sunt aliis pauperibus anteponendi, cum ax titulo consanguinitatis urgentior sit obligatio quoad eosdem in suis necessitatibus adjuvandos, Verum observare est Parochum non ideo debere elargiri suis Consanguineis, quia ex ipsius assumptione ad officium Parochi qua si altiorem statum obtinuerint, adeoque eis conveniat aliquid de plus habere, quam habuerint juxta antecedentem statum. Hujusmodi ratiocinium tam falsum est, ut quibusdam videatur nec ex assumptione alicujus ad Episcopatum illius Consanguineos mutare statium, adeoque nec posse eis opitulari, si attento statu, n quo ante erant, habeans unde in eo
6 decenter vivant. Id tamen mihi non placet, sed fatendum credo ratione assumptionis alicujus ad Episcopatum ipsius saltem proximiores Consanguineos mutare statum secundum quid, ut cum aliis docet *Laym. l. 4. tr. 2. c. 3. n. 3.* adeoque, si non habeant ex semetipsis, posse eis aliqua suppeditara unde decentius vivant. At nemo dicet ex assumptione alicujus ad Curam Animarum, ipsius Consanguineos ita mutare statum, ut Parochus possit illis, maxime ex fructibus Beneficii, opitulari, dum ex agricultura, vel alia arte, quam exerceant, possint juxta statum, in quo erant, decenter vivere.

7 Præterea præ oculis habere debet Parochus, quod etsi ipsius consanguinei aliquali premerentur paupertate, non potest eos anteponere, si inter suos Parochianos adsint, qui necessitatibus longe gravioribus affligantur; nam juxta regulas Charitatis tunc iis succurrendum est, adeoque in talibus circumstantiis, ut notat *Laym. l. c.* nec licet Episcopis adjuvare suos consanguineos, qui ex se non habeant unde decenter vivant juxta aliqualem altiorem statum, quem ex ipsius assumptione ad Episcopatum acquisierunt.

8 Quod si, ut secundo loco dicebatur a Parocho, quibusdam annis, etiam computatis redditibus bonorum patrimonialium, nihil illi superfuit ad sui decentem sustentationem, non proinde putet Parochus omnino vacuum esse ab obligatione pauperibus suæ Parœciæ opitulandi. Primo igitur, si ratione sterilitatis, vel alia da causa videat aliquos ex suis Parochianis in valda gravi esse necessitate, debet saltem aliquando ex superfluis naturæ illos adjuvare. Si igitur unusquisque Sæcularis in extrema proximi necessitate debet esse contentus iis, quæ sunt necessaria naturæ, ut ex his, quæ aliunde suo statui convenirent, proximo in præfata necessitate constituto possit opitulari; non debebit Parochus, qui urgentiori titulo tenetur occurrere necessitatibus suarum ovium, expectare santum necessitatem, ut saltem aliquando non subtrahat superflua naturæ, quamvis non superflua statui, ad easdem sublevandas. Vide quæ dixi *tr. 6. q. 3. c. 2. q. 3.*

9 Secundo, si Parochus nullatenus habeat superflua vel ax bonis Ecclesiasticis, vel ex propriis, debet ab aliis inquirere quomodo subveniat communibus suorum pauperum necessitatibus, qui non possint per se ipsos questuando sibi providere. Ratio ast, quia ex vi officii sui est Pater pauperum; huic autem oneri clarum est non satisfacturum, quoties dum ipse non habeat, sinat suos Parochianos in miseriis languescere, nec indicendo collectas, vel petendo a divitibus, curet eos sublevare: *Passerin. de stat. q. 185. art. 7. n. 52.* Immo, si alia via Parochi occurrere non possint pauperum necessitatibus, bene erit suadere populo quod loco Missarum,

quas faciunt pro Animabus Purgatorii celebrare, melius erit si dent eleemosynas pro pauperibus sublevandis. Et ratio est, quia illis Animabus suffragari possumus non solum jejuniis, orationibus, aliisque piis operibus, sed etiam quamplurimum in ipsarum suffragium pauperibus eleemosynas elargiendo. E contra pauperes solummodo elemosyna possunt sublevari. Addet Parochus in multis circumstantiis eleemosynam cadere sub præcepto, unde tunc perperam omitteretur, ut Missæ celebratio pro Animabus Purgatorii demandaretur. Dum videat ergo Parochus suos Parochianos paupertate premi, expoliet se omni proprio lucro, & libenter patiatur eleemosynis pro Missis celebrandis carere; & loco collectarum, quæ in Ruralibus Parochiis fieri solent diebus festis pro celebrandis Missis pro Animabus Purgatorii, indicentur Collectæ pro pauperibus sublevandis. O quam bene his, aliisque mediis Parochus, qui tenues habet redditus, & coram Deo, & coram hominibus Patris pauperum officium adimplebit!

Demum ut plene constaret, an noster Parochus se 10
excusare posset, & parvipendere obmurmurantes contra ipsum, eo quod quando superflua Beneficii habebat, pro majori parta vel in suppellectiles Ecclesiæ, vel in ipsius ornatum erogabat, sequentia erant considerandi. Primo igitur verum est, si aliud pauperum necessitas non suadeat, non esse necesse, quod Parochus omnia superflua beneficialia pauperibus largiatur, sed satis essa impendat in usus pios, inter quos certe potest esse suppellectilem Ecclesiæ augere, ipsamque ornare; cum id enim imperari possit a virtute Religionis, jam necesse est de sua natura esse pium. Nihilominus si iste Parochus omnino postposuit pauperes, credidi non potuisse excusari a peccato, Primo ergo, ex dictis *tr. 6. q. 3. c. 3.* quicumque habens superflua proprio statui, tenetur ex vi præcepti de eleemosyna elargienda, aliquam ipsorum partem tribuere pauperibus, unde, si ista Parochus quibusdam annis superflua habuit suæ decenti sustentationi, ax vi talis præcepti saltem partem ipsorum debebat pauperibus elargiri. Secundo, potuit peccare, si urgentibus gravibus Parochianorum necessitatibus impenderit superflua in supellectilem, & ornatum non omnino necessarium; nam tunc quomodo verificari potest officium Patris pauperum adimplevisse; immo quomodo dici non potest in tali officio graviter non deliquisse? Quomodo dici potest graviter non peccasse orando Ecclesiam, tabescentibus interim pauperibus, vel etiam arescentibus, & tot pauperes puellas, tot pauperes Cives, pupillos, orphanos, viduasque posthabendo? ut cum Cajetano loquar *in 2. 2. q.* 185. *art. 7. ad* 4. Certe officium quod habent Pastores, ut nempe se tamquam patres pauperum gerant, potius exposcit, ut in gravibus suarum Ovium necessitatibus sacra etiam Ecclesiarum vasa impendantur, ut habetur ex pluribus Canonibus *caus.* 12. *quæst.* 2. & maxime *can.* 13. 14. & 15. atque ita etiam dicitur Pastorum gloriam non esse Templorum parietes ornare, sed pauperum indigentiis providere: *can. gloria Episc.* 12. *q.* 2. Pariter permittitur in quibusdam pauperum necessitatibus & ipsa bona Ecclesiæ alienare, ut videre est apud Potram *tom.* 1. *pag.* 210. Ex his &c.

CONSILIUM VII.

ARGUMENTUM.

Concurrentes ad Beneficia maxime curata, & omnibus mediis curantes sibi conferri, ordinarie loquendo, sunt in statu peccati mortalis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Est gravis culpa appetere beneficia, propter lucrum temporale, sive propter excellentiam gradus.*
3 *Proventus temporales beneficii soluni de secundario sunt considerandi.*
4 *Procurantes omnibus mediis beneficia, maxime curata, difficile est non habere pro fine assecutionem proventuum temporalium, vel temporalem honorificentiam.*

5 *Valde appetentes, & procurantes beneficia maxime curata solent ad minus esse parum digni, quia præsumptuosi.*

6 *Non est impossibile, etiam sine præjudicio humilitatis, ut aliquis se aliis dignorem judicet.*

7 *At in proprio facto est hoc valde difficile.*

8 *Nemo potest se dignum judicare beneficio curato, nisi videat habere, quæ necessaria sunt ad regendas animas; & in quo consistere debeas:*

9 *Item nisi cognoscat se morum integritate dotatum esse; & in quo consistere debeat.*

10 *Non potest absolute velle, & sibi procurare omnibus mediis beneficium, quoties citra passionem non cognoscat præfata præ aliis possidere.*

11 *Sed & hæc non sufficit multoties, ut se judicet digniorem.*

12 *In praxi fere semper peccant, qui omnibus mediis beneficia curant obtinere.*

13 *Qui non se cognoscit indignum, potest appetere beneficium, sub conditione, si nempe dignior reputetur ab Ordinario.*

1 CUm quidam Sacerdos quam maxime optaret ad Parochialem Ecclesiam promoveri, atque ob eam obtinendam etiam importunas Potentium preces apud Episcopum interposuisset, valde dixi timendum de illius damnatione. Responsio mea eum risu excepta fuit, ac fere omnes ad Parochiales Ecclesias concurrentes in periculum æternæ damnationis incurrere dicendum esse, cachinnantes subjunxerunt, eum fere nemo sit, qui non curet omnibus, quibus potest, mediis obtinere a Collatore Ecclesiam, ad quam concurrit. Ut ergo demonstrarem non sine fundamento dixisse valde timendum de damnatione tam inhiantium ad acquisitionem Ecclesiarum, maxime Curatarum, hoc pro Sacerdotibus ad Ecclesias concurrentibus consilium hic duxi apponendum.

2 Primo igitur observabam in appetentes Beneficia, vel Ecclesias Curatas posse suam inquinare conscientiam ratione finis, quem sibi proponunt in iis adipiscendis. Ut hujusmodi sine omni culpa appetantur, oportet appetentem post Dei Gloriam habere pro fine principali Proximi Spiritualem utilitatem; ad eam enim promovendam dantur Ecclesiastica Parochialia Beneficia, non ad promovendam propriam utilitatem temporalem, sive celsitudinem gradus. Quod si finis principalis appetentis esset vel utilitas temporalis, vel celsitudo gradus, certe id non esset sine peccato, & quidem gravi; nam non est levis deordinatio, & vilipendium, si ut par est consideretur, assumere officium spirituale ut medium ad consequendum aliquid temporale; quando spirituale non
3 medium, sed unice finis esse deberet. Non nego utique appetentem Beneficium Curatum non posse etiam appetere proventus temporales exinde provenientes; immo illi multoties potest esse necessarium, si ipsi necessarii sint ad propriam sustentationem. At quod primo, & per se inquirendum est ab appetente Beneficium, est spiritualem proximi promovere utilitatem, & res temporales, sive celsitudinem gradus ad summum solummodo de secundario inquirere, & appetere.

An autem merito in praxi timendum sit Sacerdotem
4 nullum non lapidem moventem, ut obtineat Beneficium Curatum, primo, & per se inquirere temporalia, & gradum in Ecclesia, unusquisque etiam tardioris ingenii conspicere potest. Ardens desiderium promovendi spiritualem Proximi utilitatem excitari non solet, nisi in personis valde pietati addictis, immo ii præsumptionem esse putant, nisi manifesta necessitate imminente, velle præesse, ut aliis prosint, juxta S. Th 2.2.*q*.185.*art*. 5. Dum ergo qui tam appetit Beneficium Curatum non sit Sacerdos valde pietati addictus, & alias quantum potest omnibus mediis præesse curet, non labores, & angustias officii Pastoralis quærere demonstrat, pro quibus obtinendis certe non tam anxius esset, sed quod in eo temporale est, & honorificum. In hoc autem ultra culpam avaritiæ, & ambitionis intervenit etiam peccatum sacrilegii; dum nempe non sine gravi Religionis injuria, Beneficium Curatum per se primo appetibile ratione promovendi spiritualem proximi utilitatem, ordinatur tamquam ad finem ad consequendum bonum temporale. Non mirum ergo si talis Parochus non Pastor postea, sed Mercenarius evadat, qui de arcendo Lupo, peccato nempe, a suo grege non curet, qui pastoralium laborum pertæsus difficilem se præbeat in pascendis ovibus Sacramentorum frequentia, verbo Dei, ac Cathechismo, dum alias non parum sedulus est in opibus coacervandis; & multoties usque ad nauseam revereri, aliisque anteferri exoptat.

De iis Ecclesiasticis omnibus mediis Beneficii assecutionem inquirentibus, ut mediante Beneficio temporalia assequantur, hæc habet S. Bernardus, seu potius Gaufridus Abbas IV. Clarevallensis declam. in Evang. Ecce nos reliquimus omnia §.13. *Alius undique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, dissimulat, miseraque sibi suffragia mendicare non erubescit, manibus, & pedibus repens, si quo modo tandem aliquando sese ingerere queat in patrimonium Crucifixi, & bona Domini; quæ sola ex omnibus hodie inveniuntur exposita. Quis ea intentione gradus Ecclesiasticos, & ministeria Sanctuarii quærit, immo quæritur (quæri nempe potius, quam quærere ipse debuerat) ut sine curis sæculi in sanctimonia cordis, & corporis illuminandus accedat ad Dominum, & suam pariter, ac proximorum operetur salutem, orationis studio deditus, & verbo prædicationis? Nam si eo quærit, & tenet animo, eoque intuitu, ut huic vitæ habeat necessaria; evangelizat, ut manducet, & perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercatur. Quam certe dignius amplinsque consentaneum rationi, ne pro carnali victu carnalia magis opera, & negocia exerceret, nec fieret invasor rerum, aut inhonoraret ministerium spirituale! .... Nunc autem trahit sua quemque voluptas, & odorem turpis lucri sectantes, quæstum æstimet pietatem, quorum certa est damnatio.*

At videamus, an immunis reputandus sit a peccato, 5
eo quod interposuerit Virorum Nobilium, ac Potentium importunas preces ad Beneficium assequendum. Et quidem si aliquis talis esset, ut vere posset judicare sibi præ aliis Beneficium deberi, excusari fortasse posset a peccato Beneficium ita appetendo, & procurando, quamvis id semper redoleat præsumptionem, ut ait S. Th. *l. c. & opusc. 28. c. 19. circ. med.* Certe cum bene a communiter contingentibus valida juris sumatur præsumptio, & argumentum: *leg. certi conditio §. Si nummos ff. si cert. petat. & c. 1. de Cleric. non resid.* eumque communiter valde appetentes, & procurantes Beneficia, maxime curata, ex præsumptione appetant; justi etenim & perfecti valde sibi metuunt, ac exhorrescentes obligationem reddendi rationem Animarum, quas perdunt, potius Beneficia etiam oblata recusant: hinc est bene timeri appetentes, & procurantea Beneficia, maxime Curata, utpote saltem minus dignos esse 6
judicandos, ex eo quod sint præsumptuosi. Solum ergo immunis esset a culpa, qui vere, & citra cæcitatem, quam causare solet proprius amor, cognoscens se aliis digniorem, absolute ex recto fine appeteret Beneficia. Neque hoc, absolute loquendo, est impossibile; nam humilitas non fundatur in ignorantia propriæ habilitatis, sed humilis, ut docet S. Th. 2.2. *q*.161.*art*.3. bene cognoscere potest quæ dona in se habeat, ac talia habere, quæ aliis non fuerint collata; in hoc non deficit humilis, si interim quæ habet dona non propriæ virtuti, sed Dei Gratiæ tribuat. Dixi, ex hoc capite non esse impossibile, ut quis aliis se ju- 7
dicet dignorem, quamvis valde difficile esse credam, tum quia in proprio facto difficile est aliquem adinvenire, qui sit justus Judex; tum quia, ut aliquis se digniorem cæteris reputet, ad tria ex Cajetano *in Summ. V. Beneficium*, se debet comparare.

Primo igitur oportet ipsum discernere, an vere idoneus sit in arte artium, qualis est regimen Animarum. 8
Oportet igitur dignoscere, an totus erit in considerandis necessitatibus & spiritualibus, & temporalibus singularum suarum ovium, ut præsto sit in omnibus eisdem ovibus opitulari. An promptus futurus, ad adsistendum die, noctuque *Infirmis*, cum verus Pastor nesciat illos deserere post collata Sacramenta, sed omnia incommoda libenter patiatur, ut in ultimo agone luctantes adjuvet. An rusticitatem, ac indocilitatem plurium libenter sit toleraturus. An malignantium calumnias forti animo superaturus. An in omnium excipiendis confessionibus indefessus. An scientiam sufficientem habeat pro Animabus regendis. An prudentiam habeat in discernendo, in dissimulando, in removendo quæcumque jurgia & lites, maxime quoad res temporales, & quoad nimis optatas honorificentias. An eam habeat animi fortitudinem, ut dum inutiliter per alia media peccata, maxime publica, impedire haud potuerit, validiora sit experturus, quamvis potentium,

alio-

aliorumque indignationem videat sibi imminere. An habilis sit in exponendo clare, & distincte tam quæ necesse est ad emendationem morum concionando, quam quæ necessaria sunt, ut rudis Populus Christianam Doctrinam percipiat. An æque omnes, ut sibi a Jesu C. commissos, sit inspecturus &c. Hic est primus gradus articulorum, regiminis scilicet Animarum.

9 Debet secundo inspicere, an tanta polleat morum integritate, & sanctitate, ut ad alios sanctificandos sit idoneus; ita etenim Pastor debet gregem antecellere, ut possit ipsi esse forma, & exemplar omnium virtutum. Non solum ergo gravibus culpis debebit carere, sed etiam gravis peccati suspicione; id enim satis esset, ut deficeret in eo, quod necesse est non deficere in Pastore. Sed quia nulla morum integritas potest in aliquo esse sine exercitio orationis, ideo nullus, qui orationi non sit addictus, potest Beneficium Curatum appetere. Præterea interna Parochi sanctitas in omnibus suis operationibus debet elucere, nimirum in vestibus, ne vel nimis sordidæ sint, vel nimis ad inanem pompam tendant; in vitanda quacumque mulierum non necessaria consuetudine; in abstinendo a crapula, & nimia compotatione; in vitando caoponas, ni id sit causa itineris; in abhorrendo choreas, & saltationes, ita ut nec ut spectator illis adsistat; in abstinendo a ludis alearum, in vitando quæcumque exhibere possunt nimiam aviditatem lucri temporalis; ac in se exhibendo in eleemosynis elargiendis profusissimum. Hæc omnia debere esse in Parocho late ex SS. Canonibus demonstrat Barbosa *de Offic. Par. p. 1. cap. 7.* Et quidem, ut bene idem animadvertit, si hæc omnia Populus in Parocho, tamquam in Exemplari non videat, frustra eadem aliis suadebit.

10 Tertio, quamvis appetens Beneficium Curatum hæc omnia vere in se esse dignosceret, nondum potest illud absolute appetere, & omnibus, quibus potest, mediis procurare, si simul vere non cognoscat ita hæc in eo esse, ut non sint in cæteris concorrentibus ad Beneficium in eodem gradu, ac in ipso sunt, adeoque
11 sit aliis dignior. Sed neque ex hoc se aliis digniorem posset multoties sine errore judicare; nam ad constituendum Digniorem concurrent etiam ætas magis matura, nobilitas, vel etiam ratio subveniendi alicujus paupertati, dum in aliis Pastoris dotibus aliis saltem sit æqualis, ut pluries dixit Rota, maxime in una Calaguritana Benef. 10. *Apr.* 1652. *cor. Papiens.*

12 Resumendo modo quæ antea dicebam, ita ratiocinandum est. Certum est peccare graviter qui non habens certitudinem se esse aliis digniorem, absolute appetit, & omnino procurat Beneficium Curatum, quia vult consequi quod sibi non debetur, & vult exclusos ab eo consequendo eos, quibus debetur: cum ergo difficillimum sit aliquem posse se aliis digniorem judicare, tum respiciendo curam Animarum, tum ad oves quibus pascendi vacaturus est, tum se comparando ad alios, qui interfuerunt concursui, ejusdem Beneficii, hinc est merito dici posse, ita appetentes Beneficia Curata, ut omnibus, quibus possunt mediis curent sibi conferri, esse in statu damnationis. *Scias*, ait Cajetanus cit. *quod a DD. petere regimen Animarum ideo damnatur, quia vix possibile est, ut homo integri sensus, & rectæ mentis reputet se ipsum habere supradictos tres respectus personales, sine quibus petere simpliciter, & absolute, est præsumptuosum, ac per hoc indignum reddit petentem.*

Non per hoc tamen dico peccare qui appetit Beneficium Curatum, si ab Episcopo post habitum concursum aliis dignior judicetur, dummodo tamen ipse in sua conscientia, & maxime ob aliqua occulta, quæ ignoret Collator, indignum, vel minus dignum non
13 se clare videat. Dum igitur aliquis non cognoscens aliis se esse minus dignum, ad Beneficium Curatum concurrit, expectans ab Episcopo judicium de sua idoneitate, ex hoc non potest dici peccare; illud enim solum appetit, si dignior a Collatore judicetur. At qui absolute appetit Beneficium, & curat precibus etiam importunis sibi conferri, jam iste non expectat judicium Episcopi, qui ipsum reputet digniorem, quamvis sine tali judicio Episcopi non possit Beneficium obtinere, sed ipse se reputat digniorem; alias enim non absolute appeteret, & procuraret, quia in re est communiter gravis præsumptio, cum ex dictis difficillimum sit sine errore se digniorem reputare. Vel ergo absolute quis appetat, & enixe quærat, & petat, quia digniorem se reputet, & in hoc clarum est, ordinarie loquendo, esse peccatum; vel enixe quis absolute appetat, & procuret, quamvis judicare se non possit digniorem, & in hoc etiam clarius est grave peccatum, quia iste vult sibi dandum, quod solum digniori dandum est.

Quæ dicta sunt cum proportione applicanda ab- 14
solute appetentibus, & omnibus mediis quæritantibus alia Beneficia non Curata.

CONSILIUM VIII.

ARGUMENTUM.

Quando competat Ecclesiæ restitutio in integrum, eo quod fuerit læsa in contractu emphyteutico, & an restituendum sit laudemium collatum ab Emphyteutis, & a quo, ac idem quæritur de expensis factis ab eisdem in re emphyteutica.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Ex gravi læsione debetur Ecclesiæ restitutio in integrum, etsi alienatio facta fuerit cum debitis solemnitatibus.*
3 *Non bene probatur hæc gravis læsio, eo quod Emphyteutæ postea magnam fructuum copiam ex re emphyteutica collegerint.*
4 *Alienatio facta favore Consanguineorum facit suspicari non fuisse cum Ecclesiæ utilitate.*
5 *Quando cesset talis suspicio.*
6 *Dum in alienatione servatæ sint debitæ solemnitates, pertinet ad Ecclesiam probare graviter fuisse læsam.*
7 *Modica læsio non sufficit ad rescindendam alienationem.*
8 *In rescissione contractus emphyteutici restituendum est laudemium.*
9 *Ad hanc restitutionem non tenetur Successor in beneficio, si laudemium non conversum fuerit in ipsius beneficii utilitatem.*
10 *Est restituendum ab Hæredibus Antecessoris.*
11 *Et id etsi Emphyteutæ mala fide processissent.*
12 *Non vero possunt agere ad restitutionem damnorum &c.*
13 *Modernus rector tenebatur refundere Emphyteutis expensas factas pro melioramentis necessariis.*
14 *Possunt nolle dare rem emphyteuticam usque dum restituantur illis tales expensæ, si sint liquidæ.*
15 *Pro illiquidis possunt velle fidejussorem.*
16 *Quomodo liquidandæ sint expensæ factæ pro talibus melioramentis.*
17 *Non integre solvendæ sint expensæ, si melioramenta minoris æstimentur.*
18 *Restituendus est emphyteutis valor melioramentorum utilium, si non possint separari; & id etsi Emphyteutæ mala fide processissent.*
19 *Nil est restituendum pro melioramentis voluptuosis, si non possint separari.*

NN. Successor in quodam Beneficio Curato prætendens Antecessorem læsisse Ecclesiam dando in 1
emphyteusim quibusdam suis Consanguineis quædam bona stabilia non exigui valoris, ad eamdem Ecclesiam pertinentia, ab iisdem Consanguineis repetere volebat sine strepitu judiciali. Tam Rector igitur, quam Emphyteutæ amicabiliter me consuluerunt, ut quid juris esset exponerem. Instante igitur Rectore pro restitutione, Emphyteutæ asserebant ad eamdem non teneri, primo quia, dicebant, non adfuisse læsionem, vel casu quo aliqua intercesserit læsio, hanc nonnisi levem judicandam. Secundo, quia supposito quod restituere deberent, volebant pariter sibi restitui laudemium 100 aureorum, ab ipsis erogatum tempore, quo facta fuit emphyteusis, quod tamen Ecclesiæ Rector restituere omnino renuebat. Tertio, quia non solum laudemium sibi restituendum putabant, sed valorem etiam melioramentorum, quæ fecerant in bonis emphyteuticis, quem pariter non solvendum dicebat Rector. Cum igitur vidissem utramque partem strepitum judicialem abhorrere; ego assumpsi onus illis exponendi, quid

quoad

quoad supradicta in diversis circumstantiis præstandum foret, ipsis relinquendo ut citra passionem quid juris erat facto aptarent.

2 Et primo non posse controverti dicebam Ecclesiæ competere restitutionem in integrum, etiam dumalienatio facta fuerit cum debitis solemnitatibus, dummodò tamen gravis læsio appareret; nam talis restitutio in integrum ipsi a jure conceditur, ut patet *ex cap. ad nostram de reb. Eccles. non alien:* atque vi ipsius habet posse alienationem rescindere, suæque consulere indemnitati. Insuper Ecclesia gaudet jure Minoris, ut habetur *ex c. 1. de in integr. restit.* adeoque sicut Minori debetur restitutio in integrum si a Curatore præjudicium in suis bonis passus sit, & Ecclesiæ, si a suo Rectore fuerit damnificata.

3 Nihilominus considerabam, quod a moderno Rectore male probatur læsam fuisse Ecclesiam, ex hoc solum quod comparative ad fructus, quos ex vineis, & olivetis Emphyteutæ percipiebant, canon valde exiguus ab eis solvebatur. Id, inquam, non satis probabat Ecclesiæ læsionem, non enim judicandum erat de læsione Ecclesiæ respectu fructuum quos postea collegerunt; sed solum respectu ipsorum, qui ex bonis emphyteuticis tempore celebrati contractus percipiebantur. Cum igitur Emphyteutæ assererent tempore contractus vineas & oliveta defectu plantarum & defectu culturæ parum utilitatis Ecclesiæ attulisse, dicebam perperam allegari læsionem Ecclesiæ ex sola copia fructuum collectorum tempore successivo, nisi & æque abundantes fuisse tempore contractus Rector demonstrasset, ut docent Glossa *in cap. ad aures v. nisi forte de reb. Eccl. non alien., Rot. dec. 18. n. 4. par. 2. Divers., Boss. de alien. tit. 18. n. 530.* Et quidem si parum utilitatis eadem bona tempore contractus afferebant Ecclesiæ, verificabatur tunc fuisse alienata cum ipsius utilitate, unde ex hoc capite rescindibilis non reddebatur.

4 Replicabat Rector valde præsumendum non ita fuisse ut asserebant Emphyteutæ, quia alienatio, facta in favorem consanguineorum, dat fundamentum præsumendi non fieri cum Ecclesiæ utilitate. Verum quamvis non negarem sæpe non despiciendam hujusmodi præsumptionem, ut ex *Aut. quibuscumqu. modis C. de SS. Eccles. Rota dec. 18 n. 4. & dec. 244 n. 3. par. 2. Div.*, nihilominus ex hac sola præsumptione nullatenus rescindendam alienationem dicebam; tum
5 quia non minus valet alienatio facta in Consanguineos, quam in Extraneos, ut de se constat; tum quia cessat omnis suspicio fraudis & doli, non solum si in contractu facta sit mentio Consanguineorum, ut habet Rota *dec. 1125. cor. Seraph. n. 11.* sed etiam si iidem Consanguinei erant bonæ conditionis & famæ: *Rota dec. 18. n. 6. n. 2. Divers.* Parum ergo in sui favorem adducebat Rector, nisi aliis momentis probasset ab initio celebrati contractus Ecclesiam fuisse læsam.

6 Accedebat quod dum in alienatione servatæ fuerunt juris solemnitates, cum præsumatur adfuisse Ecclesiæ utilitatem pertinet ad Ecclesiam probare fuisse læsam, ut in integrum restituatur, ut *ex cap. ad nostram de in integr. restit., & ex cap. ad nostram de reb. Eccles. non alien.*, tradit ibid. Barbosa aliis citatis, & docet Bossius *de alien. tit. 18. n. 531.* Ita etiam Minori petenti restitutionem in integrum competit probare læsionem, læsio enim non præsumitur, nisi probetur: *l. verum §. Sciendum ff. de Minor.*

7 Illud etiam considerandum dicebam, an scilicet, ut asserebant Emphyteutæ, si quæ forte fuisset læsio, modica tantum esset; neque enim ex modica læsione competit, vel Ecclesiæ, vel Minori restitutio in integrum, ut ex textu *in c. 1. de in integr. restit. Glos. v. detrimentum* & ex textu *in cap. ad nostram de reb. Eccl. non alien. juncta Glossa v. enormæ dispendium*, & cum aliis docet Barbosa *in cap. 1. de in integr. restit., Boss. tit. 18. n. 533.* Verum tamen est, quod ad judicandum, an læsio modica sit, debet in se & absolute considerari, non comparative ad majorem, quam pati Ecclesia potuisset; & a læsio in se & absolute magna sit & gravis, competit Ecclesiæ restitutio in integrum, & ille, a quo fuit læsa, debet ipsius damnum compensare: *Covar. l. 1. var. c. 3. n. 11., Panorm. in cap. cum dilecti de empt.*

Supposito autem tam gravem apparere læsionem, ut detur locus rescissioni contractus, consurgebat tunc difficultas quoad restitutionem laudemii, quam sibi
faciendam dicebant Emphyteutæ. Et quidem cum 8
laudemium non fuerit exiguum, sed pro eodem 100. aureos erogaverint, ac eodem intellexerint Emphyteutæ partem dominii utilis emere, restituendum videbatur; nam restitutione facta rei alienatæ, æquitas vult etiam restituendum pretium ei, qui cum Ecclesia contraxit, ut per *text. in l. unic. C. de reput. & l. quod si §. Restitutio ff. de Min.* resolvunt DD. quos sequitur *Barbos. in c. 1. de in integr. restit. n. 11.* Et quidem justitia non patitur Ecclesiam cum aliena jactura locupletari, ut *ex c. locupletari 48. de reg. jur. in 6.*
Verum opponebat modernus Rector nullatenus ipsum 9
ad refundendum laudemium cogendum esse, cum ex nullo capite constaret conversum esse in ipsius, vel Ecclesiæ utilitatem; atque ex hac ratione illi acquiescendum erat, nisi Emphyteutæ probassent laudemium in Ecclesiæ utilitatem fuisse conversum, ut monet Barbosa loc. cit. Et quidem æquum non est Ecclesiam, vel Successorem restituere debere, id ex quo nullam perceperunt utilitatem.

Quia tamen nimis durum videbatur Emphyteutis amittere laudemium, casu quo rescindendus esset contractus emphyteoticus. Ego quoad hoc observabam, quod si forte Emphyteutæ mala fide processissent, recipiendo in emphyteusim bona Ecclesiæ cum gravi ipsius læsione, irrationabiliter conquererentur de damno, quod modo subire debuissent; cum etenim Ecclesia cogi non possit ad restituendum pretium nisi pro ea parte, pro qua esset locupletior, sibi imputare debuissent damnum, quod modo ab ipsis esset subeundum, non enim debebant mala fide cum ipsa contrahere, quæ cogi non poterat ad restituendum laudemium, & quæ aliunde procedere poterat ad contractus rescissionem.

Sed adhuc etsi bona fide processissent, & Ecclesia ex laudemio non facta fuisset locupletior, ista nil illis restituere tenetur, neque enim obligatio restitutionis consurgere hic potest ratione injustæ acceptionis, aut rei acceptæ, cum supponatur ipsam nil habere ex pecunia tradita ab Emphyteutis, sicut etiam nil habere in æquivalenti, cum in nullo facta sit ditior, & aliunde nullum damnum injuste inferat, dum juris remedio agit ad rem suam recuperandam.

Remanebat ergo Emphyteutis agere contra Hære- 10
des Rectoris, qui male alienasset, utpote qui subire debent omnem ipsius obligationem, cum ipsum repræsentent, & docent in præsenti materia *Riccius 1. p. prax. dec. 27., Navar. de alien. n. 24., Boss. tit. 18. nu. 519.* Cumque Rector, qui male alienaverat, ultra restitutionem laudemii teneretur ad damna & interesse; *Boss. cit., Barbos. in c. si quis presbyter de reb. Eccl. non alien.* eodem modo ex citatis DD. & communiter dicendum erat hæredes obligari. Quod si loquendum esset de Emphyteutis, qui mala fide processissent, sicut non desunt, qui volunt non potuisse agere ad recuperandum pretium contra male alienantem, ut videre est apud Panorm. *in c. si quis presbyter. n. 13. & in cap. ad audientiam n. 5. de reb. Eccles. non alien.*, & docet Glossa *in c. Vulteranæ 12. q. 2.*, & ita juxta eosdem dicendum esset, nec habere actionem contra hæredes illius, qui male alienavit.

Verum ego puto Emphyteutas, etiamsi forte mala
fide processissent, potuisse agere ad recuperandum pre- 11
tium contra Rectorem male alienantem, & hoc etsi nil supersit de pretio, seu laudemio tradito ab Emphyteutis, & hoc etenim specialiter in jure decernitur contra male alienantes ad eos coercendos, ut *ex §. si quis igitur Auth. de non alien.* Et ratio etiam clara est, quia cum male alienans non potuerit illum recipere, constat ad restitutionem teneri; & si consumpsit, debet sibi imputare: *Boss. tit. 18. n. 520.* Quod si male alienans restituendi laudemium realem obligationem contraxit, eamdem etiam subire debent ipsius hæredes, ut satis
de se constat. Immunes autem essent hæredes a resti- 12
tuendis damnis & interesse Emphyteutis, si isti mala fide processissent, utpote quia nec ipse male alienans tale onus non habebat; cum Emphyteutæ mala fide procedendo non debuissent recipere quod sine damno habere non poterant, adeoque convincuntur hujusmodi damnum voluisse; ut docent DD. cum Glossa *in c. ad audientiam in fin. de reb. Eccl. non alien.*

Ad dirimendam demum quamcumque controversiam, 13
quæ oriri posset inter modernum Rectorem, & Emphyteutas ratione melioramentorum, dicebam extra contro-

troversiam esse expensas factas in melioramentis necessariis esse refundendas tam possessori bonæ, quam malæ fidei, ut habetur *leg. dominum ff. de petit. hæredit.*, & docet Rota *decis. 1490. cor. Seraphin.*, *Boss. tit. 18. n. 525.* Et quidem cum utrique possessori imputanda forent damoa sequuta, si non fecisset expensas necessarias, ne res rueret, aut deterior fieret, justitia exigit, ut eædem expensæ ipsius restituantur. Præterea in æquum non est aliquem cum aliena jactura locupletari, ut ex *cap. locupletari de reg. jur.*, multo magis id attendendum ab Ecclesia, quæ dicitur justitiæ custrix, adeoque ipsam præ aliis dedecet aliquem præjudicare, *c. per tuas de donat.*

Illud tamen advertere debebant Emphyteutæ, quod quamvis ante restitutionem stabilium, quæ ab Ecclesia acceperunt, possent velle sibi tradi expensas necessarias ab ipsis factas, dum forent liquidæ, hoc ipsis non competebat dum ageretur de expensis illiquidis, quia e.g. vel non constaret de melioramentis, vel de eorum valore, seu necessitate, aut utilitate. In hoc igitur casu retardari non potest restitutio; dum enim certum esset bona emphyteutica Ecclesiæ esse restituenda, non esset ratio retardandi restitutionem, bene tamen competeret Emphyteutis exigere cautionem de solvendis melioramentis, dum fuerint liquidata; unicuique etenim competit suo periculo per fidejussionem providere: *Rota decis. 461. cor. Puteo.*, &
15 *decis. 1490. cor. Seraph.* Id autem multo magis verificaretur de possessore male fidei, cui ex multorum sententia non competit rapetere expensas jure exceptionis, aut retentionis, sed officium Judicis implorando, ut videre est apud *Boss. tit. 18. n. 625.*

16 Animadvertere item debebant Emphyteutæ in liquidandis expensis, quas volebant repetere pro necessariis melioramentis, non attendendum qualis hic & nunc sit valor dictorum melioramentorum, sed solum considerandas expensas, quæ factæ fuerunt in re emphyteutica melioranda, ut clare constat *ex leg. in fundo ff. de rei vindic.*, *& l. sumptus eod. tit.* Immo si emphyteuta ex fructibus rei male alienatæ, & ab ipso melioratæ, tantum perceperit, ut compensatæ fuerint expensæ ab ipso factæ, nil potest petere ratione talium expensarum, cum satis se compensave-
17 rit. Quod si melioramenta ob aliquam causam tempore restitutionis minoris sint valoris, quam expensæ factæ ratione eorumdem, Ecclesia non tenetur refundera nisi pretium valoris, quo tunc æstimantur talia melioramenta; nam solum sunt utilia juxta valorem quem tunc habent: *Boss. tit. 18. n. 523.*

18 Quæ dicta sunt de melioramentis necessariis respectu possessoris bonæ fidei, omnino aptantur etiam melioramentis utilibus: *l. in fundo*, *l. sumptus ff. de rei vindic.* Quoad possessorem autem malæ fidei, communiter dicitur ea tollere posse, si sint separabilia, ni Dominus velit retinere, solvendo tamen solum quantum æstimarentur ablata: *Boss. tit. 18. n. 526.* Dum vero non sint separabilia, ipsi permittitur solum ea deducere per modum æstimationis, si fuissent ablata. Hinc si talis possessor ædificasset de novo damnum in bonis Emphyteuticis Ecclesiæ, dicunt illi non restituendum valorem domus, sed ruderum in casu quo domus destrueretur. Ego autem considerans, quod si æquum non est aliquem ex alterius rebus locupletari, id quam maxime competit Ecclesiæ, ut etiam dixi supra; illa autem locupletaretur ex expensis utilibus factis *a* Possessore malæ fidei, quoties non restitueret tales expensas, juxta regulas paulo ante traditas quoad melioramenta necessaria. Vide quæ dixi *tr. 13. qu. 2. c. 2. qu. 5.* Supersedeo ab agendo de melioramentis mere voluptuosis, pro quibus præcise ut talibus, nil est restituendum, sed solum potest secum asportare qui ea fecit, si sint separabilia.

19 Hæc omnia proposui consideranda, ad dirimendam omnem controversiam inter Rectorem, qui ut omnino convenit Officio Pastoris, & Patris, lites abhorrebat, & Emphyteutas, qui prompti erant amicabiliter præstare omnia ea, ad quæ de jure tenebantur.

CONSILIUM IX.

ARGUMENTUM.

Non semper dicendum est rigorose pium aliquod legatum, quamvis pium dicatur in Testamento; sed considerandum est, an Testator in eo instituendo contemplatus fuerit causam rigorose piam.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series:*
2 *Legatum non est rigorose pium, quoties Testator in eo instituendo non contemplatus fuerit motivum Spiritualis pietatis.*
3 *Legatum non est vere pium, quamvis consequi possint Puellæ pauperes, quoties non contemplata fuerit paupertas.*
4 *Ad constituenda Legata vere pia, non sat est si dicantur relicta* pro amore Dei, pro Eleemosyna, titulo pii legati.
5 *Aliquando hujusmodi verba apponuntur ex sola cautela Notariorum, vel solam designat quamdam legalem pietatem.*
6 *In dubio præsumendum est legatum esse vere pium, non vero si cesset dubium rationabile.*
7 *Ad constituendum legatum rigorose pium, non satis est Testatorem intendere facere opus Deo gratum.*
8 *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
9 *Non est recedendum a verbis claris Testatoris, ni clare constet aliud intendisse, vel ni sequatur aliquod absurdum, si adimpleantur.*
10 *Non est attendendum quid fecisset Testator, sed quid fecerit.*

NN. in suo Testamento disposuit, quod desinente 1
sua Descendentia masculina, ex sua hæreditate quotannis 100. aurei pro dote solverentur quinque puellis; quorum nomina ex urna extraherentur. Voluit autem has puellas filias esse Parentum, quorum Antecessores ante annum 1600. habitarent in Oppido, ubi ipse Testator obiit. Addidit tamen a suo legato excludendas omnes illas, quæ natæ essent ex parentibus, quorum Antecessores solum post annum præfatum facti fuissent incolæ ejusdem Oppidi. Cum autem aliquibus ab hinc annis descendentia masculina Testatoris defecerit, adeoque exequendum foret, quod ut supra disposuerat, ortum est dubium, an supraditum legatum vere ut pium esset considerandum, adeoque solum foret subjectum Ecclesiasticæ Jurisdictionis privative ad laicam, an vero declarandum profanum, & per consequens laicæ subjectum jurisdictioni. Ego autem omnino certum credidi profanum esse judicandum.

Ut autem id demonstrarem, considerandum dixi 2
legatum non esse pium judicandum, quoties etsi in persona legataria fuerit verum motivum spiritualis pietatis, illud tamen non fuerit contemplatum a Testatore, sed solum motivum prophanum præ oculis habuerit, ut de se constat, & tradunt *Mantic. de conject. vol. l. 3. tit. 4. n. 22. Menoch. l. 4. præsumpt. 115 n. 2. Sanchez de Matr. l. 1. d. 4. n. 9. Barb. Jur. Eccles. univ. l. 3. c. 27.* Ita non dicitur rigorose pium legatum factum personæ Religiosæ, vel pauperi puellæ, si motivum faciendi legatum non fuerit status Religiosus, vel paupertas, sed consanguinitas, vel amicitia.

At in casu nostro constat Testatorem non paupertatem puellarum, sed antiquitatem incolatus familiarum Oppidi contemplatum esse. Id autem demonstratur, quia, cum nullas ex puellis exceperit, quæ ortæ
essent ex familiis ante annum 1600. ibi habitantibus, 3
& cum certum esset plures ex eis inter pauperes non esse accensendas, hinc clare constat non fuisse ab ipso contemplatum motivum vere pium, assignandi nempe dotem pauperibus puellis. Id autem magis innotescit, si consideretur quibusdam annis bene potuisse extrahi ex urna quinque puellas, quarum nulla pauper esset, sed ex familiis ditioribus Oppidi, non ergo Testator paupertatem consideravit. Accidit quod cum jam alii Testatores fecissent aliqua legata, eaque consequi voluerint solum puellas, quæ essent ex antiquioribus Loci familiis, eodem pacto noster Testator præscripserat regulandum suum legatum; unde & ipsum eadem ratione familiis antiquioribus favere voluisse dicendum est,

est, quod motivum cum vere profanum sit, etiam constat legatum profanum instituisse.

4 Quidam, quibus mea opinio non arrisit, ex triplici capite hoc legatum vere pium judicandum arbitrabantur. Primo, quia in testamento dicebatur Testatorem intendisse instituere pium legatum, vel etiam assignare illud titulo eleemosynæ. Secundo, quia in dubio legatum interpretandum est esse pium; atque dari locum saltem dubitandi esse pium asserebant, quia credere est Testatorem institutione legati voluisse suffragari animæ suæ. Tertio, quia etsi ex cortice literæ videretur non voluisse exclusas a consequutione legati puellas quamvis divites, nihilominus præsumendum erat aliam vere fuisse ipsius voluntatem; & solum non exclusisse tales puellas, ne jurgia inter familias orirentur.

5 At si verum fateri debeo, infirmissima hæc motiva credidi pro adstruenda spirituali pietate in hoc legato. Ad primum ergo, quod pro adversa opinione adductum fuit, respondebam exploratum esse apud Theologos, & Juristas hos dicendi modos, *pro amore Dei pro eleemosyna, ut orent pro me, titulo pii legati &c.*, non satis probare legatum vere esse pium, dum spiritualem motivum non consideraverit Testator; nam quæcumque fuerint ipsius verba, cessat tunc ratio veræ pietatis. Et ratio etiam est, quia talia verba potuerunt apponi ex superabundanti Notariorum cautela, absque eo quod ea expresserit Testator; vel ad designandam quamdam latam, seu legalem pietatem, quæ designat causam publicam, & favorabilem; quamvis ut dixi *tr.14. q.14. c.2 q.1.*, hæc vere non constituat legatum: *De Luca de testam. disc.19.*, *Barbos. de jur. Eccles. univ. l.3.c.27.*, & apud ipsum alii. In nostro autem casu clarissime constabat Testatorem, quæcumque fuerint ipsius verba, non contemplatum fuisse motivum spirituale, dum promiscue ad consequutionem legati, tam divites, quam pauperes puellas vocaverit, dummodo essent ex familiis a se designatis. Præterea legendo ejusdem Testamentum adinveni nomine *dotis & eleemosynæ* designatum etiam fuisse quoddam legatum ab ipso factum duabus puellis de sua cognatione, quas non constat pauperes fuisse.

6 Quoad id, quod secundo loco opponebatur, considerabam optime dici in dubio præsumendum esse Testatorem instituisse legatum pium, & docui loco supra citato. At omnino negabam in præsenti locum esse rationabili dubio ad excludendam profanitatem legati; quamvis etenim verum sit ut plurimum Testator intendere instituere legata rigorose pia, ac animæ suæ suffragari, quis dubitare potest multoties etiam fieri legata vere prophana, ut dum fiunt intuitu amicitiæ, gratitudinis, amore patriæ &c.? Ita autem se habuit noster Testator; nam in puellis ad legatum vocatis expresse consideravit antiquitatem familiarum; ac proinde solum ab eo excludit puellas prognatas ex modernioribus familiis. Insuper non semper habuisse in animo instituere legata rigorose pia, clare demonstrabant alia legata ab ipso facta pro Juvenibus, qui incumberent studiis. Cum etenim ad ea legata vocaverit etiam Juvenes addictos studiis Philosophiæ, Medicinæ, Juris Civilis &c., constabat in his studiis promovendis legatum rigorose pium non contemplasse, quia de sua natura non important pietatem spiritualem: *Barbos. Jur. Eccl. l.3.c.27. n.19.*, *Amostaz.*

7 Nullius denique roboris credidi judicandum, quod ultimo loco adductum est. Esto igitur voluntatem Testatoris fuisse rigorose piam, nempe faciendi opus Deo gratum &c., at id quamvis probet legatum esse vere pium in solo Divino Tribunali, ut animadvertit Barbosa *num.5.*, non tamen vetat, quin non esse rigorose pium judicemus in eo sensu, quo de legatis rigorose piis agunt Canonistæ, & Theologi, quæ proinde volunt subjecta solummodo Ecclesiasticæ jurisdictioni: & hæc, ut sæpe, dixi, ea sunt, quæ habent motivum vere spirituale in personis legatariis, quod non intervenit in casu nostro.

8 Ulterius neque dicendum Testatorem voluisse, vel etiam in sola sua mente, excludere puellas divites; nam exceptio firmat regulam in contrarium, ut ex *leg. quæsitum §. Denique ff. de fundo instr.*, cum proinde excluserit solum puellas prognatas ex familiis, quæ solum post an. 1600. factæ fuerunt incolæ Oppidi, sequitur cæteras omnes etiam in suo animo inclusisse, si illum interpretari volumus ex sensu obvio verborum, adeoque omnes puellas sive divites, sive pauperes,

Et quidem, dum verba sint clara, communiter DD. 9
docent non esse ab eis recedendum, ut videre est apud Barbosam *axiom.222.*, ni clarissimum esset aliter intendere voluisse Testatorem, ac ipsa verba sonant, ut ex *c. ad audientiam de Decim. junct. leg. non aliter ff. de legat.*, non vero quando solum dubium esset, an Testator aliter intelligere voluerit ac verba significant; sicut observat Glossa *in c. cum Dilectus v. jure communi de consuet.* Et quidem, si ex quocumque dubio, quod in alicujus oriatur mente, licitum esset recedere a verbis claris Testatoris, quando eadem adimplendo nullum sequitur absurdum, nil esset firmum in Testatorum dispositionibus, atque ab eis facillimum esset recedere.

Demum neque etiam divinando dicendum mihi vi- 10
debatur non exclusisse divites ut removeret jurgia inter familias. Si igitur habuisset in intentione jurgia removere, potius non debuisset excludere puellas natas ex familiis modernioribus; has etenim ægerrime laturas talem exclusionem clarissimum erat; & certe minorem materiam invidiæ subministrasset, si solum puellas pauperes ad suum legatum vocasset, quam antiquas præ modernis eligendo. Considerare etiam est ad abundantiam, quod si non exclusit puellas divites ad removenda diffidia, & æmulationes, verificatur solum quod exclusisset, si non adfuisset hoc motivum; non vero quod excluserit; semper dum autem ad consequutionem legati etiam divites vocatæ sunt, necesse est affirmare esse prophanum, unde &c.

CONSILIUM X.

ARGUMENTUM.

Dignitas eligendorum ad Beneficia parochialia a tot 1
pendet capitibus, ut saltem fere semper inutiliter non Electus appellet a judicio Ordinarii, & tamquam irrationabili.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*

2 *Ad constituendum Digniorem non sufficit sola major scientia.*

3 *Examinatores in dando suffragio non debent solam scientiam considerare.*

4 *Non satis probatur defectus scientiæ ex eo quod aliquis semel, vel iterum non bene responderit.*

5 *In Parocho requiritur aliqualis scientia SS. Canonum.*

6 *Sed magis necesse est doctum esse in S. Theologia, unde doctus Theologus præferendus est docto Canonistæ non Theologo in collatione Beneficii parochialis.*

7 *Parochus juvenis non raro est minus idoneus ad regendas animas.*

8 *Nomen Senioris potius quam ab ætate a prudentia, probitate &c. desumendum est.*

9 *In Parochia Rurali non semper eligendus Sacerdos provectioris ætatis.*

10 *Si aliquis sit dignus, & sperandum sit valde bonum Pastorem evasurum, Dignior potest judicari.*

11 *Facile dimittens unum Beneficium pro alio est criminabilis non solum ratione voluptatis, sed etiam ex aliis titulis.*

12 *Cæteris paribus non provisus præferendus est proviso.*

13 *Item pauper habenti unde ex alio beneficio vivat, si non timendum sit nimis in accumulandis divitiis addictum futurum, & pro paucis obulis rixosum.*

14 *Aliquando expedit Nobiles, & Potentes præeligere.*

15 *Faciliter excitans jurgia cum suo populo, vel cum aliis Parochis omnino indignus est beneficio parochiali.*

16 *Ad illum non eligendum sufficit, si fuerit de hoc vitio diffamatus.*

17 *Valde exoptantes, & expostulantes beneficium parochiale sunt eodem saltem minus digni.*

18 *Ex majori numero suffragiorum non semper bene judicatur major Dignitas.*

19 *Ultimum judicium de Dignitate Concurrentium pertinet ad solum Episcopum.*

20 *Semper præsumptio est pro judicio Ordinarii, nisi ab illo appellans clare doceat de dolo, & irrationabilitate.*

NN. in concursu habito pro conferendo quodam Beneficio Parochiali obtinuit omnium Examinatorum vota, quo tamen non obstante, eodem prætermisso, Ordinarius alteri, qui licet approbatus, non tamen omnium Examinatorum vota obtinuerat, præfatum contulit Beneficium. Hinc qui ab omnibus fuerat approbatus, cogitabat appellare a Judicio Ordinarii, tamquam irrationabili, in vi Constit. S. Pii V. *In conferendis*, editæ anno 1566. 12. Kal. Apr. ibi enim expresse cavetur, quod si Episcopus minus habilem, posthabito magis idoneo, elegerit, hic ab Ordinarii judicio possit appellare, eique conferendum Beneficium Parochiale, postquam constiterit de ipsius majori idoneitate.

2 At quia ipsi notum erat ad constituendum dignorem non satis esse habere majorem scientiam, sed insimul perspiciendam gravitatem morum, ac ætatis maturitatem &c. juxta textum *in c. cum in cunctis 7. §. 1. de elect. & elect. potest.* & in his prælectum ab Ordinario antecellere arbitrabatur. Et quidem quoad ætatis maturitatem videbatur non esse in dubium revocandum, cum ipse esset fere quinquagenarius, quando electus ad Beneficium vix annum trigesimum attigerat. Loquendo vero de morum probitate, dicebat jam alias curam Animarum exercuisse, ac verbo Dei, & exemplo ita curasse ovibus sibi creditis pascua salutaria præbere, ut numquam aliquis conquestus fuerit de ipso apud Superiorem. Addebat, ut decet bonum Parochum, numquam ludis fuisse addictum, numquam compotationibus, numquam Sæcularium ædes introisse, nisi quia ita exposceret vel conveniens ur-
3 banitas, vel salus Animarum. Demum & quoad hæc antecellere illum, quem elegerat Ordinarius, etiam ex votis Examinatorum constare dicebat; neque enim in approbando debent solam scientiam Examinati inspicere, sed etiam ætatem, mores, prudentiam &c. ut habet Trident. *sess. 24. c. 18. de ref.* His tamen non obstantibus, dixi perperam facturum, si a judicio Ordinarii tamquam irrationabili appellasset.

4 Et primo, loquendo etiam de sola scientia, quam majorem in se esse prælecto constare dicebat, eo quod omnia vota obtinuisset, respondendum hoc esse argumentum nimis fallax ad probandum excessum etiam solius scientiæ præ aliis concurrentibus. Et quidem primo per text. *in proœm. Inst. §. cum hoc*, habemus non posse deduci sufficiens argumentum scientiæ ex uno, aut altero experimento, adeoque non erat necesse dicere satis constare de majori scientia N. N. eo quod semel, & iterum fuerit ab omnibus approbatus. E contra prælectus ab Ordinario, quamvis modo non ab omnibus approbatus, jam alias quam pluries concurrendo omnium approbationem fere semper obtinuerat; unde in eo etiam majorem præ aliis scientiam bene potuit Ordinarius judicare. Deinde quis nesciat etiam doctissimos quandoque ex mentis perturbatione inopinata non bene respondisse? Ita etiam evenit, ni fallor, Bartolo, dum primo Pisis Doctoratus lauream poposcit, adeoque tunc eam non potuit obtinere. Non ergo ex eo, quod aliquis semel male responderit, prudenter judicare est esse indoctum, & tunc maxime quando aliunde de propria scientia non pauca exhibuerit experimenta.

5 Addebam prælectum ab Ordinario solummodo errasse in aliqua re, cujus resolutio omnino a scientia Canonica pendebat. Utique negandum non est Parochum debere esse saltem aliqualem Canonistam, ut ex *canon. nulli 4. & canon. omnes 6. dist. 38.* & pluries *dist. 38. & 24.* si etenim ipsi sufficienter perspecta non sint Decreta Ecclesiæ, facile errabit, & alios in errorem inducet. Nihilominus fateri debemus ad regimen Animarum aptiorem esse doctum Theologum, quamvis non sit doctus Canonista, quam doctus Canonista,
6 qui non sit doctus Theologus. Et ratio est, quia lex Canonica, quæ accessoria est legi naturali, & divinæ, versatur circa legem positivam, unde minus malum est circa illam errare, & multum excusare potest ignorantia, sicut etiam potest prævalere contra illam consuetudo. At cum Theologia tendat ad explicanda quæ ad fidem pertinent; & ad dirigendas conscientias quoad observantiam legis naturalis, & divinæ, multo gravius est in his errare, sicut etiam rarius excusat ignorantia, nec unquam contraria consuetudo, nam prævalere non potest contra dictas leges. Hinc qui ex sola juris scientia obtinet Beneficium annexam habens curam Animarum, experimento suo dicit imparem esse ad eam adimplendam, & cogitur studio Theologicæ Disciplinæ incumbere. Cum igitur, cæteris paribus, ad regendas animas aptior sit doctus Theologus, quam doctus Canonista, ut videre est apud Lugo *de just. dist. 35. n. 4. Sot. l. 3. q. 6. a. 2. concl.* 10 aliosque apud Barbos. *in c. cum in cunctis 7. de elect. n.* 21. bene potuit Ordinarius, etiam attendendo ad solam scientiam, NN. postponere, cujus responsa solum ad summum probabant aliquid de plus in scientia Canonica scire, non vero doctiorem esse Electo in S. Theologia, cum sæpe hic in morali disciplina satis doctum sese ostenderit.

At quamvis NN. magis doctus prælecto supponeretur, tamen omnino compertum est majorem scientiam non sufficere, ut aliquis Dignior judicandus sit, cum ex pluribus aliis capitibus dignitas sit pensanda quoad obtinenda Beneficia, ut de se constat, & sæpe respondit S. Congreg. & Rota apud *De Luc. disc. 1. de Paroch. a n.* 17. Hinc est alia fuisse adhuc examinanda ad demonstrandum male, & inutiliter ab ipso interponendam appellationem tamquam a judicio irrationabili.

Descendendo igitur ad examen maturitatis ætatis, 7
hanc comparative ad Prælectum NN. in sui favorem magnificabat, dicendo prælectum esse Juvenem triginta annorum; ac nimis experientiam edocere non paucos ex his Juvenibus, quamvis Sacris Ecclesiæ ministeriis mancipatos, in ludis occupari; mulieres frequenter invisere, ac diu cum iisdem degere; impatientes esse in preferendis laboribus indivisibilibus a cura Animarum; ac denique saltem experientia carere, sine qua difficile est esse prudentem. Ex his autem inferebat extra quæstionem esse saltem quoad hoc caput maturitatis ætatis, quam considerandam volunt SS. Canones, & Trid. indubitanter injuste ipsum postpositum fuisse.

His tamen ego respondebam in favorem Ordinarii, 8
quod quamvis senior, regulariter loquendo, aptior sit Juvene ad animas regendas, quod sæpe etiam dixit Rota, ut videre est etiam apud *Ottob. decis.* 294. *nu.* 4. & inter alios jam docuerat Lambertinus *de jur. patron. p. 2. l. 1. q. 2. art. 26. n. 4.* nihilominus vocabulum Senioris potius quam ab ætate, a Sapientia, & moribus esse desumendum, ut observavit etiam *Valenz. cons. 34. n. 59. Scoppa ad decis. Grat. observat.* 189. *a n.* 25 Quapropter credidi nihil magnificare NN. dum solam ætatem magnificaret, quando Ordinarius asserebat elegisse Sacerdotem triginta annorum, sed qui semper mores tales exhibuerat, ut prudenter verendum non esset juventutis vitiis minus aptum se redditurum ad regendas animas, quas ipsi commendaverat. Considerandum insuper erat, quod agebatur de Plebania Rurali, in qua Incolæ erant valde distantes ab Ecclesia, & quandoque etiam in locis alpestribus; unde pro iis regendis, maxime in ipsorum infirmitatibus, non semper aptior est Plebanus, cujus ætas vergat ad senectutem, ut in simili observat Cardin. de Luc. *de Paroch. disc. 7. n. 12.*

Illud etiam erat considerandum, quod licet nemo
eligi possit, nisi sit habilis tempore electionis, & pro- 9
motionis; ut de se patet, & dixit sæpe Rota, præcipue *in Calagurritana Beneficii 26. Maii* 1648. *cor. Bichio*, nihilominus supposita in aliquo sufficienti habilitate, bene potest judicari alio dignior, eo quod talis sit probitatis & ingenii, ut sperare sit brevi in eo videndum magnum profectum tum respectu probitatis, & pru-
dentiæ, tum respectu doctrinæ. Hinc si agatur utrum 10
dignior æstimandus sit vir provectæ ætatis, qui licet probus sit, & doctus, non tamen sperare est ab eo ulteriores progressus, vel potius dignior æstimandus sit vir juvenilis adhuc ætatis, qui licet nondum sit tam doctus, bonus & prudens, quam alter, præbet tamen magnum fundamentum credendi Ecclesiasticum vere insignem evasurum, hic vere dignior æstimari potest propter tantam spem, quam exhibent ipsius qualitates *Petr. Ledesm. tr. 7. c. 2. conclus. 7. dub.* 18. Applicando igitur doctrinam ad casum, credidi etiam ex hoc capite injuste conqueri NN. in electione postpositum, utpote quia ipsius ætati bene potuit anteponi Sacerdos Juvenis, qui cum alias immunis esset vitiis, quæ comitari solent juvenilem ætatem, non exiguam præbebat spem, inter bonos Parochos optimum futurum.

Ex his constat responsio etiam iis, quæ NN. adducebat quoad excellentiam morum, qua ratione se numquam reprehensione dignum judicatum esse a Superioribus dicebat, neque unquam de ipso aliquem conquestum fuisse. Quæ igitur pro se ipse affirmabat, &

affir-

affirmare poterat in sui favorem prælectus ab ordinario; nec parum pro ipsius probitate commendanda dicebatur, dum omnibus perspectum erat in juvenili ætate cor gessisse senile; nam ex his initiis maxima incrementa poterant sperari.

11 Illud autem quod NN. sibi favere credebat, quod nempe jam alias beneficium obtinuerit Curatum, adeoque præsumendum esse valde versatum in populis spiritualiter regendis, poterat adversus illum retorqueri. Ultraquamquod igitur argumentum est criminabilis volutationibus numquam quiescere, atque uno Beneficio obtento, cito ipsius tædere, & alterum quærere, id etiam ex aliis capitibus reddit novo Beneficio indignum. Cum igitur NN. Beneficium Curatum dimiserit pro alio simplici Beneficio, vel convincitur quamdam speciem mercaturæ de suo Beneficio fecisse, si illud dimisit ob ditius Beneficium obtinendum, vel convincitur ambitionis æstu agitari, si novum Beneficium magis honorificum reputaverit; vel convincitur otium appetere, si Beneficium Curatum dimisit ob tædium laborum Parochialium. Hinc non concedendam prælationem iis, qui dimittunt suum Beneficium; ut cum alio permutent, ex Rota docet Cardin. de Luca *de Paroch. disc. 6. n. 13.*

12 Ex hoc autem etiam novum argumentum favore electi ab Ordinario oriebatur; nam cæteris paribus, provisus non proviso præferendus est, ut pluries decisum videre est apud Barbosam *in c. 18. sess. 24. Concil. Trid. de reformat. n. 134.* & pauperi diviti, ut ibidem Barbosa, & docuit *Rota cor. Ottobon. decis. 248. n. 8.* conveniens etenim est, ut proposito habente, unde commode vivere possit, cæteris saltem paribus, provideatur ille, qui id non habet. Postponendus ergo erat NN. qui ex simplici Beneficio habebat unde viveret, & assumendus ad Beneficium alter, qui cum non esset ex aliis capitibus ipso minus dignus, necesse habebat de Beneficio provideri. Id autem in præsenti assero, quia timendum non videbatur, assumendo ad Beneficium Sacerdotem pauperem, assumi Ministrum rapacem, & qui, plusquam par esset, ex redditibus Ecclesiæ propriæ, & con-
13 sanguineorum indigentiæ vellet providere. Dum econtra ita timere esset, & prævideretur assumendum in Parochum etiam semper querulum futurum, & pro paucis obulis, & parvo cereo a jurgiis non recessurum, certe omnino removendum a Beneficio, maxime Curato, omnes cognoscunt; hic etenim non Pastoris, sed Mercenarii spiritu superabundat, & sub specie tuendi sua jura, vult lucrifacere etiam pacis dispendium. Hinc hujusmodi pauperibus, sed avaris Sacerdotibus, divites sunt anteponendi, si alias sint prudentia, & moribus commendabiles; sicut etiam, cæteris paribus, sunt præeligendi potentes, & Nobiles, cum magis idonei sint ad promovenda, & tuenda jura Ecclesiarum: *Barbos. citat. numer.* 175. & videnda quæ dixi *tract. 5. quæst. 1. cap. 5. quæs. 1.*

14 Demum, ne NN. appellationem intentaret a judicio Ordinarii, tamquam irrationabili, illi ingenue fatendum duxi, quod etsi fuissent in eo omnes illæ, quas magnifaciebat, prærogativæ, nihilominus omnino minus dignus erat reputandus, quia erat diffamatus tamquam vir, qui ubique dissensiones disseminaret, semper irrequietus in excitando modo unam, modo alteram causam jurgiorum, dividendo
15 etiam in parte ipsum Clerum. Non diffiteor utique esse ordinem conservandum, & unumquemque in jure proprio manutenendum; alias etiam in ministeriis Ecclesiasticis induceretur confusio semper vitanda, & dum inter Ecclesiæ Ministros concordia proscribitur, Superiores continuis recursibus fatigantur; & populi ex non interruptis Sacrorum Ministrorum discordiis scandalizantur. At e contra quis non videat nil fœdius, nil arrogantius, nil a Sapientis ratione remotius, quam videre Virum Ecclesiasticum, maxime vili loco natum, semper esse sollicitum de quadam majori honorificentia obtinenda, ægerrime ferre, & præ aliis non æstimetur, & velle sua dicta tamquam Oracula auscultari? Iste Animarum Rector utique non considerat, quod *qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*, ut ait Christus Dominus *Luc.* 14. & qui assidue has irrequietas de fumo excitat quæstiones, non attendit quæ ait Apostolus ad Philip. 2. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate Superiores sibi invicem arbitrantes.*

Addebam non cessare motivum NN. alteri postpo- 16
nendi, eo quod ipse mihi certo certius affirmasset a se non promoveri dissidia ex inanibus, & irrationabilibus titulis, vulgo *puntigli*. Respondebam etenim quod ad illum excludendum satis erat, quod ut talis communiter æstimaretur; sufficit enim diffamatio alicujus notabilis defectus, ut generetur in populis, aliisque Ecclesiasticis sinistra opinio de persona eligenda, qua stante bene minus idonea ad regendos spiritualiter populus judicari potest, ut ex Rota observat de Luca *de Paroch. disc. 3. n. 11.* Sola ergo diffamatio, quod NN. esset irrequietus, & rixosus, sufficiens erat ad illum excludendum a Beneficio, quoties alter aderat, nec isto, nec altero notabili defectu laborans; multo magis proinde excludendus erat ab Ordinario, dum etiam consideravit ipsum criminabilem, ob continuam volubilitatem in dimittendis Beneficiis jam enixe concupitis, & expostulatis.

Ex alio etiam capite dixi bene potuisse ab Ordi- 17
nario NN. saltem minus dignum judicari, ex eo quod nempe tantam demonstraverit, ac habuerit sitim obtinendi Beneficium. Ratio mihi erat, quia cum regimen Animarum junctum habeat onus ipsis Angelicis humeris formidandum, ut habet *Trid. sess. 6. in Decret. de reform.* consequens est habentem veram pietatem, & scientiam, quæ non inflet, potius ab eo assumendo recedere debere. Hinc Beneficia, maxime Curata, aucupantes, cum necesse sit vera pietate carere, immo saltem ut plurimum non mediocrem habere ambitionem, seu desiderium ditescendi, & plusquam par est sese æstimare, bene possunt ab Ordinario minus idonei, ni velimus dicere absolute non idonei, quin immo indigni reputari.

Tamdem perperam asserebat NN. ex majori, vel 18
minori numero suffragiorum judicandum esse de majori, vel minori dignitate illorum, qui approbati fuerunt in concursu. Admisso igitur Examinatores in dando suffragio non solum scientiam attendere debere, sed etiam probitatem, prudentiam &c. Examinati, nihilominus constat ut plurimum Examinatorum suffragia juxta solam scientiam regulari, cum ipsis ignoti, vel saltem non satis noti sint mores Concurrentium. Hinc bene sæpe decisum habemus non pertinere ad Examinatores, præeligere, & declarare qui sint magis, vel minus idonei, sed solum approbare, vel reprobare, seu referre qui magis reputati sint idonei. Verum ultimum judicium quoad 19
majorem, vel minorem dignitatem pertinet ad solum Ordinarium; cum etenim non pendeat a sola scientia, sed multo magis a probitate morum, prudentia in regendis populis, populi amore &c. & hæc saltem magis nota sint Episcopis, consequens est, postposito judicio Examinatorum, optime ab eis judicari posse magis dignum, qui ob minorem scientiam non omnia Examinatorum vota obtinuerit: *De Luc. de Paroch. d. 1. num. 18. d. 3. num. 9.* & alibi *d. 6. nu. 3. & 4.* Hinc ibidem bene animadvertit præsumptionem semper esse pro judicio Ordinarii; & tam vehemens est talis præsumptio, ut appellans ab ipso tamquam irrationabili debeat clare docere de dolo, & irrationabilitate ipsius, juxta Rotam *dec. 537. p. 1. rec.* De primo ergo ad ultimum pessime mihi videbatur agendum ab NN. si appellasset, quasi Ordinarius irrationabiliter judicasset.

CONSILIUM XI.

ARGUMENTUM.

Filii in Hospitali expositi non sunt pro illegitimis habendi: Item Filiorum illegitimitas non satis probatur ex dicto Matris, vel publica fama, sive quia nati sint paulo post sextum mensem, vel decimo expleto. Demum examinatur, an habendi sint pro legitimis filii nati ante matrimonium putativum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Expositi in Hospitali non sunt habendi pro illegitimis.*
3 *In dubio excludendum est delictum, & potius relinquen-*

quendus nocens impunitus, quam innocens condemnatus.

4 *In obscuris attendendum quod verisimilius est, & magis communiter accidit, dum non agitur de alterius præjudicio.*

5 *Peregrini, & Incogniti sunt ab Ordinatione repellendi.*

6 *Non vero expositi.*

7 *Ut admittantur sat est, si potuerint esse legitimi.*

8 *Ex publica fama non satis probatur illegitimitas.*

9 *Nec ex dicto Matris.*

19 *Filius, ordinarie loquendo, non tenetur eidem credere.*

11 *Filius natus expleto sexto mense, vel a paucis diebus expleto decimo habendus est pro legitimo.*

12 *Item aliquando si nati sint, expleto mense duodecimo, vel decimo tertio.*

13 *Id tamen non admitterem, nisi in casu valde extra ordinario.*

14 *Legitimitas Filiorum est materia valde favorabilis.*

15 *Sufficit pro ea stare opinionem etiam singularem alicujus Doctoris.*

16 *Magis communiter docent DD. non legitimari filios natos ante putativum matrimonium.*

17 *Non desunt qui contrariam sequantur opinionem.*

18 *Hoc satis est ut dicantur filii legitimari per subsequens putativum matrimonium.*

19 *Illegitimi solent incontinentiam Patris imitari.*

20 *Illegitimi non sunt spernendi, cum inter illegitimos fuerint Viri præstantissimi.*

1 N.N. cum peteret ad Ordines promoveri, tenuebat Episcopus illum inter Ordinandos admittere, quia tempore suæ Nativitatis expositus fuerat alendus in Hospitali. Cum autem ipse ex hoc ab Ordinibus, & beneficiis se non excludendum assereret, addebat ulterius constare quales fuerint ipsius Pater, & Mater, inter quos cum post ipsius nativitatem intercesserit matrimonium, consequens videbatur & ipsum legitimum censendum. At hoc non obstante, adhuc Episcopus in eo ab Ordinibus excludendo perseverabat, & id etiam ex duplici alio capite. Primo, quia reputabatur a Matre conceptum fuisse ex alio viro, & non ex eo, cujus postea ex concubina facta fuit uxor, atque hoc ipsa mulier confidenter aliquibus mulieribus fassa erat. Et quidem, ut de eo concepisset, necesse erat ex eo generasse, vel ante expletum decimum mensem, vel ante expletum sextum, cum alio tempore absuerit. Secundo, quia etiam, supposito de ipsius Patre, & Matre constare, solummodo dici potuisset legitimatus per subsequens matrimonium, quod tamen videbatur falsum; nam cum propter detectum impedimentum iterum contractum fuisset Pontificia dispensatione, non satis apparebat vi ejusdem fuisse legitimatum, immo magis communiter contrarium dicebatur. Cum igitur ex his omnibus ad Ordinibus excluderetur, petebat proinde, an adhuc posset prosequi suas instantias, ut ab Ordinibus non rejiceretur.

2 Resp. igitur ad singula supra exposita, dicebam primo N.N. non fuisse ab Ordinibus tamqua Irregularem ex defectu Natalium rejiciendum, eo quod fuerit expositus in Hospitali alendus. Supposito igitur nullatenus etiam de legitimis Parentibus constare, hujusmodi expositi non sunt ex defectu natalium tamquam irregulares habendi, quamvis non desint, tam Jurisperiti, quam Theologi, qui contradicant, vel in contrariam opinionem magis inclinent: *Barb. in Rub. ff. de solut. matr. p. 1. Garz. de Benef. p. 1. c. 2. n. 9. Cov. l. si furiosus qu. 1. num. 1. Rebell. de oblig. just. p. 2. lib. 1. sect. 2. n. 25. Reginald. in prax. l. 30. n. 77.* Verum nullatenus ex jure constat de irregularitate hujusmodi fi-
3 liorum expositorum. Primo igitur nemo in dubio habendus est ut illegitimus, si ille, qui hoc asserit, concludenter non probet, ut *ex c. lator, & ex c. pervenit qui fil. sint legit.* quod autem possit dubitari, an expositi in hospitali sint legitimi nec ne, exinde constat, quia non pauci ex legitimo matrimonio procreati in hospitali exponuntur, vel ratione paupertatis Parentum, vel quia nati sunt antequam legitimum contraherent matrimonium &c. Secundo, ex jure habemus in dubio desumendam esse conjecturam pro delicto excludendo; unde ni constet de illegitimitate, non est reputandum delictum in Parentibus. Tertio, potius relinquendus est nocens impunitus, quam innocens condemnatus, ut *ex leg. absentem §. Sed neque ff. de pœnis*, quapropter, dum clarum non est, Expositus non est tamquam illegitimus condemnandus, illum ex capite illegitimitatis ab Ordine excludendo: *Menoch. de præsumpt. l. 6. c. 54. n. 10. & de arbitr. cas. 396. Mascard. de probat. concl. 799. Pontius de matr. l. 1. c. 9. Palaus tom. 2. tr. 13. disp. 4. §. 1. n. 9.* aliique, quos sequitur Barbosa *de offic. Episc. alleg. 51. n. 150.*

Ex jure igitur, ac interpretatione DD. potius probatur expositos tamquam legitimos habendos, nec ex illo aliquid adversus ipsos, quod clare convincat de illegitimitate, affertur, ut putabant Adversarii. Dicebant igitur haberi ex regulis juris, in obscuris inspiciendum quod est verosimilius, & frequentius accidit; adeoque expositos pro illegitimis habendos, utpote quia ita verosimilius est, & frequentius, non legitimi, sed illegitimi exponuntur. Verum hæc regula in dubio attendenda solum, quando non agitur de aliquo bonis suis privando, aut de gravando illum cui potest esse innocens, ut ex jure supra dictum est & probatur etiam ex regula 30. juris in 6. qua dicitur in obscuris minimum esse sequendum. Quamvis igitur negari non possit verosimilius esse expositos non esse legitimos, & ita frequentius accidere, non tamen est attendendum, cum posset legitimus injuste gravari. Non est igitur in hac materia attendendum quod communiter contingit, sed quod potest contingere, ut firmant inter alios. *Card. Paleot. de Noth. & Spur. c. 63. n. 3. Menoch. de præ. l. 6. præs. 54. nu. 20. & de arbitr. Judic. cas. 399. num. 16. Mascard. de probat. concl. 796.* & alii, quos sequitur Barbosa *de offic. Episc. alleg. 51. n. 40.* & cum possit esse quod expositi ex legitimo matrimonio sint procreati, tamquam legitimi sunt reputandi. 4

Quod si Peregrini, & Incogniti, ut *ex c. 2. de Cler.* repellendi sunt ab Ordinatione, id non probat repellendos etiam expositos, ut secundo loco dicebant Adversarii, cum lata assignari possit disparitas. Aliis igitur prætermissis, dicendum est rationem præcipuam vetandi, ne ordinentur Peregrini, antequam de ipsorum persona satis constet Episcopo Ordinanti, eam fuisse, quia Peregrinorum, & vagantium nedum probitas morum, sed neque ipsa Fides, & Baptismus, ordinarie loquendo innotescit Ordinario; quapropter Trid. *sess. 14. c. 2. & 1. & sess. 23. c. 8.* noluit ab alieno Episcopo quemquam ordinari, ni de ipsius probitate, & moribus constiterit ex literis dimissoriis proprii Episcopi. Hæc alia addidit Innoc. XII. in sua Constit. *Speculatores &c.* Constat igitur etiam rationem qua excludi debent saltem per aliquod tempus Peregrini petentes ad Ordines promoveri, non habere locum respectu illius, qui fuerit expositus, maxime si semper moratus fuerit in Diœcesi, ubi petit ad ordines promoveri. 5

Sed quando ex dictis non satis constaret expositos absolute pro legitimis esse habendos, nemo dicet saltem incertum esse, an sint habendi pro illegitimis, cum pro legitimis habendos esse velint tot DD. in dubio autem illegitimitatis omnino removenda est irregularitas, quia non est inducenda, nisi in casibus clare in jure expressis: *c. si quis de sent. excom.* & id in dubio sive juris, sive facti, ut dixi *tr. 4. q. 7. c. 2.*

Hinc absque eo quod concederet novum Jus, potuit Gregorius XIV. declarare non esse habendos ut irregulares expositos, sicut videre est apud Peyrin. *in Prælat. q. 2. c. 5. n. 136.* 6

Cæterum in casu nostro quoad hoc caput videbamur omnino versari extra quæstionem; nam quamvis N.N. fuerit expositus, nihilominus aderant, qui dicebantur esse illius Parentes, & solum illum exposuisse; quia tempore Nativitatis nondum contraxerant matrimonium. 7

Quoad secundum vero caput, quo dicebatur habendum pro illegitimo, adeoque ab Ordinibus excludendum, quia scilicet reputabatur genitus ex alio, & non ex eo, cum quo mulier contraxit postea matrimonium, plura erant consideranda. Primum fundamentum ita credendi videbatur esse, quia erat rumor, & infamia publica, quod ejus Mater, quamvis concubina diceretur illius, quem postea in Maritum duxit, adhuc tamen etiam aliis occulte se prostitueret, adeoque hujusmodi filium ex aliis genuisse dicebatur. Verum id nullatenus excludebat illius legitimitatem, quæ oriri potest ex subsequenti matrimonio; nemo etenim ex sola fama, & publico rumore tenetur se expoliare certa possessione sui juris, cum hujusmodi rumores soleant esse multoties fallaces, & ex dicteriis muliercularum oriri: *Peyr. in Prælat. q. 2. c. 5. n. 129.* 8

Quæ

Quapropter nec aliquis credere deberet suam illegitimitatem; quamvis publicæ famæ unus testis accessisset, ut tenuit Rota *cor. Puteo decis.77.n.8. l.2.*

9 Nullum etiam facessit negocium, quod Mater tunc temporis Concubina, confidenter aliquibus mulieribus dixerit non genuisse ex illo, cujus erat Concubina, sed ex alio, quem, absente eo, quem duxit postea in maritum, clam admiserat.

10 Si igitur solum consideretur dictum Matris, quæ asserebat filium non ex Marito, sed ex alio genuisse, nihil attendendum dicebam, quia ultraquamquod esset testis unicus, magnam exceptionem patiebatur, non solum quia esset mulier, sed etiam quia infamis, utpote non solum concubina, sed & meretrix, si pluribus se prostituebat. Hinc communiter dicitur neq; ipsum filium teneri fidem præstare Matri asserenti se illum ex alio, & non ex eo, qui Pater reputabatur, genuisse; si enim ipsius singulare testimonium nil probaret in præjudicium aliorum, nec dicendum est probare in præjudicium filii, ut etiam dixi *tr.13. q.3. c.2. quæst.4.* & revera dictum Matris in præjudicium filii non esse attendendum, bene etiam habetur ex jure, ut *ex leg.penult ff.de probat. junct. Gl.* animadvertunt DD. & solummodo attendendum, quando probari posset tempore conceptionis a viro non potuisset cognosci: *Card. Paleot. de Noth & Spur.c. 24. Menoch. de arbitr. cas.89. n.27. & de præsumpt. l. 6. præs. 53. a n.6. Rota decis.363. n.3. p.5. recent.* Vel saltem, ut dictum Matris adversus filium probaret, oporteret illud talibus esse vestitum circumstantiis, ut redderet moraliter certam illegitimitatem filii: *Suar. de cens. disp.50. sect.4. Covar. reg. peccatum 1. n. 39.*

11 At utique id non satis probatur, etsi ille, qui antea fuerat ipsius concubinarius, fateretur non habuisse rem cum illa, nisi ante decimum mensem a nativitate illius, de quo agitur, cum ab eo tempore discesserit, & deinde solum ante sextum, cum ab eo tempore redierit. Primo igitur, si verificetur mulierem peperisse exactis sex mensibus & aliquibus, ex quo rem habuerit cum eo, qui tunc erat ipsius concubinarius, cum jam curreret septimus mensis, quamvis non expletus a conceptione, potuit ex eodem filium habere; qui superstes esset, adeoque qui præsumatur legitimus si postea intervenerit legitimum matrimonium. Ita Ex Hyppocrate & aliis docet *Menoch. de Arbitr. cas. 89. n.34.* cum etiam *ex l. intestato 3. §. fin. ff. de suis & legit.* dicatur justo tempore natus, qui natus est die 182. adeoque solum septimo mense inchoato.

12 Sed & filius concubinarii præsumi potest, & debet, quamvis ortus fuerit expleto per paucos dies decimo mense, a quo rem habuerit cum ea; quæ ante quam esset Uxor illius, fuit Concubina; nam per integros decem menses quandoque fœminas partum gestare, ex plurium authoritate docet *Peyrinus de Prælato tom.2. q.5. c.5. §.9. n.130.* quapropter standum esse pro legitimitate talis filii habetur *ex l. gallus 29. in princ. ff. de liberis & posthum. junct. Gl.* ac insuper tradit *glossa in Auth. de rest. §. unum si quidem v. undecimo mense*, & ex aliis affert *Menoch. de arbitr. cas.89. n.40. Gomez decis. 325. per tot. Engel. tit. qui fil. sint legit. n.7.* unde hujusmodi filios ut legitimos non esse excludendos ab hæreditate passim testantur Authores decisum fuisse. Imo alios ut legitimos habitos fuisse, & admissos ad hæreditatem Patris, quamvis natos mense duodecimo, vel decimotertio, ex quo vir habuerit rem cum uxore, non nulli asserunt, ut videre est apud *Majol. de Irregul. l.1. c.7. in fin.* quamvis id non facile admittendum crederem, maxime dum ageretur de hæreditate alii præripienda, quia puto natum fere expleto duodecimo mense habere præsumptionem juris contra suam legitimitatem, ut facile videre erit apud scribentes *in Novell. 39. c.2.* ubi non extenditur tempus gestationis fœtus ultra decimum mensem, quod tamen intelligendum, eo modo, quo paulo ante dixi. Quod si daretur casus adeo extraordinarius, ut attenta dispositione, & qualitate mulieris judicent Medici etiam ultra duodecimum mensem potuisse fœtum gestare, maxime si ipsorum judicium ex honestate mulieris convalidetur tunc etiam posset judicari pro filii legitimitate, ut ex Godofredo *in*
13 *Nov.39. cit. c.2. lit.c.* docet *Reinf. in l.4. Decret. tit.17. n. 23.* ubi & dicit Senatum Parisiensem legitimum judicasse partum 14. mensium, & inter alias ad ita judicandum impulisse honestissimos Matris mores.

Demum standum esse pro legitimitate NN. exposcentis ad Ordines promoveri, apud me certum erat etiam ex ratione reflexa. Ea autem erat, quia legitimatio est materia valde favorabilis, unde Canones, & Jura, quantum possibile est, favent legitimitati filiorum, ut observat *Rota decis.201. n.41. p.5. recent. Decius consil. 153. n.1. &c.* Et de facto jus vult legitimos reputandos, qui nati sint ex matrimonio putativo, quod postea detegatur nullum: *cap. iis, qui fidem de sponsal. c. per latum 8. qui fil. legitimi*, & id quamvis unus ex contrahentibus fuerit in mala fide, dummodo alter bona fide contraxerit: *c.2. & c. ex tenore 14. qui fil. sint. legit.* Cum igitur dum agitur de legitimitate filiorum, agatur de re, cui Jura valde favent, consequens est, quoad fieri potest, esse ampliandam. Hinc dum pro alicujus legitimitate stat opinio singularis non irrationabilis alicujus Doctoris, ratione favoris eidem a lege tributi, videtur sequenda etiam contra communem DD. *arg. cap. fin. de sent. & re judic. Host. in c. si vir de cogn. spir.* & tradit *Rota penes Cass. decis. unic. de Sponsal.* 14

Ex hoc autem ita discurrendum est. Quod NN. habeatur pro legitimo, adeoque immunis ab irregularitate, pendet ab hoc quod potuerit nasci, & superstitem esse, expleto a paucis diebus mense sexto a conceptione, vel potuerit generari expleto jam decimo mense, & aliquibus. Dum proinde jam demonstratum sit ex plurium opinione, ita posse evenire, nullatenus patitur favor legitimitatis, ut contrarium evenisse judicetur. Accedit ad probandam filiationem satis esse, si quis probet potuisse concipi ex eo, quem dicit suum patrem: *Menoch. cons.687. n 22. Mascard. de prob. concl.789. n.36. l 2. Rota decis.409. n.30. & 34. p.5. c. rec.* 15

Remanebat considerandum, an petenti ad Ordines promoveri deesset legitimitas, qui natus ex parentibus, inter quos erat impedimentum dirimens matrimonium, quo in casu filios non legitimari per subsequens matrimonium de jure nullum, docent communiter DD. *arg. c. tanta qui fil. leg.* ubi Barbosa *n.30.* non paucos congerit DD. & ex iisdem docet *n.31.* impedimentum dirimens saltem debuisse esse sublatum tempore nativitatis, ut filius per matrimonium subsequens ipsius conceptionem, legitimus esse intelligatur. Nil autem ex his evenit in casu nostro; nam longe post nativitatem filii pontificia dispensatione sublatum fuit impedimentum tunc detectum. 16

At Nihilominus ego putavi Episcopum, etiam hoc non obstante, potuisse NN. legitimum reputare, & id eo quod Parentes post longum concubinatum bona fide contraxerunt matrimonium, cum omnino ignorarent esse inter eos impedimentum dirimens. Ego quidem non diffiteor communiorem esse opinionem per subsequens matrimonium putativum, invalide nempe, sed bona fide contractum post nativitatem filiorum, non legitimari filios antea susceptos, cum jus hoc tribuere videatur solummodo matrimonio proprie tali, si velimus verba in proprio sensu usurpare. Ulterius quod est de jure nullum, nullum producit effectum; *l.4. §. Condemnatam ff. de re judic.* ac proinde ex matrimonio de jure nullo haud oriri poterit præcedentium filiorum legitimitas: *Covar. de Matr. p.2. c.8. §.2. n.20. Fachin. l.3. controv. c.55. Koenius in tit. qui fil. sint legitim. n.13. Engel. ibid. n.9. Mol. de justit. & jur. disp.172. n. 11.* Sed quidquid sit de ratione directa puto saltem ex ratione reflexa tutissime dici posse per subsequens matrimonium putativum filios antea susceptos legitimari. Si igitur certum est filios procreatos ex matrimonio nullo, sed bona fide contracto, a jure legitimo declarari, *ex cap.2. qui fil sint legit.*, immo ad legitimitatem sufficere, si saltem unus ex contrahentibus bona fide contraxerit, ut docet Glossa communiter recepta *in c. cum inhibitio v. ambo Parentes*, & videre est apud *Barbos. in cap. ex tenore 14. n. 2.*, etiam saltem probabile erit tale matrimonium habere vim legitimandi filios ante ipsum generatos, unde etiam per tale subsequens putativum matrimonium legitimari filios, inter alios docuerunt Pontius *l.7. c.1. §.2. n.13., Gonzal. in c. cum inter qui fil. sint legit. n.6. Pirring. ibid. n.36. &c.* 17

Addendum quod, si SS. Canones voluerunt natos ex Matrimonio putativo, quamvis ex parte unius tantum ex contrahentibus, esse legitimos, quia putaverunt expedire Reipublicæ favere legitimitati filiorum, 18

idem

idem favor propter identitatem rationis extendi potest ad Matrimonium putativum, quoad filios ante ipsum natos. Cum autem ex his rationibus saltem probabile sit vi talis Matrimonii legitimari filios antea natos, dicendum absolute est vere legitimari, cum commune sit apud DD. favorabilem interpretationem omnino sequendam esse favore legitimitatis filiorum, itaut velint pro ea judicandum, etsi pro ea stet opinio singularis alicujus Doctoris, ut jam supra visum est. De primo ergo ad ultimum satis constat NN. petentem ad Ordines promoveri, non debuisse tamquam irregularem ex defectu natalium repelli.

19 Spectabat tamen ad Ordinarium bene examinare quales essent ipsius mores; nam lex præsumit filios esse paternæ incontinentiæ imitatores, adeoque timet natos ex culpabili coitu castos non esse: *cap litteras de fil. Presbyt.* vel non omnino innoxios: *cap. conjunctiones 35. q. 2.* Non per hoc tamen intelligo spernendos, & contemnendos eos, a quibus nulla ratione illegitimitatis nota excludi potest; nam ultraquamquod tales sint non propria culpa, sed aliorum vitio, etiam multi illegitimi fuerunt insignes, præclari, ac præstantissimi Viri, ut videre est apud Paleottum, *de Not., & Spur. c. 55. n. 10., & c. 66., in fin., Azor. Instit. Moral. p. 2. lib. 11. c. 2.*

CONSILIUM XII.

ARGUMENTUM.

Simoniacum est dare collatori Beneficii munera, etsi videantur data ad removendam ipsius pravam voluntatem. Item Simoniacum est ea intentione dare aliquid temporale, ut quis desistat a concurrendo, ut sibi facilior reddatur assequutio Beneficii; & maxime si adfuerit mutuum pactum de non concurrendo. Nihilominus non est dimittendum Beneficium assequutum, dum Simonia non transit in realam.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Non desunt qui asserant non adesse Simoniam, etsi detur temporale ei, qui potest prodesse in assequutione beneficii, si detur ad removendam pravam voluntatem.*
3 *Non est Simonia dare pecuniam injuste deneganti Sacramenta.*
4 *Sicut injuste impedienti, ne quis accedat ad concursum.*
5 *In praxi semper Simoniacum est dare temporale Collatori Beneficii, etsi videatur intendi sola remotio pravæ voluntatis.*
6 *Non convincitur contrarium eo quod licitum sit dare pecuniam injuste deneganti Sacramenta.*
7 *Sicut quia licite datur pecunia injuste impedienti, ne quis accedat ad concursum.*
8 *Simoniacum est dare pecuniam, ne aliquis accedat ad concursum, quando hoc medio facilior redditur assequutio beneficii.*
9 *Simoniacum est pactum mutuum inter duos de non concurrendo, si ex hoc aliquis ipsorum faciliorem sibi reddit assequutionem beneficii.*
10 *Non potest dari pecunia pro removendo indigno, quoties dans pecuniam parat hoc pacto sibi viam ad beneficium.*
11 *Electio Simoniace facta nulla est.*
12 *Non tamen, si intercesserit Simonia pure mentalis.*

1 CUM quodam vacasset Beneficium, NN. cupiens illud obtinere, duo ad illud obtinendum sibi obstare reputabat. Primum, quia Collatorem Beneficii numquam erga se benevolum cognoverat, quamquam id nonnisi, vel ex naturali antipatia, vel ex Calumniatorum mendaciis potuisse oriri assereret, cum vitam, secundum quod ipse saltem opinabatur, prout decebat Ecclesiasticum, duxisset, nec umquam de Collatore mala fuisset loquutus. Secundum, quis inter concurrentes ad Beneficium unus futurus erat, qui quamvis revera indignus, talis a Collatore non reputabatur, immo erga ipsum semper valde benevolum se exhibuerat: quapropter primum vacaturum Beneficium se illi lubenter collaturum sæpe Amicis expresserat. Ad hæc removenda obstacula, NN. primo, aliam prætexendo causam, non exiguis muneribus sibi consiliare studuit Collatorem, nil aliud intendendo, nisi ex non benevolo sibi reddere benevolum. Deinde aliis collatis muneribus sub titulo amicitiæ, & consanguinitatis illi, cui timebat conferendum beneficium, post aliquod tempus eumdem rogavit, ut a concurrendo abstineret, quod & obtinuit; cum maxime addidisset pactum, quod etsi pro hac vice non obtinuisset Beneficium, abstinuisset ab altero concursu proxime instituendo, ut ipse posset sine impedimento alterum Beneficium obtinere. His mediis assequutus est beneficium, quod summopere optabat; at postea conscientiæ stimulis agitatus, interrogabat, an vere esset Simoniacus, & subinde, an perseverare posset in possessione adepti Beneficii.

Respondendo igitur ad casum, dicebam, quod si quorumdam opiniones tantum speculativas ad examen revocarentur, fortasse præfatus omnino immunis a simonia pronunciaretur, quando revera ex pluribus capitibus Simoniacus erat judicandus.

Non nego igitur non deesse DD. qui asserant posse pecunia redimi vexationem injustam etiam ab eo, qui potest prodesse in ordine ad Beneficium assequendum, dummodo ea pecunia intendatur emi, quod solum temporale est: ita evenire dicunt, si quis vellet pecunia removere inimicitiam, odium, persecutionem &c. Ratio autem est, quia ex una parte, etsi pecunia detur ad hæc removenda ab Electore, seu Collatore, non proinde emitur electio; hæc etiam non necessario sequitur ex horum cessatione, seu remotione. Ex alia vero parte præfata non excedunt rationem rei temporalis. Supposito ergo Collatorem nulla ratione debuisse esse male affectum erga illum, qui optabat Beneficium, non male esse videbatur pecunia illum a mala inclinatione removere: *Bonac. de Sim. q. 6. par. 4. n. 4. limit. 3., Pal. tom. 3. tr. ult. d. 3. p. 2. n. 4., Sanch. l. 2. consc. c. 3. dub. 30. n. 5., Pasqual. dec. 230. & 231. Gibal. de simon. q. 18. consect. 5. n. 18. &c.* 2

Aptatur igitur videtur huic opinioni ea communior sententia, qua dicitur non esse simoniam dare pecuniam injuste deneganti Sacramenta; si etenim iste licite operatur, quia intendit redimere injustam vexationem, cum alias habeat jus ad Sacramenta, ita videtur dicendum de intendente removere pecunia malam voluntatem a Collatore, nam ita intendens jus in re habet, ne injuste impediatur a consecutione Beneficii. Item exemplificari potest in eo, qui pecunia curat liberari e manibus illius, qui ipsum impedit, ne accedat ad concursum. 3 4

Verum, quidquid sit de speculativa probabilitate hujus, & similium opinionum, absque limitatione admittenda videtur regula, quam tradit *D. Th. 2. 2 q. 100. ar. 2. ad 5.* quod nempe antequam jus alicui acquisitum sit in Beneficium, *simoniacum sit adversantium obstacula pecunia redimere*. Non nego igitur temporale quid esse illam pravam voluntatem, quam habet Collator erga illum, qui Beneficium optabat, at videndum in praxi, an revera ematur sola remotio illius pravæ voluntatis ut sic, & absolute, vel an vere ematur ad parandam sibi viam ad Beneficium, adeoque quatenus illa remotio habet annexam spiritualem utilitatem, & conducere potest ad Beneficii consequutionem. Utique non datur de facto pecunia ad removendam pravam Collatoris voluntatem per se, & secundum substantiam consideratam; nam de ea non curasset, qui dedit pecuniam, si ad Beneficium concurrere non intendisset; unde revera datur, quatenus consideratur ut impedimentum exercitiæ assecutionis Beneficii, & ita intendendo eam removere mediante pecunia, intenditur virtualiter procurare Beneficium, adeoque assecutionem rei spiritualis. Hoc autem certe est simonia saltem ex parte dantis, cum convincatur dare temporale pro spirituali assequendo, quamvis ab eo assequendo injuste impediatur: *D. Anton. p. p. c. 3. §. 13. Rebuff. in prax. tit. de Simon. in renunc. Suar. tit. 1. de relig. d. 4. c. 50. n. 28. Less. l. 2. c. 35. d. 24. n. 106. Laym l. 4. tr. 10 c. ult. n. 22.* Hinc quia in praxi, quando datur pecunia pro re temporali, quæ conducat ad assequendum spirituale, non dantur hujusmodi præcisiones, nec revera separatur a dante pecuniam temporale a spirituali, a jura reprobantur in his materiis quæcumque pacta, quamvis respicere videantur quid temporale: *c. pactiones fin. de pact., ubi Barb. n. 2., c. super eo de transact., cap. quærelam, & c. tua nos de Simon., & c. un. ut Eccles. Benef., & caus. 1. q. 3. fere per tot.* 5

6 Male autem aptatur præsenti casui illa doctrina, qua magis communiter dicitur licitum esse dare pecuniam injuste deneganti Sacramenta, habendo pro fine redemptionem injustæ vexationis, adeoque eodem fine licere dare pecuniam Collatori Beneficii, ex sola intentione removendi malam affectionem. Male, inquam, aptatur hæc paritas, si sequentia considerentur. Cum igitur temporale, quod datur, reddatur pretium simoniacum dum ex intentione, vel formali, vel virtuali offerentis, detur ut pretium ad consequendam rem spiritualem, sicut expresse habetur *c. tua nos 34. de Simon.* id non verificatur de dante pecuniam injuste sibi deneganti Sacramenta. Ratio est, quia nemo intelligitur dare pecuniam pro eo quod sibi omni jure debetur, adeoque veluti suum considerat; & proinde si gratis det deneganti quod sibi omnino debetur, bene intelligitur non dare ut pretium rei jam debitæ, sed ad removendum injustum impedimentum. Ad eum modum quo qui certo sciret Judicem debere in sui favorem gratis sententiam pronunciare, idque nollet, tunc dando pecuniam non intelligeretur emere favorabilem sententiam, cum nemo intelligatur velle emere quod sibi gratis debitum est, adeoque veluti suum est, sed solum ad flectendam perversam Judicis voluntatem. Ita igitur & in præsenti, cum quicumque Christianus habeat jus indubitatum ut sibi irrationabiliter sacramenta non denegentur, & maxime in gravi necessitate; dum dat pecuniam Ministro eadem injuste deneganti, non dat ut veluti emat id, quod sibi debetur, & quod gratis est sibi exhibendum, sed unice intendit flectere mediante pecunia iniquam Ministri voluntatem. Ita etiam S.Th. loc. supra cit. dicit, habenti jus acquisitum in Beneficium licere *per pecuniam injusta impedimenta removere*. Hæc autem nullatenus militant in casu nostro; nam dans munera Collatori ut ex non benevolo sibi benevolum reddat, nullum jus habet ad Beneficium, quod optat; unde convincitur pecunia non solam quærere benevolentiam Collatoris, sed sibi insimul parare viam ad Beneficium, quod certe simoniacum est.

7 Male etiam aptatur paritas de illo, qui dat pecuniam injuste illum detinenti, ut ita ipsi liberum sit accedere ad concursum; nam utique iste pecunia redimit temporale impedimentum, neque intelligitur eadem pecunia sibi parare viam ad Beneficium, cum non sit conferendum ab eo, qui injuste illum detinebat.

8 Ex prædictis autem constat etiam intervenire labem simoniacam, dum quis tradit pecuniam alicui ut desistat a concursu, atque ita sibi facilior reddatur assequutio Beneficii. Putat utique Pasqualigus in hoc nullum malum esse, ut habet *dec. 243.*, quia ipsi videtur pecunia solummodo emi cessionem libertatis naturalis, quæ cum sit quid temporale, non videtur malum aliquod importare. At nullatenus est audiendus; nam quamvis cessio ut sic naturalis libertatis sit aliquid mere temporale, quod proinde vendi potest, & emi, nihilominus hic, & nunc verificatur emi jus spirituale alterius; nam ut spirituale ex objecto considerandum est, quoties respicit officium spirituale obtinendum. Insuper non datur pecunia pro cessione talis juris, ut sic, sed ut affert spiritualem utilitatem, seu ut parat viam ad obtinendum Beneficium per remotionem impedimentorum. Ad eum modum quo verificatur velle ignem accendere, qui totus est in removendis contrariis dispositionibus a ligno, ut postea facilius incendatur: *Barbos. de offic. Episc. alleg. 60. n. 54., Sanchez lib. 2. cons. c. 3. d. 30. nu. 12. Palaus. disp. 3. de Simon. p. 20. n. 2., Pont. l. 5. de Matr. cap. 13. §. 6. a. 40.*

9 Ex his etiam constat adesse simoniam, dum inter duos adest pactum, quod uno non concurrente cum alio ad hanc electionem, alter non concurret cum ipso in ordine ad futuram. Quamvis igitur suo more contradicat Pasqualigus *decis. 249.*, nihilominus contrarium omnino asserendum est, cum hujusmodi pacta fiant ut paretur via ad Beneficium, adeoque, quamvis non ita proxime respiciant electionem, quia fortasse aliquis non eligetur, revera tamen fiunt respiciendo utilitatem spiritualem, assequutionem nempe Beneficii facilius obtinendi, per hoc quod juxta pacta abstineant a concurrendo: *Sanch. loc. cit.*

10 Nec refert NN., de quo in casu, velle se excusare, dicendo omnia hæc fecisse ut removeretur indignus, quem Collator ob ignorantiam volebat eligere. Esto igitur potuisse dare pecuniam Collatori, vel facere aliquod aliud pactum, ut indignum non eligeret, id tamen non habet locum, quoties dans pecuniam cognoscit sibi parare viam ad Beneficium, quod optat; nam tunc pecunia, vel alio pacto pretio æstimabili velle removere indignum, est velle illum removere ratione utilitatis spritualis, seu assecutionis Beneficii, sibi facilius obventuri, quod certe simoniacum. Cæterum qui dicebat præfata omnia præstitisse zelo indignum a Beneficio removendi, facto ipso cum verbis non concordare demonstravit; si etenim volebat indignum removere, cur pactum cum ipso iniit abstinendi a subsequenti concursu, ut qui indignus pleno ure ab ipso dicebatur, posset alterum Beneficium obtinere.

11 Mentiebatur ergo iste Parochus ex tot titulis Simoniacus, quapropter dignis pœnitentiæ fructibus ni suum crimen expiasset, assecutioni Beneficii latissimam sibi ad damnationem viam paraverat. Hinc summupere mihi displicuit non potuisse affirmare ex hoc capite debere omino dimittere Beneficium, cum reputarem indigniorem eo, quem dicebat voluisse excludere. Quamvis igitur provisio, electio & collatio simoniace facta nulla omnino sit, ut ex *Extra. Detestabile de Simon.*, & ex Const. S. Pii V. incip. *Cum mediam*, aliisque juribus, id tamen verificatur solum, dum intercessit simonia realis, quam tam ratione munerum datorum Collatori, quam alteri, quem postea rogavit, ut a concurso abstineret, intervenisse non apparebat. Semper cum igitur NN. dederit munera Collatori, & alteri qui poterat concurrere ad Beneficium, nullo intercedente, vel implicito pacto ut primus conferret Beneficium, vel ut secundus desisteret a concursu, quamvis in mente habuerit ita sibi faciliorem reddere assequutionem Beneficii intercessit solummodo simonia mentalis ex parte ejusdem, quæ nullis subjacet Ecclesiæ pœnis, ut ex *cap. fin. de Simon.* 12 Poterat quidem ex tertio capite consurgere simonia realis nullam reddens collationem Beneficii, si utrinque pactum non concurrendi fuisset adimpletum; at de facto qui obtinuit Beneficium ex parte sua non adimplevit pactum simoniacum non concurrendi: hujusmodi etenim erat de non concurrendo, etsi non obtinuisset Beneficium: unde cum revera obtinuerit, non fuit locus ut ipse ex parte sua adimpleret pactum secundum rationem qua illud fecerant, & erat pretio æstimabile, non concurrendi scilicet ad alterum Beneficium, supposito quod primum non obtinuisset. Hinc cum ista simonia non transierit in realem poterat ex hoc capite Beneficium retinere: Sanchez &c. Ita &c.

CONSILIUM XIII.

ARGUMENTUM.

Quando competat Parocho denegare Sacramenta ratione diffamationis, seu notorietatis alicujus gravis peccati, vel ratione non exhibitæ schedulę peractæ confessionis.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Publico peccatori sunt deneganda Sacramenta quomodocumque illa petat.*
3 *Fama multoties est fallax.*
4 *Sola fama nunquam satis probat* [illegible]
5 *Etsi orta fuerit a Personis honestis.*
6 *Non attendenda, si oriatur a personis malevolis, & fide non dignis.*
7 *Non satis est orri a personis honestis; si non afferant causam, & rationem sui dicti.*
8 *Inanis Populi vox flocci pendenda.*
9 *Ad deneganda Sacramenta non satis est diffamatio, quæ inducat probabilem suspicionem delicti, quamvis vehementem.*
10 *Ad aliquem condemnandum oportet probationes esse luce clariores.*
11 *Ad deneganda Sacramenta satis est publica violenta præsumptio alicujus gravis peccati non emendati.*
12 *Non satis est si fuerit publicum alicujus peccatum, si non sit notoria perseverantia in eodem.*
13 *Illud non debet dici notorium, quod non constat decem saltem personis probis, & honestis.*

14 *Item*

14 *Item debuit ipsi innotescere peccatum, dum erant simul, non vero singillatim.*
15 *Debuit item delictum esse notum in se, vel in suis effectibus, ex quibus certo moraliter de eodem constet.*
16 *Dum aliquid est notorium decem honestis personis, potest dici absolute notorium, quamvis factum sit in numerosa Civitate.*
17 *In praxi difficillimum est esse sufficienter notoria crimina, quæ in occulto committuntur.*
18 *Publicus peccator non est admittendus ad Communionem, nisi exhibeat schedulam Confessionis.*
19 *Neque tunc statim est admittendus.*
20 *Parochus potest exigere schedulam Confessionis etiam ab asserente confessum fuisse, si fidem non mereatur.*
21 *Si non adsit lex id præcipiens, non est ab honesto Parochiano exigenda schedula Confessionis.*
22 *Unusquisque Christianus jus habet ad exigenda Sacramenta, ni constet a tali jure excidisse.*
23 *Schedulæ peractæ Confessionis sunt subjectæ multis falsitatibus.*
24 *Lex de petenda schedula peractæ Confessionis interpretanda est quod obliget solum respectu personæ, quæ fidem non mereatur.*
25 *Potest Medicus assistere Infirmo, qui ex fide probati Viri confessus sit sua peccata.*
26 *Non expectandum est ad exhibendam schedulam confessionis, dum Parochianus est in numero Communicantium.*

1 DUM NN. Parochus publice dispensaret in Festo Paschatis SS. Eucharistiæ Sacramentum, accessit una cum aliis ad illud recipiendum quidam juvenis, intendens satisfacere præcepto annuæ Communionis. At Parochus illi eam denegavit, & palam protestatus est se numquam ad Communionem admissurum, ni prius fidem exhiberet, quod Sacramentaliter confessus fuisset sua peccata. Ex hac Parochi agendi ratione vix dicere est, quot fuerint obmurmurantium linguæ, tam in illa Parochia, quam in vicinis Pagis, aliis Parochum, & imprudentiæ, & ignorantiæ accusantibus, addentibus graviter, & sine fundamento famam juvenis summopere denigrasse; quibusdam vero Parochum tuentibus, ac religioso zelo exarsisse affirmantibus. Interim vero Parochus se tuebatur dicendo juvenem a S. Synaxi rejecisse, tum quia ex publica fama ab omnibus dicebatur vitam inhonestam cum Amasia ducere; tum quia id aliquibus ex Parochia erat notorium; tum demum quia affirmabat ad jus Parochi pertinere non admittere in Paschate ad S. Communionem, ni prius, si ita velit, ipsi exhibeatur schedula peractæ Sacramentalis Confessionis. Ortum proinde est dubium, an iste Parochus sese sufficienter tueretur.

Respondendo igitur ad expositum casum, dicebam multa fuisse verificanda, ut satis constaret Parochum prudenter, & Christiane se gessisse. Repulsa igitur ab ipso data juveni SS. Eucharistiam exposcenti, posset ratione infamiæ, seu notorietatis vitæ inhonestæ tueri, quoties ex duplici isto capite verificaretur Juvenem fuisse publicum peccatorem. In hoc quidem casu, juxta doctrinam S. Thomæ *3. part. quæst. 81. artic. 6.* ab
2 omnibus receptam, tali peccatori vel publice, vel privatim petenti, Eucharistia est deneganda, cum Sanctum dandum non sit canibus, qui nullum jus habent ad illud. At difficultas non exigua est in verificando talem diffamationem, adeo ut ex ea aliquis vere dici
3 possit publicus peccator. Primo ergo omnino advertere debebat Parochus famam, ut plurimum esse fallacem, ut *ex cap. cum in juvent. de purg. can.*, ac plerumque ortum habuisse ex dicto alicujus nulla fide digni, quod postea invaluerit penes multitudinem: atque ita non raro ex publica fama etiam Sanctissimi Viri, ac honestissimæ fœminæ velut gravibus criminibus inquinatæ apud vulgum semper garrulum traducuntur. Hinc nuda fama nec in civilibus, nec in criminalibus
4 sufficienter probat; *can. si testis §. Sæpe etiam 4. quæst. 3. cap. illud de Cler. excom. junct. Gloss. l. 3. §. Ejusdem digestis de testib. Fagnan. in capit. qualiter, & quando il 2. de accusat. num. 58.* & communiter. Immo hoc verum est, etsi fama originem habuerit ex personis honestis, quamvis tunc faciat adminiculum, & coadjuvare possit alias probationes, ut ex *Fagn. cit.*
5 *n. 88.*, & docent communiter DD. apud Farinac. *q. 47. n. 58.* Ex his ergo inferre est, quod si Parochus ex solis communibus Populi dicteriis juvenem Parochianum ab Eucharistia percipienda repulisset non solum sese imprudentem, sed simul multa ignorantia laborantem demonstrasset.

Ut igitur ratione diffamationis potuisset Parochus NN. Eucharistia privare, primo necesse erat constare eam ortum habuisse non a personis malevolis seu inimicis, sed a personis honestis, & fide dignis: *cap. qualiter, & quando il 2. de accusat.* Quamquam au- 6
tem olim aliqui putarent id sufficere, ut fama esset attendenda: *Felin. in cap. veniens num. 17. de testib.* nihilominus id multi nullatenus admittendum censent; nam etiam Viri in communi Hominum æstimatione probi, honesti, & prudentes, ex propria, seu bona, aut mala erga aliquem affectione, vel etiam nimio zelo non raro nimis faciles sunt ad opinandum, vel bonum, vel malum. Hinc etiam testes volentes probare famam, non sat est, si dicant ita a pluribus audisse, sed insuper debent assignare causam dicti sui: *Sperell. decis. 173. num. 79.* & apud ipsum Rota, *Mascard. de prob. concl. 750. a num. 12. aliisque.* Et quidem 7
si dum agitur de admittenda, vel excludenda fama, sufficeret solum ita aliquos, quamvis probos, & prudentes dixisse, & non considerantur causæ, & rationes, ex quibus traxit originem, multoties non esset nisi inanis Populi vox, omnino flocci pendenda, ut *ex leg. Decurionus C. de pœn. leg. diva Mater C. qui manumitt. non poss. leg. miles §. penult.* 8
ff de adult., cap. Ostius.

Præterea non sat est ad denegandam Eucharistiam, 9
quod causæ, quibus innititur alicujus diffamatio, tales sint, ut solum inducant probabilem suspicionem, quamvis vehementem. Ratio est, quia licet conjecturæ inducentes probabilem, licet vehementem suspicionem, dent prudens fundamentum judicandi frequenter evenire, sicut indicant tales causæ, & indicia; nihilominus non afferunt omnimodam certitudinem, quod de facto ita sit. Hinc talis, licet vehemens suspicio, non sufficit ad condemnandum aliquem in pœnam ordinariam; quia nemo in ea potest condemnari, ni clarissime esse reum probetur; ac proinde dicitur quod dum agitur de aliquo condemnando, probationes debent esse luce clariores. *leg. sciant C. de probat.*, & quod in obscuris reo potius favendum est, juxta *reg. 11 de reg. jur. in 6.* sicut etiam semper cum pro reo adest aliqua opinio probabilis; *Clav. Reg. l. 1. c. 11. n. 15., Bassæus v. conscientia n. 17. &c.* Si proinde adversus 10
aliquem sit suspicio solum vehemens, adeoque aliter judicari possit revera fuisse, ac fama vulgaverit, non est ab Eucharistia repellendus, quia non clare constat de delicto, ratione cujus fuit diffamatus.

Quod si diffamatio orta fuerit ex violenta præsum- 11
ptione ex talibus nempe conjecturis, & causis, ut credi debeat delictum, quod fama vulgavit, quia iis stantibus semper verificatur delictum, & certum omnino moraliter est fuisse patratum; cum tunc illud evenisse, a quocumque prudente judicandum sit, & ad summum solum remanere posset locus alicui dubio speculativo, in praxi contemnendo, excusarem Parochum ex tali violenta præsumptione excludentem ab Eucharistia veluti publicum peccatorem, non vero si fama, ut dixi, innitatur soli vehementi præsumptioni: *Corrad. 2. p. resp. moral. q. 210. Fagnad. in 5. præcept. Eccles. lib. 3. cap. 10. num. 20. Leand. tract. 7. de Euch. d. 7. q. 58.*

Ex his conjiciat fortasse Parochus nimis præcipitanter se gessisse, dum Parochiano ex præsumpta diffamatione Eucharistiam denegavit; nam difficile est verificari talem fuisse, ut ex ea credi omnino debere ipsius delictum, adeoque a Sacramentis esse repellendum.

Quoad aliud caput, quo Parochus asserebat potuisse 12
Parochiano Eucharist. denegare, quia nempe notorium aliquibus erat cum Amasia impudice vivere, jam suppono, quod non solum debuit esse notorium impudice vixisse, sed etiam eo tempore perseverasse in impudicitia; nam peccatum præteritum non dat causam sufficientem denegandi Sacramenta, cum potuerit confessione expiari. Hoc autem supposito, dicebam non sufficienter se excusasse Paroch., primo, si vita inhonesta Parochiani non erat nota saltem decem personis. Ratio est, quia illud dici non debet notorium populo, quod saltem non innotescit tot personis, quot sufficiunt ad constituendum populum: ad constituendum autem populum simpliciter, & absolute ad minus requiruntur decem personæ, ut

en can. Unio nos tr. 10. q. 3. Sanch. l. 6. Conf. c. 3. dub. 3. & multi Jurisperiti apud Fariuac. *in p. p. prax. Crimin.*
14 *tit. de delict. & pœnis q. 21. n. 47.* Item oportet illis decem personis non innotuisse delictum separatim, adeo ut sint testes singulares, alias exceptionem paterentur, nec ex ipsorum testimonio redderetur evidens delictum; sicut etiam necesse est fuisse personas graves, & honestas, alias major numerus ad notorium requireretur, & tunc potius ad judicium ferendum de notorio attendendum esset Judicis arbitrium, ut vult Sotus *in 4. dist. 12. q. 1. art. 6. §. Rem hanc arbitrio &c.* Insuper oportet ita delictum fuisse manifestum præfatis personis, ut nulla potuerit tergiversatione celari: *cap. tua nos de cohabit. Cler. &*
15 *mulier.* Quia tamen hic agitur de delictis inhonestis, quæ non solent esse nota in se, cum commiti soleant clam, & remotis arbitris, hinc est, ad hoc, ut dicantur hujusmodi delicta eisdem personis notoria, non esse necesse fuisse nota in se, sed sat esse, si fuerint nota in alio, seu in suis effectibus, ita ut reddant delictum omnino moraliter certum. Ita evenisset in præsenti casu, si decem personæ, quæ licet non vidissent actualem cummixtionem Amasii cum Amasia, nihilominus vidissent in loco abdito sine vestibus, & tempore apto ad commixtionem: *Sylvest. v. notorium n. 1. Sanch. Conf. l. 6. cap. 3. d. 3. n. 4.*
16 Verum tamen est, quod si solis prælatis personis delictum innotuisset, & simul Amasios perseverare in inhonesta vitæ consuetudine, mihi certum est hoc sufficere, ut delictum absolute notorium dicatur, etsi in numerosa Communitate fuisset commissum; nam semper cum modo præfato decem innotescit, bene ex jure potest dici innotescere populo, adeoque sufficienter fit notorium. Et quidem si solum dicendum esset notorium, quod majori Incolarum parti innotescit, consequens esset, nullum, aut fere nullum delictum posse diei notorium notorietate facti, de qua hic sermo est, in aliqua numerosa Civitate; cum difficile sit majori illius parti innotescere, quod fit in loco remotiori, quamvis in loco publico. Ita argumentatur Raymundus apud Sylvest. *l. c.*

Ex his videre poterit Parochus, an in rigore debuerit
17 credere notorium delictum sui Parochiani. Si igitur bene considerasset, adinvenisset non fuisse decem personas illas, quibus clare, & indubitanter perspectum fuerit delictum, quod dicitur notorium. Item facile reperiet non illis innotuisse, dum simul essent. Item facillime tales personæ dici non poterant probæ, & honestæ; nam hujusmodi personæ non solent aliis insidiari, ut de ipsorum turpi consuetudine cum aliqua muliere certiorentur: unde ii, quibus innutuit delictum, fortasse fuerunt aliqui ex Juvenibus magis procacibus, & inhonestis Pagi. Si diligenter pariter fuissent examinati, adinventum esset turpem commixtionem non solum non vidisse in se, sed nec in talibus circumstantiis, & effectibus, ut inducerent moralem certitudinem peccati. Demum quam difficile erat judicare de perseverantia in peccato? De primo ergo ad ultimum verendum erat istum Parochum, vel ex indiscreto nimis zelo, vel ex nimia ignorantia peccasse.

Considerandum restabat, an negare potuisset Eucha-
18 ristiam, quia Parochianus non poterat exhibere schedulam peractæ confessionis. Et quidem si Parochianus talis fuisset quod fuerit publicus peccator, ut ita dicam, ex professione, quales sunt meretrices, publici Usurarii, versantes in occasione proxima peccati &c., nullatenus ad Communionem erat admittendus, nisi per Schedulam Confessionis innotuisset ipsius penitentia. Et ratio
19 est quia ubi notorius fuerit malus ipsius status, præsumitur perseverantia in eodem, quæ enim sunt facti non præsumuntur nisi probentur; unda pertinet ad notorium peccatorem, exhibendo Schedulam confessionis probare pravum suum statum reliquisse: quamvis nec Parochus debuisset statim illum ad Sacramenta admittere, sed experimentum sumere sinceritatis conversionis ipsius, ac insimul eo medio tempore curare, ut bonis operibus scandala, quæ sua mala vita præbuit, resarciret.
20 Item certum est Parochum posse denegare in Paschate Communionem non exhibenti schedulam Confessionis quoties prudenter credi non possit alicui asserenti se confessum esse; nam tunc cum Parochianus fidem non mereatur, bene Parochus abstinet ab administranda eidem Communione. Ita in Sacramento Pœnitentiæ bene denegat absolutionem, quoties prudenter credere non possit peniteuti attestanti de sua dispositione.

Verum dum non agamus de aliquo, qui fuerit publicus peccator, eo modo quo dictum est, vel de aliquo qui fide dignus non sit, puto nullum esse a Communione rejiciendum, eo quod in Paschate non exhibeat schedulam peractæ confessionis, etsi adesset in aliqua Diœcesi lex de ea exigenda.

Si ergo non adsit hujusmodi lex, ordinarie loquendo, 21
non debet Parochus hujusmodi schedulam exigere. Ratio est, quia ut observat *S. Th. quodlib. 1. a. 12. & in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. q. 5. ad 2.*, quamvis pertineat ad Parochum de suis ovibus cognoscere, qua propter super externam Parochianorum conversationem debeat invigilare, nihilominus quoad ea, quæ pertinent ad forum animæ, debet ordinarie credere suo Parochiano testificanti, vel pro se, vel contra se; adeoque, ut dicit S. Doctor, debet credere ipsi asserenti confessum esse sua peccata.

Dein animadvertere debet Parochus apud quemcum- 22
que Christianum jus esse petendi Sacramenta, ni constet a tali jure ex aliquo peccato excidisse, & insuper non esse in libertate Parochi Sacramenta denegare, quoties non constet peti ab indigno; ipse enim Parochus est ipsorum dispensator ex officio. Insuper advertat Parochus hujusmodi attestationes peractæ confessionis, ut plurimum parum deservire, cum etenim veritas ipsarum in judicio non probetur, nec juramento testium, seu illius, qui eam exhiberet, nihil, vel fere nihil de plus probant, quam dictum illorum, qui eas exhibent; unde præcise vi earumdem nemo videtur excludendus, vel admittendus ad Communionem. Addendum, Parochum jus non 23
habere petendi fidem obtentæ absolutionis, alias multoties sigillum frangendum esset, unde ex prædicta fide inferri non potest petentem Communionem non esse indignum, adeoque constat parum, vel nil conducere ad hoc, ut Parochus sanctæ regat animas sibi commissas.

Quod autem non sit necesse quod Parochus exigat a 24
Parochiano probatæ fidei schedulam Confessionis, quamvis id præscribat lex Diœcesis, ut apparet in nostra Diœcesi ex regulis pro Sacerdotibus, emanatis ab Eminentissimo Spinula *c. 17.* pluribus suaderi potest. Primo, quia lex Ecclesiæ ita intelligenda est, ut conferat ad bonum publicum spirituale, dum autem a persona probatæ vitæ exigeretur schedula peractæ confessionis, potius indignaretur, & secum injuriose agi diceret; unde dicendum est talem legem potius respicere personas non honestas & probas, ut Parochus possit postea adire Confessarium, qui subscripsit schedulam, & videre si vere ipsius sit. Deinde eo quod persona probatæ vitæ schedulam non afferat, non ideo peccavit, & excidit a jure petendæ Communionis; non enim ipsi sub peccato præcipitur schedulam exhibere, sed solum Parocho, ut eam exigat: si autem pleno jure postulat Eucharistiam, qua ratione est illi deneganda? Tertio, ex consuetudine optima legum interprete habemus, eam legem nec vigere, nec viguisse quoad personas vitæ probatæ. Ita quam- 25
vis S. Pius V. in sua Bulla *super Gregem*, voluerit Medicos post tertium diem non amplius invisere ægrotos, nisi ipsis exhiberetur schedula, qua Confessarius testetur iisdem ægrotis Sacramentum Pœnitentiæ administrasse, nihilominus ex consuetudine introductum est, ut loco schedulæ sufficiat testimonium alicujus probatæ vitæ, vel etiam Ægroti, si sit fidei non suspectæ: *Filiuc. tr. 7. c. 3. num. 34. Dian. p. 3. tr. 4. resol. 93.* In casu pariter nostro posse Parochum credere viro fide digno, dicenti confessum esse sua peccata quamvis non afferat schedulam confessionis, ut fert lex Diœcesana, cum aliis docet Bonacina *disp. 5. de Sacr. §. 5. sect. 2. p. 4. num. 36. Sanch. de matr. l. 3. disp. 37. n. 1.*

Præcipue vero abstinere debet Parochus a schedula 26
exigenda, dum petens Communionem est jam ante Altare in numero Communicantium; nam tunc non rejiceretur sine gravibus Astantium obmurmurationibus, & scandalu, nec sine gravi infamia illius, qui rejiceretur. Aliunde, ni constet gravi culpa esse inquinatum, jus habet petendi, simulque ut ipsi credatur, si dicat jam confessione sua peccata expiasse, contra quæ jura facit Sacerdos illum rejiciendo: Passerin. *de Euchar. q. 80. a. 6. comm. 54. c. 2. n. 75.*

Videat ex his NN. Parochus, an prudenter se gesserit in deneganda Parochiano Eucharistia; ac universaliter Parochi discant abstinere ab injuriose agendo petendo fidem Sacramentorum a viris honestis, & probis, idque non alio jure, nisi quia ignoranter putant hoc jus sibi competere.

CON-

CONSILIUM XIV.

ARGUMENTUM.

Obligatio inserviendi Choro respectu Canonici &c. non oritur præcise ratione distributionum, sed præcipue ratione beneficii. Hæc autem obligatio importat inservire per se, & psallere, nec cessare potuit ratione cujuscumque consuetudinis in contrarium. Item talis est naturæ, ut non concedat abesse a Choro ratione utilitatis Ecclesiæ, si extra tempus Chori commode possint adimpleri injuncta negotia.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Adest præceptum, quo Præbendati &c. debent assistere Choro.*
3 *Hæc obligatio non oritur præcise ratione percipiendarum distributionum, sed præcipue ex vi, & natura Beneficii.*
4 *Ex Jure scripto Canonici &c. tenentur per se Choro inservire, neque sufficit per substitutum, simulque psallere.*
5 *Ipsum officium Canonici &c. demonstrat obligationem psallendi.*
6 *Potuerunt institui Canonicatus sine obligatione psallendi, sed hoc non est præsumendum, nisi clare probetur.*
7 *Hæc obligatio de se gravis est.*
8 *Ex vi contrariæ consuetudinis nemo potest percipere distributiones, ni serviat Choro per seipsum, & psallat.*
9 *Quod lucrandum est, posita aliqua conditione, ea non posita, amittitur.*
10 *Contraria consuetudo non potuit legitime præscribi.*
11 *Ubi jus alicui repugnat, & favet alteri, non potest dari præscriptio respectu primi, nisi justum titulum assignet.*
12 *Consuetudo inducta per ignorantiam numquam præscribit adversus legem.*
13 *Neque consuetudo inducta ex causa irrationabili habet inducere præscriptionem.*
14 *Non obstante quacumque consuetudine Canonicos &c deberi per se inservire, & psallere, declararunt S. Congregatio, & Rota.*
15 *Non potest præsumi S. Pontificem in talem consuetudinem consensisse.*
16 *Ubi ex vi consuetudinis sufficit sola interessentia personalis, præsumendum est ita factum esse, vel ratione fundationis, vel ex consensu Papæ.*
17 *Non potest percipere distributiones, qui expectat tempus Chori ad peragenda negotia sibi commissa, si commode alio tempore potuerit expedire.*

1 QUidam Sacerdos, qui ratione sui Beneficii tenebatur Choro interesse, cum jam senio confectus prope Æternitatis januam se conspiceret, timebat ante Tribunal Christi aliter judicandum de quibusdam omissionibus quoad interessendum in Choro, ac ipse etiam ex aliorum opinione usque ad eam ætatem judicaverat. Cogitabat igitur multoties non interfuisse Choro dum poterat, & tenebatur, & putasse nullam adfuturam culpam, quoties intendisset amittere distributiones pro rata absentiæ. Item dicebat multoties inservisse Choro per alios, dum potuisset per se; & etiam omisisse non raro canere, dum alii Horas Canonicas psallebant. Demum conscientiæ stimulis angebatur, quia dum aliquando necesse fuit occupari in utilitatem suæ Ecclesiæ, ad hæc peragenda negotia expectabat tempus, quo debuisset Choro interesse, cum commode alio tempore potuisset adimplere. Quamvis igitur hæc omnia præstaverit, quia etiam videbat veluti communi consuetudine tueri, nihilominus inquirebat modo, an revera tutus esset in conscientia.

Ut quæ sentiebam ingenue isti Sacerdoti aperirem; primo non refragabar non deesse Theologos, qui excusant saltem a gravi culpa non interessentes Choro, etiam dum possint, si animum habeant non recipiendi distributiones. Ipsorum potissima ratio est, quia non videtur ipsis dari textus in jure, quo cogantur

Canonici, & Præbendati adesse Choro nisi post correctionem, seu mandatum Episcopi; & aliunde videtur ipsis obligatio Choro interessendi oriri ex acceptis distributionibus, adeoque cessare, dum distributiones dimittantur; *Reginald. l. 18. n. 176. Tamb. l. 2. in Decal. c. 4. §. 4. num. 7.* aliique. Verum ego certe in praxi non adhæsissem hujusmodi sententiæ: revera etenim convincitur ex jure, & ratione, adesse in Præbendatis, & Canonicis obligationem interessendi Choro, nec sufficienter se excusare; quia intendant dimittere distributiones. 2 Primo ergo præceptum interessendi Choro non obscure habetur, *can. si quis Presb. dist. 92. & c. dolentes de celebr. Miss.* At quis non videat aperte supponi tale præceptum *Clem. 1. eod. tit.* Cum igitur ibi excommunicandus dicatur, & suspendendus Clericus publice non recitans in Choro, & deponendus, si absit ab Officiis celebratis in Ecclesia, in qua residet; immo & graviter reprehendantur tarde ad Chorum accedentes, consequens est supponi tamquam indubitatam obligationem Choro interessendi: neque enim præfatæ pœnæ possunt habere locum, nisi contra transgressores gravis obligationis.

3 Sed & ex ipsa intrinseca ratione dignoscitur obligatio interessendi Choro respectu Præbendati. Vel ergo in sua origine Beneficia, quæ obtinent Canonici, & Præbendati ipsis ex dispositione Testatorum assignata fuerunt, vel talia Beneficia constituta sint a S. Pontifice ex aliis Beneficiis jam fundatis, semper repetere erit Testatorem, vel S. Pontificem fundasse tales præbendas, ut publice Divina Officia celebrarentur ad publicum Dei cultum, & ad excitandam Fidelium devotionem. Non ergo oritur obligatio interessendi Choro primo, & principaliter ratione distributionum, sed primo, & principaliter vi Beneficii præbendatis collati, quamvis postea ad magis eo sollicitandos ad adimplendam obligationem Choro interessendi, eis etiam assignatæ fuerunt distributiones. Cum igitur obligatio interessendi Choro præcipue fundetur in ipso Beneficio, nemo potest ab eo se eximere, eo quod velit amittere distributiones; & cum aliunde hæc obligatio sit de re gravi, ipsius transgressio inducet peccatum mortale, nisi excuset levitas materiæ, ut si quater vel sexies in anno Præbendatus a Choro abesset *Garz. de Benef. p. 2. c. 2. n. 322. Tal. d. 3. p. 2. n. 3. Suar. de Relig. l. 4. c. 10. n. 17. c. 13. a n. 5. Bon. disp. 2. §. 1. p. 2 n. 1.* alisque plures. Hinc hujusmodi Beneficiato certe numquam abesse a Choro concessissem ex ea solum ratione, quod plene consentiret in amissionem distributionum; neque aliquorum contraria agendi ratio attendenda erat, utpote omnino opposita obligationi, quæ intrinseca est Beneficio ea ratione fundato, ut Beneficiatus Chorus inserviat.

4 Quoad illud autem, quo magis ipsius cruciabatur conscientia, quia nempe perceperat distributiones, quamvis multoties non per se, sed per substitutum Ecclesiæ inservisset, & quamvis non raro tempore Divinorum Officiorum canere omisisset, dicebam non frustra ipsius conscientiam torqueri. Et quidem attento jure scripto, omnino constabat male egisse, nam servitium præstandum per alios ab obtinentibus Dignitates, Personatus &c., & alia Beneficia in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, omnino improbat Concilium *Trid. sess. 22. c. 4. & sess. 24. c. 12.* Immo ibidem clare non solum adstruitur obligatio non tantum per se inserviendi, sed insimul canendi. En verba Concilii: *Omnes vero Divina per se, & non per substitutos, compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, & inservire; atque in Choro ad psallendum instituto hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.* Verum etiam ante Tridentinum ex jure scripto habebatur Canonicos destinatos servitio Chori debuisse inservire per se ipsos, & psallere; cum etenim omnes Beneficiati addicti Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis teneantur residere, ut *ex cap. conquerente 6. aliisque de Cler. non resid.* consequens est debuisse per se inservire, quia residere idem est ac servire Ecclesiæ per seipsum, ut *ex c. 3. & 4. ibid.* & hoc servitium nonnisi psallendo præstatur. Et quidem ad psallendum teneri supponitur *Clem. 1. de celebr. Missar. & c. fin. dist. 92.* & gravibus pœnis ad id cogi posse affirmatur. His juribus insistendo, sæpe S. Congregatio declaravit Canonicos non satisfacere suæ obligationi, nisi etiam per se inserviant, & psallant, cæteraque officia juxta consuetam alternationem adim-

pleant; ut videre est apud Barbosam *de Canon. c.31. & 34. Fagnan. in c. licet n.89. de præb. Garz. p.3. de Benef. c.2. n n.324. n.500.*

5 Et quidem sicut nemo dicet vocatum ad laboradum in aliqua vinea satisfacere suæ obligationi, per hoc quod ibi adesset sola præsentia corporali, abstinendo interim a laborando, quia eo advocatus fuit ad laborem; ita pariter nemo dicet Canonicum &c. satisfacere suæ obligationi, eo quod in Choro sola præsentia corporali adsit, cum obligatio illi imposita de assistentia personali ad hunc finem fuerit imposita, ut nempe publica reddatur psalmodia, adeoque ita alternatim psallatur, ut unus Chorus ab altero Choro audiatur atque ita omnes communicent in Dei laude.

6 Hinc quamvis non obstet ita potuisse institui aliquam Collegiatam, ut Horæ Canonicæ dumtaxat per Mansionarios, aut Portionarios, seu infimos Clericos persolverentur, & Canonici &c. dumtaxat assisterent sola præsentia corporali, religiosa tamen, qua præsentia nobilitatem, & authuritatem Choro præberent, nihilominus nisi hoc clare probetur, omnes fatentur præsumendum esse semper cum præsentia conjungere debuisse psalmodiam, quia ita exposcit ratio Chori, & jus pluribus in locis. Præterea omnes fatentur hanc obligationem ad interessendum per se ipsum, & ad psallendum esse per se gravem, cum importet obligationem ad exhibendum cultum publicum in Ecclesia, quæ certe de sua natura levis non est: *Navar. de Orat. c. 10. n. 41. & cap. 11. in fin. Petr. Navar. de restit. l. 2. c. 2. n. 219. Suar. de Relig. tom. 2. tr. 4. lib. 4. c. 12. a n. 8. Less. l. 2. c. 34. dub. 33. n. 184. Sot. l. 10. de just. q. 5. num. 4. &c.* Igitur vel per se non interessentes, vel non psallentes de jure scripto non lucrari distributiones clarum est, quia ex eodem jure assignatæ sunt Assistenti per seipsum, & non per substitutum, simulque psallenti, ut magis statim declarabitur.

7 Quia nihilominus aliquibus placet nec inservientea per substitutum, nec omittentem psallere, dummodo assistat in Choro, non amittere distributiones, si ipsis faveat contraria consuetudo, ut videre est apud *Gavant. tom. 2. de Rubr. Missal. sect. 1. c. 5. tit. 5. n. 4. Less. l. 2. de just. c. 4. dub. 33. n. 185. &c.* hinc est remanere ut vires hujus consuetudinis examinentur.

8 Primo igitur ratione putæ consuetudinis non posse a præfatis distributiones obtineri; exinde evidens fit, quia contra justitiam est, ut quod aliquibus tantum debetur ratione alicujus operis præstandi, vi alicujus consuetudinis concedatur iis, qui tale opus non præstant. Ita si aliquid relictum sit celebrantibus aliquem numerum Missarum, perperam vi consuetudinis daretur illas non celebrantibus. Porro distributiones dandas esse solum inservientibus per seipsos, & in Choro psallentibus, exinde fit evidens, quia ut dixi vel consideretur voluntas Testatorum, qui eas reliquerunt, vel applicatio facta a S. Pontifice quorumdam Be-
9 neficiorum Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, ut exinde ipsi inservientes recipiant distributiones, omnino dicendum est assignatas fuisse iisdem Ecclesiis ea conditione, ut distribuerentur secundum jus, adeoque sub conditione inserviendi per seipsum, & psallendi. Si ergo hæc non adimpleatur conditio, ratione cujuscumque consuetudinis lucrari nemo potest distributiones; sicut nemo potest acquirere quod concessum est sub modo, & conditione operis, non adimpleta eadem conditione.

10 Cum autem vi solius consuetudinis non interessentes per se Choro, nec psallentes possint distributiones acquirere, videndum est, an lucrari possint vi consuetudinis legitime præscriptæ, si etenim adsit præscriptio, jam acquiri potest rerum dominium sub alio titulo, quam sub convento. Verum in præsenti numquam dari posse legitimam præscriptionem, apud me certum est. Et hoc primo probatur, quia dum possessori repugnat jus, & favet alteri, non datur vera præscriptio, nisi probetur justus titulus, ut *ex c. si diligenti*, notant communiter DD. & videri possunt *Covarr. in reg. possessor. p. 2. § 5. num 2. & l. 1. var. c. 17. Mascard. de prob. concl. 1377. n n. 108. Mol. de just. t. 2.*
11 *disp. 75.* Cum igitur in casu nostro jus nolit non interessentem per seipsum, & non psallentem recipere distributiones, & faveat interessentibus, quibus deberent accrescere distributiones, quas de iure amitteret, qui non assistit per seipsum, aut non psallit, hinc est istum non posse facere suas distributiones, ni reddat legitimam suam præscriptionem, justum titulum adducendo. Verum cum talis non possit esse solus titulus Canonicatus &c. utpote a jure reprobatus, dum non intervenit cum tali titulo personale servitium Chori, nescio videre qualis justus titulus retinendi distributiones possit afferri a non inserviente per seipsum, & a non psallente.

Secundo consuetudo, quæ ex ignorantia est, vel 12
errore, numquam abrogat legem, ut observat *Glossa in c. fin. de consuet. Sylvest. v. consuetudo n. 7. Suarez l. 7. de leg. c. 12. n. 2. Palaus tr. 3. disp. 3. punct. 2. § 3. n. 11.* Et ratio est, quia dum consuetudo inducitur, quia putatur non adesse legem prohibentem, non adest voluntas legem abrogandi; unde tunc neque per annos etiam innumerabiles lex abrogatur. Consuetudo ergo sibi retinendi distributiones ex eo quod reputatum fuerit a non assistente per se ipsum, & a non psallente non esse prohibitum, numquam abrogare potuit legem contrariam, adeoque cum dicendum sit numquam cessasse legem de non concedendis distributionibus, nisi per se interessentibus, & psallentibus, consequens est per se non interessentes, vel non psallentes juste eas percipere non potuisse.

Tertio, consuetudo inducta ex causa a jure repro- 13
bata, utpote, quia reputanda sit irrationabilis, numquam præscribere potest contra legem, ut est communis DD. sententia, & dixi *tr. 3. q. 6. c. 1.* Ut vidimus autem inservire sine justa causa per substitutum, & non psallere in Choro, quamvis religiose ibi Beneficiatus assistat, multoties fuit a jure reprobatum, unde consuetudo tali causæ innixa nullatenus est attendenda. Et quidem optime reprobari potuit tamquam irrationales hujusmodi consuetudines exinde constat, quia consuetudo interveniendi sine justa causa Choro per substitutum, facillime inducit quamdam speciem turpis lucri quoad Ecclesiasticas distributiones; nam nullatenus inserviens, ipsarum parte sibi retenta, quamvis de sua natura solum sit pretium laboris Choro deservientis, alteram partem, & fortasse minorem dabit substituto, quamvis Ecclesia labori inservientis integras distributiones assignaverit. Nulla etiam afferri potest justa excusatio non psallendi; nam difficillimum est Canonicum &c. non posse saltem alternatim psalmorum versiculos canere: quod si putaret id suam dignitatem dedecere, legat Ugolinum apud Barbosam *de Canonicis c 34. num. 9. Garz. de Benef. 3. p. c. 2. n. 500.*

Hinc non obstante quacumque consuetudine, sæpe 14
declaravit S. Congregatio, simulque pronunciavit S. Rota Canonicos debere per seipsos inservire, nec id posse præstare per substitutum, sicut etiam debere in Choro psallere. Ita videre est apud *Garz. de Benef. 3. p. c. 2. n. 496. & nu. 501. & 502. apud Fagn. in c. cum omnes n n. 21. de Constit. & in c. cum licet n n. 82. de præb. apud Barb. de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 53. n. 131. 135. &c. & de Canonic. c. 20. n. 13. c. 31. & c. 34. apud Pignatel. tom. 9. consul. 105.*

Ex hoc autem consurgit alia ratio adversus talem 15
consuetudinem, eaque ait, quod cum numquam prævalere possit consuetudo contra legem nisi in eamdem consuetudinem consentiat Princeps saltem consensu legali, ut dixi *tr. 3. q. 6. c. 1.* necesse est dicere, nullatenus attendendam consuetudinem inductam de inserviendo per substitutum, vel de non psallendo, Et quidem quis putare potest Pontificem aperte non contradicere tali consuetudini, dum non solum S. Rota, sed multoties S. Congregatio, qua mediante intelligitur quodammodo loqui ipse Papa, reprobavit præfatam consuetudinem; eaque non obstante multoties Canonicos &c. non posse per substitutum sine justa causa inservire, neque a cantu cessare, pronunciaverit?

Quod si ab aliquibus non condemnandi videantur 16
Canonici &c., qui ex longæva consuetudine non canunt, dummodo non confabulentur, sed religiose assistant, ut videre est apud Barbosam *de Canonic. c. 34. n. 12.* id intelligendum est de consuetudine legitima; vel quia nempe ab initio alteram non habuerint obligationem nisi religiose interessendi: vel quia præsumi possit ex aliqua justa causa eamdem consuetudinem fuisse a Papa approbatam, & hoc modo intelligenda volo, quæ dixi *tr. 5. q. 2. c. 1. q. 6. resp. 2.* Si hujusmodi legitimam non reddant talem consuetudinem, flocci facienda omnino videtur, utpote quia ex dictis numquam potuit contrariam justam legem abrogare.

De-

17 Demum nunquam adnuere potui opinioni illorum Authorum, qui affirmarunt intelligi absentem pro utilitate Ecclesiæ illum Beneficiatum, qui expectat expedire negotia sibi pro utilitate Ecclesiæ commissa eo tempore, quo deberet Choro interesse, cum alio tempore potuisset eadem negotia commode expedire, Si volimus Iudere verbis; iste non abest ratione utilitatis Ecclesiæ, cum posset alio tempore æque bene ipsius utilitatem promovere, sed revera abest causa suæ commoditatis. Immo ex ipsius absentia non Ecclesiæ utilitas, sed damnum resultat, absque ulla etenim necessitate diminuitur divinus cultus, cum alias sine ipsius diminutione commode consuli potuisset Ecclesiæ utilitati: *Monet. de distrib. tom. 2. q. 5. n. 43, &c.*

Ex his revera putavi Beneficiatum, de quo in casu, juste timuisse apud Christi Tribunal videre reprobatam eam praxim agendi, qua aliqui sine necessitate absunt a Choro, putantes id licite fieri semper cum dimittantur distributiones; sicut etiam praxim inserviendi sine necessitate per substituros, & multoties in Choro non psallendi.

CONSILIUM XV.

ARGUMENTUM.

Consuetudo aliquid faciendi non probat fieri ex aliqua obligatione, quoties agitur de actibus facultativis; vel saltem incumbit probare titulum obligationis eamdem obligationem alleganti.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*

2 *Dum aliquid fit eo quod ex errore credatur adesse obligationem illud faciendi, nulla inducitur obligatio.*

3 *In dubio judicandum est pro ea parte, pro qua stat præsumptio.*

4 *Ex actibus facultativis, quamvis per longissimum tempus continuatis, nulla consurgit obligatio.*

5 *Non sunt facultativi actus facti ex alterius præcepto, si interveniat facientis acquiescentia.*

6 *Dum aliquid fieri non potest sine aliquo titulo ex lapsu temporis præsumitur illum titulum adfuisse.*

7 *Dum aliquid fieri potest sine titulo inducente obligationem, hæc ex lapsu cujuscumque temporis non præsumitur.*

8 *Si aliquis titulus afferatur, lapsus longi temporis facit præsumere fuisse legitimum.*

9 *Præstationes continuatæ per plures annos non sunt omittendæ, quoties quis non exceperit contra titulum, unde ortæ sunt, quoties potuerat excipere.*

10 *Consuetæ eleemosynæ sunt continuandæ, quoties titulus præcessit.*

11 *Non vero si fuerint liberales.*

12 *Neque est obligatio continuandi actus, qui solent esse puræ devotionis.*

13 *Quod factum est favore causæ piæ, non est credendum fuisse puro facultativum, quoties adsint validæ conjecturæ pro obligatione adstruenda.*

14 *In casu puri dubii dici potest aliquid factum fuisse ex devotione, non vero ex obligatione.*

15 *Quoties non constet de titulo, difficile est non posse esse rationabile dubium, quoad obligationem inducendam.*

16 *Dum adsunt valida argumenta pro obligatione removenda, pertinet eam probare ad illum, qui asserit adesse talem obligationem.*

1 CUM Antenati cujusdam Rustici quotannis celebrare fecissent Anniversarium pro Animabus Purgatorii in Ecclesia Parochiali proprii Pagi, ita etiam continuavit per aliquos annos ipsorum Successor, putans id factum fuisse ex obligatione a suis Majoribus inducta. At modo partim ratione paupertatis, partim ex desiderio se eximendi ab obligatione illud faciendi celebrare, cum id solum a sua libertate pendere desideraret; omisit præfati Anniversarii celebrationem. Hinc ortum fuit in Parocho dubium, an teneretur instare ut illud celebrare faceret, fatendo eodem tempore, & a se, & a Rustico factam fuisse omnem diligentiam, ut scire possent unde ortum habuerit initium celebrationis talis Anniversarii, & nullatenus adinvenire potuisse.

Ut præfato casui responderem, primo dicebam nullam inductam dici posse obligationem quoad faciendum celebrare Anniversarium, eo quod Rustici ita etiam per multos annos fecissent, putantes ad id teneri, si revera faciendi illud celebrare nullam habebant obligationem. Illi ergo soli actus valent inducere obligationem, qui imperantur a voluntate operantis ex intentione eam inducendi; neque enim nova ab aliquo induci potest contra se obligatio, sine consensu in talem obligationem. Porro dici non potest vere consensisse in obligationem eos, qui aliquid fecerunt, quia putabant eam adesse & vere non aderat; nam consenserunt ex errore; & nil magis contrarium consensui quam error, adeoque per actus factos ex errore non induci legitimam consuetudinem, observat *Glossa in c. fin. de consuetud.*, *Suarez de leg. lib. 7. c. 12. n. 2.*, *Formosin. ad Rubr. de consuet. q. 2. n. 3. Tasaus tr. 3. d. 3. part. 2. §. 3. n. 11. &c.* 2

Considerabam deinde quod, cum ex nullo documento apparere potuisset Rusticos revera habuisse obligationem faciendi Anniversarium celebrare, in præsenti casu juxta rationabilem præsumptionem erat judicandum; nam in dubiis illi parti adhærendum est pro quo stat præsumptio, ut de se patet. At nullatenus præsumendam obligationem faciendi celebrare Anniversarium apud me certum erat, quia dum agitur de actibus facultativis, nempe factis ex propria voluntate, & benaplacito, etsi continuati fuerint per longissimum tempus, nulla consurgit obligatio, ut dixi *tr. 13. q. 8.*, & docent *Menoch. de Arbitr. cas. 160. n. 62*, *Surd. cons. 127. a n. 81.*, *Rota decis. 136 n. 4 p. 2. recent.* & plures alii. Cum proinde facere celebrare Anniversarium de sua natura sit actus meræ facultatis, ex hoc quod Rustici fecerint illud celebrare, nulla respectu eorumdem consurgere poterat obligatio. Remanet ergo videre, an ex aliquo capite præsumi possit non fuisse facultativos. 3 4

Et quidem actus non præsumuntur facultativi, quoties apparet ita factos fuisse ex alicujus præcepto, maxime si ille, cui aliquid præcipitur, acquiescat, & pluries faciat, quod illi præscriptum fuerit; nam tunc credi potest præcipientem ex legitimo titulo præcepisse, maxime si alterius sequatur acquiescientia: *Panorm. in c. Abbate n. 10. de v. sign.* aliique quos affert *Ant. Piaggius de cons. 93. n. 57.* At in casu præsenti nemo dicere poterat celebrationem Missarum, vel initium habuisse ab alterius præcepto, vel decursu temporis aliquando coactos fuisse Rusticos ad faciendum celebrare Anniversarium, unde ex nulla re constat non fecisse illud celebrare nisi ex solo beneplacito. 5

Neque ullum apud me oriebatur rationabile dubium, quod aliter factum fuisset, quia jam a pluribus, & pluribus annis fecissent celebrare, ut centies repetebat Parochus. Verum igitur est, quoddam aliquid non potest legitime fieri, possideri, omitti &c. absque justo titulo ex lapsu temporis bene præsumitur adfuisse, quia præsumitur legitime factum, omissum &c. Dum autem ad aliquid faciendum non est necesse habere titulum obligationis, ex eo quod factum sit per longum tempus, non recte infertur ex aliqua obligatione factam fuisse, cum bene potuerit ex solo beneplacito fieri, atque ita non raro Familiæ ditiores in Oppidis Ruralibus ex mero beneplacito, & sola devotione Anniversaria, vel quid simile in propriis Ecclesiis peragi curant. Lapsus ergo longi temporis quoad ea, quæ non supponunt titulum obligationis, solum habet præstare, quod si aliquis titulus, seu causa ita agendi allegetur, præsumendum sit esse legitimum: *Cavarruv. in c. Raynutius §. 11. n. 3.* 6 7

Et revera adhæsissem Parocho, qui volebat instare pro manutentione suæ Ecclesiæ in possessione celebrandi tale Anniversarium, quoties docere potuisset de titulo, quo celebrandum fuisset; nam tunc, ut dixi, actus præsumuntur facti in vi talis tituli, & non factos fuisse ex sola libera aliquorum voluntate: *Menoch. lib. 6. præs. 67.* At Parochus simulque Rustici postquam diligenter libros Ecclesiæ examinarunt, sicut etiam antiquas Sacristiæ tabellas, in quibus Anniversaria Ecclesiæ erant adnotata, & omnes Chartas, quæ penes Rusticos erant, ac demum plures Libros Archivii Episcopalis, ubi consuetum erat legata pia adnotare, vel minimum quid non potuerunt invenire, ex quo constaret de tali obligatione. 8

9 Neque prædictis obstat si dicatur *ex l. 1. C. de Fideic.*
præstationes aliquorum annorum obligare in futurum;
& eleemosynas consuetas dari pauperibus perpetuo dan-
das esse, ut ex aliis docet Menoch. *de arbitr. l. 2. cent.*
2. cas. 160. nu. 17. Non inquam, hæc obstant; nam
primo in præfata lege sermo est de alimentis præstandis
ex testamento, quamvis minus solemni, adeoque ex
titulo; & cum illa hæres per aliquod tempus præstave-
rit absque eo quod exciperet contradictum Testamen-
tum dictum est debuisse adhuc illa præstare, quia non
excipiendo videbatur in talem titulum consensisse; &
ita Legatarius alimentorum jus acquisivit ad ipsorum
10 præstationem. Ita quoque consuetæ eleemosynæ sunt
continuandæ, quando titulus præcedit; nam tunc
per ipsarum præstationem confirmatur.
11 Et quidem dum sint omnino liberales, & absque titu-
lo, nullam inferunt necessitatem illas continuandi, cum
actus non extendantur ultra id, quod exposcit ipsorum
natura: l. *Lucius §. Testator ff. de legat. 2.*, *l. Tutori C.*
de neglig. gestor., *leg. voluntariæ C. de excusat. Tutor.*,
& l. 2. Cod. de his, quæ sponte mun. sub. Quapropter ex
facultativis numquam nasci jus coactivum ad ipsorum
præstationem habetur *ex l. 1. init. ff. ut possidetis*, & sæ-
pe dixit Rota, nempe *decis. 112. in fin. p. 4. recent. &*
decis. 29. n. 6. p. 5. recent., *& cor. Merlin. decis. 817. n. 6.*
&c. atque inter alios adnotavit Garzia *de Benefic. p. 7.*
12 *c. 1. n. 88.* Hinc neque actus devotionis unquam in-
ducere obligationem, observavit eadem S. Rota, nem-
pe *dec. 443. n. 8. p. 5.*, *& dec. 124. n. 7. p. 6. recent.*, &
sæpe alias; sicut etiam *Pragius de cons. q. 3. n. 4.*, *Dor-*
natus p. 1. tr. 2. q. 22. n. 5.
13 Subjungebat Rector non esse præsumendum mere fa-
cultativum quod factum est favore causæ piæ & divini
cultus; atque ita tradere videtur *Rota decis. 470. n. 7.*
recen. At revera hæc regula de se non convincit;
quot enim ex pura devotione dantur Ecclesiis, vel al-
teri Causæ piæ, quæ proinde nullam inducunt obli-
gationem? Hanc igitur regulam solum attendendam
crederem, quoties adessent argumenta & validæ conje-
cturæ pro obligatione adstruenda; nam tunc favore
causæ piæ vel divini cultus substinenda videtur: *Ro-*
ta decis. 135. cor. Pegna n. 9.
14 Item observabam, quod quando etiam ex variis con-
jecturis hinc inde adductis loco fuisset dubitandi, an ali-
quid factum fuerit animo se obligandi, vel non, bene
posse inclinari in eam partem, quod factum fuerit ratio-
ne devotionis & honestatis, & ad melius esse, non ani-
mo se obligandi. Hinc etiam in materia voti dicitur in
dubio non præsumendam esse obligationem, & ulterius
non adstruendum præceptum, ubi moraliter certum
non sit, cum ita expediat pro salute animarum; *Sua-*
rez de leg. lib. 7. cap. 15. nu. 13., *Palaus tract. 3. dis-*
put. 3. part. 1. §. 3. n. 3., *Bon. de leg. dist. 2. qu. 1. part.*
ultim. §. 9. n. 21., *Donat. part. 1. tract. 1. q. 22. num. 7.*
Formosin. in Rubr. de consuet. quæst. 2. n. 13. *Basseus*
15 *v. consuetudo n. 7.* Quod si postea consideretur, quæ
afferri a pluribus solent conjecturæ pro adstruenda
obligatione ab aliis non futiliter impugnari; & ita
quas quoad hoc affert conjecturas *Suarez loc. citat.*,
late impugnat Pasqualigus *decis. 487. 488. 489. & 490.*
semper dicere est valde grave remanere dubium, an
detur obligatio, quoties de ipsius titulo non constet,
sicut evenit in casu præsenti, in quo nullatenus con-
stat de titulo obligationis, & aliunde actus de sua
natura est mere facultativus.
16 Tandem dicebam, quod cum sint tot favorabilia ar-
gumenta, quæ faciant præsumere nullam fuisse obli-
gationem respectu Rusticorum continuandi in faciendo
celebrare Anniversarium, saltem id resultabat quod
transferebatur in Parochum opus probandi obligatio-
nem, ut ex *Mascardo de probat. conclus. 1227.*, unde
quoadusque Parochus non probaverit adesse in Rusticis
talem obligationem, poterunt ab Anniversario cessare.
Ex his suadebam Parocho ne litem intentaret in judi-
cio contra Rusticum pro manutenenda sua Ecclesia in
possessione Anniversarii. Mihi videbatur saltem contra
charitatem peccaturus, quoties litibus gravem mole-
stiam intulisset, & ad non leves expensas coegisset pau-
perem Rusticum, cui negandum non erat assistere ratio-
nes valde graves, dum nolebat continuare ex obliga-
tione in faciendo celebrare Anniversarium. Deinde di-
cebam a litibus non omnino necessarius Parochos sem-
per abstinere debuisse; nam ab ipsis non sine Anima-
rum damno Parochianos vertunt. Tandem considera-
bam non paucos ex illo Pago affirmaturos Parochum
ex avaritia litem movisse; atque hujusmodi obmurmu-
rationes non leviter Parochis in promovendo Dei fa-
mulatu officere.

CONSILIUM XVI.

ARGUMENTUM.

Difficillimum est in praxi Judices munera accipere sine peccato, & non teneri ad restitutionem. Non raro peccant etiam ipsi dantes, & maxime si dent Judicis Concubinæ, vel Amasiæ.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Tam Leges Civiles, quam Canonicæ prohibent Judicibus munera accipere.*
3 *Hujusmodi Leges nulla contraria consuetudine potuerunt abrogari.*
4 *Permittunt Leges ut Judices possint parva munuscula recipere.*
5 *Si tamen gratis tribuantur.*
6 *Ista munera debent esse parva etiam respectu dantis:*
7 *Nec debent esse frequentia.*
8 *Judex abstinere debet etiam a parvis muneribus, dum videt etiam ab his valde allici.*
9 *Munera exponunt Judicem etiam Sapientem periculo lædendi justitiam.*
10 *Judices accipientes munera comparantur furibus.*
11 *In largiendo munera Judicibus potest intervenire peccatum; quia dantur ad justitiam obtinendam, quod Judex debet facere gratis.*
12 *Item intervenit peccatum, quia dari solent ab iis, quibus ratia vel non assistit, vel minus assistit.*
13 *Dari possunt munera Judici ad redimendam injustam vexationem.*
14 *Hujusmodi injusta vexatio non raro abest, adeoque peccat dans munera, dum hac ratione munera dat.*
15 *Quando præsumi possit munera liberaliter dari.*
16 *Hujusmodi præsumptio liberalis donationis non datur respectu munerum Judici datorum.*
17 *Judex tenetur ad restituenda munera sibi collata, tum quia dantur involuntarie.*
18 *Tum quia non habet justum titulum ea retinendi.*
19 *Idem dicendum de muneribus ipsi collatis mediante suo famulo.*
20 *Non licet dare munera Judicis Amasiæ, cum qua impudice vivit, ut apud ipsum intercedat.*
21 *Solum liceret, quando necesse esset ad removendam gravem injustitiam.*
22 *Peccat Judex permittendo suæ Amasiæ, vel Cicisbejæ recipere munera, ut apud ipsum intercedat, quia se exponit periculo injuste judicandi.*
23 *Item peccant dantes talia munera.*
24 *Quamvis solæ blandiatæ non sufficerent ad inducendam coactionem, sufficiunt tamen, si uniantur preces importunæ.*

N. N. Judex aliquando Ordinarius aliquando Delegatus in diversis causis non raro munera accipiebat. Cum autem quidam Theologus illum monuisset nequaquam licite id facere potuisse, iste contempsit monitionem, & mihi ex pluribus conabatur probare id licite ab ipso fieri. Primo, quia eadem munera nec directe exposcebat. Secundo, quia sibi liberaliter, & omnino sponte dari affirmabat. Tertio, quia aliquando non ipsi dabantur munera, sed suis famulis, quamvis non negaret majorem ipsorum partem in suas manus devenire. Aliquando etiam dicebat, ipso inscio, suæ Amasiæ, seu Cicisbejæ munera fuisse collata, ut ipsi aliquam causam efficaciter commendaret, ut revera faciebat. At ego nequaquam huic Judici acquiescendum putavi, ac versari in statu peccati mortalis credidi, unaque ad restitutionem acceptorum teneri, si volebat se ab æterna damnatione liberare. 1

Et quidem primo hunc Judicem dicebam graviter peccare, quia in re gravi leges communiter receptas non observabat. Vel ergo erat Judex sæcularis, & prohibetur ipsi expresse recipere munera *leg. Plebescito de offic. Præsid. & l. soleat ff. de offic. Proconsul.*, *Auth. ut litigantes §. 1. & 2. Auth. de Judic. §. Nullo quoque, & seqq.* 2

seqq., *Auth. ut unius C. ad leg. Jul. repetund. Auth. ut Judex suo quoque suffrag. §. 1. collat. 2. tit. 2. & ibidem Auth. scriptum est Exemplar.* Judicibus vero Ecclesiasticis recipere munera expresse vetitam est *cap. cum ab omni de vit. & honest. Cler. cap. statutum §. Insuper de rescript. in 6. cap. Romana §. Procuratio nes, & c. exigit de censib. in 6.*

3 Nequa, quæso, sit Judex tanta ignorantia, vel tanta malitia excæcatus, ut vel submissa voce audeat dicere hujusmodi leges fuisse contraria consuetudine abrogatas; nam scire debet numquam attendendas consuetudines peccati nutritivas, quamvis a multis sæculi vigentes, ut ipsum lumen rationis demonstrat, & habetur *c. cum tanto de consuet.* Nemo autem negabit consuetudinem munera Judicibus tribuendi fovere quamplures, & quamplures injustitias, & quamplurium peccatorum esse pessimam scaturiginem; adeoque vi talis consuetudinis numquam potuisse leges abrogari.

4 Non per hoc tamen nego posse Judices (si non obstet Statutum municipale) xeniola, sive munera in parva quantitate recipere; nam hoc conceditur Judici Ecclesiastico *c. statutum cit. & insuper*, & Judici sæculari *leg. plebiscito cit.*, quam per alias leges posteriores non fuisse quoad hoc abrogatam, docent *Menoch. de arbitr. par. 2. cas. 517. n. 19.*, *Bon. in Decal. disp. 10.*
5 *qu. 2. p. 8. n. 5.*, aliique apud ipsum. Cavendum tamen semper esset hujusmodi munuscula recipere, si omnino sponte non tribuerentur; quia alias involuntarie darentur, ut evenit quando Judex indirecte pe-
6 tit, vel affectat. Item solummodo ex allegatis juribus recipi possunt in parva quantitate; & ita moderata esculenta dici possunt, quæ paucis diebus a paucis personis consumuntur, si tamen dentur a viro divite, cui non incommodum sit ea dare ut ex textu *in c. statutum §. Insuper de rescript. in 6.* Oportet tamen non esse frequentia hæc munuscula; nam simul sumpta magnum quid efficere possunt, & valde conferre
7 ad corrumpendum animum Judicis. Hinc *leg. solent §. Non vero de off. Proconsul.*, dicitur non omnia hæc munera, neque ab omnibus, neque quovis tempore recipienda; & quod sicut inhumanum est omnia respuere munuscula, ita vilissimum est frequenter re-
8 cipere, & avarissimum, recipere omnia. Cæterum si Judex sit animi venalis, nil interest, an multum, vel parum detur; semper cum etiam ab exiguis muneribus flecti cognoscit, omnino debet ab iis abstinere, ut de se patet, & observat in præsenti *Butr. n. 5.*

9 At non solum peccat Judex in recipiendo munera, quia transgreditur legem positivam id prohibentem, sed quia gravi se exponit periculo lædendi justitiam in judicando. Facillime ergo Judicem excipientem munera excæcari, & injuste judicare, habetur pluribus in locis S. Scripturæ. Ita *Exod. 23.* dicitur: *Munera excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum*, Deuter. 16. *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientium*, & Eccl. 20. *Xenia, & munera excæcant oculos Judicium.* Hinc. 1. Reg 12. Samuel ad demonstrandum Populo numquam læsisse justitiam, ait: *Si de manu cujuscumque munus accepi.* E contra accipientes munera veluti fures reputantur *Isai. 1.* ubi dicitur: *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur re-*
10 *tributionem.* Ex his Sacræ Scripturæ oraculis constat etiam Judicem, qui videatur constanter amare justitiam, & ab eadem judicanda nun recessurus, perperam sibi blandiri, si putet non se ponere in periculo errandi, quoties munera, quamvis sponte oblata videantur, acceptet; nam ex dictis Oraculis habemus ratione munerum excæcari etiam prudentes, Sapientes, & Justos. Et quidem cum munera de sua natura excitent amorem erga donantem, & desiderium gratitudinis erga ipsum, habent facere quod Judex ex benevola motione voluntatis examinet subtilissima omnes rationes donantis ex desiderio illas validas inveniendi; & cum a contra non optet partis adversæ rationes validas invenire, omnia, quæ contra ipsas militant diligenter scrutatur. Ita ratione munerum paulatim fit, ut ratione donantis validissimæ reputentur, quamvis antea tales non apparerent, & infirmæ partis adversæ rationes æstimentur.

Quod si munera habent ita mutare animum Judicis, qui alias videtur Sapiens, & Justitiæ amator, quid verendum de Judice, & magna, & exigua munera semper optante, & numquam respuente? Certe aliquando sola profundior inclinatio, vel repetitio alicujus honorifici tituli respectu Judicis ambitiosi: e. g. *Præstantissimi-doctissimi-Illustrissimi* &c.; sufficiens fuit ad illum benevolum reddendum erga ipsius Adulatorem; quid ergo verendum, si profundissimis inclinationibus, & magnificentissimis titulis munera etiam addantur.

Tertio, Judex non potest recipere munera, quia in 11
praxi in his tribuendis, vel recipiendis semper est peccatum; & ita numquam fit sine peccato saltem ex parte Judicis, & etiam convincitur alterius peccato cooperari. Et quidem in praxi primo hæc munera dari aliquando solent ad excitandum Judicem, ut faciat quod justum est, cum videatur non bene affectus erga illam partem, cui assistit justitia. At revera qui dat sine necessitate talia munera, non potest esse immunis a peccato; nam inducit Judicem ad recipiendum aliquid sine justo titulo, adeoque ad peccatum. Dixi inducere Judicem ad recipiendum aliquid sine justo titulo; nam dare Judici, ut iste judicet, vel non sit nimis tardus ad juste judicandum, non importat titulum sufficientem ad aliquid recipiendum; quia Judex ex vi sui officii tenetur non solum juste judicare. sed nec nimium differra prolationem justæ sententiæ. Pro eo autem, quod debet facere ratione sui officii, nil potest recipere; vel etenim pro hoc exercendo habet justum stipendium, vel recipit sportulas, & ita illud præstare tenetur sine alia mercede.

Secundo, in praxi non dantur Judici munera, nisi 12
a cognoscente suas rationes vel esse invalidas, vel minus validas; adeoque cum timeat contra se sententiam pronunciandam, vult muneribus inducere Judicem, ut sibi sit favorabilis in proferenda sententia. Hoc autem fieri utique non potest sine injustitia; non solum quando ratio munera danti non assistit, sed etiam si ipsius rationes sint minus validæ; cum Judex debeat juxta probabiliorem opinionem judicare, & contrariam opinionem damnavit Innocentius XI. sub *num.* 2. Recipiendo igitur munera & ipse peccat, cum se obliget ad injustitiam committendam; & alterius peccato cooperatur.

Tertio, in praxi dantur munera, quia aliquis rationabiliter timet Judicem, vel ex malitia, vel ex ignorantia contra se injuste judicaturum. Scio non deesse affirmantes non posse id fieri, recte tamen sustinetur opinio contraria, qua dicitur dari posse pecuniam Judici ad redimendam injustam vexationem. Primo igi- 13
tur hoc non est vetitum jure naturæ; nam eodem jure conceditur unicuique se tueri adversus injustum invasorem; & aliunde propter urgentem necessitatem licet facere id, ex quo alteri.s peccatum sequatur, ut patet de eo, qui ex necessitate petit mutuum ab Usurario non gratis mutuatario; vel in eo, qui solvit usuras necessitate juramenti, quo se adstrinxit ad illas solvendas: *c. Debitores de juram.* Item hanc injustam vexationem redimere dicendum est non prohibere jus positivum; nam leges prohibentes munera dari Judicibus, fundatur in præsumptione quod dentur ad eos corrumpendos; unde semper cum cesset talis præsumptio, & non dentur, ut Judex injuste judicet, sed, ut juste, cessabunt pariter tales leges: *Gloss. in c. fin. v. ille 14. q. 5.*, *Sanch. l. 3. Cons. c. un. dub. 3. n. 3. Lugo de just. d. 37. n. 136.* Quamvis autem in hoc casu nullum esset peccatum ex parte dantis, clare constat adesse ex parte Judicis recipientis, utpote qui munera extorsit iniqua vexatione. Verum in praxi puto non raro a- 14
desse peccatum etiam ex parte dantis, quia revera non dabitur injusta vexatio, cujus ratione illi liceat Judici munera tribuere. Ita forte aliquis potabit injuste vexari, quia ipse, vel suus Advocatus putabit Judicem in judicando sequi velle opinionem improbabilem, quando revera aliis citra passionem eam examinantibus vere probabilis apparet. Item forte credet opinionem, cui addictus est Judex, esse minus probabilem, quando alii revera esse probabiliorem judicabunt. Præterea mora a Judice inducta in causæ expeditione non erit tanta, ut ex ea dici possit gravem inferre vexationem. Secus esset, si Judex vellet judicare secundum opinionem saltem fere communiter ob debilitatem rationis, cui innititur judicatam, vel improbabilem, vel minus probabilem. Ita etiam injuste vexare diceretur, quoties passim videreutur expediri negocia illorum, a quibus accipit munera,

val-

valde vero in longum protrahi sententiam illorom, qoi a muneribus abstinent. Ex his constat in collatione horum munerum in praxi semper esse peccatum, cum dentur, vel recipiantur ex motivo, quod joxta leges justitiæ injustissimum est.

15 Perperam autem sibi blanditur Judex, dicendo nullum intervenire peccatum, quia dantes asserunt sponte & liberaliter dare. Id fortasse præsumi posset, quando munera darentur post latam sententiam, & non esset nova causa, quæ necesse esset ad Judicem recurrere. Item si quæ darentur ante sententiam, essent valde exigua etiam respectu dantis, qui dives, esset, & liberalis. Item præsumi ita posset, si vere constaret monera data fuisse ratione amicitiæ, vel consanguinitatis. Cæterum nemo præsumitur liberaliter dare; & in casu nostro evidens redditur, si observetur tunc veram donationem intercedere, quando ex nulla alia causa aliquis dat, *quam ut liberalitatem, & munificentiam exerceat*, ut dicitur *lib. 1. in princip. ff. de donat.*; quis autem est ex
16 litigantibus, qui cogitaret de exercenda liberalitate, & munificentia cum Judice, ut Judice? Si proinde dat, verificatur dare vel ad emendam justitiam, vel ad redimendam quam putat injustam vexationem, vel ad amendam injustitiam; unda de muneribus Jodici collatis, ordinarie loquaodo, & in praxi discurrendum est sicut paulo ante dictum est.

17 Ex his autem plane constat Judicem debere restituere munera sibi, ut Judici collata, nec tutum esse in conscientia, si retineat. Quidquid ergo sit, an vi legum receptionem munerum probibeotium, Judices, etiam ante sententiam criminis declaratoriam, teneantur ad restitutionem acceptorum munerum, qua de re Banoes *in 2.2. q.71. ar.4*, *Rebell. l. cit. de donat. q. ult.*, *Luge de just. d. 37. n. 134.* certum est in praxi teneri ad restitutionem de jure naturæ. Et ratio generalis est, quia hojusmodi munera, ot dixi, non dantur libere, sed coacte, nemo enim aliqqid daret Judici, ut Judici, nisi intenderet ita obtinere sententiam favorabilem, aliter enim certe non daret; quæ vero non dantur libere, sed veluti coacte & ex necessitate, utpote quia involuntarie data sunt, veniout etiam restituenda; Bannes 2. 2. *q. 71. ar. 4. dub. 4. con-*
18 *clus. 3.* Demonstratur vero in particulari hujusmodi restituendi obligatio, quia in praxi munera vel dantur ad obtinendam justam sententiam, aut removendam injustam vexationem; cumque hæc judex teneatur omnino facere gratis, jam ex hoc titulo non potest retinere. Remaneret posse retinere, si data fuerint ad obtinendam injustam sententiam, ut dixi *tr. 13. q. 2. c. 6. quæs. 1.*, at tunc tenetur compensare omnia damna irrogata illi, contra quem injustam protulit sententiam.

Ridendus autem mihi visus fuit iste Judex, dum in sui excusationem dicit munera conferre suis famulis, quamvis ipsorum major pars ad suas manus perveniret. Ridendus, inquam, mihi visus fuit, quia valde insipiens fuisset judicandus, dum de facto non cognovisset munera non famolis, sed ipsi dari, mediantibus famulis. Quis enim, & qua ratione daret aliquod famulis
19 merceoariis, quibus nihil debet, & a quibus nihil expectat? Quod datur ergo famulis, intelligitur dari Judici quia scitur transire in manus ipsius Judicis, & solum datur famulis, ne inquissimus Judex rubore suffundatur, immediate per seipsum munera recipiendo: atque ita verificetur ipsum munera recipere, quamvis mediante famulo, juxta regulam juris *qui per alium facit &c.*

Multo magis increpandus, dum Judex permitteret Litigantibus dare munera suæ Amasiæ. Et quidem primo si Judex cum ea impudice vivat, vel esset veluti loco Concubinæ, ordinarie loquendo, graviter peccarent litigantes utendo hoc medio ad reddendum Judi-
20 cem sibi favorabilem. Ultraquamquod enim uterentur turpi amore, & ex eo patrocinium quærerent, ex hoc necesse haberet Amasia cum Judice alloqui; & ita dantes munera causa essent, ut illa & Judex novom committendi peccatum periculo evidentissimo exponerentur: *Sanch. lib. 3. conf. c. un. dub. 23., & lib. 1. in Decal. c. 7. n. 38.*, *Luge de just. disp. 37. n. 136.* Ad summum liceret dare munera tali mulieri, quando id fieret ad removendam manifestissimam gravem in-
21 justitiam, nam tunc ea mediante quod licitum esset peterent, & aliunde ad vitandum grave nocumentum licet petere quod de sua natura malum non est, quamvis tale futurum sit ex ulterius malitia: *Diana part. 4. tr. 4. resol. 138.*

22 Quod si dentur munera Amasiæ, sive Cicisbejæ Judicis, cum qua turpiter non vivat, ad eam sibi favorabilem obtinendum, & id puto esse omnino illicitum, dum non ageretur de re, quæ ab arbitrio Judicis penderet vel vere non esset ex justitia concedenda. Ratio est, quia ex una parte mulieres valde propensæ ad hæc munera accipienda, ut illa obtineant nullum non movebunt lapidem ad flectendum animum Judicis. Ex alia vero parte valde timendum est ne Judex ex precibus Amasiæ in eam partem flectatur, contra quam alias pronunciasset sententiam. Et quidem, si culpabiles sunt potentes, interponendo preces maxi- 23
me importunas apud Judicem, quia ex hoc timeri potest non juste judicaturum; multo magis peccat, qui collatis muneribus interponit preces Cicisbejæ, & Judex qui hoc permittit; nam dantes munera exponunt Judicem periculo contra justitiam judicandi, & Judex convincitur amare tale periculum; quoties non prohibeat Amasiæ suas preces interponere.

Additur, quod quamvis dici possit solas Amasiæ 24
blanditias non inferre coactionem; quamvis aliter aliqui opinentur, quia revera amor non minus excæcat, quam ebrietas; nihilominus cum Amasiæ, maxime muneribus illectæ, soleant addere blanditiis preces importunas, instantissimas nempe, & sæpius repetitas, minitando etiam indignationem, bene potest dici utendo una cum blanditiis &c. his mediis veluti moraliter cogere Judicem, cum ad moralem coactionem non paucis sufficiant solæ tales preces, ut apud *Sanchez de Matrim. l. 4. disp. 8. n. 4.*, adeoque exponere periculo injuste judicandi, si justitia non sit manifesta ex parte dantis munera. Hinc & munera dantes Amasiæ, & Judex, ut sibi ipsius magis conciliet amorem, permittens, semper graviter peccabunt.

CONSILIUM XVII.

ARGUMENTUM.

Votum ingrediendi in Religionem non obligat filios, qoousque gravis necessitas Parentum, Avi, vel Aviæ, Fratrum, aut Sororum postulat ipsum in sæculo remanere.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Filius non tenetur remanere in sæculo ob levem necessitatem Parentum.*
3 *Bene vero tenetur non ingredi Religionem quoadusque perseverat gravis Parentum, Aviæ &c. necessitas.*
4 *Si ingressus fuisset Religionem, superveniente gravi necessitate Parentum, deberet ante professionem ex illa egredi.*
5 *Ut non teneatur adimplere votum ingrediendi in Religionem, satis est prævidere periculum proximum quod parentes passuri sint gravem necessitatem.*
6 *Nec tenetur tale votum adimplere, quoadusque dubitat de gravi necessitate Parentum, cui ipse solus possit providere.*
7 *Debet etiam differre adimpletionem voti ingrediendi in Religionem ob gravem necessitatem Avorum.*
8 *Avus etiam in rigorosa significatione venit nomine Parentum.*
9 *Avus in defectu Parentum tenetur alere nepotes etiam spurios.*
10 *Nepotes etiam Spurii teneatur de jure naturæ alere avum.*
11 *Gravis necessitas fratrum vel Sororum existentium sub cura & protestate parentum reputatur gravis necessitas ipsorum parentum.*
12 *Votum emissum sine determinatione temporis est adimplendum, quando fieri potest sine gravi incommodo voventis.*
13 *Hujusmodi grave incommodum pateretur frater, si ingrederetur Religionem, relinquendo fratres & sorores in gravi necessitate.*
14 *Frater tenetur differre ingressum Religionis, si sorores essent in periculo impudicitiæ, quamvis vovendo determinasset tempus ingrediendi Religionem.*
15 *Universaliter loquendo frater debet de jure naturæ differre ingressum Religionis, dum necessaria sit ipsius permanentia in sæculo ob removendam gravem necessitatem fratrum vel Sororum.*
16 *Frater tenetur ex jure naturæ alere alios fratres & sorores, si ex se non habent unde alantur.*

17 Pa

17 *Patruus debet alere ex jure naturæ sobrinum, seu neptem ex fratrem.*

1 QUidam Filius voto Religinnis emisso, omnino volebat ingredi Religionem. At Pater renuebat, quia affirmabat sibi esse necessarium ad sui sustentationem, sicut etiam Avi, aliorumque Fratrum, & Sororum, ex quibus aliqui in tenella adhuc erant ætate. At filius reputabat tutum non esse in conscientia, quia sibi non videbatur esse Patri omnino necessarius, quamvis fortasse magis necessarius posset esse respectu Avi, & Fratrum, & sororum. Quærebat ergo quid ab ipso præstandum esset.

2 Ut igitur huic filio satisfacerem, & quid facere deberet demonstrarem, supponebam certe ipsum non debere remanere in sæculo ob levem Parentum &c. necessitatem, quando nempe sine ipso deberent aliquantum proprium statum minuere, non tamen ab eo decadendo, & aliquando etiam congruis carere. Et ratio est, quia cum tunc subvenire deberet parentibus &c. cum suo gravi dispendio spirituali, non ingrediendo scilicet in Religionem; hoc magis considerandum erat, maxime adjuncto voto Religionem ingrediendi, quam levis necessitas temporalis Parentum &c. quæ parvipendenda videtur comparative ad tale spirituale dispendium.

3 Sicut dictum est levem Parentum &c. necessitatem non cogere filium ad remanendum in sæculo, ut ipsis opituletur, ita dicendum est ad id cogi ex gravi ipsorum necessitate, quando nempe non possunt substentari nisi a suo statu notabiliter cadendo, vel exercendo opus suæ conditioni indecorum; vel nonnisi cum gravi difficultate sibi providere de absolute necessariis. In hoc igitur casu Filium debere abstinere ab ingressu in Religionem exide patet, quia lex naturæ obligat ad succurrendum necessitati Parentum &c. pertinet enim ad honorem, & amorem ipsius debitum eorum grave dedecus, & detrimentum non permittere, at-
4 que impedire, ne gravi necessitate opprimantur. Velle autem relinquera in tali statu Parentes Divinæ Providentiæ, uti dicebat iste Filius, asset tentare Deum; *S.Th.2.2.q.189.a.6.* Hinc aperte asserit, Parentibus &c. in necessitate existentibus, ita quod eis commode aliter quam obsequium filiorum subveniri non possit, non licere filiis, prætermisso Parentum &c. obsequio, Religionem intrare. S. Thomam sequuntur Theologi: *D. Anton 3.p.tit.16. c.2.§.1. Bordon.de profess.q.51.c.1. Suarez tom.3.de Relig.l.5.c.5.n.11. Palan. tr.16.d.1.punct.7 §.5.*

Ex autem quod jure naturæ teneatur Filius succurrere Parentibus &c. in gravi necessitate, bene infertur, quod quamvis jam ingressus fuisset Religionem, si superveniret Parentibus gravis necessitas, ex ea egredi deberet, non obstante voto Religionis, quia ipsi prævalet obligatio per legem naturalem inducta; *Sanch l.4. Moral. c.20.n.9. Suar.t.4.de Relig. l.4.c.6. a n.12.& tom 3.l.5.c.5.n.11.*

Quia vero Filius anxius videbatur, eo quod dubitabatur, an necessitas Parentum &c. esset ita gravis, ut illum impediret ab adimplendo voto, duo illi observanda dicebam. Primum erat, quod, ut impediretur a sui voti adimpletione, non erat necesse, quod tunc Parentes essent in gravi necessitate, sed satis erat previdere grave periculum in eamdem lapsuros,
5 quoties filius ipsis non assisteret. Ut si Parentes vivebant ex arte laboriosa, ac interim quia proximi erant senectuti, vel habitualibus morbis subjecti, prævidebatur futurum non posse per se sibi providere necessarium victum; & eo maxime si ipsos deceret mendicare. Idem dicebam, si quamvis Parentes potuissent sibi necessarium victum comparare, attamen non potuissent satisfacere suis creditoribus, unde prævidebantur valde ab iisdem creditoribus affligendi, vel etiam carceri mancipandi. Stante gravi periculo gravium incommodorum, quamvis hic & nunc Parentes eadem non paterentur, dicebam filium debuisse abstinere ab ingressu in Religionem: bene enim in moralibus æquivalent malum præsens, & malum, quod de proximo timetur; unde filium non posse deserere Parentes, quoties proxime probabiliter gravis necessitas immineat, docuerunt *Suar. de Relig. l.5.c.5. Sanch l.4. Moral. c.20.n.5.*

6 Secundo, dicebam, quod, ut non teneretur suum votum adimplere, satis erat prudenter dubitare de gravi necessitate Parentum, quamvis modo non esset certa. Ad hoc autem probandum considerabam votum non posse licite observari, quoties certum non esset ejus adimpletione non infringi legem naturalem ratione reverentiæ, & amoris, quæ Parentibus debentur, inducentem gravem obligationem illis subveniendi. Ratio est, quia dum non est certum non infringi talem obligationem, excusatio eam non observandi dubia est; & ex alia parte ubi constet de necessitate, quamvis non constet esse gravem, possessio stat pro legis obligatione. Præterea dum constat de lege, & non constat de sufficienti exemptione ab ea non observanda, pertinet exemptionem plene probare ad eum, qui vult se eximere ab illius obligatione; unde quoadusque filius dubitet, an sit exemptus a lege obligante subveniendi Parentibus, cum non satis probet suam exemptionem, tenetur eam observare. Lex igitur naturalis de subveniendis Parentibus, aperte obligat filium ad non negandam sustentationem, quoadusque constet Parentes non indigere, & hanc sententiam puto omnino veram, quamvis aliqui in contrarium opinentur.

At non solum ex gravi Parentum necessitate dicebam filium debuisse saltem differre voti adimpletionem, sed etiam ex gravi Avi Aviæque &c. necessitate: *D.Th.2.2.q.101.a.1 Sanch l.4 Moral.c.20.n.28. Pal. tr.16.disp.1.p.7.§.5.n.4* atque hanc opinionem omnino contrariæ præferendam censeo. Si igitur ex commu- 7
ni DD. filius licite differt adimplere votum ingrediendi Religionem ex gravi Parentum necessitate, id etiam poterit præstare ratione gravis necessitatis Ascendentium, & maxime Avi & Aviæ; nam vere loco parentum, consideratur: *leg appellatione parentis 51.ff.de Verb.sign.& leg justa interpr.2. ibid.* & hoc verificatur attenta propria vocis significatione, ut cum aliis docet *Fagnan in c. ad extirpandas n.46 de fil. Presb.* Quapropter in quibuscumque statutis, & dis- 8
spositionibus, etiam adhibita stricta interpretatione, nomine parentum venire Avum, & Aviam, docet *Grat.disc.forens.c.977 a n 3.* Hinc puto ab ipso Mundi exordio factum esse, ut in defectu Parentum, Caput familiæ, veluti loco Patris habeat totius familiæ gubernium; & Nepotes, ni fuerint emancipati, de jure naturali sunt sub ipsius potestate, adeoque hi naturali lege, & ex virtute pietatis tenentur Ascendentes honorare, ut primos Patres, aut Matres.

At strictius probatur teneri Nepotem ob gravem 9
necessitatem Avi, Aviæque non ingredi Religionem, quia sicut Avus in defectu Parentam, vel ipsis impotentibus tenetur alere Nepotes etiam spurios, quia loco filiorum considerantur, ut docent DD. apud Barbos. *in l. 4. Decret. tit. 15. c.cum haberet 5.n.8. Molin. disp.168. Azor.tom.2.l.2.c.12.q.6.* ita nepos, quamvis spurius, tenetur alere Avum, quia ipsum loco Patris debet considerare, ut multi docent apud eumdem Barbos. *n.9. Azor.tom.2.l.2.c.3. Satyr. in Calv. Reg.l.7.tom.5.n.15.* Sicut ergo ne violetur jus naturale de 10
alimentis præstandis Parentibus, magis obligans quam votum, non potest filius ingredi Religionem in gravi ipsorum necessitate; ita ex paritate rationis non poterit Nepos ingredi Religionem in gravi necessitate Avi, Aviæque.

Merito etiam Pater urgebat saltem differendum a Filio ingressum in Religionem, ut interim providere posset aliis fratribus, & sororibus, quibus cum ipse Pater jam proximus senectuti, ac habitualibus infirmitatibus vexatus providere non posset, manifeste dignoscebatur in graves angustias reducendos, & præcipue eos, qui in tenella adhuc erant ætate. Quidquid ergo sit, an Frater possit differre adimpletionem voti ingrediendi Religionem, dum necessarium esset permanere in sæculo ob subveniendum gravi necessitati fratrum, aut Sororum, quam obligationem habere negant *Suarez de Relig l.5.c 7.a n.3. Sanch l.4. Moral. c.20.n.30. Palaus tr.16.disp.1 p.7.§.5.n.12.* aliique plures, 11
in præsenti manifestum erat debuisse in sæculo permanere. Ratio est, quia, cum ageretur de fratribus, & sororibus, quæ adhuc erant sub cura, & potestate Parentum, jam necessitas fratrum, & sororum simul erat necessitas Parentum. Cum igitur Parentes teneantur filios alere, jam si quæ ex propria arte lucrantur non sufficiunt ad eos alendos, ipsi Parentes sunt in gravi necessitate, cum non possint propriis oneribus satisfacere; adeoque si gravis necessitas Parentum suspendit obligationem vo-

tiin-

ti ingrediendi in Religionem usque dum transeat, id in dicendum in casu praesenti, cum necessitas fratrum &c. in eosdem parentes redundet, atque ita hanc limitationem bene admittunt DD

Considerabam deinde quod agebatur de voto, emisso sine determinatione temporis, unde ex dictis tr. q. c. q. venit adimplendum, quando sine gravi aliquo incom-
12 modo fieri potest, quia communiter reputatur talem esse intentionem voventis, Nemo autem dicet non redundare in grave incommodum voventis relinquere fratres, & sorores gravi necessitate oppressos, & maxime si Sorores in periculo essent impudicitiae; horum enim malorum reminiscentia valde affligeret, qui
13 ingressus fuisset in Religionem, dum recordaretur potuisse illis occurrere, & omisisse. Hinc bene judicarem cum Palao *tr.16. disp.1, p.7. §.5. n.13.* in tali casu remittendum esse arbitrio boni, & docti viri; quoadusque differendus sit ingressus in Religionem; nam si ex permanentia Fratris in seculo judicaret non posse removeri gravem fratrum necessitatem, statim votum esset adimplendum; secus si videret ipsius permanentiam ad id esse necessariam,

14 Addebam quod etsi vovendo determinasset tempus ingrediendi in Religionem, adhuc debuisset differre illius ingressum, si differendo posset opitulari Sororibus, alias in periculo se prostituendi. Et ratio mihi est, quia usquedum detur periculum impudicitiae sororum, quibus multo magis quam caeteris strictissimo vinculo, saltem Charitatis, tenetur frater opitulari, maxime quoad removendas illas a peccato, non potest esse opus redundans in majus Dei obsequium illas in tali periculo relinquere ob ingrediendum in Religionem; cum maxime possit hujusmodi Frater, si velit, praestantissima pietatis opera etiam in saeculo exercere; quod de plus facere posset in Religione, compensaretur exercendo opus tam Deo gratum, assistendi nempe Sororibus, ne in impudicitiam prolabantur. Hoc autem non esset rigorose commutare votum in aliud opus, quia commutatio habet praecedens votum extinguere, sed solum illius executionem differre, usque dum possit esse Deo magis gratum, quam derelinquere Sorores in tanto periculo: *Sanch. l.4. Moral. c.4. n.31.* Addendum obligationem Fratrum assistendi sororibus non solum esse ex strictissimo vinculo Charitatis, sed etiam Pietatis, ut docet S. Th. *2.2. q.101. art.1. & art 2. ad 3.*

15 At etiam universaliter dici potest Fratrem teneri differre ingressum in Religionem, usque dum ipsius indigeant alii Fratres, & Sorores ad sui necessariam sustentationem. Ratio est, quia non est adimplendum talem votum, semper cum ipsius adimpletione violatur praeceptum legis naturae; nam hoc strictius obligat, ut saepe dictum est. Quod autem Frater teneatur ex jure naturae alere alios fratres, & sorores, quae non possint sibi providere, exinde probatur, quia quamvis inter eos non sit ille strictissimus nexus, qui est inter Parentes, & filios, nihilominus si propter vinculum sanguinis bene dicitur ex jure naturae praefatos habere inter se mutuam obligationem sibi praestandi alimenta, bene dici potest eodem jure Fratres, & sorores sibi ad invicem debere alimenta necessaria praestare, dum unus alterius indigeat; nam quamvis vinculum sanguinis non sit strictissimum quale inter parentes, & filios, negari non potest valde strictum esse, a quo proinde de jure natu-
16 rae oriri possit praedicta obligatio: *Boss. de alim. oblig. c.8. n. n.305.* Et quidem si bene sustineri potest de jure naturae Patruum debere alere sobrinum, seu nepotem ex fratre pauperem, & contra, ut apud eumdem Bossium *n.580. & 581.*, multo magis verificari oportet eamdem obligationem jure naturali consurgere inter fratres, & sorores. Ex hoc autem consurgit necessitas differendi ingressum in Religionem, usquedum Fratribus, & Sororibus provideatur, ut bene animadvertit Bossius *cit. c.23. n.1330.*

Demum advertere debebat iste Filius, quod quamvis alii fuissent, qui potuissent, immo & jam tenerentur suae domui, parentibus nempe, Avo, ac Fratribus, & sororibus opitulari, nihilominus illi hoc non suffragabatur, si nollent; respectu etenim patientis necessitatem, qui revera non sunt subventuri, perinde se habent, ac si in Mundo non essent: unde ipse filius non potest se eximere a subveniendo iisdem, quoties vel non sint, vel si sint, nolint subvenire.

CONSILIUM XVIII.

ARGUMENTUM.

Impressio Librorum nullatenus pertinet ad negotiationem Clericis prohibitam. Quod si ex falsa hypothesi pertineret ad talem negotiationem, bene exerceri posset totaliter per Typographum, & maxime a Clerico non Beneficiato, in minoribus constituto. Secus tamen quoad utrumque dicendum esset, si attenderetur stricte vigor SS. Canonum, non vero introducta consuetudo.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Impressio librorum, eorumque venditio non continent negotiationem Clericis prohibitum.*
3 *Nec colere proprios agros ad colligendos fructus, quamvis cum intentione ex eis lucrum captandi,*
4 *In impressione librorum emptio, & venditio per accidens interveniunt.*
5 *Intentio vendendi justo pretio proprios fructus non importat negotiationem.*
6 *Negotiari per proprium famulum, & ministrum est idem ac negotiari per seipsum.*
7 *Quampluribus placet nec licere Ecclesiasticos negotiari per alium, quamvis constituatur totalis patronus negotiationis.*
8 *Negotiari per alium, quamvis patronum negotiationis, est vere negotiari.*
9 *Negotiari saltem moderate non interdicitur Ecclesiasticis jure naturali, & divino.*
10 *Vi contrariae consuetudinis potest Ecclesiasticus negotiari per alium, quando huic totaliter incumbat cura negotiationis.*
11 *Ita negotiari non importat eam difformitatem, quae inest negotiationi per se exercitae.*
12 *Attento vigore SS. Canonum nec Clericis in Minoribus constitutis, quamvis non Beneficiatis, licet negotiari.*
13 *Etiam de his Clericis verificatur suo modo esse Altaris Ministros.*
14 *Clericos in minoribus constitutos dedecet negotiari.*
15 *Excusari possunt vi contrariae consuetudinis, cum ipsos minus dedeceat negotiari, quam dedeceat constitutos in Sacris, vel habentes Beneficium.*
16 *Peccare possunt ratione scandali, si valde incumbant negotiationi, maxime si sint illiberales erga pauperes.*

QUidam Ecclesiasticus non parum utilitatis ex impressione suorum librorum percipiens, accu- 1
satus est, quasi intenderet negotiationi, per Canones Ecclesiasticis prohibitae. Insuper hac occasione quaesitum fuit, an supposito impressionem librorum esse negotiationem illicitam, & prohibitam Ecclesiasticis, posset iste Ecclesiasticus excusari, eo quod universum negotium vendendi, & distrahendi libros relinqueret Typographo. Addebat nequaquam ipsi posse dici vetitam quocumque modo negotiationem, cum non esset in Sacris constitutus, nec haberet Ecclesiastî- 3
cum Beneficium. Videndum ergo erat, an iste vere contra Canonicas Sanctiones negotiari dicendus esset.

Resp. igitur ad primum quaesitum, dicebam, quod 2
quamvis aliqui velint imprimentem suis sumptibus per Typographum libros a se compositos, eosque vendentem exercere negotiationem Clericis prohibitam, ut videre est apud Dianam *p.21. tr.6. resol.11.* simulque non desint qui saltem velint hoc habere quadam affinitatem ad negotiationem, sive speciem negotiationis praeseferre, ut ait de Lugo *de just. disp. 26. n.35.* nihilominus revera dicendum erat hujusmodi impressionem, & venditionem nihil habere negotiationis, Clericis a SS. Canonibus prohibitae. Hoc autem probatur, quia non potest dici importare negotiationem illud opus, quod de sua natura non tendit ad lucrum capitandum, sed ad finem omnino diversum, quamvis intentio illud opus facientis sit etiam lucrifacere. Ratio est, quia opus non desumit suam speciem a fine operantis, sed ab objecto, in quod de sua natura tendit, ut dixi *tract. 1. qu. 3. cap. 1. quaest. 3.* Cum igitur impressio librorum ab aliquo compositorum tendat de sua natura ad

doctri-

doctrinam communicandam, non vero ad lucrum, immo illud excludat, cum fructus doctrinæ de se sint supra omne pretium, juxta illud *Sapient. c. 7. 13. Quam sine fictione didici, & sine invidia communico*; hinc est de sua natura nullam præseferre negociationem, & nec talem dici posse, quamvis author libri lucrum
3 reportare ex impressione intenderet, Ita quia colere proprios agros, ut fructificent, de sua natura est quid indifferens ad lucrum, cum potius assignati sint Ecclesiasticis, ut eos colant pro sui sustentatione, hinc est, tale opus nequaquam dicendum esse negociationem, quamvis Ecclesiasticus eos coleret ad vendendum pretio currenti fructus ex eo collectos, quia, ut dixi, ex fine operantis, species, & natura operis non designatur.

Aliquibus quædam negociatio intercedere videtur, quia venditur, quod nullatenus ab Ecclesiastico immutatur; neque enim chartam, vel scripturam libri, quem vendit, immutat, atque in hoc casu in-
4 tercedere negociationem, videtur dictum tr. 14 q. 2. c. 2. quæst. 1. Sed contra est primo, quia in præsenti per accidens interveniunt emptio, & venditio, quia nempe communicari non potest doctrina, ad quem finem ordinatur impressio librorum, sine emptione Chartæ, & sine librorum venditione. Sicut igitur emi potest absque ulla negociatione, & vendi, quod necessari-
5 um est, ad colligendos fructus agri, illosque postea vendendos, ita dici debet in casu nostro. Deinde intentio vendendi propria bona pretio currenti, non est intentio negociandi, seu lucrifaciendi, sed solum utendi re sua, seu ipsius pretio ad propriam utilitatem, & commodum; quod si sufficeret ad inducendam mercaturam, seu negociationem, unusquisque
6 vendens rem suam dicendus esset negociator.

Facta autem falsa suppositione, quod impressio propriorum librorum sit negociatio, suboriebatur dubium, an hæc negociatio foret viro Ecclesiastico prohibita, eo quod libri mediante Typographo venderentur &c. Et quidem hic non aptatur ea communis doctrina, quod non liceat Viro Ecclesiastico negociari per aliquem, qui sit suus famulus vel minister, in quo casu ipsum Ecclesiasticum apparet negociari; non, inquam, aptatur ea doctrina: nam distrahens, & vendens libros mediante Typographo, qui nomine proprio gerit negocium, non videtur ullo pacto negociari per seipsum, dummodo omnem solicitudinem negocii, & venditionis illi relinquat, & solum partem lucri sibi obvenien-
7 tem recipiat. Verum nec hanc negociationem Viro Ecclesiastico licere non pauci affirmant; cum regulariter non possit quis per alium facere, quod personaliter facere prohibetur: *Gl. in Clem.* 1. *v. publice de vit. honest. Cleric. Covarr. in cap. quamvis pactum p.* 1. *§.* 5. *n.* 8. addendum adhuc hoc pacto vere exerceri negociationem, in qua cum solum lucrum intendatur, habet quamdam speciem mali, ut docet S. Th. 2. 2. q. 77. art. 4. qua ratione est Clericis prohibita: atque ita hanc etiam negociationem Clericis interdici, docuerunt quamplures DD. quos sequitur Barbosa *l.* 1. *de jur. Eccl. c.* 39. *§.* 5. *n.* 68. *Bonac. de contr. disp.* 3. *q. ult. part.* 2. *n.* 14. *Bordon.*
8 *tit.* 2. *resol.* 53. *n.* 98.

Ut autem ego quid sentiam exponam, primo præsuppono vere dici negociari, qui dat suam pecuniam, vel materiam mercatori, ut ipsam tamquam patronus negociationi exponat, ac deinde pro rata distribuat lucrum Ecclesiastico, qui contulit pecuniam &c. Et ratio est evidens, quia qui ita dat pecuniam, vel materiam patrono negocii, non transfert in illum dominium talis pecuniæ, vel materiæ, si etenim tale dominium transferret, utique non posset pro rata lucrum prætendere. Vel enim transtulisset per contractum mutui, aut liberalis donationis, & nihil tunc posset exigere: vel transtulisset dando materiam titulo venditionis, & tunc solum pretium ejusdem posset obtinere. Ut igitur possit pro rata habere lucrum negociationis, quamvis ab alio tamquam patrono negocii exercitæ, oportet pecuniam, vel materiam tradidisse contractu societatis, atque ita verificaretur in proprio sensu esse socium negocii: qui autem socius est in aliqua negociatione, vere, & proprie dicitur negociari, atque ita de isto Ecclesiastico verificatur negociationem exercere. Remanet ergo videre, an ista negociatio sit Viro Ecclesiastico prohibita.

Et quidem cum SS. Canones sine ulla distinctione prohibeant Clericis negociationem, etiam hanc prohi-
buisse dicendum videtur; ubi enim lex non distinguit, 9
nec nos distinguere debemus. Nihilominus cum non sit proibitum Ecclesiasticis saltem moderate negotiari jure naturali vel divino, sed solum jure positivo, potuit contra tale jus saltem pro aliqua parte prævalere consuetudo, vel eadem consuetudine interpretari possumus quo modo intelligendæ sint leges prohibentes Viro Ecclesiastico negotiationem. Cum igitur ubique invalue- 10
rit consuetudo, ut Ecclesiastici dent alteri suam pecuniam, &c. contractu societatis, ita tamen, ut ille tamquam patronus negocii eam pro suo libito negocietur, & Ecclesiasticus nullam habendo partem, & solicitudinem negociorum, quæ ille facit, obtineat pro rata majus vel minus lucrum; si nempe contractu societatis alii contractus assecurationis Capitalis, & lucri accessetint, hinc est, quod non puto esse prohibitum ita negociari, per alios, dummodo tamen semper verificetur Ecclesiasticum nullam partem habere in solicitudine negociandi.

Et quidem potuit bene invalescere ista consuetudo, atque ipsi Prælatos Ecclesiasticos tacite consentire; nam ita negociari non importat distractionem a sæcularia negocia, quæ certe dedecet Virum Ecclesiasticum, cum spiritualibus debeat vacare. Ita etiam cessat ratio 11
scandali respectu Sæcularium, dum non vident Ecclesiasticos sæcularibus negociationibus occupari; unde ex his rationibus libere potuit Ecclesiasticus facere per alium, quod suo nomine facere nequiret. Solum remanet illa aliqualis mali species, quæ est in cupiditate lucri, si Ecclesiasticus ex alio justo titulo non exponat suam pecuniam negociationi; sed contra eam potuit, ut dixi, prævalere consuetudo, eo maxime quia velle lucrari non est actus talis naturæ: ut non possit a Viro Ecclesiastico ad bonum finem ordinari: *Lugo disp.* 26. *n.* 36. *Graff. effect. Cleric.* 6. *n.* 23. *Molin. disp.* 342. *n.* 10. *Bellet. disquisit. Cler. §.* 21. *n.* 10.

Sicuti dixi attenta dispositione SS. Canonum non futurum licitum Ecclesiastico etiam per alium negociari, ita attento eorumdem SS. Canonum rigore nulli Clerico, quamvis non constituto in Sacris, nec Beneficium habenti, liceret negociationem absque necessitate exercere. Cum igitur negari non possit Clericos etiam intra Sacris non constitutos, vel Beneficium non obtinentes obstringi legibus universaliter latis pro Clericis, consequens est quoscumque Clericos ex vi illarum debere abstinere a negociatione. Et quidem universaliter omnibus Clericis interdici negocia sæcularia, habetur *can.* 1. *dist.* 88. & ibidem *can.* 2. prohibentur generaliter Clericis negociationes, & confirmatur *ibid. can. negotiationem*. Item *ibid. can. fornicari* dicitur licere Ecclesiastico, antequam talis sit, negociari, non vero postquam factus est Ecclesiasticus Demum universaliter quibuscumque Ecclesiasticis interdicitur negociatio *cap. secundo ne Cler. vel Monach. & cap. final. de vit. & honest. Cler.* Hos Canones expendit Fagnanus *in c. multa sunt, ne Cler. vel Monach. n.* 82. & bene resolvit nullatenus dici posse a SS. Canonibus prohibitionem negociandi solum limitari ad Clericos in Sacris constitutos, vel Beneficium obtinentes.

Deinde omnino constat negociationem generaliter interdictam esse Ministris Altaris: *c.* 1. *ne Cleric. vel Monach.* unde necesse est dicere omnibus Clericis prohibitam fuisse. Ratio est, tum quia de omnibus 13
Clericis verificatur esse Altaris Ministros; tum quia etiam Ordines Minores sunt propter altaris Sacrificium, in quo totus Divinus cultus consummatur; tum quia omnis Ordo, prout est Sacramentum Eucharistiæ, *can. perlectis* 25. *dist. Trid. sess.* 23. *cap.* 2. *de Sacram. Ordin. D. Thom. in* 4. *dist.* 24. *qu.* 3. *art.* 2. *q.* 2.

Demum etiam ratio, qua Ecclesiasticis prohibita est
negociatio, aptatur Clericis in Minoribus constitutis, 14
quamvis non habentibus Beneficium. Si ergo vetita est Clericis negociatio, quia ipsos dedecet esse occupatos in negociis sæcularibus, & a spiritualibus distractos, certe hæc indecentia, quamvis minor dignoscitur etiam in Clerico negociatore, quamvis in Minoribus tantum constituto; eo enim ipso quod sit Clericus, debet specialiter ad Dominum pertinere, & spiritualibus exercitiis vacare, ut passim videre est apud SS. Canones, & præcipue *can.* 1. *dist.* 1. *can. duo genera* 12. *quæst.* 1. Nec refert Clericum in Minoribus constitutum posse Clericatum relinquere; nam usque dum in Clericatu persistat, tenetur ratione sui status a negociis sæcu-
laribus

laribus cessare, cum ad statum sæcularem ipse non pertineat.

Quomodocumque ergo considerentur SS. Canones interdicentes negotiationem, verificatur comprehendere etiam Clericos in Minoribus constitutos, &
15 quamvis non beneficiatos. Solum ergo excusari poterunt vi contrariæ consuetudinis, ut paulo ante dicebam; eo maxime quia non scitur Ecclesiæ Prælatos animadvertere in hos Clericos negociatores; atque ex hoc capite admitto plurimorum Theologorum sententiam, qui considerantes negociationem multo minus dedecere Clericum in Minoribus constitutum, quem Clericum in Sacris constitutum, sive Clericum ratione Beneficii strictius addictum servitio Ecclesiæ, bene inferunt modo ad præfatum Clericum non extendi prohibitionem negociandi: *Lugo disp.26.n.26. Bellet.disquisit.Cler.tit.de discipl. Eccles. 5.n.19.*

16 Sed ultimo animadvertendum est hoc quidem procedere de jure positivo; nam quamvis cesset respectu præfatorum Clericorum negociandi prohibitio, jure positivo inducta, bene tamen potest illi esse illicita, quia jure naturali prohibita. Id autem tunc maxime verificaretur, quando ex negociatione Clerici nullatenus indigentis, immo divitis, scandalum oriretur, & non leves sæcularium detractiones. Etquidem necesse est multoties scandalum oriri, quoties videtur Clericus dives semper intentus lucro acquirendo, & nullam omittere occasionem vel etiam vilissimæ negociationis, ut suas augeat divitias. Majus enim esset scandalum, & majores detractiones, quoties viderent hunc Clericum animum obduratum habere erga pauperem, ac semper vel fere semper dimittere illis verbis *Vade in pacem*, ni forte etiam verbis asperis a se removeat.

CONSILIUM XIX.

ARGUMENTUM.

Jura nolunt Religiosos occupari in negotiis forensibus, & in executione ultimarum voluntatum. Examinatur autem quid sentiendum de actis gestis a Religioso se gerente ut Judice, Arbitro, Arbitratore, & Executore maxime dum non intervenerit licentia Superioris, vel adfuerit ipsius prohibitio.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Quid significet nomen Judicis, & Arbitri.*
3 *In quo differat Arbiter ab Arbitratore.*
4 *Religiosis interdicitur se immiscere negotiis forensibus, & sæcularibus, & id etiam ratione sui status, si non sit valde raro.*
5 *Etiam jure positivo prohibentur Regulares ab hujusmodi negotiis exercendis.*
6 *Hæc prohibitio comprehendit omnes Religiosos.*
7 *Permittitur Religiosis se immiscere negotiis forensibus, dum copulative adsint licentia Superioris, & utilitas Monasterii.*
8 *Sola licentia Superioris potest Religiosus gerere munus Arbitratoris.*
9 *Deficiente licentia Superioris non pauci volunt invalida esse, quæ gessit Religiosus ut Judex, & Arbiter.*
10 *Eo quod Servus non possit esse Judex, & Arbiter, non bene argumentatur idem dicendum de Religioso.*
11 *Religiosus non est jure naturali, & divino incapax facultatis se gerendi, ut Judicem, & Arbitrum.*
12 *Licentia Superioris videtur necessaria solum ut licite sit Judex &c. non vero ut valide.*
13 *Simplex prohibitio actum non irritat.*
14 *Ad invaliditatem actuum gestorum a Religioso ut Judice, & Arbitrio, ultra prohibitionem Superioris, necesse erat voluisse illos irritos reddere.*
15 *Actus sustinendus est, quoad fieri potest.*
16 *Parte opponente defectum licentiæ, rescindenda essent facta a Religioso ut Judice, & Arbitro.*
17 *Licentia Superioris necessaria non est, ut Religiosus valide gerat munus Arbitratoris.*
18 *Religiosis interdicitur a jure esse executores ultimarum voluntatum.*
19 *Illis solum hoc licet de licentia Superioris.*
20 *Sufficit tamen fuisse præsumptam, hoc est, Superiorem ratum habere quod facit Religiosus.*
21 *Ex multorum opinione executio Religiosi invalida est, si non adsit Superioris licentia.*
22 *Nihilominus ut valida sustinenda est.*
23 *Dum dicitur aliquid non posse fieri, intelligi potest de licito, non de valido.*
24 *Religiosus dicitur non habere velle, & nolle, quia non potest plurima licite facere sine consensu Superioris.*
25 *Sine licentia Superioris valide, quamvis illicite excipit confessiones.*
26 *Superiore irritante executionem, vel parte opponente defectum licentiæ, executio esset irritanda.*
27 *Non expedit Religiosos applicare suis Monasteriis vel sibi, distribuenda pauperibus, quando gravi non premantur egestate.*
28 *Religiosi non habentes unde decenter vivant juxta suum statum possunt venire nomine pauperum.*
29 *Non videntur contra justitiam applicare Monasteriis egentibus vel ipsi Religioso executori si egeat, distribuenda pauperibus.*
30 *Eleemosynæ applicandæ pauperibus non videntur ex præsumpta mente Testatoris applicandæ Monasteriis non valde indigentibus.*
31 *Nomine pauperum magis proprie veniunt pauperes sæculares, non vero Monasteria Religiosa, si graviter non indigeant.*

N. N. morti proximus, cum sciret aliqua bona ab ipso possessa prætendi a suo Consanguineo, voluit quoad hoc a suo hærede constitui debere *Judicem Arbitrum, aut Arbitratorem* quemdam Religiosum suum Confessarium, quem etiam constituit Executorem Testamentarium, & Dispensatorem plurium eleemosynarum. Hinc varia suborta sunt dubia, an nempe talis Religiosus potuerit esse Judex, Arbiter, aut Arbitrator, & an attendendum suum judicium, arbitrium, seu arbitramentum, ex suppositione quod jam ita se gesserit, sicut revera fecerat. Item subortum est dubium, an licite & valide exercuisset munus Executoris; & an criminandus esset, quia majorem partem eleemosynarum suo Monasterio applicaverat. 1

Ut responderem igitur singulis supra appositis, primo necesse fuit distinguere inter officium Judicis, Arbitri, & Arbitratoris. Judex ergo denotat illam personam, quæ habet publicam judicandi, & cognoscendi authoritatem, & potestatem, sive sit ordinaria, sive delegata, sive ad causas, sive ad exequendam gratiam &c. Hinc ut bene observat Barbosa *appelat.*122. *nu.*1., hoc verbum *Judex* in jure generale est, & comprehendit quoscumque habentes publicam potestatem judicandi, & cognoscendi. Arbiter item est vere Judex, quatenus tenetur judicare, & sententiare ex rigore justitiæ, adeoque prout juris est, & servato ordine juris, unde non potest tradere uni, quod alteri parti debetur. E contra Arbitrator potius quam Judex, est amicabilis partium Compositor. Hinc non tenetur viam juris rigorose servare, sed pro bono pacis potest aliquid demere uni, quamvis ipsi ex jure debitum, & alteri tradere. Hæc est principalis differentia inter Arbitrum, & Arbitratorem, qua de re videndi DD. *in cap. quintavallis de jure jur.*, & *cap. nisi essent de præbend.* His suppositis.

Dicendum est hunc Religiosum male se gessisse in acceptando, & exequendo officium Judicis, seu Arbitri; nam Religiosis interdicitur se immiscere negotiis forensibus, & sæcularibus. Et quidem quatenus hoc non faceret ex Charitate, vel valde raro, sed immoderate, & ex cupiditate, bene dicitur etiam jure divino hæc Religiosis prohiberi, nam Religiosi ex vi sui Status Deo vacare debent; & cum ab hoc valde distrahant immoderata negocia sæcularia, & forensia, consequens est, ea ipsis non esse licita: *S.Th.* 1.2.*q.*187.*ar.*2. Oritur secundo hæc prohibitio ex jure positivo, quo negotia forensia omnino Regularibus interdicuntur, ut *ex cap. Monachi il* 2.16.*q.*1. quam prohibitionem, quæ primo videbatur respicere Monachos, ad a Cannonicos etiam Regulares extendit Innoc. III. ut *ex cap. etiam il.2. de postulando*. Quod si ita non extendisses Innocentius *in cit.cap. etiam* prohibitio, exceptis Monachis non afficeret alios Regulares, nam in odiosis non veniunt sub nomine Monachi, ut observat Barbose *in appellat. v. Monachus n.* 5. Eo ipso autem quod extende-

tenderit ad Canonicos Regulares, virtualiter ad omnes Religiosos talis prohibitio extensa intelligitur; ideo enim non expressit Mendicantes, aliasque modemiores Religiones, quia tunc adhuc non erant *Sanchez l. 6. in Decal. cap. 13. num. 1. Sayr. in Clav. Reg. l. 12. cap. 22. n. 3. Lezan. p. 1. cap. 9. n. 14.* Solum ergo permittuntur Religiosis forensia negotia, quatenus copulative concurrant duæ conditiones, licentia nempe Superioris, & utilitas Monasterii; nec sufficit harum alteram adesse, quia utraque conjunctim exigitur *per text. in c. Monach. & cap. etiam cit.* ubi Glossa *v. imperante*, *Sanch. cit. n. 3. Sayr. n. 5.*

6 Cum igitur etsi intercessisset Superioris licentia, Religiosus, de quo in casu, se immiscuisset in negotiis forensibus, agendo munus Judicis, & Arbitri, atque id non ex utilitate Monasterii, consequens erat SS. Canones transgressum esse, adeoque male se gessisse.

7 Solum interveniente licentia Superioris, licite exercere potest munus Arbitratoris; se etenim gerendo ut Arbitratorem, non proprie tractat negocia forensia, sed facit opus pietatis, dum diffidentes ad pacem inducit: *Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 13. num. 61. Laym. lib. 4 tract. 5. cap. 11. n. 6. Palaus tract. 16. disp. 4. part. 12. §. 1. num. 6.*

8 Supposito autem non adfuisse licentiam Superioris, ut Religiosus, de quo in casu, gereret officium Judicis, Arbitri aut Arbitratoris, uti de facto non adfuit, consurgebat dubium, an validum judicandum foret judicium istius Religiosi. Certe opinio magis communis stat pro ipsius invaliditate, maxime quantum ad ea, quæ gesserit ut Judex, & Arbiter: *Glossa in lib. 7. §. servum ff. de arbitris, Decius cons. 894. a num. 9. & cons. 499. num. 5. Sanchez l. 6. in Decal. cap. 13. num. 71.*
9 *Laym. l. 4. tract. 5. cap. 11. n. 6. in fin.* aliique plures. Id autem putant probari etiam *ex leg. Pædius §. In servum ff. de arb.*; nam cum ibidem asseratur Servi arbitrium nullum esse, idem dicunt dicendum de arbitrio Religiosi, qui Servo assimilatur. Verum paritas non currit quia jus bene potuit velle nullum arbitrium Servi ob i-
10 psius vilitatem, quæ ratio Religioso non aptatur. Immo retorqueri posset argumentum; Religiosus etenim etiam Filio familias assimilatur, cujus judicium validum est. Ego igitur starem pro validitate gestorum ab hoc Religioso, etiam ut Judice, & Arbitrio, idque non solum si non intercesserit licentia sui Superioris, sed etiam si prohibuerit, dummodo non intenderit illum inhabilitare ad recipiendam jurisdictionem pro exercendo munere Judicis, & Arbitri, quod eveniret quando fuisset invitus quoad substantiam receptionis.

11 Ad id autem probandum animadverto Religiosum non esse jure naturali, & divino incapacem obtinendæ facultatis necessariæ, ut exerceat munus Judicis, & Ar-
12 bitri, ut de se constat. Deinde observo, quod etsi jure positivo non possit exercere negotia forensia sine licentia Superioris, nihilominus ista licentia requiri videtur, ut licite exerceat jurisdictionem, non vero ut valide; est etenim quid extrinsecum judicio, & facultati judicandi, ac proinde licentia solum necessaria est ex virtute Religionis. Facultas igitur judicandi cum oriatur ex virtute Justitiæ, ex ea enim Judicis substantia dependet, & cum ad eam valide obtinendam sufficiat partes Religioso facultatem judicandi concessisse, & ipsum consentire in talem facultatem recipiendam, non video quomodo,
13 his stantibus, talem facultatem valide non recipiat. Tertio, observo, quod simplex prohibitio non irritat actum contra talem prohibitionem factum, sed validus est, adeoque dicitur ex jure, quod multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Ad irritationem proinde facultatis, ultra prohibitionem requireretur clausula irritativa; nam tunc prohibens non solum intelligitur invitus quoad modum facultatem recipiendi, sed etiam quoad substantiam receptionis, adeoque illicite, & invalide
14 recipitur. Cum igitur nullo jure Religiosus incapax sit ad exercendam valide facultatem Judicis, & Arbitri, nec talis invaliditas oriatur ex simplici prohibione sui Superioris, omnino videtur dicendum valide judicasse Religiosum, de quo in casu: *Palaus tract. 16. disp. 14. part. 12. §. 4. num. 3., Anton. a Spir. S. tract. 3. disp. 6. num. 1441.*

15 Accedit ratio reflexa, quod nempe ex regula juris valor actus sustinendus est quantum fieri potest, atque ita convenit bono communi; nam si judicandum esset de illius invaliditate, quoties illicite facultas recipitur, contra bonum commune multi actus essent invalidi, & ita lites quamplurimæ orirentur. Non per hoc tamen dico partem non posse opponere defectum licentiæ Superioris, & multo magis ipsius prohibitionem; & id etiam post litem contestatam, si pars non consensisset in illum Religiosum, aut usquedum ignorasset defectum licentiæ, aut Superioris prohibitionem. Ita au- 16
tem opponente parte, & excipiente, acta per talem Religiosum essent cessanda, & rescindenda a Superiore, ad quem pertinet cognoscere de appellatione a tali judicio, juxta regulam *64. de reg. jur. in 6.*

Quod dictum est multo magis verificaretur, si Re- 17
ligiosus non proprie ut Judex, & Arbiter, sed se gessisset ut Arbitrator, amicabiliter enim componere partes est potius quid facti, quod bene cadit etiam in servum: *§. Sed cum factum in substantia de stipul. servor.*, unde multo magis in Religiosum. Præterea eumdem servum posse dare arbitramentum, docet Glossa *in leg. Pædius cit.* adeoque & id competere potest Religioso, qui id habet de plus, ut possit esse Judex de licentia sui Superioris; servus vero id præstare non potest etiam de licentia sui Domini.

Transeundo modo ad illum articulum, quo quæ- 18
rebatur, an Religiosus vere potuerit esse Executor Testamentarius, certum est speciali lege prohiberi Religiosis esse Executores ultimarum voluntatum, *ut ex c. 2. de Testam., & ex Clem. un. de Testam.*, unde non possunt esse Executores Testamentorum, Codicillorum, donationis causa mortis, & quarumcumque aliarum dispositionum per ultimam voluntatem. Solum id conceditur, si adsit licentia Superioris, quæ tamen in præsenti non adfuit, eaque sola sufficit, 19
etsi non adsit utilitas Monasterii, nam hæc requiritur a jure, dum Religiosus tractare debeat negotia forensia: & aliunde lex positiva prohibens non est extendenda de casu ad casum, maxime ubi diversa ratio possit intervenire: *Sanchez l. 6. in Decal. c. 11. n. 9. Palaus tr. 16. d. 4. p. 13. §. 1. n. 2.* Verum tamen est, quod sufficiens fuisset licentia tacita, seu præsum- 20
pta; nam nullo jure probatur, quod ubi exigitur a lege licentia, hæc debeat esse expressa, & tacita non sufficiat. Non intelligo tamen hic pro licentia tacita seu præsumpta eam licentiam, quam Superior concederet, si peteretur; sed hanc licentiam intelligo intervenire, quando probabiliter judicari potest Superiorem habere, & habiturum, quod subditus in eo casu operatur sine licentia expresse petita, & obtenta; nam tunc bene judicatur hujusmodi licentiam obtentam fuisse: *Sanch. cit. n. 11. Anton. a Sp. S. tr. 3. disp. 4 n. 1472.*

Quia tamen nulla intervenerat licentia, immo Su-
perior ægerrime tulerat Subditum acceptasse, & de- 21
inde exercere munus Executoris, quærebatur, an executio facta ab hoc Religioso fuerit valida, nam multi invalidam reputant, quoties licentia Superioris abfuerit: *Covarr. cap. tua nos n. 2. de Testam. Rodriq. part. 3. q. 70. art. 1., & p. 1. q. 65. art. 3. Sylvest. v. Testam. 2. q. 2. d. 3.* sed talem executionem, quamvis illicitam, validam esse melius judicatur. Ratio est, quia cum omnia jura velint actum sustinendum esse, ni clare 22
constet de ipsius nullitate, hinc est hanc Religiosi executionem validam fore reputandam, dum nullam esse ex jure clare non probetur. Hoc autem manifeste non probatur; quamvis enim *c. Religiosus de* 23
Testam. in 6. dicatur, quod Religiosus sine sui Superioris licentia *non potest esse ultimarum voluntatum executor*, id commode intelligi potest; quod non possit licite, non autem quod non possit valide; aliunde autem nullum apponitur verbum clare irritans talem actum, vel quo probetur licentiam Superioris esse de substantia, & valore executionis. Aliquibus videtur id probari ex ratione, qua in textu citato dicitur Religiosus non posse esse Testamentarium Executorem sine licentia Superioris, & ea est, quia Religiosus non habet velle & nolle; si autem ex se non habet velle, non videtur posse propria authoritate Executoris officium acceptare, & sine tali acceptatione certe invalide exercetur. Verum hæc ratio non satis probat in- 24
tentum quia ideo dicitur Religiosum non habere nec velle nec nolle, quia licite non potest operari sine licentia sui Superioris, ubi ea ex vi suarum Constitutionum, vel juris communis exigitur. Cæterum cum habeat consensum, & dissensum naturalem, quibus valide potest operari, ubi licentia Superioris non est de substantia actus, hinc est valide potuisse acceptare munus

nus

25 tius Executoris. Ita quamvis illicite excipiat confessiones Religiosus, qui eas excipit sine scientia sui Superioris, atsi approbatus fuerit ab Ordinario, cum ex jure debebat has excipere cum tali licentia, nihilominus sine tali licentia valide absolvit ut dixi *tr. 19. q. 5. c. 2. q. 5.* Demum compertum est simplicem prohibitionem sine clausula irritanta non derogare valori actus, ut dixi *tr. 3. q. 2. c. 4. qu. 2.*, & ita quamvis a jure prohibitum sit militi esse Procuratorem, ni tamen a judicio repellatur, per illum gesta sustinentur: *l. filius fam. §. Veterani ff. de procurat.*

26 Solum ergo irrita esset Religiosi executio, quoties Superior non solum contradiceret, sed insimul irritaret actum, ex dictis paulo ante de Religioso, tractante negotia forensia. Item parte opponente defectum licentiæ, executio Religiosi esset irritanda. Ita pluribus citatis *Sanch. lib. 6. in Decal. c. 11. n. 44.*, *De Lugo de just. dist. 24. n 327. Lezan. in Sum. v. clausula n. 47. & v. Testam. n 4.*

27 Quoad illum autem, quod dicebatur istum Religiosum non exiguam occasionem obmurmurandi tradidisse, quia magnam partem eleemosynarum pauperibus distribuendam suo Monasterio applicatus fuerat, dicebam aliud faciendum fuisse ex regulis prudentiæ, aliud de rigore justitiæ. Nisi igitur valde gravis Monasterii, indigentia aliud suasisset, videbatur imprudenter se gessisse hic Religiosus, tantam partem eleemosynarum suo Monasterio applicando; nam certe non cessant Sæculares a detractionibus, dicendo, ut moris est, Ecclesiasticos, & præcipue Regulares, semper magis ad bona sæcularia occupanda inhiare; sibi ultra necessitatem, & decentiam sui status velle providere; quamvis interim tot Orphani, tot senes, tot ægroti, quos etiam dedecet mendicare, infinitis miseriis tabescant; & tot puellæ, egestate impellente, & improborum lenocinits, se prostituant, quando eleemosynis & a peccato, & ab infamia potuissent præservari. Ut ergo tot obmurmurationes impedirentur, & nota non esset gravis sui Monasterii inopia, certe semper suasissem Religioso nec obulum ex eleemosynis pauperibus distribuendis suo Monasterio applicare.

28 Quoad id autem, quod ex justitia faciendum est, poterat se tueri iste Religiosus, dicendo nomine pauperum etiam venire Monasteria, dum vere indigeant; neque enim est major ratio cur dicendus sit pauper sæcularis, qui non habeat unde vivat juxta suum statum, non vero Religiosi, qui non habeant unde, attenta etiam paupertate quam vovent, decenter se sustentent. *Sanchez lib 6. in Deca l. c. 11. n. 59.* atque suam opinionem etiam ex sententiis Jurisperitorum

29 confirmat. Id etiam extendit *n. 61.* ad ipsum Religiosum executorem, cui concedit aliquid posse sibi applicare, si vere indigeat, cum tunc revera in numero pauperum se possit collocare, atque id quod Sanchez, tenet etiam Palaus *tr. 16 d. 4. p. 13. §. 1. n. 15.*

30 Quod si ego quid sentiam fateri debeam, omnino credo, quod si Testator non expresse reliquerit arbitrio Religiosi distributionem eleemosynarum, & Monasterium, seu ipse Religiosus non valde indigeant, non fuisset eidem Monasterio, vel Religioso applicandæ eleemosynæ, de quibus in casu. Ratio mihi est, quia eleemosynæ a Testatoribus pauperibus relictæ, juxta rationabiliter præsumptam eorum mentem sunt applicandæ, cum regula Executoris Testamentarii sit ipsa voluntas Testatoris expressa, vel si non sit expressa, præsumpta. Ubi autem Monastarium, & Religiosi non valde indigeant, non præsumi potest illos respexisse Testatorem, dum fecit lagatum de eleemosynis distribuendis; cum videamus Testatores clare exprimere, quoties volunt ali-

31 quid relinquere Religiosis, seu Monasteriis. Deinde nomine pauperum magis obvie, & juxta usitatum modum loquendi intelliguntur pauperes sæculares Civitatis, vel Oppidi, unde præsumendum est hoc Testatorem respexisse, dum voluit eleemosynas pauperibus esse distribuendas, cum præsumendum sit nomen pauperum in magis communi, & vulgari significatione accepisse: Addendum, pauperes sæculares longe majori premi solere agestate, quam Religiosos, & Monasteria, adeoque præsumendum est Testatorem præfatos his omnino prætulisse. Videnda etiam quæ dixi *tr. 14. q. 14. c. 7. q. 6.*

CONSILIUM XX.

ARGUMENTUM.

Multiplicitas Beneficiorum ex hoc solum quod unum sufficiat ad decentem Beneficiati sustentationem, jure naturali, & positivo est prohibita; nec tutus est in conscientia Beneficiatus ob obtentam dispensationem, vel ob vigentem consuetudinem.

SUMMARIUM.

CUM quidam Clericus, jam ex alio Beneficio sufficienter provisus, nil non intentaret ut novum Beneficium acquireret, valde sibi cavere debere dixi ab æterna damnatione, nam apud me certum erat, exceptis casibus de jure permissis, nullatenus fore licitam pluralitatem Benaficiorum respectu illius, qui jam ex alio Beneficio est sufficienter provisus. Responsio mea cum risu excepta fuit, & rigidiorum opinionum semper assentatorem dixerunt (quando illis expedit dicere meas opiniones nimis laxas esse, quia non habendo aliam rationem ab eis discedendi volunt ex hoc capita ab illis discedere, non amplius rigidiorum opinionum sum assentator) cumque nil adversum me tunc opponere scirent, curarunt se tueri ratione Pontificiæ dispensationis, & consuetudinis. Ne igitur apud eos viderer rigidiora sectari, sed quæ unice amplectenda videntur; sequentia sub ipsorum oculos exponenda judicavi. 1

Primo

2 Primo ergo multoties plura Beneficia obtineri posse non negavi; cum etenim ut ratiocinatur S.Th. *quodlib. 9. a. 15.* pluralitas Beneficiorum non habeat difformitatem inseparabiliter annexam, sicut inseparabilis est a fornicatione, adulterio, & mendacio, hinc est posse in quibusdam circumstantiis honestari. Certum ergo est posse plura beneficia obtineri ab eo, qui unum habet beneficium non sufficiens ad sui sustentationem, ut bene colligitur ex Trid. *sess. 24. c. 17. de ref.* Item potest unus plures Ecclesias obtinere, quando plures Ecclesiæ sunt subordinatæ, & una dependet ab alia; nam quod uni tamquam principali accessorium est, non videtur diversum ab illo: *c. eam*
3 *se de ætat. & qual.* Hujusmodi casui similis est alter, quando nempe unus obtinet plura beneficia ex legitima potestate unita: *c. dudum il 2. de elect. e. extirpan. de præb. & c. super eo eod. tit.* nam tunc ut unicum beneficium consideratum: *Haez. de Ben. p. 1a. c. 2. nu. 14.* & ita beneficium unitum consideratur veluti prædium illius, cui unitum fuit: *Fagn. in c. dudum il 2. n. 31. de electionibus, & in c. novit. 3. ne sede vac. Serap. dec. 1078. n. 6, &c.* Item plura beneficia obtinere licet ex inopia Clericorum; nam tunc potest unus in pluribus Ecclesiis institui, ut si non omne, aliquale saltem servitium obtineant: *can. Cler 21. q. 1.* Olim etiam unus poterat habere duplicem Ecclesiam, unam intitulatam, alteram commendatam: *can. qui plures 2. q. 1.* At advertit Barbosa *in c. 4. sess. 7. Concil. Trid. n. 19.* hujusmodi commendas post Concilium locum non habere. Item necessitas Ecclesiæ, ut si non dentur alii Sacerdotes, cui conferatur, sicut & ipsius utilitas, ut si conveniat v. g. dare beneficium uni, qui sua authoritate, & potentia ipsius jura tueatur; ac demum excellentia meritorum, ut si aliquis esset de Ecclesia valde benemeritus, reddunt licitam pluralitatem beneficiorum: *arg. can. tali conjugio 1. q. 7.* & dixi *tr. 5. q. 1. c. 8. q. 2. resp. 3.*

Extra hos casus puto non licere plura beneficia obtinere etiam ex hoc solo capite, quod unum sufficiens sit ad honestam sustentationem, atque hujusmodi pluralitatem esse jure naturali divino prohibitam, simulque jure positivo.

4 Jure igitur naturali prohibitam esse talem multiplicitatem ideo probatur, quia multiplicitas beneficiorum, quando unum sufficit ad honestam sustentationem, inducit quamplures criminales deordinationes; constat autem jus ipsum naturale adversari iis, quibus positis, quamplurima oriuntur inconvenientia. Primo igitur multiplicitas beneficiorum fovet Ecclesiasticorum ambitionem, sicuti ex eadem ambitione oriri solet, ut plura quærantur beneficia ab eo, qui unum sibi sufficiens obtinet, ut dicitur *c. Jam dudum*
5 *& c. Quia in tantum de præb.* Secundo, multiplicitas beneficiorum fovet cupiditatem ditescendi, sicut etiam ex ea oriri solet desiderium eadem beneficia obtinendi: *c. Clericus 21. q. 1. & c. de multa de præben.* Tertio, multiplicitas beneficiorum præbet causam dissolutionis, ut observat Concilium Lateranense *in c. quia in tantum de præb.* & hoc in vestibus, & in moribus, ut observant ibidem Canonistæ, & signanter Fagnan. *n.* 4. Et revera ex adipe prodit iniquitas, juxta illud Ps. 72. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*, & Deut. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, impinguatus, incrassatus, dilatatus.* Quarto, dum Clericus abundat ex pluralitate beneficiorum proventibus Ecclesiasticis, ex hoc sumit materiam vagandi, ut observat Fagnanus *l. c.* & habetur *cap. 2. de offic. Ordi-*
6 *nar.* Quinto, ex pluralitate beneficiorum oritur, quod, ordinarie loquendo, defraudetur mens Testatorum, qui plura instituerunt beneficia, ut Ecclesiæ plures haberent ministros, qui illis inservirent. Sexto, diminuitur divinus cultus; plures enim essent, qui saltem persolverent Horas Canonicas, si pluribus bene-
7 ficia conferrentur. Septimo, inducitur inæqualitas inter Ecclesiasticos; dum etenim unus ex pluralitate beneficiorum abundat, alter meritis non impar, immo facillime meritis illum superans, non habet unde etiam misere sustentetur. Videantur etiam quæ dixi *tr. 5. q. 1. c. 8. q. 1.*

8 Multa ex his inconvenientibus, quæ oriri solent ex multiplicitate Beneficiorum (omitto inconvenientia, quæ orirentur, si in eadem persona unirentur plura beneficia ex aliis capitibus incompatibilia) enumerat Juannes XXIII. in Extravaganti *Execrabilis de præb.* cujus verba placet hic adnotare: *Inter cætera inconvenientia subscripta nascantur, quod videlicet interdum unus, qui unum quamvis modicum vix officium implere sufficeret, plurimorum sibi vindicet stipendia, quæ multis litteratis viris vitæ paritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abunde sufficere, æqua distributione collata. Habentibus* 9
ipsa, paratur vagandi materia, divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur; & dum non sunt sui in unaquaque regione Rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis, & honori, quæ carentes defensorum auxilio, in juribus suis & libertatibus multipliciter collabuntur, & ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat Decessorum; & (quod amarius est dolendum) animarum cura negligitur; & vitiorum sentibus fomentum periculose præbetur.

Cum igitur ex pluralitate beneficiorum tanta deordinatio, & tanta inconvenientia nascantur, quorum aliqua sint ab ipsa physice inseparabilia, alia non mere contingenter se habeant, sed sint ejusdem pluralitatis veluti passiones morales, quæ saltem ordinarie loquendo, ex ea derivent, evidens fit, pluralitatem beneficiorum in casibus non exceptis adversari legi naturali, quæ omnino prohibet id, ex quo gravia inconvenientia necessario oriuntur, vel saltem attenta communi ratione agendi, solent oriri. Hinc pluralitatem beneficiorum in casibus non exceptis esse contra jus naturale, & divinum, docent communiter Canonistæ *in cap. quia in tantum de præb.* & signanter *Fagnan. n. 14. S. Thom. quodl. 9. art. 15. Azor. p. 2. l. 6. c. 10. q. 2. & 7. Laym. l. 4. tr. 2. c. 8. n. 2.* aliique plures.

Perpetuo etiam jus positivum abhorruit pluralitatem 10
Beneficiorum, ut constat ex *can. Sanctorum d. 70. & can. singula d. 89.* ubi specialiter dicitur: *singula Ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singillatim committi jubemus*, atque affertur exemplum corporis humani, in quo indecorum esset alterum membrum alterius officio fungi, cum non omnia eumdem actum habeant. Concordat *Can. Clericus cum seqq. 21. q. 1. & c. quia in tantum 5. de præb.* ubi affertur pluralitatem Ecclesiarum *certum continere periculum Animarum.* At pluribus aliis omissis juribus, quæ late congerunt Canonistæ, & inter illos *Fagn. c. quia in tantum de præb.* afferam, quæ sancivit *Trid. sess. 24. c. 17.* En ejus verba: *Præsenti decreta, quod in quibusque* 11
personis quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit, ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad Cathedrales, sed etiam ad alia omnia Beneficia tam sæcularia, quam Regularia quæcumque etiam commendata pertineant, cujuscumque tituli, ac qualitatis existant. Cum ergo omnia jura clament adversus pluralitatem Beneficiorum in casibus non exceptis, videant obtinentes pinguem Canonicatum, pingue Beneficium Curatum, pingue simplex Beneficium, unaque alia simplicia Beneficia, quam bene potuerit dicere S. Bernardus cit. a D.Th. *Qui non unus, sed plures est in Beneficiis, non unus, sed plures erit in suppliciis.*

Quia tamen obtinentes plura Beneficia, quamvis 12
unum sufficientissimum fuisset ad congruam sustentationem, solent se tueri allegando Pontificiam dispensationem, & communem receptam consuetudinem, remanet videre, an ex utroque hoc capite sufficienter se tueantur. Ideo ergo se tueri posse existimant ratione obtentæ Pontificiæ dispensationis, quia Papa plenariam habet dispositionem de Beneficiis, ut ex *c. licet 2. de præb. in 6.* itemque in aliqua dispensatione concedenda potest habere pro ratione propriam voluntatem, quia ad valide dispensandum in lege respectu Papæ non est necessaria causa, sicut nec respectu Principis non habentis Superiorem, ut ex Glossa, & DD. *in c. 2. de Schism. Panorm. in cap. diversis de Cler. Conjug. Felin. in c. si quando de rescript. & in cap. præterea de testib.* Ulterius semper præsumendum videtur Papam ex justa causa dispensare, cum semper pro ipsius facto præsumendum sit: *cap. proposuit de concess. præb. c. in præsentia de renunc. can. si quid culpatur 23. qu. 1. Rota cor. Merlin. decis. 178.* Hinc 13
dum

dum Papa dispensat in pluralitate Beneficiorum præsumendum esse ex justa causa moveri, late tradunt Hojeda *p.1.c.19.n.18.*, *Flam. lib.5. q.6. nu.130.*

14 Verum singula perpendendo, primo dicendum est, quod dum Papa dicitur plenarius Dominus Beneficiorum, id solum verificatur respectu Ecclesiæ militansis, eo quod nulli liceat de factis Papæ judicare, non vero in ordine ad Deum, ut ex Abbate, & aliis docet Fagnan. *in cap. quia in tantum n. 16. de præb.*, in ordine enim ad Deum debet ex justa causa dispensa-
15re. Item dum dicitur in dispensando posse habere pro ratione suam voluntatem, id intelligendum est de rationabili voluntate, quia non potest saltem licite sine causa relaxare jus commune; unde S. Bernardus *lib. 3. de consider. paulo ante finem*, dispensationem in hoc jure sine causa concessam appellat *dissipationem.*
16Item quamvis verum sit, quod cum Papa *ex motu proprio* dispensat, præsumi oporteat justam causam dispensandi adfuisse, adeoque legitimam fuisse dispensationem: *can. si Papa dist. 50.* & notat Abbas *cap. in causis n. 2. de Sent. & re judic. Piasecius in prax. Episcop. c. 5. art. 3. n. 79.* & alii; nihilominus dum Papa ad instantiam partis dispensat, intelligitur dispensare sub illa conditione, *si preces veritati nitantur*,
17juxta textum expressum *in cap. ex p.a. de rescript.* Si ergo qui novum petiit Beneficium post obtentum alterum Beneficium ad sui decentem sustentationem, adduxit causam coram Deo veram, ut juste novum Beneficium obtineret, nihil ipsi obtenta dispensatio suffragatur, sed vel ut subreptitia, aut obreptitia habenda est, adeoque nulla: *c. Sede 13. & c. super litteris 20. de rescript.*

18 Sed demus clarum esse nullam adfuisse justam causam dispensandi in pluralitate Beneficiorum, quia nullatenus ita exposceret Ecclesiæ necessitas, vel utilitas &c. seu evidens prærogativa meritorum illius, qui obtinuit dispensationem, ut supra dictum est, potest ne obtinens plura Beneficia quiescere super obtenta quomodocumque dispensatione? Certe non potest, quamvis ex obtenta dispensatione possit esse immunis in foro externo, & in foro conscientiæ quoad
19peccatum, quod consurgit ex transgressione juris positivi, & etiam quoad pœnas ab ipso inductas. At cum Papa non possit dispensare in jure divino, & naturali, ex dictis *tr. 3. q. 5. c. 1. qu. 2. & 3.* hinc est quod cum supra demonstratum sit pluralitatem Beneficiorum esse contra jus naturale, hoc infringeret possidens plura Beneficia, non obstante quacumque Pontificia dispensatione, adeoque esset in statu damnationis. Videndi sunt Hojeda *de incompatib. Benef. p.2.c. 12. nu. 45. Rebuff. in prax. tit. de dispens. super plural. Benef. n. 54 Rebens ad decis. 254. num. 252. & 307. p. 9 Recent.*, *Petr. de Ledesm. p. 2. c. 8. post 12. conclus. diff. 2. Sot. lib. 1. de just. §. 7. art. 1.*

20 Neque aliquis mirari debet, quod etsi pluralitas Beneficiorum, prout in casu, sit etiam contra jus naturæ, nihilominus passim quoad hoc dispenset Pontifex &c. Id ergo fieri dicendum est, quia Superiores relinquunt conscientiæ cujusque examinare, an novum Beneficium sit necessarium ad suam decentem sustentationem, cum pro varietate statuum, & qualitate personarum varia esse debeat, ut dixi *tr. 13. q. 1. c. 5. q. 4.* Ita ratiocinatur Garzia *de Benef. p. 11. c. 5. n. 330.* allegans Zechium *de Republ. Eccles. c. 5. de Benef. n. 4.*

21 Ex prædictis etiam satis constaret, quid judicandum de consuetudine tam late vigente quoad obtinenda plura Beneficia, dum unum sufficiens ad honestam sustentationem obtinetur; nihilominus eum ab indoctis magnificat, breviter est examinandæ. Et primo præscindendo, an pluralitas Beneficiorum jure etiam naturali prohibeatur, certum est numquam adversus jus prævalere consuetudinem, quæ est nutritiva peccatorum, & inducens in Ecclesiam quamplurima inconvenientia, & deordinationem; ita autem se habet consuetudo quoad plura Beneficia obtinenda, cum inducat ambitionem, cupiditatem, avaritiam, vagationem in Clero &c. ut supra demonstratum est, adeoque habere adjunctum periculum Ani-
22marum, habetur *cap. quia in tantum de præb.* Hinc habemus hujusmodi consuetudinem ut corruptelam reprobari *c. 1. de consuet. in 6.* quæ proinde nullo numquam tempore potest induci, *ut ex c. cum venerabilis 7. c. ult. de cens.* Merito proinde passim Authores corruptelam, irrationabilem, impræscriptibilem appellant: *Abbat. in cap. extirpandæ in repetit. §. Qui vero n. 36. Hojeda p. 5. de incomp. Benef. c. 19. n. 9. Flam. Paritius lib. 5. de resign. Benef. q. 6. num. 555. Piasecius in Prax. Episc. p. 2. c. 5. art. 3. n. 83.*

Quamvis ergo ex solo jure positivo habens unum 23
sufficiens Beneficium non posset alterum obtinere, non posset se tueri ratione contrariæ consuetudinis, utpote quæ est irrationabilis corruptela, nutritiva peccatorum &c. Addat modo ita possidens plura Beneficia consuetudinem numquam posse prævalere contra jus naturale, atque pluralitatem Beneficiorum hujusmodi juri adversari, ut jam satis probatum est; & insuper videndi quoad hoc *Fagn. in c. quia in tantum de præb. n. 13. Barbos. p. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 62. num. 9. Pirhing. de præb. n. 27. Garz. de Benef. p. 11. c. 5. n. 270.*

Si præfata omnia citra passionem consideres, qui 24
habens unum sibi sufficientissimum Beneficium, aliud simplex obtinet, fortasse non sine fundamento dictum fuisse dignoscet versari in periculo æternæ damnationis illum, qui ita plura possidet Beneficia. Non nego tamen diversimode sumendam esse congruam sustentationem, & quod uni sufficiens, immo superfluum est, alteri potest non sufficere, ut supra dictum est.

CONSILIUM XXI.

ARGUMENTUM.

Agitur de potestate Episcopi quoad commutationem obbligationis celebrandi in designata Ecclesia, vel Altari, & de qualitate talis obligationis. Examinatur insuper ex quibus motivis cessare possit talis obligatio, & quando præsumendum sit Testatorem, qui designavit Ecclesiam, non intendisse imponere obligationem ibidem celebrandi, vel voluisse cessare obligationem celebrandi, quoties fieri non possit in designata Ecclesia, vel Altari.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Episcopus non potest, ordinarie loquendo, commutare Ecclesiam, vel Altare, dum hæc loca designata sint a Testatore.*
3 *Potest id facere, quando non potest, vel indecens est celebrare in loco designato, immo tunc ipse Capellanus non debet ibidem celebrare.*
4 *Episcopus posset variare locum, quando quoad hoc præsumendum esset Testatorem non fuisse invitum.*
5 *Id tamen non posset facere, quando Ecclesia haberet jus quæsitum ad talem celebrationem.*
6 *Non expedit facere hujusmodi variationem loci sine consensu Hæredum.*
7 *Obligatio celebrandi in Ecclesia, vel Altari designato de sua natura est gravis.*
8 *Potest etiam intercedere culpa gravis alibi celebrando ob præjudicium illatum juri quæsito alicujus Ecclesiæ.*
9 *Gravis obligatio in loco designato celebrandi regulanda est juxta motivum habitum a Testatore in tali designatione.*
10 *Etiam levitas materiæ potest a tali culpa excusare.*
11 *Nulla esset culpa alibi celebrando, quando Testator designasset locum non habendo speciale motivum, ut ibidem celebretur.*
12 *Tunc Ecclesia designata nullum acquirit jus ad talem celebrationem.*
13 *Dum celebratio in aliquo loco sine speciali motivo imposita est, potest alibi adimpleri si Religiosi, quibus imposita est, alio transeant.*
14 *Dum nullatenus constet de speciali motivo imponendi obligationem localem, non tenetur Capellanus celebrare in loco designato.*
15 *Si dentur rationes pro, & contra talem obligationem, cogendus est Capellanus ad celebrandum in Ecclesia designata.*
16 *Grave incommodum subeundum pro celebrando in Ecclesia designata excusare potest Capellanum, dum ibidem non celebret.*
17 *Id tamen verificatur dum tale incommodum oriatur ex culpa alterius, non vero ex culpa Capellani, tribuentis Sacristæ occasionem rixandi.*
18 *Dum pro celebratione designatum est aliquod particulare Altare privilegiatum, potest Capellanus in altari*

stari privilegio celebrare, si Testator non designaverit Altare ex aliquo speciali motivo.

19 *Ita reputandum est factum fuisse a Testatare, si contrarium non constet.*

20 *Habentes obligationem celebrandi in Altari privilegiato non satisfaciunt celebrando extra tale Altare, quamvis cum calculo, vel Imagine benedicta cum Indulgentia &c.*

21 *Dum ea parte loci esset impedimentum ad ibi celebrandum, non esset obligatio alibi celebrandi, si causa celebrationis fuit pure localis.*

22 *Id non est præsumendum, si manifeste non constet.*

23 *Tunc constaret, quando expressum esset ratione loci desumptam esse adæquatam causam finalem ab ibi imponendam talem obligationem.*

24 *Non est dicendam restrictam esse obligationem celebrandi solummodo ad locum, etsi verba Testatoris restricta sint ad solam celebrationem.*

25 *Dum in imponenda quotidiana celebratione in aliquo loco Testator respexerit personam Capellani, iste potest aliquando a celebratione vacare,*

26 *Aliter dicendum, dum per se & principaliter respicit obligationem quotidianam.*

1 CUM cuidam Capellano non ita commodum esset celebrare in Ecclesia, sicut etiam aliquando in Altari a Testatore præscripto; atque ulterius non raro rixatus fuerit cum Sacrista Ecclesiæ, in qua debebat celebrare, quia id facere non poterat ad suam beneplacitum, recursum habuit ad Ordinarium, ut alio transferret eamdem obligationem. Cum autem Ordinarius se non habere talem facultatem respondisset, ipse non raro alibi celebrandi, ut præfatam incommodum, & rixas evitaret. Id autem putavit sibi licitum esse, tum quia credidit Testatorem putandum esse irrationabiliter invitum, quoties in Ecclesia præscripta non poterat sine incommodo non ita levi celebrare. Tum maxime quia, cum ibi deberet celebrare in Altari privilegiato pro Anima Testatoris, sibi videbatur satis adimplere ipsius mentem, quoties etsi celebrasset in alia Ecclesia, celebraverat tamen in Altari Privilegiato. Ex his autem plura orta sunt dubia. Primo, an potuerit Ordinarius transferre de uno loco ad alium obligationem impositam a Testatore celebrandi in loco determinato. Secundo, an obligatio celebrandi in loco determinato intelligatur obligare sub gravi Capellanum, & quibus ex causis potuerit non satisfacere tali obligationi. Tertio, an vere satisfaciat Capellanus celebrando in quocumque Altari privilegiato, quoties Testator designaverit Altare privilegiatum particularis Ecclesiæ; & quid si etiam aliquoties omiserit omnino celebrare, dum non potuit celebrare in Ecclesia, vel Altari designatis.

2 Quoad primum igitur dicendum erat, generaliter loquendo, non potuisse Episcopum transferre de una Ecclesia ad aliam, vel de uno Altari ad aliud obligationem Missarum relictam a Testatore cum designatione Ecclesiæ, & Altaris. Ratio est, tum quia voluntas Testatoris pro lege habenda est: *leg. verbis* 120. *ff. de verb. sign.* Tum quia omnibus modis, quibus fieri potest, observanda est, ut habetur *cap. nos quidem* 3. *de test.*, *& can.* 4. *caus.* 13. *qu.* 2. Tum quia hoc solum Authoritati Sedis Apostolicæ reservatur: *Clem. quia contigit de relig. domib. Barbos. de Offic. & potest Episc. part.* 1. *alleg.* 24. *n.* 35. *Pasq. de Sacr. q.* 114. *a.* 1. *Seraph. decis.* 1149. *n.* 2. Sed vide etiam dicta *tr.* 18. *q.* 2. *c.* 7. *q.* 6.

3 In duplici autem casu permittitur Episcopo variare Testatorum voluntatem. Primo, quando non potest adimpleri, prout conveniret; ut si Ecclesia esset interdicta, si Altare sit disecratum, si sit reparandum, si careant in ea necessaria ornamenta, vel alia ratio-
4 ne sit indecens in eo celebrare. Et multo magis, si sit omnino impossibile in præscripta Ecclesia vel Altari celebrare, ut si Capellanus impediretur ab aquarum diluvio, vel inundatione, ut ad Ecclesiam accederet. Et quidem, dum sit impossibilis celebratio, vel non conveniens in Altari, seu Ecclesia a Testatore designata, etiam ipse Capellanus absque alia dispensatione non deberet ibi celebrare tum quia tunc non potest præsumi Testatorem intendisse celebrationem præscribere in tali loco, tum quia talis præsumitur esse mens Testatoris, qualis de jure esse debet. Pertineret vero tunc ad Episcopum aliam Ecclesiam, vel Altare designare, ut colligitur ex Trident. *sess.* 22. *c.* 6. maxime quando futurum esset diuturnum impedimentum celebrandi in Ecclesia, vel Altari a Testatore designatis. *Barb. p.* 2. *alleg.* 24. *nu.* 36. *Pasq. de Sacrif. q.* 1141. *n.* 4.

Alter casus, in quo Episcopus posset commutare quod præscripsit Testator, est quando rationabiliter interpretari potest non adversari menti Testatoris talem commutationem, sed quod potius ratam haberet si viveret, ac ita disposuisset si scivisset, seu prævidisset causam talis commutationis. In tali autem casu proprie Episcopus non dispensat, sed secundum Epikejam aliter disponit interpretando nempe mentem Testatoris. Si ergo dum Capellanus habuit recursum ad Episcopum pro commutatione Ecclesiæ, vel Altaris, talem adduxisset causam, ut potuisset judicare eam non adversari menti Testatoris, potuisset talem commutationem concedere: *Laym. l.* 3. *tr.* 5. *cap.* 11. *a.* 11. *Covarr. in cap.* 17. *de Testam. n.* 12.

Solum considerabam non potuisse id facere, si Religiosi, in quorum Ecclesia fuerat erecta Capellania, jus in eamdem acquisivissent; nam tunc, ipsis legitime non consentientibus, Episcopus alio transferre non posset Capellaniam, cum non valeat ipsorum juribus præjudicare: *Pasqual. de Sacrif. quæst.* 1141. *num.* 5. 5
Immo ipse Pontifex, si agatur de commutatione piæ voluntatis cum læsione tertii (dum non sit de re alias ipsius jurisdictioni subjecta, ut sunt quæ pertinent ad Religiosos) non procedit ad commutationem, nisi ex publica causa; nam de jure naturæ est jus tertii non lædere, si aliud non exposcat publicum bonum; ita vero exigente publica causa proprie non intervenit commutatio, sed fit quod est de jure naturæ: *Monet. de Commut. cap.* 11. *nu.* 39. *& q.* 6. *&* 7., *Peregrin. de Fideicomiss. art.* 52. *num.* 125. An vero etiam requiratur consensus hæredum Testatorum, dum Episcopus vellet, & posset alio celebrationem Missarum transferre, variant DD. Non pauci 6
etiam, ipsis insciis, & non consentientibus posse id fieri ab Episcopo asserunt. At notat Abbas *in cap.* 3. *de Testam.* istam mutationem fieri non posse absque consensu Hæredis, vel Exequutorum, ni forte absque justa causa consentire recusent: *argum. cit. cap.* 3. Et quidem cum Hæredes Testatorem repræsentent, videtur dicendum quod sicut sine istius consensu nulla facienda esset variatio, ita neque sine consensu Hæredum.

Stante autem quod Ordinarius non judicaverit si- 7
bi competere variare Ecclesiam, & Altare, non bene se excusabat Capellanus asserendo multoties variasse, quia hanc obligationem levem putavit. Eam igitur esse ex genere suo gravem, videntur communiter docere DD., cum ordinarie loquendo, ex gravi motivo Testatores imponant obligationem celebrandi in determinata Ecclesia, vel determinato Altari; atque ita possunt esse rationabiliter graviter inviti, si ipsorum voluntas non adimpleatur: *Barbos. de offic., & Potest Episc. part.* 2. *alleg.* 24. *n.* 35. *Pasqual de Sacrif. q.* 1139. *Bonac. disp.* 4. *de Sacrif. q. fin.* §. 4. *n.* 2., *Navar. cap.* 25. *num.* 135. Præterea in va-
riatione Ecclesiæ etiam ex alio capite potuit gravis 8
culpa derivare, nempe quia alibi sæpe celebrando potuit in materia gravi præjudicare juri prioris Ecclesiæ, in qua ex præscripto fundata fuit Capella: *Leander tr.* 8. *disp.* 49.

Quamvis autem hæc vera ut plurimum sint, nihilo- 9
minus ad videndum quam obligationem habeat Capellanus celebrandi in designata Ecclesia, vel Altari, considerandum est quale motivum habuerit, vel potuerit habere Testator in iis designandis. Si habuerit motivum grave, quale esset commoditas Populi, ut posset audire Missam, peculiaris cultus loci, memoria familiæ ad quam Altare pertineat, particularis devotio quam Testator habuerit erga Sanctum, qui veneratur in illo Altari, cum tunc constet ex gravi motivo præscripsisse obligationem, non licet sine gravi culpa infringere ipsius voluntatem; & solum daretur culpa levis, si dum deberet ibi quotidie celebrare, solum per viginti vices extra Ecclesiam, seu Altare designatum celebrasset; nam talis numerus relative ad totum annum parva materia reputatur: *Pasq. de Sacrif. q.* 1139. *n.* 5. Dum vero Testator nullum particulare motivum consideravit, ex quo Missa celebranda sit in loco a se designato, vel tale motivum omnino cessaverit, tunc celebrare in alia Ecclesia, vel Altari nullum etiam foret peccatum, nam Testator tunc

11 solum intendisset Missæ celebrationem, adeoque desi-
gnando Ecclesiam non intellexisset quoad hoc ullam
imponere obligationem, cum solum curasset de obli-
gatione Sacrificii. Hinc neque Ecclesia designata ac-
quisivisset jus ut ibi celebraretur, cum quoad hoc
non intellexisset Testator obligationem imponere: *De
Luga de Sacram. Euchar. disp. 21. n. 31. Grat. discept.
forens. cap. 73. n. 4. & seqq.*
12 Ex his etiam bene deducunt DD. quod dum non
appareat aliquid speciale contemplatum fuisse Testa-
torem, dum designavit Ecclesiam pro celebratione
Missarum, si alio transferantur Religiosi, ad quos
pertinet dicta Ecclesia, alibi etiam poterunt celebra-
re, cum ex nullo capite constet Testatorem impo-
suisse obligationem in tali loco celebrandi: *Bard. de
l. Miss. cap. 6. a n. 88. Rota coram Seraph. 9. Octobr. 1594.
in Berg. legat.*
13 At in præsenti maior difficultas consurgebat ex hoc
quod celebratio Missæ non erat necessaria in tali Ec-
clesia, quia multi aderant Religiosi celebrantes, nec
ibi erat Altare, vel Sepulchrum familiæ; sicut et-
iam non constabat Testatorem speciali devotione pro-
sequutum fuisse illam Ecclesiam, vel Altare &c. ad-
eoque quærebatur quid juris quoad obligationem Sa-
cerdotis ibidem celebrandi. Ego autem his stantibus,
putavi Capellanum nullam obligationem habuisse ibi-
dem celebrandi, quia, dum aliud non constet, lega-
tum interpretari potest ut factum sit favore Sacerdo-
tis: *Mantic. de conject. ultim. volunt. l. 12. tit. 17. n. 30.*
Et quidem si dari potest casus, in quo rationabili-
ter præsumi posset designationem loci non cadere sub
obligatione, nescio videre quomodo non verificetur in
præfatis circumstantiis. Quod si dentur hinc inde ra-
tiones pro adstruenda, vel neganda obligatione in de-
terminato loco celebrandi, tunc pro obligatione stan-
dum esse arbitrarer, quia non reputandum est otiose
Testatorem designasse locum, quoties sint rationes pro
sustentanda præfata obligatione.
14 Supposito autem Sacerdotem, de quo in casu,
non potuisse in alia Ecclesia, vel Altari celebrare,
videre remanebat, an ratione incommodi potuerit
locum mutare. Et quidem cum excusabilis non esset
ratione levis incommodi, solum ex præsumpta men-
te Testatoris excusari posset ratione gravis incom-
moditatis, quam deberet ipse pati vel ob virium de-
bilitatem, vel quia ratione pluviæ &c. difficile fuis-
set ad designatam Ecclesiam accedere: *Pasqualig. de
Sacrif. q. 1139. n. 6.* Tale etiam reputaretur incommo-
dum, dum Sacerdos sine justa causa debuisset per no-
15 tabile tempus expectare, vel expectando non potuis-
set exequi grave urgens negotium &c. *Luga de Euch.
disp. 21. n. 38.* An vero reputandum fuerit grave ipsius
incommodum frequens occasio rixandi cum Sacrista,
accedendo ad designatam Ecclesiam, pendebat a viden-
do, quisnam occasionem præberet rixandi. Certe a-
liquando sunt Sacerdotes, qui quasi propriis stipendiis
Sacristam sustentarent, & veluti si esset ipsorum vi-
lissimus famulus, vix pedem ponunt io Sacristia, quod
sibi incunctanter celebrandi commoditatem dari vo-
lunt, alias secum irreverenter agi palam dicunt, &
submurmurantes discedunt. Si erga hos Sacerdotes Sa-
crista aliquando impatienter se gerat, non ipsius vi-
16 tio, sed superbiæ, seu impatientiæ talium Sacerdo-
tum tribuendum est; unde non interveniret ex parte
eorumdem justa causa alibi celebrandi. Si vero dum
Sacerdotes non ægre ferunt per aliquod tempus ex-
pectare, & si ita exposcat necessitas, aliquando etiam
per tempus notabile, & hoc non obstante Sacrista;
etiam dum aliud non exposcit necessitas, cogat illos
sine causa expectare, aspere, vel etiam irreverenter
cum ipsis se gerat, atque ideo frequentes causæ ri-
xandi suboriantur, tunc crederem Sacerdotem habere
justam causam alibi celebrandi; si etenim non præ-
sumitur Testatorem voluisse imponere obligationem
celebrandi in aliqua Ecclesia, dum præter illum,
quod necesse est subire ad ibi celebrandum, aliud
grave incommodum Sacerdos pati deberet, ita & di-
cendum est noluisse illum sine sua culpa exponere
continuis occasionibus rixandi, quod non est sine gra-
vi incommodo, & spirituali, & corporali Capellani,
sine neque scandalo Fidelium. Debebat ergo considerare
hujusmodi Capellanus ex cujus culpa rixæ orirentur.
Dum vero ipse causas rixandi præbuisset, adeoque
17 non habuisset justam causam in Altari, quamvis pri-
vilegiato, alterius Ecclesiæ celebrandi, remanebat vi-
dere, an ita satisfecisset propriæ obligationi. Hæc 18
autem resolutio satis etiam constat ex supradictis, si
etenim Testator nil aliud intendisset, quam obtinere
Indulgentiam ratione celebrationis in Altari privile-
giato, tunc æque satisfieret ipsius voluntati, in quo-
cumque Altari privilegiato Capellanus celebrasset,
cum in utroque celebrando, eodem modo applicetur
Indulgentia. Secus dum Testator designasset Altare
non solum ut privilegiatum, sed etiam ex aliquo ju-
sto motivo ipsum Altare concernente, ut supradictum
est de designatione Ecclesiæ: *Lugo de Euchar. disp.
21. a n. 38.* Et hic etiam advertendum, quod dum ad-
sunt rationes probabiles indicantes Testatorem ha-
buisse speciale motivum illud Altare designandi, stan-
dum est pro tali obligatione, quamvis etiam adef-
sent rationes in contrarium.
Adnotare etiam obiter duxi male se gerere illos 19
Capellanos, qui habentes obligationem celebrandi in
Altari privilegiato, solum ut privilegiato, putant,
dum sunt Rure &c. satisfacere propriæ obligationi,
si celebrent in Altari non privilegiato, cum calculo
tamen, seu imagine benedicta cum Indulgentia ad li-
berandam Animam purgatorii: Hanc agendi praxim
non reprobat Pasqualig. *de Sacrif. quæst. 127.* Verum
saltem ex ratione reflexa dicendum est non satisface-
re propriæ obligationi. Ratio est, quia cum in quæ- 20
stione sit apud DD., ut apud eumdem Pasqualigum
videre est, & apud Dianam *part. 9. tract. 2. resol. 12.*
an æque prosit Animabus purgatorii Missa celebrata
in Altari Privilegiato; ac, ut dictum est, cum cal-
culo benedicto, consequens est remanere sub dubio,
an cum eodem calculo celebrans satisfaciat obliga-
tioni, quam habebit, celebrandi scilicet in Altari
Privilegiato: obligationi autem certæ non satisfit per
incertam solutionem, & optime hic aptatur ea regu-
la, quæ dicitur, quod qui debet solvere in una specie
debitum suum, non satisfacit solvendo in alia specie:
l. 2. §. 1. ff. si certum petat. l. cum a quo C. de solut. Si ve-
ro expostularetur in quibus casibus præfatus Capel-
lanus restituere teneretur, videndum esset ex dictis
tract. 18. q. 2. cap. 7. q. 6.
Remanebat modo videre, an Capellanus potuerit 21
omittere celebrare pro Capella, quando non fuit illi
possibile ibidem celebrare. Et quidem concedo, quod
si unica causa celebrandi in Ecclesia designata fuisset
localis, tunc quando impedimentum esset ex parte
loci, cessaret obligatio ibidem celebrandi, quia ces-
saret unica, & adæquata causa, ratione cujus Testa-
tor imposuit obligationem celebrandi. At considerare 22
debebat Capellanus nullatenus esse hoc præsumen-
dum, si id manifeste non constet; nam ratio dictat
reputandum esse unumquemque velle consequi ex suo
opere omnem fructum, quem potest, adeoque dicere
est Fundatorem Capellæ non unice celebrationem vo-
luisse in loco designato, sed fructum etiam Sacrificii:
ac proinde impedita celebratione in loco, non cessat
obligatio celebrandi, utpote quia dum aliquid inducitur
ex pluribus causis finalibus, non cessat, licet aliqua ex
illis cesset: *§. Affinitatis Instit. de Nupt.* Hinc ex solo
impedimento celebrandi in loco, non cessat respectu
Capellani obligatio celebrandi. Facit ad hoc, quod
cap. nos quidem de Testam. decernitur, quod si Mona-
sterium fundari non potest in uno loco, in alio eri-
gatur: *Lugo de Euchar. disp 21. n. 45. Lezan. &c.*
Solum ergo cessaret obligatio celebrandi, quoties ex 23
sive expresso a Testatore non aliud colligi posset inten-
disse, nisi solum cultum localem; nam quando constat
de causa finali expressa, dispositio non est ad aliam cau-
sam trahenda; & quando causa finalis exprimitur, ces-
sat alia causa præsumpta & tacita: *leg. cum ex filio ff.
de vulg. substit. Pasqual. de Sacrif. q. 1146. n. 6.* Meo 24
tamen videri non est eidem Pasqualigo assentiendum,
dum numero præcedente dixerat colligi posse Fundato-
rem solummodo celebrationem in loco intendisse, quo-
ties ipsius verba ad solam celebrationem sint restri-
cta. Non mihi videtur, inquam, illi assentiendum,
nam sub nomine celebrationis potest etiam venire ap-
plicatio Sacrificii, nisi excludatur.
Dixi supra, si impedimentum se teneat ex parte loci; 25
nam si impedimentum se tenuit ex parte Capellani, alia
via procedendum est. Si ergo Fundator in instituenda
quotidiana Capella respexit personam Capellani, ipsi-
que postea imposuit celebrationem in tali loco, tunc iste
Capellanus celebrare impeditus, potest aliquando excu-
sari ab iterum supplendis Missis, quas omisit, juxta ta-
men

26 men ea, quæ dixi *tr. 18. qu. 2. c. 7. qu. 3.* Si vero Fundator præcipue, & principaliter respexerit obligationem quotidianam, dicendo e.g. *volo ut in tali loco quotidie celebretur*, tunc Capellanus postea electus pro tali celebratione, dum erat personaliter impeditus, tenebatur per alium supplere, nam tunc in acceptanda Capella acceptavit etiam onera injuncta a Testatore, qui præcipue, & principaliter voluit numquam omitti celebrationem: *Sylvest. V Missa t. a. 7. in fin. Bonac. de Sacrament. disp. 4. qu. ult. part. 7. §. 5. Barbos. de potest. Episc. p. 2. alleg. 24. n. 31.*

CONSILIUM XXII.

ARGUMENTUM.

Explicantur plures casus, in quibus Rectori Ecclesiæ licet cædere arbores quamvis fructiferas, in fundis ipsius Ecclesiæ, ac non incidere in pœnas latas contra alienantes bona Ecclesiæ demonstratur, etsi absque justo titulo arbores non cæduas incidisset. Item asseritur potuisse substantialiter variare aliquem fundum Ecclesiæ ad illum uberiorem reddendum. Examinatur tandem an Rectori Ecclesiæ licita sit agricultura.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Licita est incisio etiam arborum non cæduarum, quotiescumque ita expediat ad reddendum fundum magis fructiferum.*
3 *Parificantur simplex fructuarius, & Rector Ecclesiæ.*
4 *Licitum est Rectori Ecclesiæ facere in ipsius prædiis quidquid conducit ad ea ut convenit colenda.*
5 *Dum inciduntur arbores, quæ reddunt fundum minus fructiferum, cessat adæquate ratio, cur prohibita est earum incisio.*
6 *Licite cæduntur arbores vetustæ, & infructiferæ.*
7 *Si non expediebat eas cædere pro utilitate fundi, loco ipsarum novæ sunt substituendæ.*
8 *Non convenit Rectori Ecclesiæ arbores incidere sub spe, quod arbores plantatæ loco incisarum eundem fructum reddent Successori.*
9 *Non licet cædere arbores, quæ alias essent cæduæ, si plantatæ sint ad loci ornatum.*
10 *Arbores, quæ non renascuntur ex trunco, vel ex radice, non dicuntur cæduæ.*
11 *Cædi nihilominus possunt, quoties plantatæ fuerint ad hunc finem, ut postea cædantur.*
12 *Unde hoc colligatur.*
13 *Rector Ecclesiæ potest cædere arbores alias non cæduas, si necessarium sit ad reparandam domum Ecclesiæ, nec eam reparare possit ex fructibus Beneficii.*
14 *Deberet propriis expensis reparare, si domus ipsius culpa fuisset deteriorata.*
15 *Licitum est Rectori Ecclesiæ variare formam accidentalem alicujus prædii.*
16 *Multi id negant de forma substantiali, & volunt intervenire prohibitam alienationem, si ex vinea, quamvis infructifera fiat olivetum.*
17 *Probabile est non intervenire in tali casu alienationem a jure prohibitam.*
18 *Fructuarius habens usum rei determinatæ non potest formam substantialem ipsius variare.*
19 *Probabile est fructuarium habentem usum omnium bonorum posse formam substantialem ipsorum variare.*
20 *Rector varians formam substantialem prædii non incurrit pœnas contra alienantes bona Ecclesiæ.*
21 *Neque etiam incurrit tales pœnas quascumque arbores cædat.*
22 *Alienatio proprie importat translationem dominii, vel juris alicujus rei in alium.*
23 *Emphyteuta cædens arbores non cæduas amittit bona emphyteutica, non quia alienat, sed quia valde deteriorem reddit fundum.*
24 *Non intervenit proprie alienatio, etsi arbores non cæduæ cæderentur ad vendendum.*
25 *Excusari potest Rector Ecclesiæ cædens arbores non cæduas etiam ex parvitate materiæ.*
26 *Unde desumenda sit hæc parvitas materiæ.*
27 *Rectori Ecclesiæ licet per seipsum colere agros ejusdem.*
28 *Quando Rector Ecclesiæ dignus sit reprehensione ratione agriculturæ.*

QUidam Parochus Ruralis non parum agricultu- 1
ræ addictus, sicut etiam reficiendæ Domui Cano-
nicali, non paucas arbores in prædiis suæ Ecclesiæ
exciderat, itemque quasdam arbores ad horti ornatum
deservientes, ut ibidem posset alias arbores fructife-
ras plantare. Item quamdam vineam in Olivetum
commutavit. Hæc considerantes alii vicini Parochi
contra jus egisse inter se mussitabant, ac difficiles
judicare posse immunem esse a pœnis contra Alienan-
tes bona Ecclesiarum sine debitis solemnitatibus. Ad-
debant non sine dedecore status Ecclesiastici, & Rectoris
Eccl. Parochialis, nimis indulgere iis etiam, quæ vi-
liora sunt in agricultura. Iterum ille ridebat hæc di-
cteria, quæ tandem ad ipsius aures pervenerant, &
potius laudandum esse asserebat, cum sibi videretur
non parum suæ Ecclesiæ utilitatem promovisse. In
hac igitur opinionum discrepantia, quid ego sentirem
fuit aperiendum.

Et quidem generaliter loquendo de incisione arbo- 2
rum vel fructiferarum, vel infructiferarum, dum ex
incisione earum prædia Ecclesiæ meliora reddebantur,
ego nesciebam condemnare istum Rectorem. Quid-
quid ergo sit, an incisio arborum non cæduarum ve-
niat sub nomine alienationis, & comprehendatur in ce-
lebri Constitutio Pauli II. incip. *Ambitiosæ*, certum
est quod si usufructuarius, & Beneficiatus non assimi-
lentur in omnibus, quamvis in omnibus assimilari di-
cant *Quaranta V. alienatio n. 33., Ricc. part. 1. prax.
resolut. 50., Boss. de alien. tit. 18. n. 423., Barb. com. 6.
lib. 3. tit. 4. de reb. Eccl. non alien. n. 8.*; ex praxi, &
consuetudine tamen quoad incisionem arborum Usu-
fructuarius, & Beneficiatus æquiparantur: Usufru- 3
ctuario autem certe licet quascumque arbores cædere,
semper cum fundus melioratur; ita agendo utiliter
gerit negotium Proprietarii. *Boss. cit. n. 444. Tamb.
de Jur. Abbat. tom. 3. disp. 13. quæs. n. 2., Bonac. de
alien. p. 2.* n. 8.

Et quidem si concedatur, ut omnino concedi debet 4
Rectori, posse facere in prædiis Ecclesiæ, quidquid ad
ipsorum pertinet culturam, necesse est etiam posse cæ-
dere arbores de sua natura non cæduas, si prædia exin-
de sterilescant, vel minus fructifera reddantur; tunc
etenim pertinet ad bonum Colonum eas removere. Ne-
que hoc raro accidit, nam arbores, quamvis alias fru-
ctiferæ, ut sunt arbores producentes glandes, mala,
pyra &c. umbra sua impediunt Solis influxum, ac gran-
dibus radicibus terræ alimentum attrahendo, non parum
terram vicinam infœcundam reddunt, & impediunt vi-
tes, seu etiam oleas ab uberi fructu producendo.

Demum in incisione talium arborum quamvis frugi- 5
ferarum, cessat adæquata ratio, unde potuerit esse pro-
hibitum Rectori Ecclesiæ eas cædere. Ea autem alia non
potuit esse nisi quia per incisionem talium arborum de-
teriorantur prædia Ecclesiæ, eas enim incidendo re-
moventur ipsarum fructus: *Gratian. to. 1. discept. 21.
n. 9., Barb. in Extrav. Ambitiosæ nn. 33., Ric. p. 1.
prax. resol. 50., Boss. de alien. tit. 18. n. 431.* Semper
cum ergo ex incisione fundus non redditur deterior,
sed potius melioratur, cessat omnino prohibitio qual-
cumque arbores cædendi.

Multo minus obmurmurare debuissent adversus Re- 6
ctorem, de quo in casu, si incidisset arbores, quam-
vis de sua natura fructiferas, nihilominus vetustas,
seu steriles, aut corruptioni proximas, itaut vel nul-
los, aut paucos fructus producant. Si tamen non
fuerint in loco, ubi eas incidere expedisset ad redden-
dam terram frugiferam, seu ad non impediendos
fructus Vitium, Olearum &c. debebat alias arbo-
res substituere in eadem, vel majori quantitate, &
meliori qualitate: *Quaranta v. alienatio n. 33., Ro-
doanus in Rubr. de caduc. ob rei deterior §. Et ut
discurratur num. 13. de Tamb. de jur. Abbat. tit. 3.
dis. 13. q. 3. n. 4. Boss. de alien. tit. 18. nu 443.* Idem 7
Bossius concedit posse incidi etiam arbores frugife-
ras non vetustas, & non infructiferas, quoties id fie-
ret sine præjudicio Successoris, & tunc id posse eve-
nire dicit, si novæ arbores substitutæ loco incisarum,
tempore illius qui incideret, possent pervenire ad debi-
tam perfectionem, atque ita successor nullum damnum
pateretur. At quis Rector potest esse certus tamdiu se 8
victurum, ut novæ arbores possint ad præfatam per-
fectionem pervenire? Quoties autem ad eamdem non
pervenient, Rector tales arbores incidens utpote qui
fundum deteriorasset, teneretur refundere Successo-

æ illatum præjudicium, adeoque tale onus ad suos Hæredes transiret.

Quoad incisionem vero Arborum, quæ serviebant ad Horti ornatum, nesciebam laudare Rectorem, quoties talis ornatus non fuerit ita modicus, ut pro nihilo potuisset haberi vel quoties ex tali incisione non reddidisset hortum notabiliter magis fructiferum.
9 Arbores igitur plantatas ad loci amenitatem, vel ad vias opacas reddendas, vel ad alium rationabilem finem nonnisi ex arboribus non incisis provenientem, cædi non posse, habetur *in leg. æquissimum §. fructuarius ff. de usufr.* Debebat ergo iste Rector considerare falsum esse omnes arbores infrugiferas posse dici cæduas, cum etiam cæduæ non sint arbores, quæ plantatæ sunt, ut non cædantur, nec consueverunt cædi, quales sunt arbores plantatæ ad ornatum, vel ut sua opacitate æstivum moderentur calorem.

10 Alterum caput, unde reprehendebatur iste Rector, erat, quia ad reficiendam Domum Canonicalem, aliamque Domum ad Ecclesiam pertinentem, inciderat cupressus, & pinos; ut ex his arboribus trabes haberet, & tabulas necessarias pro præfatis domibus reficiendis. Videbatur autem quibusdam male egisse, quia Cupressus, & Pini non videntur pertinere ad Sylvam cæduam; illæ etenim proprie dicuntur arbores cæduæ, quæ incisæ vel ex trunco, vel e a radice renascuntur; atque ita non se habent Cupressus, & pini, ut inter alios observant *Barbos. tit. 6. tr. 4. In Extrav. ambitiosæ*
11 *n. 6. Quaranta v. Alienatio n. 33.* Verum ego puravi ex duplici capite potuisse se defendere Rectorem. Primo, quia quamvis tales arbores revera de sua natura non sint cæduæ, nihilominus ubi plantatæ sint ad hunc finem habendi trabes, & ligna pro ædificiis, consuetudo fert, ut tamquam cæduæ habeantur; adeoque possunt incidi, semper cum necessariæ sint
12 pro fine, ob quem plantatæ fuerunt. Porro tunc juste reputari potest ob præfatum finem fuisse plantatas, quando nullatenus plantatæ fuerunt ad loci ornatum, vel quando, attento loco, in quo sunt, non potest præsumi ad alium finem fuisse plantatas, nisi ut postea cæderentur ad habendum trabes, & tabulas.

13 Secundo, quia si Beneficiatus ex fructibus receptis ex bonis Ecclesiæ non potest integre domos ad eamdem Ecclesiam pertinentes reparare, ad id præstandum potest cædere arbores, licet alias non cæduas, necessarias tamen ad talem reparationem. Ratio est, quia pertinet ad Rectorem hujusmodi domus reparare, adeoque si id præstare non possit ex fructibus ex fundo receptis, poterit, ex fundi arboribus succidere materiam necessariam, sustinendo interim novas arbores loco incisarum; *Bonac. de alien. part. 2, n. 8. cas. 3. Boss. tit. 18. n. 472.*

14 Iis tamen addenda est sequens limitatio, Si igitur Rector totus intentus agriculturæ, non curasset de reparandis domibus ad Ecclesiam pertinentibus, tunc non posset uti pro iis reparandis arboribus fundi Ecclesiæ non cæduis. Et ratio est, quia cum tunc ædificia fuissent collapsa, vel deteriorata culpa Rectoris, pertinebat ad ipsum propriis expensis damnum sua culpa illatum reparare; adeoque non poterat reparare cum damno Ecclesiæ, deteriorando prædia ex incisione arborum non cæduarum.

15 Ad examen postea revocandum fuit quid judicandum esset de ipso Rectore, qui valde culturæ intentus unam vetustam vineam transmutaverat in olivetum, & alteram in locum, qui quamplures Moros pro alendis Bombycibus plantaverit. Quamvis ergo DD. tam Fructuario, quam Beneficiato concedant posse variare formam accidentalem prædii, qualis est ea, quam induxit negligentia Cultoris; ut si fundus, qui debuerat esse de sua natura fructiferus, occupatus videatur ob negligentiam Coloni herbis inutilibus, fruticibus, dumis, aut aliis inutilibus stirpibus. Hanc utique formam licet variare, immo varianda est; hoc etenim non est tollere, & destruere fundum, sed illi reddere suam formam, ac fertilem reddere: Verum dum agitur de mutanda forma substantiali fundi, quamvis in melius, ut ea vetusta vinea non facere novam uberem vineam, sed Olivetum, seu locum Mo
16 ris consitum, non facile admittunt DD. Ratio ipsorum est, quia ita mutare formam prædiorum, quamvis in melius, est tollere, & substantialiter destruere fundum; neque etenim amplius dici poterit vinea, ut prius dicebatur, sed dicendus erit Olivetum &c., ideoque fundus antecedens intelligitur omnino diversus. Id autem omnino illicite fieri a fructuario, quamplurimi docent, quia illius jus solum est colligere fructus, non vero fundum substantialiter variare, quod ad solum Proprietarium spectat: *Barbos. tom. 6. in jus Canon. in Addition. tit. 4. de reb. Eccl. non alien. n. 9., Boss tit. 18. n. 456.* Atque, observat Bonacina *de alien. part. 2. n. 8.* Rectori non suffragari, si adducat utilitatem Ecclesiæ ea tali variatione derivantem; nam etenim stante tali utilitate non potest fieri alienatio sine Apostolico Beneplacito. In præfato autem casu prohibitam alienationem intervenire arbitratur; si etenim eo quod prohibeantur alienari bona Ecclesiæ, intelligitur prohibita permutatio, multo magis ipsi videtur prohibitum de vinea etsi vetusta, & parum frugifera, facere Olivetum.

Ego autem omnino excusarem hujusmodi Parochum, 17
quia probabile est hinc non intervenire speciem alienationis a jure prohibitam; utpote quia, si probabile est res Ecclesiæ omnino inutiles posse alienari, multo magis probabile est posse reddi frugiferas, quamvis ipsarum forma substantialis mutetur: *Ricc. p. p. prax. resol 130., Boss. tit. 18. n. 458. & 473.* Item mutatio arborum, seu plantarum in aliquo fundo, semper cum in Ecclesiæ utilitatem redundet, de materiali se habere videtur, nam revera est idem, quamvis plantis alterius speciei refertus; & quod consideratur, est utilitas inde derivans, vel ea ex una specie plantarium, vel ea altera redundet. Hoc tamen non admitterem respectu simplicis fructuarii, maxime si habeat usum rei determinatæ, quando sciret Proprietarium non curare de majori utilitate, sed quod in fundo sint tales plantæ, quamvis minus utiles.

Præterea favore Rectoris considerabam probabile esse 18
simplicem fructuarium, cui non concessus est usus rei determinatæ, sed omnium bonorum, posse fundi substantiam variare; nam concesso usu omnium bonorum, videtur ipsi concessum, ut ex iidem bonis recipiat fructus eo meliori modo, quo potest, adeoque eadem mutare, quoties ita reddantur magis fructuosa: *Ciarlin. t. 1. Contr. c. 51. n. 4.* & apud ipsum alii. Si autem 19
hoc concedatur simplici Fructuario, probabile multo magis erit pertinere ad Rectorem Ecclesiæ, cum habeat usumfructum omnium bonorum, ad eam pertinentium, adeoque poterit ea reddere magis frugifera cum variatione prædiorum de uno statu ad alium. Puto etiam favere consuetudine, qua communiter Rectores Ecclesiarum curent bona Ecclesiæ reddere magis frugifera; atque id vel fundos renovando juxta statum, in quo sunt, vel substituendo plantas magis fructuosas, quamvis alterius speciei: consuetudo autem est optima legum interpres. Cum ergo ex tot capitibus 20
probabile saltem reddatur potuisse Rectorem loco vetustæ, & infructiferæ vineæ facere Olivetum, vel loco inutilium vitium Moros substituere, non est dicendum violasse jura prohibentia alienationem bonorum Ecclesiasticorum, neque ullam pœnam incurrisse, cum pœna non habeat locum, ubi ratio probabilis dicit non adesse jus prohibens, ut dixi etiam tr. qu. cap. quæs.

Sicut nullatenus dici debebat ex præfata causa Rectorem violasse jura prohibentia alienationem bonorum Ecclesiæ, ita & dicendum erat non incurrisse pœnas a jure inflictas contra Alienantes bona Ecclesiarum, quamvis, ut aliqui dicebant, quasdam arbores non cæduas, extra casus permissos, incidisset. Non nego quamplures asserere hujusmodi incisionem continere alienationem a jure prohibitam, quia hujusmodi incisione, Ecclesia amittit dominium rei immobilis, quales reputantur arbores terræ adhærentes quæ incisione videntur alienari; atque ita inter alios docent *Quaranta v. alienation. n. 13., Ricc. p. p. prax. resol. 50. n. 1. Tambur. de Jur. Abbat. to. 3. dis. 13. q. 3., Barbos. ad Extrav. Ambitios. n. 30., Donat. in prax p. 2. tr. 14. q 69.* Hanc & ego communiorem 21
sententiam sequutus tum tr. qu. cap. quæs., at loquendo præcise quoad incurrendas pœnas a jure latas contra alienantes bona Ecclesiæ, bene saltem ex ratione reflexa dicitur eas non incurrere incidens arbores, etsi alias non cæduas, ut erant arbores ad Horti ornatum plantatæ. Ratio est, quia probabile est Rectorem incidentem tales arbores sub hujusmodi non comprehendi prohibitione, & si probabile est, ex paulo antedictis, hoc sufficit ad illum immunem reddendum a pœna incurrenda, atque supra dictis addi potest, quod si probabile est non comprehendi sub tali prohibitione, jam incertum est, an contra eadem jura peccaverit; ubi autem delictum est incertum, seq

in-

incertum est, an adfuerit transgressio legis, non potest habere locum pœna certa inflicta a lege. Quod autem
32 sit probabile Rectorem incisorem arborum non cæduarum, non violasse leges prohibentes alienationem bonorum Ecclesiasticorum, ideo probatur, quia non datur proprie alienatio, nisi vel transferatur in alterum rei dominium, vel saltem aliquod jus *juxta leg. 1. Cod. de Fundo dotali*, ac demonstrat verbum *alienare*, nam idem significat ac alienum facere. In casu autem præsenti Rector non alienavit in alium arbores cæsas, sed eis ad reparandas Ecclesiæ domos usus est, vel ad proprium usum. Præterea, si ex sola incisione daretur alienatio, ad probandum Emphyteutam Ecclesiasticum ex incisione arborum cadere in commissum, *juxta Authent. Qui rem C. de Sacros. Eccles.* non uterentur DD. ea ratione, quod fundum emphyteuticum deterioraverit, sed eo validiori argumento, quod partem fundi
33 alienasset, & tamen hac ratione non utuntur. Demum si incisio arborum esset proprie alienatio, incidi non possent propria authoritate a Rectore Ecclesiæ, etiam dum earum incisio necessaria foret ad reddendum fundum fructiferum, quia etiam dum alienatio est utilis Ecclesiæ, fieri nihilominus non potest sine Apostolico Beneplacito.

34 Addendum, valde probabile esse nec esse proprie alienationem prohibitam incisionem arborum, etsi ad vendendum inciderentur. Ratio est, quia ut dictum est, ipsa incisio de se non est alienatio: ubi vero arbores incisæ sint, sunt mobile, quod servando servari non potest, adeoque sine solemnitate potest alienari. Hanc opinionem insinuat *Navar. cons. 6. de reb. Eccles. non alien.* & probabilem dicunt *Bonac. de alien. pun. 2. n. 7. Boss. tit. 18. n. 477.*

35 Ex alio etiam capite poterat iste Rector immunis pronunciari a pœnis latis contra Alienantes, quamvis non fuisset tota necessitas incidendi aliquas arbores, quas inciderat pro domo reficienda, ex parvitate nempe materiæ. Verum tamen est ad judicandum de parvitate materiæ non attendendum esse præcise ad numerum arborum, sed ad detrimentum, quod ex incisione patitur prædium, adeoque incisio unius arboris valde singularis, non poterit reduci ad parvitatem materiæ, cum ex ipsius incisione prædium, vel hortus reddatur notabiliter deterior; & e contra erit materia parva incisio quinque, vel sex arborum non cæduarum, quoties ex tali incisione non sequatur grave nocumentum.

36 Hinc neque fructuarius ex tali incisione caderet in commissum, quia ad parvitatem materiæ reducitur: *Rot. decis. 553. p. 2. Recent. Ciarlin. Controvers. tom. 1. cap. 2. num. 52., Peyrin. tom. 1. ad Constit. 9. Julii II. num. 13., Lezan. v. alienatio n. 16.* Bene ergo ex tali incisione quamvis illicita, immunis esset Rector a pœnis latis contra male alienantes, ut innuit etiam *Bonac. de Alien. p. 1. nu. 4.* ea ratione, quod lex de modicis judicare non consuevit. Cæterum quoad judicandum de gravitate peccati, recurrendum est ad gravitatem materiæ in se spectatæ, non vero solum ad gravem Fundi deteriorationem, ut etiam colligitur ex Rota *dec. 553. p. 2. Recent.*

37 Eo quod demum iste Rector agriculturam exerceret in propriis Ecclesiæ prædiis, non erat culpandus, quasi Ecclesiæ legum transgressor, quia hæc non est negociatio Clericis prohibita: *Graff. de eff. Cleric. effect. 6. num. 28.*, immo agricultura proprie non est negociatio, sed ars; neque enim in colendo aliquid emitur, ut immutatum cum lucro vendatur, in quo proprie consistit negociatio. Quidquid ergo sit, an Clericis liceat conducere alienos agros ad illos colendos, quod respective ad agros sæcularium ipsis prohibetur *sub tit. ne Cleric. vel Monach. in 6.*, certum est ipsis in propriis prædiis permitti serere humum, areolas æquo limite dividere, ac eo ducere aquas irriguas, ut olearum semina nascantur, vel plantæ irrigentur, inserere infructuosas arbores, proprias vineas putare, fodere, proprias domos reficere &c. *can. presbyter. can. Clericus victum, can. Clericus 91. dist. can. numquam de consecr. dist. 5. can. 2. de celebr. Miss.*

Non erat ergo reprehensione dignus iste Rector eo quod in prædiis Ecclesiæ exerceret agriculturam, dum tamen illam, ut ita dicam, cum grano salis exerceret. Ita factum esset, quoties non fuisset nimis illi addictus, adeo ut populus, quem regebat, judicare posset ratione vitandi otium agriculturam exercere, vel alia honesta ratione, non amore lucri. Faciliter autem judicabit cupiditate lucri Rusticum agere, quoties ex proventibus Ecclesiæ habeat unde honeste sustentetur, & possit conducere operarios ad prædia colenda, & hoc non obstante, per maximam diei partem per seipsum eadem colat prædia. Deinde debet ita exercere agriculturam, ut non vilis, & despicabilis suo populo appareat. Ita eveniret, si per seipsum terram stercoraret coram populo, & non in suo horto privato, si absque necessitate ligone diu terram publice foderet; si terra, aliisque immunditiis sordidatus coram populo se sisteret; vel etiam si ita in Ecclesia appareret, maxime ad Ecclesiasticas functiones exercendas. Cum igitur jure naturali, & divino ita se gerere teneatur, ut ineptus non sit ad animas regendas, cavere debet eodem jure ab ita exercenda agricultura, ut hac ratione a populo vilipendatur.

CONSILIUM XXIII.

ARGUMENTUM.

Votum paupertatis non violatur, quoties adest saltem licentia tacita Superioris; & examinatur quid sentiendum de licentia præsumpta, & quam adesse licentiam judicari possit ratione alicujus consuetudinis, & taciturnitatis Superioris. Si vero iste deneget licentiam, quamvis injuste, Religiosus transgreditur votum paupertatis aliter faciendo, quoties aliter non faciat ratione legis magis obligantis.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Quod votum paupertatis non potest habere locum Epikeja, quia numquam verificatur posse Religiosum accipere, vel distrahere absque aliqua licentia, dum tale votum obliget.*
3 *Conveniens est numquam Religiosum aliquid accipere, vel distrahere absque expressa Superioris licentia.*
4 *Quoties haberi non possit expressa Superioris licentia, sufficit præsumpta ad aliquid accipiendum, vel distrahendum, si adsit conveniens necessitas.*
5 *Id verum est, etsi in aliqua Religione esset præceptum obligans in Virtute S. Obedientiæ, ne aliquid acciperetur, distraheretur &c. absque expressa licentia.*
6 *Dum Subditus non potest adire Superiorem sine gravi incommodo, intelligitur non posse obtinere expressam licentiam.*
7 *Quandoque necessitas datur respectu unius actionis, v. g. ad recipiendum, non vero respectu alterius, v. g. ad distrahendum.*
8 *Ut Religiosus non sit transgressor voti paupertatis, sufficit habere licentiam tacitam Superioris.*
9 *Hæc licentia tacita, quamvis non sit expressa, actu tamen continetur in aliquali re, quæ fuit concessa.*
10 *Tacitum æquivalet expresso.*
11 *Intelligitur tacite habere licentiam comparandi nummos, & illos expendendi Religiosus, qui habet expressam licentiam itinerandi.*
12 *Idem dicendum, si illi commissum sit officium, quod exerceri non possit absque eo quod accipiantur, & distrahantur pecunia.*
13 *Licentia præsumpta non est licentia, quæ actu sit, sed quæ speratur futura.*
14 *Non pauci volunt hanc licentiam sufficere, ne Religiosus sit transgressor voti paupertatis.*
15 *Religiosus ratione voti paupertatis non se expoliat usu facti, sed solum illum subordinat voluntati Superioris.*
16 *Quampluribus etiam videtur sufficere licentia non certo, sed probabiliter præsumpta, ut Religiosus ex ea operans non sit transgressor voti paupertatis.*
17 *Probabilis præsumptus consensus Domini in materia justitiæ excusat a delicto furti.*
18 *Religiosus operans ex sola præsumpta licentia est transgressor voti paupertatis, quoties Superior talis sit, ut desideret impedire relaxationem.*
19 *Non datur licentia præsumpta ex hoc præcise, quod credatur Superior eam concessurus, sed ulterius requiritur ratihabiturum actionem factam sine expressa licentia.*
20 *Non potest rationabiliter credi Superiorem cupidam*

impediendi relaxationem, ratibabiturum quod Subditus operetur sine expressa licentia.

21 *Usus operandi ex licentia præsumpta aperit viam relaxationibus, ac multis inconvenientibus.*

22 *Esset solum culpa venialis, si solum displiceret Superiori usus clandestinus verum, non vero absolutus ipse usus.*

23 *Respectu Superioris non curantis de impedienda relaxatione facilius credi potest dari consensum in id, quod fit sine expressa licentia, & maxime si molestum illi sit Subditos frequenter illum adire.*

24 *Licite operatur Religiosus, quando taciturnitas Superioris indicat tacitam licentiam, & approbationem, non vero si solam involuntariam permissionem.*

25 *Superior tacens non potest credi approbare, si optet impedire inconvenientia, unde credendum est tacere, ne sequantur majora mala.*

26 *Taciturnitas non potest interpretari pro consensu, etsi oriatur ve levi metu.*

27 *Peccat multoties graviter Superior tacens exnimio amore sui, vel inutili timore.*

28 *Taciturnitas Superioris parum curantis de impedienda relaxatione, potest interpretari pro approbatione, maxime si gratum sibi esse demonstret Religiosos raro ad ipsum accedere.*

29 *Consuetudo aliquid faciendi aliquando potest continere tacitam licentiam Superioris.*

30 *Hujusmodi non contineret licentiam, si Superior solummodo illam toleraret,*

31 *Consuetudo de accipiendis, vel distrahendis rebus in magna quantitate sine expressa licentia, ordinarie loquendo, non approbatur, sed solummodo toleratur a Superiore.*

32 *Secus dici potest de consuetudine accipiendi, vel expendendi quædam leviora.*

33 *Ubi non viget stricta paupertas, nec regularis observantia, fortasse approbatur consuetudo accipiendi etiam in non modica quantitate sine expressa licentia, quoties accipiantur necessaria ad vitæ sustentationem.*

34 *Si Superior conatur removere introductam consuetudinem, non intelligitur illam approbare, sed solum tolerare.*

35 *Integrum est Superiori removere etiam præscriptam consuetudinem.*

36 *Non potest præsumi Superiorem approbare consuetudinem, quæ continet abusum.*

37 *Etsi Superiores approbarent talem consuetudinem, peccarent Religiosi in vi ejusdem operando, ob grave detrimentum, quod pateretur Religio, & quia adhuc essent transgressores Constitutionum.*

38 *Etsi Superior injuste deneget licentiam, non potest Subditus aliquid accipere, vel distrahere, quoties honestum est attendere denegatam licentiam.*

39 *Si Religiosus debeat aliquid accipere, vel distrahere in vi legis magis obligantis, non debet attendere denegatam licentiam, immo ad hoc non extenditur votum paupertatis.*

1 NN. Religiosus plura ad suum usum ipsi concessa, distrahebat donando, vendendo &c. absque licentia expressa sui Superioris, atque etiam non raro absque hujusmodi licentia pecuniam ad suum usum destinatam erogabat. Cum autem hujusmodi agendi rationi paupertatis votum obstare aliqui dixerint, ipse ex triplici capite omnem deposuisse scrupulum affirmabat. Ita igitur licite agere sustinebat ratione epikejæ, ratione tacitæ, vel præsumptæ licentiæ, quam etiam argui posse ex taciturnitate Superioris affirmabat, & ratione consuetudinis: Addebat aliquando Superiorem injuste licentiam petitam erogandi aliquam pecuniam denegasse; & tunc reputasse non esse contra votum paupertatis non attendere injustam prohibitionem Superioris. Cum autem non pauci Ecclesiastici his Religiosi rationibus non acquievissent, quid ego sentirem libenter audituros dixerunt.

2 Ego autem in primis judicavi hunc Religiosum non plene scivisse quid sub nomine Epikejæ comprehendatur, dum aliquando ratione Epikejæ dicebat pecuniam expendisse, vel aliqua donasse, absque eo quod curasset de licentia hujusmodi præstandi. Per Epikejam igitur interpretamur cessare legem in aliquo casu particulari, cum bene in quibusdam extraordinariis circumstantiis judicemus noluisse Legislatorem suam legem obligare: *D. Th. 2. 2. q. 120. art. 1.* & dixi *tr. 3. q. 4. cap. 3. quæst. 1.* Non poterat ergo hic habere locum Epikeja, cum nullus sit dabilis casus, in quo liceat Religioso uti temporalibus, vel illa distrahere absque aliqua licentia; sicut e contra nullus dabilis est casus, in quo Religiosus non possit ratione voti paupertatis uti, vel distrahere temporalia, si habeat legitimam licentiam. Cum igitur lex prohibens Religioso, ratione voti paupertatis, uti, vel distrahere temporalia absque aliqua licentia, universalissima sit, & nullus sit dabilis casus, qui in ea non comprehendatur; non est locus, ut dici possit ratione Epikejæ posse Religiosum in aliquo casu temporalibus uti, seu distrahere absque aliqua licentia.

3 Descendendo modo ad examen eorum, quæ in casu continentur, ut incerta a certis separentur, nulli dubium esse potest conveniens esse Religiosum non uti rebus temporalibus sine expressa licentia, verbis nempe, vel scripto tradita, quoties id facere possit. Ita agendo secure incedit, & sincere juxta regulas Ordinis operatur, itemque non est causa justæ tristitiæ respectu suorum Superiorum; si etenim vero zelo observantiæ votorum, & impediendi relaxationem ardeant, valde tristantur, semper cum non expresse exposcatur licentia, dum a Religioso potest expostulari: *Suar. de Relig. t. 3. l. 8. c. 11.*

4 Item dicendum omnino est sufficere licentiam præsumptam aliquid recipiendi, retinendi, vel expendendi, quoties Religiosus non posset petere, & expetere licentiam expressam Superioris, & adest aliqua necessitas recipiendi, seu expendendi. Et ratio est, quia dum Religiosus non potest petere licentiam, & urget aliqua necessitas, moraliter reputatur Superiorem illam concedere. Bene etiam extenditur hæc doctrina, etsi in aliqua Religione esset præceptum in virtute S. Obedientiæ nil recipiendi, vel expendendi sine licentia Superioris. Ratio est, quia præcepta debent esse rationabilia, irrationabile autem omnino foret nolle non sufficere licentiam præsumptam, quoties urgeat necessitas aliquid agendi, & non possit Subditus Superiorem adire; quia autem id esset irrationabile, non esset dicendum comprehendi sub præfato præcepto: *Rodriq. t. 2. Sum. c. 42. Sanch. l. 7. moral. c. 19. n. 4.* 5

6 Hic autem duo remanent adnotare, & primum est, non solum reputari non posse Religiosum adire Superiorem, quando distat, vel quando ita est occupatus, ut non facile sit illum alloqui, sed etiam quando non potest adire Superiorem sine gravi incommodo; nam tunc consurgit quædam moralis impossibilitas: *Suar. tom. 3. de Relig. l. 8. cap. 11.* Secundum est, quandoque contingere dari necessitatem quoad unam actionem agendi, non vero quoad aliam, & ita potest dari necessitas aliquid recipiendi, absque eo quod simul interveniat necessitas alienandi, adeoque licitum erit primum facere absque licentia expressa Superioris, non vero rem acceptam alienare. Ubi etiam advertendum, cæteris paribus, majorem requiri necessitatem pro re alienanda absque Superioris licentia, ac pro ea recipienda; His præsuppositis. 7

8 Omnino dicendum est sufficere licentiam tacitam Superioris de aliqua re expendenda, donanda, accipienda &c. ut Religiosus nec venialiter peccet contra votum paupertatis. Id autem omnino constabit, si consideretur pro licentia tacita me intelligere illam licentiam, quæ in aliquo actu expresso Superioris continetur; unde de facto data censetur, licet non expresse, sed quia continetur in actu expresso Superioris. Hinc in jure tacitum dicitur, quod actu, vel virtute continetur in aliquo expresso; & ita in rescripto favorabili Pontificis tacite hæc conditio continetur: *Si preces veritate nitantur: c. 2. de Rescript.* Quamvis etenim hæc conditio expresse non apponatur, actu tamen adesse subintelligitur secundum rectam rationem, quia secundum eamdem rectam rationem non est conveniens falsas preces exaudire. Hæc igitur tacita licentia, non est licentia, quæ non sit, & quæ solum daretur, si postularetur; sed est licentia, quæ actu est, quamvis non data sit expresse in se, sed in alio. 9

10 Hac igitur explicatione præsupposita certum omnino est nullatenus violari votum paupertatis, quoties adsit licentia tacita aliquid distrahendi, vel accipiendi; nam revera distrahitur, vel accipitur ex licentia actu, licet non expresse concessa; & ita verificatur nil fieri, quod sit vetitum ratione voti paupertatis sine actuali licentia

Su-

Superioris. Hinc habemus ex regula juris, quod tacitum æquivalet expresso, ac idem operatur ac si esset expressum, adeoque hanc sufficere licentiam tacitam, ne violetur vel leviter votum paupertatis, extra controversiam esse notat inter alios *Suar. tom 3. de Rel. l. 8. c. 14. n. 4.*

11 Et quidem certe nec venialiter peccabit Subditus, si postquam commissum est illi aggredi longum iter absque expressa licentia accipiendi, vel expendendi nummos ad hunc effectum necessarios, illos postea accipiat, & expendat; eo ipso etenim quod debuerit ex præcepto Superioris facere iter, intelligitur tacite concessum accipere, & expendere quidquid pro tali itinere est necessarium: *Suar. cit. n. 7. Lugo de Just. disp. 3. n. 123. Pa-*
12 *laus tr. 16. p. 23. n. 7.* Item si Religioso committatur officium, quod exerceri non possit sine retinendo, & expendendo pecunias, intelligitur illi tacite concessum illas retinere, vel expendere.

13 Major difficultas est quoad licentiam præsumptam, an nempe hæc sufficiat, ut nullatenus violetur votum paupertatis, ex eadem sola præsumpta licentia aliquid recipiendo, donando, expendendo &c. Difficultas autem ex eo consurgit, quod licentia præsumpta non est licentia actu, vel expresse, vel tacite data, sed solum est licentia, quæ daretur, si peteretur; ac proinde Religiosus ex tali licentia aliquid excipiens, vel expendens accipit revera sine licentia, quamvis habiturus esset, si expostularet.

14 Verum negari non potest non paucos Theologos docere, sufficere, ne Religiosus dicatur paupertatis voti transgressor, si accipiat, donet, vel expendat ex sola præsumpta licentia Superioris. Et ratio potissima istorum est, quia quamvis Religiosus ratione voti paupertatis abdicet a se rerum dominium; adhuc tamen retinet jus ad usum facti, quo se privare universaliter non potest, cum sit necessarius ad vitæ conservationem, & solum hunc usum ratione voti subordinat
15 voluntati Superioris. Hæc autem subordinatio sufficienter intelligi videtur per hoc, quod Religiosus nihil agere possit, ni saltem præsumat adfuturam licentiam Superioris quoad rem, quam accipit, consumit, vel distrahit; nam tunc revera non operatur ex solo proprio judicio, libertate, aut voluntate. Hanc opinionem inter alios docent *D. Th. 1. 2. q. 32. a. 8. ad 1. Suar. t. 3. de Rel l. 8. c. 11. n. 10. Rodriq. qq. regul. t. 5. q. 20. a. 0. Less. l. 2. c. 41 dub. 9. n. 80. Pal. tr. 16. dub. 3. p. 23. n. 5. Lez. p. p. c. 6 a n. 55.* atque eidem ad stipulatur Fagn. *in c. Monach. n. 32. de Stat Monach.* ubi ex D. Th. docet simplicem Monachum posse aliquid accipere de rebus Monasterii, seu aliquid dare in eleemosynam de licentia Abbatis, vel expressa, vel præsumpta.

16 Addendum ibidem significare Fagnan. sufficere, si sit probabiliter præsumpta, adeoque non est necesse, quod sit certa. Et ratio ea potest esse, quia in moralibus, quod vere probabile est, quasi certum reputatur; nec videtur alia adesse obligatio, nisi operandi ex certa probabilitate. Ita etiam in materia justitiæ, quæ magis rigorosa est, ad evitandam culpam furti, satis est, si accipiatur alienum ex præsumpto consensu Domini, ut expresse habetur *leg. inter omnes 47 §. Recte ff. de furtis*; atque ibidem Glossa plura congerit jura ad id pertinen-
17 tia. Multo magis igitur, ut Religiosus culpam vitet proprietatis, sufficit si aliquid accipiat, vel distrahat ea probabili præsumpta licentia Superioris; nam hæc probabilis præsumpta licentia etiam minus rigorose exigitur in materia Religionis, cum subditus se subdiderit ex propria voluntate Superiori, non præcise ut Domino; sed ut Magistro, & Directori: *D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 15. Suar. cit. Sanch l. 7. Moral. c. 19. n. 13. Palaus tr. 16. disp 3. punct. 23. n. 56.*

18 His nihilominus non obstantibus, apud me certum est Religiosum operantem ex sola sibi præsumpta licentia Superioris, transgressorem esse voti paupertatis, quoties Superior ardeat justo zelo relaxationem impediendi. Quidquid ergo sit, an sola præsumpta licentia sufficiens sit, ut Religiosus non dicatur Transgressor voti paupertatis, quod certe sustinent gravissimi DD. dico respectu Superioris optantis impedire iniquam relaxationem, & quamplurima inconvenientia, talem licen-
19 tiam non posse præsumi. Tunc igitur vere datur licentia præsumpta, quando non solum credi potest Superiorem concessurum licentiam, si peteretur, sed etiam ratihabiturum actionem habitam sine licentia, adeoque ratum haberet usum habitum sine licentia, si sciret: *D. Th. in 4. dist. 15. art. 5. q. 4.* Hinc debet de præsenti posse credi talem esse voluntatem, & dispositionem in Superiore, quod non solum concederet licentiam, si peteretur, sed quod etiam non sit invitus quoad substantiam facti, dum Religiosus operatur ex præsumpta licentia. Quod idem est ac dicere, quod Superior ita actu debet esse dispositus, ut ratum haberet factum Religiosi, si sciret, quamvis ipsi displicere potuisset modus, quo Religiosus operatus est: *Lugo disp. 3. de Just. sect. 7. n. 125.*

Si igitur ad completam rationem præsumptæ licentiæ, 20
necesse est non solum, quod Superior concessisset licentiam, si peteretur, sed etiam, quod ratum haberet quoad substantiam factum Religiosi ita operantis, si sciret, quis judicare potest adesse talem præsumptam licentiam, dum Superior habitu, & una operibus sit Religiosus? Omnes concedunt tolerare usum hujusmodi li- 21
centiæ præsumptæ, esse causam efficacissimam relaxationum Religionum, cum & in pluribus causis falso, ac proprio amore decepti talem licentiam præsumerent, & quamplura ex eadem ratione de rebus Monasterii distrahere posse crederent; unde nec per somnium credi potest Superiorem vere Religiosum ratum habiturum, quod fieret ex hac præsumpta licentia, cum ipse ex officio, & sub gravi teneatur relaxationes impedire. Ubi 22
autem Superior ita ægre ferat ex sola præsumpta licentia aliquid accipi, vel retineri, ut non solum ipsi displiceat modus clandestinæ operandi, in quo tamen casu saltem adesse culpa venialis, sed etiam usus rerum, & actio, Theologi concedunt non sufficere solam præsumptam licentiam, ut quis non sit transgressor voti paupertatis: *Suar. Sanch. Lessius, Palaus loc. cit.*

Remaneret ergo solum credi posse dari sufficientem 23
præsumptam licentiam, quoad accipiandum, vel distrahendum sine expressa licentia, quoties Superiori satis esset dominari in Clero; & non solum curaret de removendis relaxationibus Religionis, sed etiam demonstraret ipsi molestum esse, si sæpe Religiosi illum adirent pro obtinenda licentia accipiendi, donandi, emendi, &c. Sed væ væ illi Superiori!

Ex dictis facile deducere est, an taciturnitas Superio- 24
ris sufficiat ad excusandum Religiosum, qui sine licentia expressa aliquid accipit, distrahit &c. Omnes quidem concedunt non violari votum paupertatis, quoties taciturnitas Superioris contineat tacitam licentiam, & approbationem actionis Religiosi, ita operantis. E contra certum est taciturnitatem Superioris non excusare Religiosum a transgressione voti paupertatis, quoties non esset approbatio, sed sola permissio involuntaria, quæ proinde non reddat tutum in conscientia Religiosum ex taciturnitate Superioris operantem. Generaliter 25
autem loquendo puto, quod, si Superior sit regularis observantiæ sapiens zelator, & cupidus impediendi relaxationes, non possit interpretari, ipsius taciturnitatem continere sufficientem licentiam, & approbationem; nam bene scit, quod, si admittat operari, vel dare, aut accipere absque expressa licentia, inducetur paulatim gravissima relaxatio, maxime quoad votum paupertatis. Si tacebit ergo ideo tacebit, quia videt subditos austeros, inquietos, agrestes, melancholicos, rixosos; atque ideo tacere dicendum est, quia timet majora mala. Quod si taciturnitas non potest interpretari pro con- 26
sensu, etiamdum quis tacet ex verecundia, vel levi timore, ut probat *Sanch. l. 4. disp. 9. n. 4.* multo minus dici potest consentire, & approbare Superiorem, quoties taceat ex timore præfatorum Religiosorum. Cæte- 27
rum peccaret Superior, quoties taceret ex inordinato amore sui, vel ex inutili timore; ut eveniret respectu Superioris, qui, ne se, ut ita dicam, discomponeret, vel ne subditi irreligiosi animum contra se excitaret, ad omnia taceret cum gravi Religionis damno. Sicut taciturnitas Superioris vere Religiosi interpretari haud potest in præsenti materia pro consensu, & approbatione, ita talis posset reputari taciturnitas Superioris parum curantis de impedienda relaxatione, & gratum sibi esse demonstrantis, si subditi raro ad ipsum pro licentiis obtinendis accedant. Sed iterum væ isti Superiori!

Illud etiam observandum, quod ubi dubium sit, an 28
Superior tacendo det, vel non det licentiam tacitam, non potest Subditus ratione talis taciturnitatis aliquid accipere, vel dare. Ratio est, tum quia in dubio possessio stat pro voto, tum quia in dubio Superior præsumitur invitus: *l. qui vas 49. ff. de furt.*

Considerando deinde, an Religiosi aliquid accipien- 29
tes, vel distrahentes vi introductæ consuetudinis, satis se tueantur a transgressione voti paupertatis, dicebam

mul-

multoties ex consuetudine introducta atqui posse li-
centiam tacitam Superioris, quæ bene excusat ex su-
pradictis a transgressione voti paupertatis: *Suar. t.3.*
de Rel.l 8 c.11.n.7. Sanch.l.7. Moral.c.19.n.7. Laym.l.4. tr.5.
c.7.n.4 Lezan.p.p.c.5.n.56. Loquendo igitur de consue-
tudine, non ut est consuetudo juris, de qua *c. ult. de*
consuet. sed prout est consuetudo facti, quæ impor-
tat frequentem usum aliquid agendi, de qua *c. 1. de*
Constit. in 6. bene dici potest eam continere tacitam
licentiam aliquid agendi; si etenim talis usus agendi
absque expressa Superioris licentia videatur a Supe-
rioribus, illumque, cum possint, non improbent,
convincuntur actu consentire, seu ratum habere, ut
Religiosi juxta talem usum operentur.
30 Semper autem considerandum est, an vere Superior
consentiat in talem consuetudinem, illamque approbet,
an solum permittat; nam tunc eum potius in suo corde
contradiceret, non potest dici tacite licentiam conce-
dere: *Suar. t.3 de Relig. l.8.c.11.n.7. Sanch.l.7. Moral.c.19.*
n.7. Primo autem reputandum, esset non approbare
talem consuetudinem, maxime si Superior sit Vir pius,
quoties consuetudo esset de accipiendis, vel distra-
hendis sine expressa licentia rebus in magna quanti-
tate. Ratio est, quia hoc modo aperitur via ad ma-
31 ximam Religionum relaxationem, quod nullatenus
velle Superiorem pium præsumendum est. Solum
ergo præsumi posset non solum permittere, sed etiam
positive approbare consuetudinem de accipiendis, vel
expendendis rebus levioris momenti, & crebro occur-
rentibus, ut bene consideravit Lessius *l. 2.c.41. de just.n.*
79. Posset etiam hujusmodi consuetudo accipiendi di-
32 ci non solum permissa, sed etiam approbata respe-
ctu majoris quantitatis quoad materiam necessariam
ad vitæ sustentationem, maxime ubi non viget tam
stricta paupertas, nec regularis observantia.
33 Secundo, cognosceretur Superiorem solum permitte-
re, & non approbare introductam consuetudinem,
quoties voluisset illam tollere, & conatus esset illam
revocare. Hic igitur advertendum quamcumque con-
34 suetudinem legitimam, & per quodcumque tempus
præscriptam, semper debere esse amovibilem ad nutum
Superioris, cum non possit irrevocabiliter concedi li-
centia utendi rebus temporalibus: *Donat. t.3. tr. 55.q.2.*
Si igitur Superior conetur removere consuetudinem de
35 usu rerum sine expressa licentia, utetur jure suo; &
cum aliunde ipsius conatus demonstret in eam non con-
sentire, non potest dici in eadem consuetudine contine-
ri tacitam licentiam Superioris. Tertio, non intelligi-
tur approbari a Superiore consuetudo, quoties ex timo-
re Religiosorum, vel majorum malorum abstinear ab
ea improbanda, ut ex supradictis patet. Atque id ma-
xime clarum est, dum consuetudo manifeste esset abu-
sus; nam tunc teneretur illam omnino tollere, ut docet
Donat. cit. Mirand in Man. q 26. art. 10. Hinc pessime age-
36 rent Religiosi in vi talis consuetudinis operantes,
tum quia in eadem consuetudine non contineretur tacita
licentia Superioris; tum quia cooperarentur gravi
detrimento Religionis; tum quia etsi in talem abusum
consentiret Superior, & forte liberarentur a trans-
gressione voti paupertatis, ut docet cum aliis Suarez
sæpe citatus, non tamen immunes essent a peccato
inobedientiæ contra regulas, quia consuetudo irra-
tionalis non valet contra eas præscribere.
Remanet denium videre, an potuerit sine transgres-
37 sione voti paupertatis aliquid accipere, vel expendere
Religiosus, dum Superior irrationabiliter petitam li-
centiam denegasset. Universaliter autem asserendum
est, quod si actus, ad quem petitur licentia, ex aliqua
Superiori lege non sit debitus, & quam non possit Su-
perior impedire, debet subditus abstinere ab his, quæ ipsi
denegavit, licet injuste, Superior. Ratio est manife-
sta, quia dicendum est votum paupertatis se exten-
dere ad omnem paupertatem honestam, & rationa-
bilem, & talis est, quando abstinet ex quacumque
denegata licentia ab usu rei temporalis absque eo quod
38 infringat aliquam aliam Superiorem legem. Confirma-
tur, quia cum tunc possit absque ulla culpa a re dene-
gata abstinere, jam si eadem uteretur, hoc faceret no-
mine proprio, & independenter a voluntate Supe-
rioris, adeoque ageret contra votum paupertatis;
Suar. de Relig. tom.3.l.8.c.51.n.19.
39 Dixi, si actus, ad quem petitur licentia, ex aliqua
Superiori lege non sit debitus; nam si debitus sit ratione
legis Superioris, uti esset habere necessaria ad vitæ su-
stentationem, vel posse subvenire parentes in gravi
necessitate constitutos, tunc non obstante licentia dene-
gata, posset subditus hujusmodi facere, quia haberet
licentiam saltem a Superiore mediato, vel etiam ab ipsa
lege; immo dicendum ad hujusmodi non se extendere
votum paupertatis, quia de sua natura respicit bonum
supererogationis, seu usum liberum, quo homo potest
se honeste privare, non vero usum rerum debitum,
quem aliqua lex Superior præcipit.

CONSILIUM XXIV.

ARGUMENTUM.

Non licet Ecclesiæ, vel Monasterio mutuum acci-
pere cum obligatione solvendi lucrum cessans, vel
damnum emergens; sicut neque iisdem in praxi
licet subjicere propria bona hypothecæ generali,
quamvis si subjiciant, nullas pœnas incurrant.
Regulariter etiam non tenentur restituere mutuum,
si non probetur conversum fuisse in Ecclesiæ uti-
litatem, quamvis hæc regula exceptionem in plu-
ribus casibus patiatur. Demonstratur demum non
semper cessare obligationem restituendi mutuum,
eo quod ex eo de facto nulla resultaverit Mona-
sterii utilitas; sicut etiam competere Ecclesiæ,
vel Monasteriis petere restitutionem in integrum,
quoties non constet mutuum conversum fuisse in
ipsorum utilitatem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Non potest Superior Monasterii mutuum accipere cum obligatione solvendi lucrum cessans, vel damnum emergens.*
3 *Potest Superior solvere lucrum cessans &c. si non faciat vi mutui accepti, sed solum ratione liberalitatis, aut gratitudinis.*
4 *Non potest Superior subjicere bona Monasterii hypothecæ generali, nisi sub conditione, si placuerit legitimo Superiori concedere alienationem in defectu solutionis pecunia numerata.*
5 *In praxi numquam licite subjicis bona Monasterii hypothecæ generali, si mutuans non haberet animum etiam absque tali hypotheca mutuandi.*
6 *Non pauci volunt a jure prohibitum esse etiam subjicere bona Ecclesiæ hypotheca generalis.*
7 *Vi legum prohibentium alienationem non intelligitur prohibita hypotheca generalis.*
8 *Pœna lata contra delictum non est extendenda ad se præparantem ad committendum delictum.*
9 *Jura prohibentia hypothecare bona Ecclesiæ commode intelligi possunt de hypotheca speciali.*
10 *Non derogatur antiquo juri, nisi derogatio sit expressa; atque oportet jura juribus concordare.*
11 *In hypotheca generali solum conceditur jus ad rem, & potius remanet obligata persona, quam res.*
12 *Superior subjiciens hypothecæ generali bona Ecclesiæ nullam pœnam incurrit.*
13 *Ecclesia non tenetur restituere mutuum, ni probetur conversum fuisse in ipsius utilitatem.*
14 *Dum Superior mutuum acceperit de consensu Capituli, & solvi possit alienatione fructuum, tunc est restituendum, etsi Creditor non probet fuisse conversum in Ecclesiæ utilitatem.*
15 *Ubi pro restitutione mutui alienandum sit aliquod immobile, vel mobile pretiosum, & creditor non probet fuisse conversum in utilitatem Ecclesiæ, non est mutuum restituendum, nisi acceptum sit servatis juris solemnitatibus.*
16 *Ex vi puri contractus mutui accepti sine solemnitatibus juris, non potest Ecclesia se obligare ad distrahendum immobile, vel mobile pretiosum.*
17. *Quod mutuo datum est Civitati restituendum est, etsi Creditor non probet conversum fuisse in in ipsius utilitatem.*
18 *Etsi mutuum acceptum fuerit de consensu Capituli, utaque non fuerit feneratitium, sed liberale, non est restituendum alienatione rei immobilis &c. si non probetur ipsius conversio in utilitatem Ecclesiæ.*
19 *Dum tale orietur dubium, ut Judex non possit prudenter credere mutuum utile fuisse Ecclesiæ, non est*
resti-

restituendum alienatione rei immobilis &c. dum Creditor non probet talem utilitatem.

20 *Ecclesia neque per indirectum potest obligari vi mutui ad aleuationem rei immobilis &c.*

21 *Ubi in contractu mutui non adfuerint solemnitates juris, Ecclesia non obligatur ad restitutionem mutui, nisi actione de in rem verso.*

22 *Mutuum acceptum a Superiore sine consensu Capituli non est restituendum alienatione immobilium &c. dum Creditor non probet vi mutui resultasse Monasterii utilitatem.*

23 *Restituendum est ex fructibus Monasterii, si vivat Superior, qui mutuum accepit.*

24 *Eodem Superiore mortuo restituendum est, si Creditor saltem probet tunc temporis Monasterium necessitatem habuisse pecuniæ mutuatæ, & non adsint præsumptiones pro eadem necessitate non expensum fuisse.*

25 *Dum particularis Religiosus accepit mutuo pecuniam de mandato Superioris, hæc restituenda est ex fructibus Monasterii, etsi Creditor non probet conversionem in utilitatem Monasterii, hac vero non probata, non esset mutuum restituendum alienatione immobilium.*

26 *Dum mutuum datum, & receptum fuerit ad certam, & determinatam causam approbatam a Superiore, de cujus mandato traditur pecunia, non est necesse probare conversam fuisse in Ecclesiæ utilitatem.*

27 *Habens mandatum ab eo, qui est 25. annorum recipiendi mutuum pro determinata causa, debet restituere, etsi forte pro eadem causa non fuerit erogatum.*

28 *Si alicui Religioso data fuerit pecunia plusquam habuerit in mandatis, non est restituendus excessus si mutuans non probet conversum fuisse in utilitatem Monasterii.*

29 *Idem dicendum, si quis mutuum dederit Religioso habenti administrationem alicujus villæ.*

30 *Dum Antecessor expendit imprudenter, & irrationabiliter pecuniam mutuo acceptam, non est a Successore restituenda, nisi tantumdem expendisset pecuniæ Monasterii.*

31 *Etsi ex pecunia mutuo accepta nil utilitatis perceperit Monasterium, restituenda est, si rationabiliter consumpta est.*

32 *Sufficit ad obligationem mutuum restituendi utilitatem adfuisse tempore contractus.*

33 *Quod consumitur pro necessitate Ministrorum Ecclesiæ intelligitur in ipsius Ecclesiæ utilitate consumptum.*

34 *Ubi Ecclesia fuerit læsa ratione mutui, potest petere restitutionem in integrum, ipsique non est deneganda, si Creditor non probet adfuisse utilitatem Monasterii.*

35 *Dum Ecclesiæ conceditur restitutio in integrum, pertinet ad illam probare mutuum non conversum fuisse in ipsius utilitatem.*

1 NN. Superior cujusdam Monasterii ter centum nummos aureos partim per seipsum, partim per particularem Religiosum mutuo accepit, obligando per hypotecam generalem bona Monasterii, cum pacto insuper solvendi quot annis titulo lucri cessantis ter nummos aureos in singulos centenarios usque ad mutui restitutionem. Cum autem non potuerit eadem restituere eo tempore, quo Superior, ipsius Successor recusavit solvere interesse conventum, & insuper etiam mutuum restituere. Hinc sequentia in quæstionem venerunt. Primo, an Superior potuerit mutuum accipere cum obligatione solvendi interesse. Secundo, an potuerit hypotheca generali obligare bona Monasterii. Tertio, an supposito illicite subjecisse bona Monasterii eidem hypothecæ, inciderit in aliquas pœnas. Quarto, an juste Successor voluerit se eximere a restituenda pecunia mutuo accepta ab Antecessore; maxime dum ex ea nullam Monasterio utilitatem diceret provenisse.

2 Quoad primum negari non potest Superiorem, de quo in casu, perperam se gessisse accipiendo mutuum cum obligatione solvendi lucrum cessans; nam hoc prohibitum fuit speciali Decreto Urbani VIII. atque etiam fieri non posse, declaravit S. Congregatio, ut videre est apud Barbosam *in Summ. v. alienatio n. 29. Donat. p. 2. prax. tr. 14. q. 68. Lezan. to. 3. v. alienatio n. 5.* Verum tamen est, in præfato Decreto solum prohiberi, ne Superiores solvant lucrum cessans ex vi contractus, non vero si hoc præstare velint ex gratitudine, quamvis aliqui neque ex gratitudine Superiorem potuisse solvere interesse ratione ejusdem Decreti affirmaverint. Cum 3 igitur voluerit Pontifex, & S. Congregatio impedire periculum depauperationis Monasteriorum, quod facile posset accidere, semper cum possent Superiores se obligare ad solvendum lucrum cessans, hinc est talia Decreta non extendi ad interesse solvendum ex gratitudine, utpote quia ex hoc titulo valde raro aliquid solvitur, & maxime dum esse deberet cum incommodo Monasterii. Quantum ad secundum dubium de validitate hypothecæ generalis, cui Superior mutuum accipiendo subjecit bona Monasterii, certum omnino est 4 non potuisse Superiorem ita obligare bona Monasterii, nisi sub conditione, si nempe placuerit legitimo Superiori concedere alienationem talium bonorum, quoties necesse foret pro mutuo restituendo. Ratio autem per se clara est, quia subjicere hypothecæ, quamvis generali, bona Monasterii, est idem ac contrahere obligationem ea distrahendi, seu alienandi in Mutuatarium, quoties id sit necessarium pro mutuo restituendo; cum proinde ex notis juribus non possit Superior quocumque modo alienare bona Monasterii, nisi accedente legitimo Superiorum consensu, neque potest se obligare ad talem alienationem, nisi sub eadem conditione.

In praxi igitur Superiores Regulares semper illicite 5 subjicient bona Monasterii etiam soli hypothecæ generali; nam si deducatur in pactum cum Mutuante quod in defectu solutionis mutui pecunia numerata, possit mutuans solum sibi solvere ex bonis hypotechatis, sub hac conditione, si Pontifex scilicet consenserit, ordinarie loquendo, sub hac conditione numquam mutuabit, dum animum non habeat absque hypotheca mutuandi. Si vero non exprimatur Mutuatario, nolenti sine hypotheca mutuare, talis conditio, decipietur in re gravi; quia ratione hypothecæ generalis sibi putabit absoluta obligata bona mutuatarii, adeoque posse sine ullo impedimento ipsorum possessionem adire, dum mutuum non restitueretur, quod tamen falsum esset; sicut enim sine præfata conditione non potest Superior alienare, ita nulla erit obligatio ad bona alienanda, nisi fiat sub eadem conditione.

Nihilominus loquendo de pœnis a jure inflictis contra male alienantes, ut tertio loco quærebatur, bene 6 potest dici prædictum Superiorem easdem non incurrisse, eo quod subjecerit bona Monasterii hypothecæ generali, dum mutuum accepit. Non nego quamplures contrariæ opinioni assentiri, idque ex pluribus utique non spernendis fundamentis. Primum est, quia ubi res prohibetur alienari, prohibitum etiam censetur eamdem rem oppignorare, seu hypothecare; qui etenim non potest alienare, neque potest facere id, ad quod sequitur alienatio, ut *ex leg. ult. C. de reb. alien. non alien.* tradunt Quaranta *v. alienatio n. 17. Barbos. de Offic. Episc. p. 1. alleg. 19. n. 86. & c. nulli de reb. Eccles. non alien. n. 6.* Porro supposita hypotheca generali, cum transferatur jus, & actio contra bona Ecclesiæ, necessitari posset in defectu solutionis ad ipsorum bonorum alienationem. Secundum est, quia in jure qui habet actionem in rem, videtur item ipsam habere; *leg. quia actionem ff. de reg. jur.*; unde dare Mutuatario actionem in bona Ecclesiæ ratione hypothecæ generalis, idem reputandum videtur ac ipsa alienare, quod omnino illicitum est. Tertium est, quia in *Exer. Ambitiosæ, in Constit. 78. Clem. VIII. & in Decret. cit. Urbani*, absolute, & simpliciter prohibetur oppignorare, vel hypothecare bona Ecclesiæ sine juris solemnitatibus: adeoque videtur etiam prohibita hypotheca generalis sub pœnis in iisdem Constitutionibus, & Decretis contentis: *Barbosa d. alleg. 19. n. 85., & de Jur. Eccles. c. 30. n. 29., Bass. tit. 18. n. 4., Donat. p. 2. tr. 13. q. 67., Peyrin. t. 1. Constit. 9. Julii II. n. 13.*

Quamvis autem validæ sint adductæ rationes, non 7 adeo tamen sunt efficaces, ut convincant opinionem contrariam non esse probabilem, quam proinde si sequutus fuit Superior Regularis, certe immunis a quacumque pœna est pronunciandus. Quod autem probabile sit non esse vetitam hypothecam generalem in bona Ecclesiæ, probatur primo, quia ipsa vetita non est in vi legum prohibentium alienationem, nam jura distinguunt inter alienationem, & hypothecam. Hoc manifestum fit, si consideretur *c. nulli de reb. Eccl. non alien.*

primo

primo prohiberi alienationem, deinde hypothecam il-
lis verbis: *nulli liceat alienare &c. neque speciali hy-
pothecæ titulo obligare*, cum autem dictio *neque* di-
stinctiva sit, & diversitatem importet, demonstrat
in jure aliud esse alienationem, aliud hypothecam.
8 Id etiam constat, quia alienatio importat translatio-
nem dominii in alium quod tamen de se non dicit
hypotheca, cum solum sit via ad alienationem, quia
ratione hypothecæ remanent obligata bona in defe-
ctu solutionis. Ex dictis igitur constat Superiorem
hypothecantem bona Ecclesiæ, non posse dici incur-
risse pœnas latas contra prohibitam alienationem; nam
pœna lata contra delictum non se extendit ad illum,
qui se præparat ad delictum, qualiter se habet, re-
spectu alienationis, hypothecans bona Ecclesiæ sine
debitis solemnitatibus: *Covarr. l.2. var. c.16. n.7.*
9 Deinde bene potest dici jura prohibentia hypothe-
care bona Ecclesiæ sine debitis solemnitatibus loqui
de hypotheca speciali, non vero de hypotheca gene-
rali. Id probatur *ex cit. c. nulli de reb. Eccles. non alien.*,
ubi expresse prohibetur hypotheca specialis; unde a
contrario sensu potest dici non esse prohibitam hypo-
10 thecam generalem. Nec refert in Extr. *Ambitiosæ*,
aliisque Constitutionibus prohiberi generaliter hypo-
thecare bona Ecclesiæ sine debitis solemnitatibus;
nam, ut dicit *tr.14. q.15. c.1. qu.5.*, cum non sit in-
ducenda derogatio antiquioris juris, ni sit expressa,
& oporteat jura juribus concordare, dicendum est in
præfatis Constitutionibus non aliam prohiberi hypo-
thecam, nisi specialem, jam in præfato c. *nulli* pro-
11 hibitam. Et quidem cum in hypotheca generali so-
lum detur jus ad rem, & id non aliqua re determi-
nata, & potius obligata sit persona, quam res, adeo-
que debitor vendere potest valide rem hypotheca ge-
nerali obligatam; bene potuerunt jura nihil dispo-
nere de hac hypotheca generali, quamvis specialem
prohibuerint: *Covarr. cit. Lezan. t.2. c.19. n.55. Laym. l.3.
tr.4. c.10. n.2. Ciarlin. controv. p.2. c.183. à n.107. Bordon.
resol.27. n.13.* Cum igitur & ratione, & authoritate
12 probabile sit potuisse Superiorem subjicere bona Mo-
nasterii hypothecæ generali, omnino certum rema-
net nullas pœnas incurrisse.
13 Majus faciebat negocium videre, an Successor de-
buisset restituere pecuniam, quam mutuo acceperat
Antecessor, eo quod regula generalis sit Ecclesiam ad
mutuum solvendum obligare non posse, nisi creditor
probet in Ecclesiæ utilitatem conversam fuisse: *Auth.
hoc jus porrectum C. de SS. Eccles., & c. penult. de fidejuss.*
ubi communiter DD. Nihilominus primo videndum
erat, an pro satisfactione mutui alienanda forent bo-
na immobilia Ecclesiæ, seu mobilia pretiosa, vel sa-
tisfieri posset Creditori sola fructuum alienatione.
Deinde considerandum erat, an Superior mutuum
14 accepisset de consensu Capituli. Stantibus his duabus
conditionibus mutuum esset omnino solvendum, etsi
creditor non probaret pecuniam conversam esse in u-
tilitatem Ecclesiæ; nam ita præsumitur factum; eo
quod mutuum acceptum sit de consensu Capituli;
& enim aliunde Capitulum habeat liberam fructuum
administrationem, debebit ex iisdem fructibus satisfa-
cere: *c. penult. de fidejuss.*, ubi Barbosa n.9. *Boss. tit.18.
n.11.* Ubi vero alienanda esset res immobilis, vel
mobile pretiosum, non posset Creditor mutui restitu-
tionem prætendere, non probando illud conversum
fuisse in utilitatem Monasterii, nisi in casu, quo
mutuum fuisset receptum servatis juris solemnitati-
bus; nam ex hoc satis præsumeretur mutuum fuisse
in Ecclesiæ utilitatem conversum.
15 Scio non deesse, qui velint Ecclesiam obligari ad
solvendum mutuum, quamvis receptum sine aliqua ex
solemnitatibus, & quamvis pro eo solvendo alienan-
dum sit aliquod immobile, seu mobile pretiosum, sem-
per cum acceptum fuerit a Prælato, seu Superiore de
consensu Capituli; etsi Creditor non probet conver-
sum fuisse in Ecclesiæ utilitatem: *Covar. l.2. Variar.
c.17. n.3., Bellet disquis. Clerical. tit. de Clericor. Debit
16 §.3. n.44.*, & alii apud ipsum. Verum contrarium o-
mnino affirmandum videtur; Ecclesia etenim non po-
test valide se obligare ad alienationem immobilium,
sive mobilis pretiosi absque solemnitatibus a jure re-
quisitis, adeoque quamcumque contraxerit obligatio-
nem, dum mutuum accepit, dici non potest eamdem
obligationem potuisse extendi ad prædictam aliena-
tionem, ut mutuum restituatur. Quod DD. si *in leg.
Civitas ff. si certum petat.* docent mutuum acceptum 17
a Civitate, restituendum est, etsi creditor non pro-
bet in ipsius utilitatem fuisse conversum; id meri-
to verificari dicitur, quia Civitas potest alienare,
quod non potest facere Ecclesia sine juris solemnita-
tibus: *Panorm. in c. penult. de Fidejuss. n.4. & 5. Barb.
ibid. n.9. & 17.*, aliique plures apud eumdem.
Præfata ratio probat etiam non esse restituendum 18
mutuum acceptum de consensu Capituli, etsi mutuum
non fuerit fœneratitium, sed liberale, semper cum
non possit restitui ex fructibus, sed illud restituen-
dum alienandum esset immobile, vel mobile pretio-
sum. Contrarium docet *Mascard. de probat. concl.
1165. n.8. & 1167. n.11.*, & ex eo Bossius *tit. 18. n.17.*,
atque id probant, quia in mutuo liberali fraus non
potest præsumi. At considerandum erat quod non so-
lum ex hoc capite conceditur Ecclesiæ non restituere
mutuum, si Creditor non probet non fuisse conversum
in utilitatem Ecclesiæ, sed etiam, quia sine solemni-
tatibus non potest se obligare ad alienationem rei
immobilis, vel mobilis pretiosi; quæ ratio eodem mo-
do militat in mutuo fœneratitio, ac in mutuo liberali.
Ex eadem ratione non adhærerem eidem Mascardo 19
conclus. 1165. cit. n.23. & 24., sicut & Bossio *nu.18.*
dicentibus in dubio de conversione mutui in utilitatem
Ecclesiæ non teneri Creditorem probare idem mutuum
conversum fuisse in Ecclesiæ utilitatem, adeoque esse
eidem restituendum absque hujusmodi probatione. Ve-
rum dum non possit Judex credere mutuum ob talem
causam acceptum, fuisse conversum in utilitatem Ec-
clesiæ, jam obligatio restituendi mutuum oritur ex
vi contractus mutui, ex quo contractu sine solemnita-
tibus juris celebrato, jam sæpe dictum est, non posse
obligari ad alienationem rei immobilis, vel mobilis
pretiosi: unde ex his rebus non esset obligatio resti-
tuendi mutuum, cum nec per indirectum possit Eccle-
sia vi mutui ad talem alienationem obligari: *Panorm.
in c. penult. de fid., & in c.1. de despons.* ubi communi-
ter DD. De primo ergo ad ultimum, ubi non in- 20
tervenerint in contractu mutui solemnitates juris,
Ecclesia solum obligari potest ad illud reddendum ex
actione de in rem verso, adeoque tenetur Creditor
probare pecuniam numeratam conversam fuisse in
Ecclesiæ utilitatem.
Considerandum modo est quid dicendum sit si mu- 21
tuum acceptum fuerit a Superiore sine consensu Capi-
tuli, sicut etiam si aliqua ipsius pars accepta fuerat
a particulari Religioso (de facto in casu præsenti u-
trumque evenerat) de mandato ipsius Superioris.
Juxta doctrinam igitur supra traditam, semper cum 22
ad restituendum mutuum alienanda forent immobilia,
vel mobilia pretiosa, nulla est obligatio mutui a Su-
periore accepti restituendi, si Creditor non probet
pecuniam mutuatam conversam esse in utilitatem Mo-
nasterii; nam tunc solvere deberet pro quanto factum
esset locupletius. Dum vero vivat adhuc Superior, 23
qui mutuum accepit, & simul restitui possit ex fru-
ctibus, restituendum est absque eo quod Creditor pro-
bet pecuniam in Monasterii utilitatem conversam
fuisse; eo autem mortuo, vel probare debet mutuum
conversum fuisse in utilitatem Monasterii, vel tunc
temporis Monasterium pecuniæ mutuo acceptæ ne-
cessitatem habuisse: *Panorm. in c. penult. de Fidejuss. n.7.* 24
Non est tamen negandum, & hic Judicis arbitrium
locum habere posse; nam etiam stante necessitate
Monasterii, poterat Superior pecuniam mutuatam in
propriam privatam necessitatem sumere, quapro-
pter, si de hoc adessent conjecturæ, & præsumptio-
nes, ut mutuum esset restituendum, non sufficeret
Creditori probasse necessitatem Monasterii: *Mascard.
de probat. conclus. 1165. n.35. Boss. tit.18. n.20.*
Eodem modo ac de mutuo accepto a Superiore si- 25
ne consensu Capituli, loquendum est de mutuo acce-
pto a particulari Religioso de mandato Superioris,
nam tunc ipse Superior, vel Ecclesia mutuum acce-
pisse dicuntur, quapropter ubi de fructibus, seu mo-
bilibus alienabilibus solvi possit, ita est solvendum
absque eo quod Creditor probet pecuniam conver-
sam fuisse in utilitatem Ecclesiæ, eo tamen modo,
quo supra dictum est: *c. penult. de Fidejuss.*, *ubi Bar-
bos. n.12., Mascard. de probat. conclus. 1165. n.29. Boss. tit.
18. n. 21.* Quod si alienanda essent immobilia, vel
mobilia pretiosa, tenendum quod supra dictum est,
quamvis Bossius contrarium docuit.

Præ-

26 Præterea etiam observandum, quod si aliquis dedit mutuum prælato Religioso, vel Superiori ad certam causam, quæ exprimatur in traditione, & receptione pecuniæ, tunc non tenetur Creditor probare in utilitatem Ecclesiæ fuisse conversam, cum id satis præsumatur, cum tradita, & recepta sit pro aliqua determinata necessitate Monasterii: *Genuens.q.139.n.2. Boss.n.* 22. Et quidem hæc opinio, utpote æquior, contrariæ prætendenda videtur; nam onus nimis grave esset Creditori, qui tradidisset suam pecuniam pro particulari utilitate, seu necessitate, ab eadem Ecclesia approbata, debet insuper probare suam pecuniam in
27 Ecclesiæ utilitatem fuisse conversam. Ita qui habet mandatum ab eo, qui est vigintiquinque annorum recipiendi mutuum pro certa, & determinata causa, tenetur idem mutuum restituere, si pro eadem causa pecuniam recepit, quamvis fortasse ob eamdem causam non expenderit: *Mascard.de probat.concl.1165.n.* 81. *Boss.tit.18.n.22.*

Maxime autem in duplici casu non posset Creditor se eximere a probando pecuniam datam particulari Religioso conversam fuisse in Monasterii utilitatem. Prima est, quando Religiosus habens legitimam facultatem aliquid mutuo recipiendi, sed in certa quantitate, majorem recepisset pecuniam; nam tunc Creditor saltem probare tenetur illum excessum fuisse conversum in utilitatem Ecclesiæ. *Barbos.in cap.penult. de fidejuss.*
28 *n.8 Boss.tit.18 n.23.* Secundus casus est, dum Religiosus, non habens a Superiore sufficientem facultatem, mutuum recepit; nam tunc Creditor omnino tenetur probare pecuniam consumptam fuisse in utilitatem Ecclesiæ, si vellet sibi restitui; atque sibi imputare debet, si pecuniam dederit non habenti faculta-
29 tem illam recipiendi: *Boss. l.c. Menoch. de arbitr.cas.432. n.* 32. Idem dicendum, si quis dederit mutuum Religioso habenti administrationem alicujus Villæ, seu prædii Monasterii; nam per hoc non censetur habere facultatem mutuum accipiendi; *Menoch. n.* 27. *Boss n.25.*

Remanet modo videre, an Successor illius, qui recepit mutuum, sufficienter se excusasset, eo quod prætenderet pecuniam mutuo acceptam non fuisse conversam in utilitatem Monasterii. Id autem probat, quia pecunia ab Antecessore desumpta, consumpta fuit in meliorandis quibusdam prædiis, ex quo postea revera Monasterium fere nullam percepit utilitatem, cum illa melioramenta non facta fuissent juxta regulas agriculturæ. Deinde dicebat alteram partem pecuniæ mutuatæ consumptam fuisse in quadam domo rure ædificanda, quæ etiam postea inutilis omnino reddita fuit Monasterio, immo novarum expensarum causa.

30 Ego quidem nun dico pecuniam mutuatam, irrationabiliter, & imprudenter consumptam, esse a Successore restituendam, ni forte talem pecuniam in Monasterii utilitatem redundasse aperte probatur: ex eo scilicet, quod constaret, quod si in talibus rebus inutilibus Antecessor non expendisset pecuniam mutuatam, tantumdem expendisset ex pecuniis Monasterii; tunc enim ex hoc constaret conversam fuisse in Monasterii utilitatem, quia propriæ pecuniæ pepercisset: *Menoch.de Arbitr.cas.432.in fin.Mascard.de prob.1166.n.* 3. *Rebell.de oblig just.p.2 l.8.q.1 sect.3.n.28. Boss tit.18.n.* 29. Sed dato etiam, quod pecunia mutuo accepta innutiliter fuerit erogata, sicut etiam quod nil propriæ pecuniæ Monasterium expendisset, non statim
31 cessat ratio mutuum restituendi. Videndum igitur erat, An Antecessor rationabiliter, & prudenter pecuniam mutuo acceptam expendisset, adeoque utiliter opera, in quæ insumpsit, aggredi cæpisset; tunc enim si ex inopinata circumstantia, aut eventu, ex culpa e.g. non prævisa illius, qui assistebat agriculturæ, nulla utilitas Ecclesiæ ex insumptione pecuniæ mutuatæ resultaverit, non proinde Monasterium potest se eximere a restituendo mutuo, cum Superior habeat facultatem expendendi pecuniam in omne id, quod prudenter fieri posse creditur: *Rebell.l.c.Boss. n.* 30. *Menoch. de arbitr.cas.432. n.* 41. ac deducitur ex *leg. quod si ultro §. Is autem ff. de negot.gestis.*

32 Ulterius animadvertendum, quod dum Ecclesiæ judicatur expedire aliquid facere, sufficit si rationabilis utilitas adsit tempore mutui, etiamsi postea ex aliquo casu, vel pecunia accepta perierit, vel ædificium cæptum non potuerit perfici, aut factum sit inutile, vel prædium, ad quod meliorandum insumpta fuit pecunia, factum fuerit infructuosum. *Menoch.cit.n.41. Mascbard.concl.1166.n.37.& seqq.Boss.a n.34.* adeoque quod ad obligationem restituendi mutuum sufficiat utilitatem adfuisse tempore contractus, habetur *leg. si voluntate C. de rescind.vendit.& dec. 366.n.1.cor.Scraph.* & docet Riccius *p.p.prax.resol.*

Multo magis a Successore restituendum fuisset mutuum ab Antecessore acceptum, quando verum fuisset id, quod affirmabat Creditor, nempe saltem pro medietate consumptum fuisse pro victu, vel vestitu, vel infirmitate Religiosorum; nam tunc satis conllabat versum fuisse in utilitatem Monasterii, cum hujusmodi facere debuisset Monasterium ex propria pecunia. Hinc 33
etiam quod consumptum est pro necessitate Superioris, seu Capitis Ecclesiæ intelligitur pro utilitate Ecclesiæ consumptum, cum Prælatus sit in Ecclesia, & Ecclesia in Prælato; quapropter quod Antecessor mutuo acceperat pro sua indispensabili necessitate, solvendum est a Successore: *can.scire debes 6.q.1.c. requisivisti de testam. Maschard. de probat.concl.1166.n.28.Boss.tit.18.n.36.* Ubi autem constet Ecclesiam ratione mutui saltem aliquam utilitatem consequutam esse, juxta eadem utilitatem mutuum, si non in totum, saltem in partem est restituendum.

Tamdem nolui in favorem Successoris omittere adnotare, quod in casibus supra expressis, ubi non tenetur Creditor probare pecuniam mutuatam versam fuisse in utilitatem Monasterii, potest Successor, qui restitutionem mutui denegabat, petere restitutionem in integrum, dum Monasterium ratione mutui fuisset læsum. Hæc autem non potest denegari, quoties tunc Creditor non probet non adfuisset utilitatem Eccle- 34
siæ, Ad eum modum quo, quamvis Minor cum authoritate Tutoris mutuum acceperit, potest petere restitutionem in integrum, si se putet læsum, atque eidem concedenda est, quoties creditor non probet mutuum versum fuisse in ipsius emolumentum: *leg.1.& 2.Cod.si adversus Credit.* & quod Minor, & Ecclesia non debeant pati læsionem, habetur ex *c. 1. de in integr.restit.* simulque tradunt Barb. *ad c. penult .de fi* 35
dejuss.n.14. Boss.tit.18.n.26. Verum quidem est, quod ubi Ecclesia petat restitutionem in integrum, illi concedenda est eo quod non constet de non conversione mutui in sui utilitatem, ut tradit *Boss.l.c.* Spectabit autem ad Ecclesiam, seu Monasterium probare talem conversionem non intercessisse.

CONSILIUM XXV.

ARGUMENTUM.

Licentia concessa Religioso expendendi pecuniam etiam in usus illicitos, ultraquamquod contineat plura peccata, tum ex parte Superioris, tum ex parte Subditi, non suffragatur Religioso, ut non dicatur transgressor etiam voti paupertatis. Insuper examinatur, an Religioso de licentia Superioris liceat retinere superflua, vel etiam uti tempore Successoris licentia habita ab Antecessore. Sustinetur demum licentiam generalem, concessam a Superiore suo Subdito, numquam posse extendi etiam ad usus illicitos.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Multipliciter peccat Superior Religiosus concedens suo Subdito posse etiam in usus illicitos pecuniam sibi concessam expendere.*
3 *Subditus peccat talem licentiam, quamvis non peccaret contra votum paupertatis, multis aliis peccatis se inquinaret.*
4 *Superior concedens licentiam Religioso distrahendi temporalia etiam ad usus illicitos, invalide concedit.*
5 *Prælatus Ecclesiæ, quia non Dominus, sed Administrator, invalide distrahit res ad competinentes.*
6 *Non pauci dicunt Religiosum ratione voti paupertatis solum se obligare ad non atendum temporalibus sine licentia Superioris, non vero sine licentia.*
7 *Ex vi voti paupertatis Religiosus se obligat ad*

non

non utendum, & distrahendum temporalia sine licentia valida.

8 *Item ex vi voti paupertatis dici debet se obligasse ad non distrahenda temporalia sine licentia licita, & justa.*

9 *Religiosus expendens temporalia in usus illicitos, quamvis de licentia Superioris, tamquam proprietarius sepeliri posset in sterquilinio, dum impœnitens moreretur.*

10 *Religiosus comparans sibi superflua, quamvis de licentia Superioris, violat votum paupertatis.*

11 *Ex vi voti paupertatis Religiosus tenetur taliter eam servare, ut Deo sit grata, adeoque non potest vi ipsius voti aliquid expendere, vel retinere absque licentia justa, & licita.*

12 *Religiosi non debent habere supellectilem superfluam, nec vestes pretiosas, & vanas.*

13 *Hujusmodi habere omnes concedunt esse contra statum paupertatis, sed non omnes contra votum, quando habeantur cum licentia Superioris.*

14 *At revera dicendum esse etiam contra votum.*

15 *Si supellex non superflua concordat cum voto paupertatis, cum eodem discordare dicendum est, si sit superflua.*

16 *Etsi retinere superfluum non esset contra votum paupertatis, semper tamen est illicitum ex vi status Religiosi; unde non suffragatur Religioso hujusmodi retinere cum licentia Superioris.*

17 *Non est superfluum quod cum licentia Superiori retinetur ob aliquem finem honestum.*

18 *Quamvis superfluum latitudinem admittat juxta magis vel minus strictam Religionum paupertatem, nihilominus illicitum est cuicumque Religioso ita habere mobilia superflua, ut nullatenus appareat paupertas sui status.*

19 *Licentia Antecessoris sufficit ut Subditus possit ex eadem operari tempore Successoris, si non fuit revocata.*

20 *Ad id non obstat Successorem revocaturum eamdem licentiam, si sciret.*

21 *Religiosus transiens ad aliud Monasterium, non potest aliquid accipere, vel distrahere in vi licentiæ habitæ a Superiore Monasterii, ubi degebat.*

22 *Secus dicendum esset, si in altero Monasterio esset tantum tamquam hospes.*

23 *Male agunt, ordinarie loquendo, Superiores Religionum concedendo generaliter licentiam expendendi pecuniam ad suum libitum.*

24 *Hujusmodi generalis licentia ex aliquorum opinione extenditur etiam ad usus illicitos.*

25 *Revera tamen ad eosdem usus non se extendit, tum attenta natura talis licentiæ, tum intentione Superioris, si non sit pessimus.*

26 *Religiosi non in omnibus assimilantur filiis familias.*

1 FRanciscus Religiosus habuit a quodam suo Superiore multa ignorantia laborante, & nullum regularis observantiæ desiderium habente, licentiam impendendi pecuniam generaliter in quoscumque usus, vel etiam ipsi Religioso non convenientes, illicitos, puta in quacumque exorbitanti summa ludendo, in superflua valde pretiosa sibi comparando &c. vel etiam meretricando, quapropter ita agendo non exiguas pecuniæ summas distraxit. At quia post illum Superiorem alter non ita ignarus, nec tam regularis disciplinæ pertæsus in illius locum suffectus fuit, ipse absque eo quod a novo Superiore peteret licentiam, continuavit in quoscumque, quamvis illicitos usus, erogare pecuniam, putans ad id sibi sufficere licentiam habitam ab Antecessore, quali licentia etiam usus fuit, dum ad alterum Monasterium petransiit. Cum vero tamdem anteactæ vitæ Dei Misericordiis singulari auxilio pœnituisset, ac generali confessione commissa non exigua peccata expiare curasset, inquirebat, an satis suæ consuluisset conscientiæ; nam in præfata confessione non se accusavit pluries transgressum fuisse votum paupertatis, eo quod putasset a tali transgressione ex præfata licentiam immune fuisse; vel etiam quia aliquando dum in usus illicitos pecuniam expenderat, habebat generalem licentiam
2 ad suum beneplacitum pecuniam expendendi.

Antequam descendam ad resolvenda plura quæsita, quæ continentur in casu præfato, suppono tam Superiorem concedentem licentiam expendendi pecuniam in usus illicitos, quam Subditum talem licentiam petentem multipliciter peccare. Peccat igitur Superior dans licentiam ad illicita, & vana contra Officii fidelitatem, vi cujus deberet omnino eadem removere, ut observat *Suar. t.3. de Relig. l.8. c.11 n.7.* Secundo, peccat contra Religionem, & ut ita dicam, justitiam Christi, permittendo expendi in usus vanos, & turpes Christi patrimonium, cum nonnisi in usus honestos esset convertendum. Tertio, potest peccare contra aliquam specialem legem id prohibentem; ut si concederet licentiam ad emenda superflua, cum eadem superflua retinere prohibuerit Trid. *sess. 25. c. 2. de Regul.* & Clem. VIII. in Const. edita pro reformatione Regularium, quæ est 60. hujus Pontificis §. 7. Quarto, peccare potest contra justitiam commutativam, vel etiam distributivam permittendo, quod ita dissipentur res Monasterii, quidquid enim habet Monachus, ad Monasterium pertinet. Demum, omittendo alia peccata, quæ oriri possunt ex diversis circumstantiis, peccare, potest peccato scandali, dum nempe tribuendo licentiam ad usus illicitos, cooperatur peccato Religiosi, dum tamen, non obtenta tali licentia, a peccando abstinuisset.

Multipliciter etiam peccat Subditus in petendo hujusmodi licentiam etiam ad usus illicitos, quamvis Religiosus, de quo in casu, quamplurimum addictus otio, & in mulierum cœtibus sæpe degens, adeoque maxima laborans ignorantia, non omnia peccata a se commissa consideraverit, nec illorum in confessione generali se accusaverit. Dum ergo petiit præfatam licentiam ad usum illicitum, saltem peccavit peccato contra votum castitatis, si petiit ex intentione fornicandi; peccavit contra Religionem, & Christi justitiam, convertendo in usus turpes bona Deo consecrata; peccavit contra justitiam, dum bona Monasterii eo invito distraxerit; peccavit peccato scandali, dum induxit Superiorem ad talem licentiam concedendam. Potuit etiam peccare peccato ambitionis, superflua sibi comparando, vel etiam avaritiæ, dum pecuniam multam sibi superfluam ex tali retinebat licentia. 3

Verum mihi certum est hujusmodi Religiosum etiam graviter peccasse contra votum paupertatis. Ratio est, quia negari non potest illum Religiosum graviter peccare contra votum paupertatis, qui pecuniam sibi concessam expendit sine valida licentia. Cum ergo Superior, quia non est Dominus, sed simplex talis pecuniæ Administrator, non possit valide concedere licentiam ad eamdem pecuniam in pravos usus distrahendam, consequens est Religiosum in usus illicitos consumendo, graviter peccare contra votum castitatis. Hinc etiam, quia Prælatus Ecclesiæ non est Dominus, sed procurator, seu administrator rerum Ecclesiasticarum, non potest valide easdem res distrahere, ut habetur, *c. 2. de donat.* 4 5

Neque adducta ratio ullo pacto, meo videri, infringitur, eo quod passim dicant plures Theologi, quod vovens paupertatem solum intendit se obligare ad non utendum temporalibus sine Superioris licentia substantialiter sumpta, præscindendo, vel non intendendo se obligare ad qualitatem talis licentiæ, sive nempe justa sit, sive injusta. Id autem probare contendunt, quia cum ex vi voti paupertatis solum velit subjicere suam libertatem voluntati Superioris quoad temporalia expendenda, id sufficienter verificatur dum nihil intendat expendere absque licentia ejusdem Superioris, quæcumque illa sit. 6

Sed contra est, quia saltem verificandum est ex vi voti paupertatis se obligasse ad nihil expendendum sine licentia valida, quæ enim invalida est perinde se habet, ac si non daretur; cum ergo indubitatum sit Superiorem non posse valide concedere licentiam Religioso ad expendendam pecuniam in usus turpes, & illicitos, neque poterit iste Religiosus excusari in vi talis licentiæ a transgressione voti paupertatis. Addo bene dici posse Religiosum voventem paupertatem etiam intendere se ex vi voti obligare ad nihil expendendum de rebus sibi concessis sine licentia Superioris, quæ non fuerit licita, & justa. Ratio est, quia dum professus fuit paupertatem, intellexit facere non solum id, quod Deo gratum est, sed etiam id, quod est perfectius, adeoque dicendum est saltem implicite se obligasse nil expendere sine licentia justa, & licita, alias ipsius votum non solum non fuisset quid perfectius, sed neque etiam opus Deo gratum: *Navar. comment. 2. de regular. num. 21. Sanchez l. 7. Moral. cap. 19. num. 21. Molin. tom. 2. disput. 276. Palaus tract. 16. disp. 3. part. 23. num. 4. Ledesm. de statib. pag. 52. Bassaeus v. paupertas numer. 11. Donat. t. 3.* 7 8

t.3.tr.15.q.16. at opinionem hanc esse certam docet Laymian *l. 4. tr.5.c.7.n.14*

9 Cum igitur apud me omnino sit evidens hujusmodi opinio, nullam putarem facere injuriam illi Religioso, qui de pessimi Superioris licentia pecuniam sibi concessam in usus illicitos expendit, illam subjiciendo pœnis, jure latis contra Proprietarios, qui moriuntur impœnitentes; dum enim in ea expendenda verificetur proprie violasse votum paupertatis, vere est proprietarius. Inter has pœnas ea est, ut talis Religiosus in sterquilinio sepeliatur, ut *ex cap. super, &c. cum ad Monasterium de Stat. Monach.*

10 Ex dictis ego puto etiam peccare contra paupertatis votum Religiosum sibi comparantem mobilia pretiosa; quamvis de Superioris licentia, sicut etiam dum eadem retinet. Eo ipso igitur quod valida non possit esse licentia Superioris, dum concedit pecuniam ad usus illicitos; cumque negari non possit illicitum esse Religioso comparare sibi superflua, eaque retinere, consequens est violare votum paupertatis, dum in hujusmodi compa-
11 randa pecuniam expendit, & dum postea retinet. Mihi igitur semper imperceptibile erit non violari votum paupertatis per hoc solum, quod aliquid impendatur, vel retineatur cum Superioris licentia, vel valida, vel licita, vel illicita; si enim invalida est, perinde se habet, ac si non esset, & si illicita non facit aliquid expendi, & retineri posse sine peccato: dum autem Religiosus emisit votum paupertatis, intellexit ex vi voti ita eam servare, ut gratior foret Deo, adeoque nil expendendi, vel retinendi absque licentia justa, & licita.

12 Hoc idem insinuare videtur, Trident. dum *sess. 25. de Regular. c.2.* hæc habet; *Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superfluum in ea sit.* Et jam *in Clem. 1. de Stat. Monach.* imperatum fuerat, ne Religiosi haberent vestes pretiosas, & superfluas. Scio non paucos distinguere, & aliud esse dicunt habere superflua, quæ non conveniant statui paupertatis, aliud, quod habere superflua sit contra
13 votum paupertatis. Primum admittitur ab omnibus; nam etiam abundare in usu facti, est quid inconveniens statui paupertatis; pauperis enim est etiam deficere in necessariis, non vero abundare in superfluis. Secundum non admittunt, & dicunt superfluitatem non contrariari voto paupertatis, nisi in quantum retinerentur
14 superflua absque licentia Superioris. At ergo iterum repeto percipere non posse, quomodo talis superfluitas non sit per se, & directe contra votum paupertatis. Ratio mihi est, quia vovens paupertatem, vovit paupertatem, quæ Deo grata est; ita autem non se habet retinere superflua, quamvis de consensu Superioris: quia enim illicita est hujusmodi licentia, illicite etiam superflua retinentur, atque ita non amplius Religiosus servat paupertatem, quam professus est, eo nempe modo, ut Deo grata sit. Id autem confirmo, quia vovere paupertatem in idem coincidit, ac vovere de non retinendis superfluis, superfluitas etenim, & paupertas directe contrariantur: sicut ergo in nullo casu ratione emissi voti licet Religioso, quod destruit materiam ipsius voti, paupertatem nempe Deo gratam, ita neque licebit ex quacumque licentia, quia semper
15 illicitum est superflua retinere. Demum si supellex non superflua concordat cum voto paupertatis, necesse est cum eo necessario & essentialiter non concordare, dum est superflua, adeoque nec Superior potest facere ex sua licentia, quod cum ea concordet: *De Lugo de justit. disp.3. n.131. Lezan. p.p.c.6.n.13. Donat. tom.3.tr.15.q.19. Sanch. &c.*

16 Alia tria remanet modo observare. Primum est, quod etsi velimus dicere cum contraria sententia nun esse præcise contra votum paupertatis retinere superflua de consensu Superioris, adhuc tamen omnes concedunt peccare hujusmodi Religiosum ita retinentem superflua. Ratio est, quia superfluum de jure naturæ, & ex vi status Religiosi semper illicitum est Religioso; cum etenim ex vi sui status teneatur divitias abdicare, immo & contemnere, & esse in via perfectionis, consequens est numquam licite superflua retinere, utpote omnino suo statui indecentia. Hinc ex quacumque licentia numquam introduci potest, ut Religiosus habeat superfluum, utpote quia hoc est contra jus naturale, & substantiam Status Religiosi.

17 Secundum est, quod non est superfluum id, quod cum debita licentia retinetur ad aliquem finem honestum acquirendum. Hinc si Religiosus cum debita licentia habeat notabilem summam pecuniæ, eamque de licentia Superioris retineat ad imprimendos e. g. libros a se compositos, vel ad subveniendum alicui necessitati Monasterii &c. dum sufficiens erit, non dicitur habere superfluum; cui etenim licitus est finis, licita etiam sunt media necessaria ad illum finem obtinendum.

Tertium est, quod licet superfluum respectu Reli- 18
giosorum aliquam admittat latitudinem juxta magis, & minus strictam paupertatem, quam profitentur, nihilominus nulli Religioso ita licet habere superflua, ut nullatenus in eo appareat Status paupertatis, quem professus est; de jure etenim naturæ, & divino, supposito voto paupertatis, Statum Religiosum non potest destruere, quod eveniret, si ita haberet superflua ut nil paupertatis in ipsius mobilibus appareret. Et advertendum, quod bene generaliter dicitur facilius peccare Religiosos habentes superflua, quam Sæculares, nedum, quia Religiosis plura numeranda sunt inter superflua, sed quia quicumque excessus in superfluo est respectu ipsorum gravior, & indecentior. Item superfluum considerandum est non solum respectu quantitatis, sed etiam qualitatis; superfluum est enim cuicumque Religioso, etiam in quacumque Religione Superiori velle habere mobilia, qualia habet dives, & Nobilis Sæcularis; semper etenim necesse est dignoscere aliquem statum paupertatis profiteri, quamvis minus strictæ. Hinc dum audiuntur Religiosi, quamvis Superiores, plura cubicula habere mobilibus, ac tabulis dictis omnino paupertatem excludentibus ornata, cubilia ex sericis, aliisque ornamentis splendentia, nescio videre quomodo ante Christi Tribunal se saltem aliqualis paupertatis statum professos fuisse dicere poterunt? Certe si talia ornamenta bene etiam convenirent Superioribus Ecclesiæ Præsulibus, conveniens est ditere Religiosos, quicumque sint, decere.

Faciendo modo falsam suppositionem, quod Superior de quo in casu actum est, potuerit valide concedere licentiam ad aliquod etiam in usus illicitos ex- 19
pendendum, remanet videre, an Religioso suffragetur talis licentia, dum succedit novus Superior, vel dum transit ad aliud Monasterium. Loquendo igitur de subdito, qui utitur præfata licentia Antecessoris tempore Successoris, aliqui distinguunt, & dicunt quod si pecunia expendenda a Religioso proveniat ex unico legato; sufficiat ad totam vitam licentia Antecessoris, non vero si proveniat ex pluribus legatis per singulos annos recipiendis. Ratio ipsorum est, quia legatum singulis annis obtinendum cedit, & acquiritur initio cujuslibet anni, ut *ex leg. in singulos 8. ff. de ann. leg.* & sicut ex hac ratione potest concedere Religioso illam expendere, quia est Superior initio ipsius anni, ita nun videtur posse concedere talem licentiam, qui ante illum annum non amplius erat Superior, cum nondum acquisitum fuerit tale legatum: *Sanch. l.7. Moral. c.22. n.25. Rodriq. qq. Regul. tom.2. q.125. art. in fin.* E contra aliqui censent licentiam generalem datam ad aliquid sine limitatione temporis recipiendum, vel expendendum, per totam vitam durare, quia licentia semel data non cessat nisi a superiore, vel æquali potestate revocetur, & gratia facta non expirat mortuo vel amoto concedente: *Lezan. p.p.c.6.n.17. Donat. tom.3. tr.15. q.18. Pelizar. tract. de Monial. c.4. n.49. Anton. a Spir. S. in Direct. Regul. p.2. disp.4. n.360.* qui etiam *numer. 356.* dicit eum qui pro una die est Superior, posse sibi concedere omnem illam licentiam, quam alii pro futuro tempore posset concedere. Nec referret Successorem revocaturam licentiam habitam ab Antecessore, 20
si illam habere suum Subditum sciret, quia talis dispositio Superioris interne retenta nihil operatur. Ut ergo Successor paupertati consulat, abusus impediat, & subditos intra terminos contineat, convenit omnes Antecessoris licentia revocare.

Si vero Religiosus transeat non præcise ut hospes, 21
ad aliud Monasterium, sed ut ibi commoretur tamquam subditus Superioris ejusdem Monasterii, non potest uti ibidem licentia, quam habuit a Superiore alterius Monasterii. Ratio discriminis a superiori casu hæc est, quod cum quidquid habet Religiosus ad Monasterium, in quo est, pertineat, & Monasterium intelligatur concedere licentiam talia bona expendendi mediante Superiore, qui ipsius bona administrat, be-
ne

ne eadem licentia perseverare intelligitur etiam tempore Successoris ejusdem Monasterii, quia respiciebat bona Monsterii expendere. Cum e contra eo ipso quod Religiosus ad aliud transierit Monasterium, quodcumque habeat, & ad ipsum Monasterium pertineat, jam in vi habitæ licentiæ a Superiore alterius Monasterii non potest expendere pecuniam, quam secum attulit in novo Monasterio; nam licentia habita solum respiciebat posse expendere, quæ ad alterum, in quo erat, non vero quæ ad novum Mona-
22 sterium pertinent. Dixi tamen, si non maneat in novo Monasterio tamquam hospes; tunc etenim cum adhuc pertineat ad Monasterium, in quo obtinuit licentiam, eadem licentia uti potest, si falso supponatur valide potuisse dari etiam ad usus illicitos.

23 Ultimo, videra remanet, an Religiosus, de quo in casu, potuerit dici non violasse votum paupertatis, dum pecuniam expendit in usus illicitos, fretus licentia generali ad suum libitum pecuniam sibi concessam expendendi. Et primo, obiter notandum hujusmodi licentias generales, quamvis videantur ex objecto non esse illicitas, nihilominus in praxi semper illicitas reddi ex circumstantiis. Primo igitur valde enervant disciplinam regularem, & observantiam voti paupertatis; nam valde accedunt ad concedendum usum juris, seu juris administrationem, seu ad usumfructum, quæ omnia abhorret religiosa paupertas. Deinde libera facultas utendi pecunia potest esse occasio Religioso, si vere non sit bonus, vel ludis incumbendi, vel munera suo statui non convenientia largiendi, vel etiam vitio carnis indulgendi, cum ex libero pecuniæ usu Religiosus faciliter ad facienda mala descendat: &, ut dici solet, occasio furem facit.

24 Deinde dico hujusmodi generales licentias non se extendere ad usus illicitos. Non nego ita aliquos affirmare, ea ducti ratione quod Religiosi habentur tamquam filii, respectu quorum hujusmodi licentiæ ad illicita etiam extenduntur. Accedit in aliis materiis licentiam generaliter concessam non solere limitari ad usus licitos, quod maxime verificari videtur in præsenti materia; eo quod enim Superior concedat licentiam de se indifferentem, non intelligitur alterius peccato cooperari, quod etenim extendatur ad usus illicitos non provenit ex vi præstitæ licentiæ, sed ex malitia operantis. Hanc opinionem censet non esse improbabilem etiam *Card. de Lugo disp. 3. de just. n. 142.* & alii, quos sequitur Diana *tom. 2. tr. 2. resolut. 98.*

45 Cæterum retenta superiori opinione, quod Prælatus Monasterii neque valide posset concedere licentiam ad usus illicitos, omnino cessaret præsens quæstio: credi etenim non posset Superiorem velle concedere licentiam, quam nec licite, nec valide potest concedere. Sed etiam ab hoc præscindendo, dico licentiam generalem datam Religioso pecuniam expendendi ad sui arbitrium, non extendi ad usus illicitos. Ratio generalis est, quia sub concessione generali non veniunt ea, quæ si expresse peterentur, denegarentur, juxta *regul. in generali 81. de reg. jur. in 6.* Deinde cum superior constitutus sit Director Religiosi in usu temporalium, atque impedire Religiosum teneatur ab omni malo usu pecuniæ, & in sacrilegiis committendis, ni pessimus sit, præsumi non potest intendisse concedere licentiam etiam ad usus turpes, & illicitos: hinc Religiosus ex Superioris licentia habens aliquid, non censetur habere, ut omnino ad libitum utatur, sed solum, ut decet justum administratorem:
26 *Surd. de alim. tit. 8. priv. 79. n. 2.* Neque in his currit paritas de filiofamilias cum Religioso; cum enim Religiosus habeat votum paupertatis, cujus ratione specialiter prohibetur, uti divitiis; nam uti illis non potest, nisi juxta licentiam Superioris, quam tamen rationabiliter interpretetur; & ea, ut dixi, alia non esse potest, nisi de expendenda pecunia in usus non adversos statui Religionis, semper cum Superior sit vere Religiosus, non vero dissipator, & potius Lupus, quam Pastor: *Sanh. l. 7. Moral. c. 19.* & apud ipsum plures alii *Bassæus v. paupertas n. 11. & c.*

Ex his facile dignoscet Religiosus, de quo in casu, an integre confessus fuerit sua peccata.

CONSILIUM XXVI.

ARGUMENTUM.

Locatio fructuum bonorum Ecclesiæ ultra triennium quandoque licita est, quandoque reprobanda; sicut etiam semper improbanda est locatio bonorum Ecclesiæ, facta anticipata solutione. Sermo etiam est de emphyteusi rerum incultarum, renovata absque solemnitate; & quando intelligendum sit bona devoluta Ecclesiæ esse eidem incorporata, eo quod per aliquod tempus non concessa iterum fuerint in emphyteusi. Tamdem esse contra jus demonstratur renovatio emphyteusis, non adhuc finita prima investitura, sicut etiam cum solutione minoris canonis, quamvis id patiatur aliquam limitationem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Non licet locare bona Ecclesiæ, si id fiat anticipatis solutionibus.*
3 *Qui ita locasset bona Ecclesiæ tenetur refundere locatori id, quod accipit, si ammitteret Beneficium, seu id teneretur facere hæres, dum Beneficium per mortem vacaret.*
4 *In gravi Ecclesiæ necessitate licita est locatio bonorum ipsius anticipatis solutionibus.*
5 *Non licet Regularibus ad longum tempus locare fructus suorum prædiorum.*
6 *Neque etiam Rectoribus Ecclesiarum licet ultra triennium locare jus colligendi fructus in prædiis Ecclesiæ.*
7 *Non est condemnanda locatio ultra triennium, si solum respiciat fructus tradendos ex obligatione personali ab ipso Rectore.*
8 *Etiamsi locet jus colligendi fructus ultra triennium, nullam incurrit pœnam latam contra alienantes bona Ecclesiæ, quia probabile est id fieri posse.*
9 *In Extr.* Ambitiosæ *videtur solum improbata alienatio, quæ potest fieri in præjudicium Ecclesiæ, & in qua facienda attendenda est Ecclesiæ utilitas.*
10 *Si aliquis Rector distrahat fructus ultra triennium, hujusmodi contractus non ligat Successorem.*
11 *Locatio fructuum ultra triennium videbatur de jure antiquo permissa, adeoque nec prohibita in Extr.* Ambitiosæ.
12 *Dum concessum est in emphyteusim prædium Ecclesiæ, eo quod de inculto ad culturam reducatur, non potest iterum in emphyteusim concedi sine juris solemnitatibus.*
13 *In hoc casu utilitas, quæ adfuit in prima concessione, cessavit dum prædium rediit ad Ecclesiam ad culturam redactum.*
14 *Ratione longi temporis, & maxime si transierint 100. anni, præsumitur aliquid secundum jus factum esse.*
15 *Bona Ecclesiæ incorporata, quamvis antea concessa fuerint in emphyteusim, non possunt sine juris solemnitatibus iterum in emphyteusim tradi.*
16 *Deberent dici incorporata, si ita expresse, vel tacite Rector Ecclesiæ declaravit.*
17 *Ex modo colligendi fructus difficile est cognoscere an bona sint incorporata Ecclesiæ, nec ne.*
18 *Neque etiam apparet fuisse incorporata per hoc quod per annum retenta fuerint, absque eo quod iterum in emphyteusim concedatur.*
19 *Ex eo quod adfuerit occasio iterum concedendi in emphyteusim Ecclesiæ bona cum magna utilitate, & id factum non sit, efficax consurgit præsumptio, quod fuerint incorporata.*
20 *Idem judicandum, si per aliquod tempus iterum non sint concessa in emphyteusim bona, quæ convenit Ecclesiæ pro se retinere.*
21 *Nullatenus licet Rectori Ecclesiæ renovare emphyteusim, nondum finita prima investitura.*
22 *Dum iterum conceduntur in emphyteusim bona solita in emphyteusim tradi, non licet substantialiter variare modum, & formam primæ concessionis.*
23 *Si varientur substantialiter, non possunt iterum tradi in emphyteusim sine juris solemnitatibus.*

24 Non

24 *Non licet Rectori Ecclesiæ facere novam emphyteusim, diminuendo sine justa causa canonem.*

25 *Si res redit ad Ecclesiam meliorata, in nova investitura augendus est canon.*

26 *Item augendus est canon, si alter esset qui auxisset.*

27 *Emphyteusis concessa a Rectore Ecclesiæ suis Consanguineis, semper est suspecta, ac facta fratri præsumitur facta in fraudem Ecclesiæ.*

28 *Dum bona emphyteutica redierint ad Ecclesiam valde deteriorata, possunt iterum concedi in emphyteusim cum diminutione canonis.*

29 *Rector iterum concedens in emphyteusim sine solemnitatibus juris bona jam incorporata, vel cum diminutione canonis; incidit in pœnas latas contra alienantes bona Ecclesiæ.*

1 QUidam Ecclesiæ Rector nihil versatus in studio Sacrorum Canonum, quamvis juxta jura quædam Ecclesiæ bona ultra triennium non locasset, nihilominus locatio anticipata solutione facta fuit. Ultra triennium vero locaverat redditus, & fructus bonorum Ecclesiæ, quamvis cum expresso pacto quod locabat solum nudam commoditatem percipiendi fructus; nullatenus vero utile rei dominium. Cum autem hæc ad Superiorum aures pervenerint, alios hujus Rectoris contractus factos quoad bona Ecclesiæ voluerunt examinare; & invenerunt concessisse in emphyteusim quædam bona, quæ licet antea tradita fuissent in emphyteusim, tempore tamen sui Antecessoris redierant ad Ecclesiam. Quod autem gravius crimen videbatur, erat quod alteram emphyteusim renovaverat, dum non adhuc ad Ecclesiam redire debuisset, atque id fecerat cum obligatione solutionis minoris canonis eo, quem prius emphyteutæ solvebant. Quærebatur proinde, an ex omnibus his capitibus hujusmodi Rector foret culpabilis; & an declarandum esset incidisse in excommunicationem, latam contra Alienantes bona Ecclesiæ.

2 Quod primo fecit præfactus Rector manifeste reprobat Tridentinum, quamvis nullam pœnam locanti anticipata solutione, sed non ultra triennium, bona Ecclesiæ imponat *sess. 25. c. 11. de reform.* ubi hæc habet: *Magnam Ecclesiis perniciem afferre solet, cum earum bona repræsentata pecunia, in successorum præjudicium aliis locantur. Omnes igitur hæ locationes, si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præjudicium Successorum validæ intelligantur.* Quamvis tamen hujusmodi locationes præjudicare non habeant Successoribus, afficiunt tamen Locatorem; quapropter si beneficium per resignationem vacaret, refundere teneretur id, quod accepit, & si vacaret per mortem, ad id teneretur illius hæres, neque enim ex aliena
3 jactura debet locupletari. *Quaranta v. alienatio n. 19. Boss. tit. 18. n. 355. Ric. in prax. p. p. resol.* 119. Præfata nihilominus doctrina aliquam patitur limitationem, quod nempe non sit attendenda in casu necessitatis Ecclesiæ, ut si Ecclesia rueret, ni ipsius ruinæ
4 comparata de præsenti pecunia obviaretur, & in tali casu Successor teneretur stare hujusmodi locationi factæ ab Antecessore: *Boss. loc. cit. Barb. p. 3. de Jur. Eccl. c. 30. n. 31. & in dictum caput Conc. Trid. n. 3.*

Quoad locationem factam fructuum bonorum Ecclesiæ ultra triennium, ad videndum an vere jura & Sacros Canones non observaverit, non erat præcise attendendum, quod *Clem. 1. de reb. Eccles. non alien.* prohibitum sit locare jura, & redditus bonorum Ec-
5 clesiasticorum; nam revera illa Clementina, ultra quamquod solum prohibeat concessiones ad longum tempus, solum afficit Regulares, non vero Benefi-
6 ciatos Sæculares. Ad videndum igitur an iste Rector operatus fuerit contra jus, tales fructus ultra triennium locando, examinandum erat an in contractu locationis datum fuerit jus colligendi fructus ex bonis Ecclesiæ, vel solum ipse Rector se obligaverit ultra triennium obligatione personali ad dandum fructus ex suis prædiis collectos. Si primo modo factus fuit contractus locationis fructuum, revera concessum fuit dominium utile bonorum Ecclesiæ, neque etenim in rei veritate dominium utile est quid diversum a jure fructus colligendi. Hinc *tr. 14. q. 15. cap. 1. q. 3.* dixi hujusmodi locationem continere fraudem ad palliandam transgressionem legum prohibentium ultra triennium locationem rerum Ecclesiasti-
7 carum. Si vero locatio respexit fructus tradendos ex obligatione personali ab ipso Rectore, tunc non intervenisset alienatio aliquo jure prohibita, quia solum esset alienatio ipsorum fructuum tradendorum ab ipso Rectore, adeoque esset concedere nudum usum facti, & insimul tradere id, cujus Rector est Dominus. Juxta hanc distinctionem procedit Redoanus *rubr. de usufr. ... sen. n. 41.* & juxta eam concedenda vel neganda fructuum locatio, quamvis absolute, & sine distinctione negandam dixerint: *Ric. in prax. resolut.* 110. *Garz. de Benef. art. 2. c. 2. a n. 32. Bonac. disp. 3. de contr. q. 8. p. 4. nu. 25. Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 95. nu. 20. & cap. fin. num. 7: & ad cam. querelam nu. 2. §. Ne Prælati vices*, aliique non pauci.

Loquendo vero de pœna, quam incurrere potuerit iste Rector, dicebam omnino immunem judicandum a quacumque pœna, inflicta præcipue in Extr. *Ambitiosæ*, in alienantes bona Ecclesiarum, sive quoad dominium directum, sive quoad dominium utile. Quamvis igitur iste Rector concesserit ultra triennium jus colligendi fructus ex prædiis suæ Ecclesiæ, quod ex dictis paulo ante est a jure vetitum utpote interdicente etiam alienationem dominii utilis nihilominus cum non possit negari opinionem contrariam esse probabilem, quia non erat certum istum Rectorem præfata jura violasse, non erat subjiciendus pœnis in iisdem juribus contentis: Quod vero talis opinio sit probabilis, ex eo satis probari videtur, quod in Extr. *Ambitiosæ* sermo est de bonis, quorum alienatione potest fieri præjudicium Ecclesiæ, & in quorum distractione attendenda est ipsius
utilitas. In quacumque vero distractione fructuum 9
non datur præjudicium Ecclesiæ, utpote quia Rector est ipsorum Dominus; neque ipsius consideratur utilitas, cum assignati sint ad sustentationem ipsius Rectoris. Neque potest esse præjudicium Ecclesiæ per hoc quod Rector anticipata solutione fructus distraheret ad plures annos; eo ipso quod Rector amitteret ex quacumque ratione Beneficium, fructus ad
Successorem pertinerent. Quod si conductor non cu- 10
raverit se indemnem reddere, in casu, quo Rector moreretur, vel amitteret Beneficium, antequam potuisset colligere fructus per totum tempus, quo convenerant, deberet suæ negligentiæ imputare. Accedit quod in Extr. *Ambitiosæ*, permittitur locatio fructuum ultra triennium in casibus a jure permissis;
& non pauci de jure antiquo non fuisse prohibitum, 11
locare fructus ultra triennium affirmant; *Covvar. l. 2. art. 1. c. 16. n. 6. Rebuff. in Comment. cap. fine exceptione* 12. *q. 2. n. 26., Mol. disp. 366. n. 5., Quaranta v. alienatio n. 18., Azor. q. 2. l. 9. c. 2. q. 7.*

Cum Rector de quo in casu, nullam incurrerit 12
pœnam ex præfatis locationibus, modo videndum est, an contra jura egerit, concedendo in emphyteusim quodam Ecclesiæ prædium, quod tempore Antecessoris ex linea finita ad Ecclesiam redierat. Et quidem, si, ut non pauci dicebant, solum pro unica vice illud prædium antea concessum fuerat in emphyteusim, eo quod cum fuissent res inculta ad culturam reduceretur, iterum non poterat dari in emphyteusim sine solemnitatibus, & licentia. Ita tradit communis sententia, ut videre, est apud Barbosam *de jur. Eccles. l. 3. cap. 30. n. 20. & alleg. 95. nu. 33., Ricc. p. p. prax. resol.* 112., *Boss. tit. 18. n. 297.*, eamque amplexa est *Rota decis. 1490. n. 7. cor. Seraphin., & decis. 360. n. 7. p. 1. Divers., & decis. 243. n. 17. part. 7. recent.* Et ratio est, quia diverso modo consideratur res inculta, si redeat ad Ecclesiam, postquam ad culturam reducta est, atque utilitas, quæ aperat, dum data fuit in emphyteusim, quando erat inculta, cessavit dum ad culturam reducta est; adeoque cum non amplius adsit causa, ex qua primo data fuit in emphyteusim, in nova emphyteusi verificanda erat nova causa, & utilitas, quod fieri necesse erat cum licentia & præscriptis solemnitatibus.
Hinc quod in nova concessione ad emphyteusim non 13
sufficiat quod fuerit utilitas in antiquis, sed requiri adesse tempore ultimæ concessionis, tradunt communiter Canonistæ. *Rota decis. 243. n. 17. p. 7. recentior.* & sæpe alibi, *Barbos. de jur. Eccles. l. 3. cap. 30. num. 34., & alii apud ipsum, Gratian. discept. forens. cap. 813. num. 17. & 41., Palaus tom. 2. tr. 11 p. 15. §. 4. num. 4.*

Ubi vero non verificaretur, prædium, quod tempo-

re Antecessoris ex linea finita redierat ad Ecclesiam,
non traditum fuisse primo in emphyteusim, ut redu-
ceretur ad culturam, cum antea foret incultum; non
erat attendendum, quod ab aliis dicebatur nempe
nullatenus constare concessum prima vice fuisse in
emphyteusim cum debitis solemnitatibus; hæ ete-
34 nim omnino præsumi debebant, cum primi emphy-
teutæ per tres integras generationes, adeoque per
longissimum tempus, nullo contradicente, titulo
emphyteusis retinuerint. Videnda etiam quæ dixi
tt. 13. qu. 15. c. 3. q. 3.

Potius ergo ad videndum, an Rector, de quo in
casu, contra jus iterum in emphyteusim bona tra-
diderit Ecclesiæ, considerandum erat, an tempore
Antecessoris, qui non multo tempore post finitam
primam emphyteusim obiit, fuissent Ecclesiæ incor-
porata; nam tunc non posse sine nova licentia, &
juris solemnitatibus in emphyteusim concedi, omni-
no est extra quæstionem: *Rota decis. 241. n. 18. p. p.
recent., Bar. de offic. & potest. Episc. alleg. 95. n. 29.,*
35 *Bonac. de alien. p. 2. 3. n. 20. Bossius tit. 18. n. 306.* Cer-
tum autem est bona dici incorporata mensæ, vel Ec-
clesiæ, si hujus incorporationis detur expressa decla-
ratio Prælati, vel Rectoris, vel etiam tacita, ut si
talia bona fecerit describere inter bona non emphy-
36 teutica Ecclesiæ. Item hoc appareret, si Prælatus,
vel Rector, vel bonorum Ecclesiæ Administrator ha-
buerint occasionem iterum eadem bona, cum non e-
xigua Ecclesiæ utilitate in emphyteusim tradendi,
& nihilominus retinuissent.

Aliqui dicunt tunc etiam judicandum bona fuisse
Ecclesiæ incorporata, si Prælatus, seu Rector col-
legerint fructus omnium bonorum, sicut colliguntur
fructus bonorum incorporatorum: *Riccius in prax. p. p.*
37 *resol. 76., Donat. p. 2. tr. 14. q. 46. n. 4.* Verum hic mo-
dus dicendi mihi valde obscurus est, nam nescio per-
cipere quæ diversitas consideranda sit circa modum
colligendi fructus bonorum, quæ sunt mensæ incor-
porata, a modo colligendi fructus bonorum, quæ
per lineam finitam devoluta sunt ad Ecclesiam, &
non sunt adhuc ipsi incorporata. Certe Rector o-
mnium horum fructuum est Dominus, & admini-
strator, & omnes colligit, & recondit ut dominus,
& administrator; quapropter si nil aliud addatur,
meo videri, ex hoc non potest sumi sufficiens argu-
mentum incorporationis bonorum.

Alii addunt tunc intelligi incorporata, quando
Rector per annum ea tenuerit, absque eo quod, ite-
rum in emphyteusim concesserit. Sed & ex hac ra-
tione nude sumpta non satis probari incorporatio-
38 nem bonorum mihi certum est. Quis igitur nega-
re potest fortasse intra annum nullum comparuisse,
qui eadem bona in emphyteusim peteret, & Præ-
latum sibi expedire judicasse non quærere qui in em-
phyteusim vellet accipere; quamvis animum non
habuerit aliqua bona Ecclesiæ incorporandi? Præte-
rea bene potuit velle etiam ultra annum expectare
ad novam emphyteusim faciendam; quamvis intrea
aliquis comparuerit, quia ita speraverit posse trade-
re in emphyteusim cum majori utilitate. Quamvis
ergo Antecessor retinuerit fere per annum bona ad
Ecclesiam devoluta, atque ipsorum fructus percepe-
rit, non est sufficiens ratio dicendi ex hac præcise
ea voluisse Ecclesiæ incorporare.

Stante autem quod ex nullo capite sufficienter con-
staret, an voluisset ea incorporare, vel non, Re-
ctor, qui successit in Beneficio, debebat bene exami-
39 nare, an Prædecessor habuerit commodam occasio-
nem cum tali utilitate bona devoluta iterum in em-
phyteusim tradendi, ut rationabiliter majorem non
potuerit sperare, & tunc, si non constet de non
incorporatione, bene præsumere debet voluisse ea
incorporare, eo quod omiserit occasionem iterum in
emphyteusim tradendi cum tanta utilitate. Item
puto debuisse præsumere incorporationem ex hoc
quod iterum in emphyteusim non tradiderit, si val-
de commodum, vel utile fuerit Ecclesiæ iterum in
emphyteusim non tradere, quia e.g. essent fere con-
termina ipsi Ecclesiæ, seu Domui Rectoris; unde
expediret eadem in emphyteusim non tradere. Et-
iam in hoc casu ex hoc quod Rector præcedens ab-
stinuisset a tradendo iterum in emphyteusim puta
bona devoluta censenda esse incorporata, eo maxi-
me quod in dubio de mensa sunt reputanda. *Re-*
dom. rubr. de casib. in quibus sit alienatio §. Item in 20
alio casu n. 13.

Si igitur, omnibus attentis, Rector iterum cessis-
set in emphyteusim bona, quæ ab Antecessore præ-
sumi debebant incorporata, & hoc sine juris sole-
mnitatibus fecisset, utique transgressor fuit legum
prohibentium alienationem bonorum Ecclesiasticorum
sine solemnitatibus. Non tamen culpandus erit tan-
quam ipsarum transgressor ex hoc præcise; quod i-
terum concesserit in emphyteusim bona, quæ inte-
gro fere anno ante obitum Antecessoris ad Ecclesiam
redierant.

Nullatenus autem dubitandum erat male egisse,
quoties, nondum finita prima investitura, renova-
verit emphyteusim, quamvis rei solitæ in emphyteu-
sim dari. Ita reconcedendo bona in Emphyteusim
supplantatur S. Pontifex; si forte voluisset præveni-
re in investiendo, vel etiam Successor, ut pluribus
probat Rota *decis. 39. n. 35. & 36. p. 8. Recent.*

Item, generaliter loquendo, male agunt Rectores, 21
dum in nova concessione rei dari solitæ in emphy-
teusim, ita discedunt a prima emphyteusi, ut no-
vam faciant: ita nempe alterando pacta, conditio-
nes, & investituram, ut non servent in substantia-
libus eumdem modum, & formam, & qualitatem
primæ concessionis. Si igitur in præjudicium Eccle-
siæ ita alterentur præfatæ conditiones & pacta, ut 22
non sit continuatio antiquæ concessionis, jam erit
nova concessio & alienatio, quæ proinde fieri non
potest sine juris solemnitatibus. *Rota decis. 39.* 23
*num. 49. p. 8. & decis. 155. ibid. nu. 4. Recent., Qua-
ranta v. alienatio n. 40., Barbos. de Jur. Eccles. p. 3.
cap. 3. n. 20., & de offic. & potest. Episc. alleg. 95.
n. 32., Bossius tit. 18. n. 19.* Si ergo bona devoluta ad
Ecclesiam sine justa causa Rector cum minori cano-
ne iterum in emphyteusim tradiderit cum tunc ve-
rificetur in substantialibus variasse emphyteusim, ne-
que attendisse utilitatem Ecclesiæ, quam semper ex
jure attendere debet, constat male novam emphy-
teusim fecisse. Immo advertere debebat quod utili-
tas Ecclesiæ, pro eo tempore, quo iterum res Ec- 24
clesiæ traditur in emphyteusim, consequens est,
quod si res redierit ad Ecclesiam adeo meliorata, ut
potuerit ea non augeri, omnino erat augendus, a-
lias nova investitura non facta fuisset cum evidenti
Ecclesiæ utilitate: *Rota decis. 243. nu. 15. & 16. p. 7.
Recent.* Item ex eadem ratione non erat concedenda 25
nova emphyteusis non aucto canone, quoties alter
erat, qui auxisset, si alias fuisset solvendo, vel spes
erat, ut habita sufficienti inquisitione inveniretur
qui canonem augeret: *Quarant. v. alienationum 40.* 26

De facto autem erat locus suspicioni, ut novus
Rector parum curasset de utilitate Ecclesiæ, quia
novam emphyteusim fecerat bonorum Ecclesiæ cum
suo fratre, nam alienatio rerum Ecclesiæ in Consan-
guineos semper est suspecta, ut habet Rota *p. 7. de-* 27
cis. 252. n. 20. & p. 3. decis. 73. n. 8. recent. & si conces-
sio facta sit fratri a fratre, potius præsumitur facta
in fraudem, quam in utilitatem Ecclesiæ *Rota de-
cis. 340. n. 7. p. 1. recent.*

Dixi, si sine justa causa Rector in emphyteusim
cum minori canone tradiderit; si etenim bona re-
dierint ad ecclesiam inundatione aquarum, vel altera
causa ita deteriorata, ut utile sit Ecclesiæ eamdem
etiam cum minori canone in emphyteusim tradere,
tunc certe nullo jure prohibetur canonem diminuere.

Ex dictis constat quando Rector dicendus sit in-
currisse in pœnas latas contra alienantes bona Ec-
clesiæ. Dicendum erat utique eas incurrisse, quo- 28
ties fecerit novam emphyteusim, dum præsumendum
erat ab Antecessore bona ad Ecclesiam devoluta
fuisse eidem Ecclesiæ incorporata. Item easdem pœ-
nas incurrisse dicendum est, quoties cum minori ca-
none sine justa causa novam fecerit emphyteusim.
Ratio est, quia cum in utroque casu novam fecerit
emphyteusim, quæ non poterat dici antecedentis con-
tinuatio, necesse erat in utroque casu iterum adhi-
bere juris solemnitates, ut de se constat. Unde &c.

CONSILIUM XXVII.

ARGUMENTUM.

Late igitur de peccato simoniæ, quod intervenire potest dando temporalia pro ingressu in Religionem, & dicitur hujusmodi peccatum intervenire, quoties Monasteria opulenta aliquid temporale, vel dotem recipiant ab ingressuris, non sponte & ex pura liberalitate datam. Dicitur etiam consuetudinem ita faciendi, utpote reprobatam a jure, nullatenus attendendam, & eo maxime, quia præfata Monaste. in recipiendo ex pacto aliquod temporale, simoniam juris divini committunt.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Monasterium quamvis opulentum potest ex pacto aliquid recipere ab ingressuro in Religionem, si allaturus sit extraordinarium incommodum.*
3 *Ita eveniret, si recipere deberet personam habitualibus infirmitatibus laborantem, vel si aliqua ratione minus nobile reddat Monasterium.*
4 *In recipiendo petentes habitum Religiosum potius quam nobilitas, virtus, indoles, ingenium, & honestas essent attendenda.*
5 *Ratione incommodi, quod afferri solet a tertia Sorore, soleat Moniales majorem dotem pro ea recipienda exigere.*
6 *Non deberent eam recipere cum quantavis dote, si hoc facere deberent cum dispendio pacis; & si aliunde tertia Soror talibus prædita sit qualitatibus, ut valde proficua futura sit, cessat ratio majoris dotis exigendæ.*
7 *Monasterium inops juste exigit a persona ingressura temporale titulo sustentationis, vel consuetæ eleemosynæ.*
8 *Monasteria opulenta recipere possunt ab ingressuris temporalia, si tamen sponte & ex pura liberalitate deatur.*
9 *Item possunt recipere quod necessarium est pro victu & vestitu tempore probationis.*
10 *Quamplures SS. Canones prohibeat aliquid recipere pro ingressu in Religionem.*
11 *Hujusmodi prohibitio extenditur etiam ad prandia, cœnas, jocalia &c.*
12 *Non pauci interpretantur prohiberi Monasterio opulento aliquid recipere ratione ingressus in Religionem, non vero titulo sustentationis.*
13 *At dicendum est id solum concedi a SS. Canonibus Monasteriis pauperibus, & interdici Monasteriis divitibus.*
14 *Si SS. Canones non intellexissent prohibere Monasteriis divitibus recipere temporalia titulo sustentationis, facillime eluderentur, nec locus fuisset conquerei simoniacam labem Religiosos infecisse.*
15 *Communiter etiam Antiqui DD. peccatum simoniæ intervenire dicebant, dum Monasterium opulentum temporalia exigebat ab ingressuris in Religionem.*
16 *Perperam interpretantur loquutos fuisse de simonia præsumptiva, non de Simonia vera.*
17 *Constat illos movisse quæstionem de vera & rigorosa Simonia, dum postea resolvunt ab ea immune non esse Monasterium dives, si recipiat temporale ab ingressuro in Religionem.*
18 *Unusquisque Religiosus post professionem plenum jus habet, ut sustentetur ex bonis Monasterii, unde Monasterium opulentum non potest aliquid exigere titulo sustentationis.*
19 *Uxor jus non habet, ut alatur ex bonis Mariti, quamvis divitis.*
20 *Ecclesiasticus, quamvis dives, jus habet, ut ab Ecclesia alatur juxta servitium, quod illi præstat.*
21 *Consuetudo, qua etiam Monasteria opulenta temporalia recipiunt ab ingressuris, utpote corruptela & abusus, nullius est roboris.*
22 *Recipere aliquod pro ipso ingressu in Religionem est Simonia jure divino prohibita.*
23 *Convincuntur Monasteria opulenta recipere temporale pro ipso ingressu in Religionem, adeoque peccare simonia, jure divino prohibita, contra quam nulla potest prævalere consuetudo.*
24 *Licet Monasterio recipere temporalia, vel dotem, quoties prudenter timeat hæc non recipiendo, ad inopiam esse redigendam.*
25 *Id tamen non concedendum Monasterio, quoties ab eo longe absit tale periculum.*
26 *Pontificiæ Concessiones, quæ possent in contrarium adduci, solum valere eximere ab incurrendis pœnis latis in hac materia a jure positivo.*
27 *Bene timeri potest Monasteria Monialium opulenta posse esse Simoniaca labe infecta, eo quod accipiant temporalia & dotem ab ingressuris.*
28 *Dari possunt Monasteria ita opulenta, quæ non indigeant temporalia recipere pro novis Monialibus sustentandis.*

CUM ageretur de quadam puella in Monasterium 1
admittenda, quasi tractatus esset de contractu
emptionis & venditionis, Moniales integrum centenarium, nescio quo titulo, ultra consuetam dotem
exigebant, & consanguinei illud persolvere denegabant; ita tamen, ut paulatim ex parte Monialium
modo quinque, modo decem scuta minuerunt, & e
contra iidem Consanguinei eodem modo nunc unam
parvam, deinde aliquam majorem summam se persoluturos dicerent. Ultraquamquod ista agendi ratio
mihi usque ad nauseam displiceret; indecentissimum
enim mihi videbatur ingressum in Religionem quasi
merces esset, modo aucto, modo diminuto pretio,
veluti negociationi exponere, addidi quam maxime
optasse aliquem agnoscere, qui mihi satis demonstraret qua ratione Monasteria opulenta (tale reputabatur illud Monialium Monasterium) possent vel ipsam
dotem recipere. Hinc orta fuit occasio probandi nullatenus id esse licitum, & mihi manifestum esse videtur, si citra passionem ad examen revocentur,
quæ pro hoc probando adducuntur.

In primis autem extra dubium esse dicebam potuisse 2
Monasterium etiam opulentum, aliquod temporale exigere ab ingressuris in Religionem, quoties ex ipsorum
receptione aliquod temporale subeat incommodum præter illud, quod est illos sustentare. Ratio est, quia cum
Monasterium non teneatur illud extraordinarium incommodum subire, bene potest velle, ut sibi compensetur, aliquod temporale tribuendo. Hinc bene Monasterium, quamvis opulentum, potest temporale exigere a persona, quæ habitualibus infirmitatibus laborans
extraordinarium latura sit gravamen Monasterio. Idem 3
dicendum, si Persona ingressura in Monasterium ratione originis, vel ob aliquam infamiam familiæ, habet
ipsum Monasterium ignobilius reddere, eo quod non
soleat tales personas admittere; hæc etenim damna
temporalia temporalibus emolumentis compensantur.
Ita mulier ignobilis pingui dote compensat disparitatem conditionis, dum vult Viro Nobili nubere. Ista 4
tamen dicta sint de rigore justitiæ; nam ex mea opinione quoad ingressuros in Religionem non esset attendenda origo, quoties ita turpis non esset, ut vere indecens
esset illos recipere, sed indoles, virtus, ingenium, honestas, quæ si adsint, etiam pauperrimos, & nullam
habentes pecuniam in Religionem admitterem: qui etenim virtute & bonis moribus sunt præditi, regularem
observantiam, & proximorum salutem promovent, non
vero ii, qui cum nobilitate originis non uniunt, ut par
esset, nobilitatem morum, & capitis docilitatem.

Ex ratione supra allata excusantur Monasteria Mo- 5
nialium etiam opulenta, quæ pro tertia Sorore majorem dotem exposcunt; ea scilicet ratione quod ex receptione plurium sanguine conjunctarum gravia incommoda pati solent Monasteria. Verum optandum, quod
potius has non reciperent, quam ratione majoris dotis
cum dispendio pacis &c. tertiam Sororem recipere.
Quod si illam recipiunt, quia talibus qualitatibus prædita sit, ut videatur valde proficua futura Monasterio, 6
tunc cessaret ratio augmenti dotis, quia spe utilitatis
vel spiritualis, vel temporalis, ab ipsa Monasterio afferendæ, compensaretur incommodum, quod timeri solet ex plurium Sororum receptione. Super omnes autem alios titulos ille legitimus est, quo Monasterium 7
inops exigit ab ingressuro in Religionem aliquod temporale titulo sustentationis, vel consuetæ eleemosynæ.
Cum etenim novum subeat onus temporale pro illo 8
sustentando, quod de se non potest subire, jam constat
temporale accipi pro onere temporali, adeoque nulla intercedit simonia. Ita Glossa *in cap. quoniam 40. de Simon.*

v. *paupertatis*, ibique communiter Canonistæ: *D.Th.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4., *S. Anton.* 2. *p. cap.* 5. *§.* 18. & communiter Theologi.

Deinde Monasteria, quamvis opulenta recipere possunt ab ingressuris, quæ sponte tribuerent, juxta *cap. Dilect.* 30. *de Simon.* ubi dicitur: *Illud tamen gratianter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum. Et Extr. Sanc de Simonia* hæc habentur: *Illa dumtaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes, pure, sponte, & plena liberalitate, omnique passione cessante dare, vel offerre &c. voluerint cum gratiarum actione licite accepturi.* Porro non *pure, sponte, & plena liberalitate daretur*, si ad ingressum tribuerentur munera Superiori &c. irrationabiles interponente difficultates in illius acceptatione; nam tunc clare constaret dari ad removendum injustum impedimentum.

9 Tertio; Monasteria quantumvis opulenta possunt aliquid recipere pro victu & vestitu Novitiorum, & Novitiarum pro toto tempore probationis. Hinc Concilium Trid. *sess.* 25. hæc habet, *Sed neque ante probationem excepto victu & vestitu Novitii, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu a Parentibus, vel Propinquis, aut Curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur &c.* Et ratio ea potest esse, quod cum Novitii non sint membra Religiosæ Societatis, qualia solum fiunt ratione professionis, non habent jus ut ex communibus bonis alantur. His exceptis casibus, nullatenus puto licere opulento Monasterio aliquid recipere ab ingressuris in Religionem.

10 Primo igitur credo omnino id vetitum fuisse a SS. Canonibus, si in sensum omnino ab ipsis alienum nolimus eos detorquere. Accipere igitur temporale ab ingressuris in Religionem esse manifestam Simoniam habetur *c. non satis* 8. *de Simon. cap. veniens* 19. *ibid.*, ubi etiam imponitur Episcopis contra Simoniace recipientes & ingredientes Religionem pœnis Canonicis animadvertere, & *cap. quoniam* 40. Hæc omnia confirmantur ex *Extr. Sanc. de Simon.*, ubi execratione Simoniæ præmissa, non solum declarantur Simoniaci, qui dant vel recipiunt pro ingressu in Religionem, sed etiam illi, 11 *qui in personarum ad Religionem receptione ante vel post illam quoscumque pastus, prandia, cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad usum Ecclesiasticum, sive quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda, directe vel indirecte petere, vel exigere quovis modo præsumunt.*

12 Solent respondere præfatos textus indiscriminatim loqui de Monasteriis tam divitibus, quam non divitibus, atque omnibus interdici recipere aliquod temporale quocumque prætextu pro ingressu in Religione. Sicut igitur subdunt, præfata generalis prohibitio non aptatur Monasteriis pauperibus; & nemo est qui neget posse a Monasterio paupere aliquid exigi ab ingressuro in Religionem titulo necessariæ sustentationis, vel consuetæ eleemosynæ, ita dicunt quod, quamvis monasteria opulenta nil accipere possint titulo ingressus in Religionem, bene possunt accipere titulo sustentationis illius, qui vult ingredi in Religionem.

13 Verum hujusmodi interpretatio omnino adversatur menti, seu sensui obvio SS. Canonum. Primo igitur *cap. quoniam* 40. *de Simon.* dicitur de Monialibus, fuisse labe simoniaca infectas, eo quod pretium reciperent ab ingressuris in Monasterium *paupertatis prætextu, volentes vitium palliare*. Quod autem fit prætextu, vel colore paupertatis, revera non fit ex vera paupertate; unde, ut bene advertunt Glossa & DD. *in cit. cap.*, non prohibetur aliquid recipere ab ingressuris in Monasterium ex titulo veræ paupertatis; adeoque dicendum jura solum loqui de Monasteriis divitibus.

Præterea *Ext. Sanc. de Sim.* postquam damnantur tamquam Simoniacæ illæ personæ Religiosæ, quæ aliquid accipiunt ab ingressuris in Religionem, additur quod *nulla recepta re temporali, eas potius cum omnimoda pietate suscipiant, ac in victu & vestitu sicut alias personas suarum Ecclesiarum, Monasteriorum &c. sincera charitate pertractent.* Cum igitur sermo sit de Monasteriis, quæ possint personas ingressuras eodem modo ac alias *in victu & vestitu pertractare*, signum est sermonem esse de Monasteriis opulentis.

14 Demum *cap. quoniam* Innocentius III. conqueritur Simoniacam labem plerasque Moniales infecisse, quia vix aliquas sine pretio reciperent in Sorores, difficile autem fuisset hujusmodi labem tam late grassatam esse, si etiam Monasteriis divitibus liceret titulo sustentationis aliquid recipere ab ingressuris in Religionem, unumquodque enim Monasterium facillime se excusare potuisset, dicendo temporalia accepisse titulo sustentationis; & dum hic titulus sufficiens fuisset ad justam excusationem, extraordinaria nimis ignorantia laborassent Episcopi, & Directores Monasteriorum, dum permisissent aliquid temporale accipere ex titulo ingressus in Religionem. De primo ergo ad ultimum nimis clarum est SS. Canones interdicere Monasteriis opulentis etiam titulo sustentationis aliquod temporale recipere, unde in recipiendis rebus temporalibus, ratione etiam tituli præfati, ad minus interveniret Simonia juris Ecclesiastici.

Sacris Canonibus communiter adstipulabantur Antiqui omnes DD. a quibus proinde nullatenus discedendum videtur. Primo igitur S. *Th. in* 4. *dist.* 25. *q.* 3. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 7. hæc habet: *Cum possessiones alicujus loci Religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo, qui in loco illo vult Deo servire, non quasi pretium Religionis, sed ut habeat Monasterium unde ei possit providere. & ideo non committitur Simonia; si autem sine gravamine Ecclesiæ potest recipi, simoniacum est aliquid pro receptione exigere.* Similia habet 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4. S. Thomæ concordat S. Bonaventura *in Apolog. advers. illos, qui Ordinis Fratr. Min. adversantur*, *q.* 18. Eandem regulam, quod scilicet solum Monasterio inopi liceat aliquid recipere ab ingressuris in Religionem, confirmat S. Raym. *leg.* 1. *tit.* 1. *§.* 22. itemque S. Anton. 2. *part cap.* 5. *§.* 18. ubi inter alia hæc habet: *Si Monasterium sit abundans, nullus debet esse ibi tractatus de temporalibus in receptione. Et hoc est contra communem abusionem, quia quanto Monasterium est abundantius, tanto volunt majores dotes.* Hos Magistros sequutus est *Suar. lib.* 4. *de sim. cap.* 16. *per tot. & cap.* 17. *n.* 10. *Less. lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 12. *n.* 68. *Laym. de sim. tract.* 10. *cap. ultim. §.* 4. *num.* 39. aliique plures. 15

Præfatorum SS. DD. Authoritates, & precipue S. Thomæ, conantur eludere, dicendo quod dum asserunt intervenire simoniam, dum Monasterium dives accipit aliquid ab ingressuris in Religionem, loquantur de Simonia præsumptiva, non autem de simonia, quæ revera detur. At hujusmodi interpretationes ipsorum menti omnino contrarias esse non paucis demonstratur. Primo ergo in præfatis locis tam Sanctus Thomas, quam S. Raymundus, & S. Antoninus, sermonem habent de Simonia proprie dicta, quando inquirunt an ea committatur, quando temporalia accipiuntur pro ingressu in Religionem; eumque dicant eam non committi a solo Monasterio inope, consequens est censere Simoniaca labe, proprie dicta, inquinari Monasteria opulenta, nam exceptio firmat regulam in contrarium. Et quidem, cum evidens sit præfatos Sanctos quæstionem movere, ut dixi, de Simonia proprie dicta, si putassent Monasteria opulenta revera eam non incurrere, sed tantum præsumptive, cohærenter ad quæstionem, quam movent, debebant generaliter dicere a nullo Monasterio Simoniam committi, & solum respectu Monasterii opulenti præsumi. Secundo, ideo dicunt Monasterium inops non committere Simoniam recipiendo temporale pro ingressu in Religionem, quia Monasterium inops temporale quod recipit, recipit pro sustentatione novi Religiosi, quem non valet sustentare; si ergo ex hac sola ratione excusatur Monasterium inops a vera Simonia, consequens est ex ipsorum mente Monasterium opulentum, quod habet unde sustentet novum Religiosum, sive Religiosam, recipiendo ab ingressura temporalia, committere veram, non tantum præsumptivam Simoniam. Tertio, dum præfati Sancti DD. movent quæstionem de Simonia, quæ committi potest pro ingressu in Religionem, loquuntur ad mentem Sacrorum Canonum, cum eos ibidem adducant, ut legenti constare potest; porro apud S. Canones sermo est de Simonia, quæ talis revera sit, non vero quæ talis præsumatur. Et quidem fateor non sine admiratione legisse apud Theologos, etiam insignes, ita interpretari S. Thomam, ut dum dicitur Monasteria opulenta non posse sine Simonia aliquid temporale accipere pro ingressu in Religionem, solum loquutus sit de Simonia non vera, sed præsumptiva, cum hujus interpretationis fundamentum certe ex ipsius textu non habeatur. 16

Sed etiam ratione omnino convincitur Simoniam committi, dum Monasterium opulentum aliquid temporale non sponte, & liberaliter datum recipit ab ingref- 17

gressuro in Religione. Id autem probatur, demonstrando non posse dici illud recipere titulo sustentationis, qua ratione illud excusant a peccato Simoniæ. Quod igitur clarum sit Monasterium opulentum non recipere posse temporale titulo sustentationis, exinde probatur, quia, quamvis ingressurus in Religionem, antequam ingrediatur, nullum jus habeat, ut ex illius bonis sustentetur, tale certe jus habet, postquam emisit professionem; si proinde Monasterium sufficienter habeat, unde illum sustentet, non potest verificari temporale, quod exigit, exigere titulo sustentationis, cum hæc ex bonis Monasterii illi debita sit; adeoque convincitur proprie temporalia exigere ratione ingressus in Religionem, quod manifestissime Simoniacum est.

19 Neque hic aptari potest paritas de Sponso prædivite, qui adhuc potest velle dotem ab uxore titulo ipsius sustentandæ. Hoc igitur verum est, quia uxor nullum jus habet, ut ex bonis Mariti sustententur, at Religiosus, vel Religiosa eo ipso quod professionem emiserint in aliquo Monasterio, plenum jus habent, ut ex bonis ipsius sustententur, cum deputata omnino sint ad sustentationem omnium, qui in Monasterio recipiuntur.

20 Incongruenter etiam affertur exemplum de Ecclesiastico, qui quamvis ex aliis bonis dives sit, nihilominus bene potest recipere titulo sustentationis eleemosynam pro Missæ celebratione, vel alia, quæ solent dari pro Ecclesiasticis ministeriis. Ideo talis Ecclesiasticus, quamvis dives, potest ab Ecclesia recipere quod sibi necessarium est ad sustentationem, quia convenit Ecclesiæ sustentare eos, qui ipsi inserviunt. At Monasterium opulentum nullum habet jus petendi aliquid pro sua sustentatione ab eo, qui vult in ipso profiteri; supposito etenim quod ad professionem admittatur, plenum habet jus, ut ab eodem Monasterio sustentetur, si hoc possit præstare.

21 His etiam, quæ hucusque dicta sunt, non valet opponi contraria consuetudo, qua videntur Monasteria præcipue Monialium, quamvis vere opulenta, recipere dotem a puellis in ipsum ingressuris. Ultraquamquod videtur & approbatum fuisse a S. Congregatione apud Fagnan. *in c. non amplius de instit.*

22 Quoad consuetudinem igitur generaliter, dico, nullatenus attendendam, quia in supra citatis SS. Canonibus appellatur corruptela & abusio; atque hujusmodi consuetudinem nullatenus attendendam omnino volunt jura, ut videre est *c. cum Venerabilis 7., & c. ult. de consuet.* Deinde observare est quod dum Monasterium opulentum temporale accipit ab iis, qui volunt in eo profiteri, intervenit simonia juris Divini, ut præsupponitur etiam *c. quoniam 40., & Extrav. sane de Simon.* Id etiam probavi *tr. 7. q. 3. c.*
23 *2. q. 6.*, ubi dixi intervenire simoniam jure Divino prohibitam, quoties aliquid temporale sumatur pro ingressu in Religionem; talis etenim ingressus undequaque sacra res, sive consideretur ex parte principii, quod debet esse inspiratio Spiritus S.; sive ex parte actionis, qua persona se obligat ad famulandum Deo mediante observantia Religiosa; sive ex parte finis: ingressus enim in Religionem de sua natura tendit ad amandum Deum, & ad æternam salutem consequendam. Cum igitur, ex dictis supra, Monasteria opulenta recipere non possint temporalia a persona ingressura titulo sustentationis, & consequenter convincantur recipere ratione ingressus in Religionem, in tali receptione semper interveniat simonia jure Divino prohibita, contra quam proinde nulla potest prævalere consuetudo, & constat etiam *ex c. fin. de consuet.*

24 Ad illud, quod affertur ex Declaratione S. Congr. apud Fagnan. dicendum est ibi primo declaratum inveniri, quod si Monasterium habeat redditus sufficientes pro sustentando aliquo determinato numero Monialium, non liceat temporale, sive dotem exigere, quoadusque Moniales sint juxta numerum determinatum, & solum licere, si numerus augeatur; atque id etiam S. Pontificem approbasse. Additur deinde licentia recipiendi dotem a Monialibus numerariis, quoties propter ingruentes necessitates, & casus inopinatos, non recepta dote timeri possit, ne Monasterium, quamvis hic & nunc non indigeat, nihilominus sit ad inopiam redigendum. En ergo quod S. Congr. non loquitur de Monasterio vere opulento, sed de illo, quod etsi hic & nunc non indigeat, possit nihilominus ex non recepta dote facile redigi ad inopiam, in quo casu utique licite ex receptione dotis impedit ad talem statum se reducere, in quo non possit Moniales decenter sustentare.

Numquam autem credere est S. Congr. loqui de Monasterio prædivite, de quo non facile prudenter timeri possit etiam per longum tempus ad inopiam reducendum; nam S. Congr. non potuit ignorare tot SS. Canones, prohibentes talibus Monasteriis aliquid ab ingressuris recipere, ac posse tunc intervenire simoniam jure divino prohibitam, contra quam nulla
valet licentia, vel dispensatio. Accedit quod cum 25
abesse cognoscatur periculum proximum, ut Monasterium prædives ad inopiam reducatur, si deinde id eventurum prudenter timeatur, poterit tunc a puellis ingressuris dotem exigere.

Solent etiam adduci aliquæ concessiones S. Ponti- 26
ficum, quibus indiscriminatim permissum videtur Monialibus dotem accipere a puellis ingressuris in Monasterium. At advertere est similes concessiones, vel non esse authenticas, vel intelligendas juxta SS Canones, id Solum permittentes Monasteriis pauperibus; vel dicendum per easdem solum concedi, ne Moniales divites, dotes exigendo, juris pœnas incurrant. Et quidem quidquid sit de talibus concessionibus, certe nullius essent efficaciæ, semper cum exigenda dote a puellis ingressuris in Monasterium, simonia juris Divini committeretur; ad eam etenim auferendam nihil valent Pontificiæ concessiones.

Quod si tandem dicatur valde durum esse credere quamplura opulenta Monasteria, quæ a puellis novas dotes recipiunt, esse peccato simoniæ infecta; respondendum est primo, jam alias SS. Canones deplorasse hoc vitium plures Moniales infecisse, ut videre
est *c. quoniam de Simon.* Secundo, dicendum est mul- 27
titudinem, & universalem consuetudinem non esse sufficientem rationem ad excusandas prædictas Moniales a Simonia, ut habetur ex *c. dilectus 30. de Simon.* ibique additur ratio, *quod tanto graviora sunt peccata, quo diutius infelicem animam tenuerunt alligatam*. Tertio, dicitur multoties Moniales excusari ratione bonæ fidei, & invincibilis ignorantiæ; atque ubi non adsint hujusmodi causæ ad eas excusandas, ultro concedit esse simoniacas *Reinff. in 5. Decret. tit. 3. de Simon. §. 9. n. 178.*

Demum futilis esset excusatio, si diceretur de facto nulla dari Monasteria ita opulenta, ut saltem ad impediendum periculum prudenter prævisum se redigendi ad inopiam, necesse non habeant novas dotes recipere. Certe imprudenter timent hujusmodi periculum illa Monialium Monasteria, quæ non paucam habent recollectam pecuniam, quapropter continuo nova emunt prædia, novos constituunt, ac insignibus ornamentis, auro, ac argento fulgentibus, & etiam multa arte elaboratis, ornant Ecclesiam, &
sacram augent supellectilem. Certe non facienda sunt 28
mala, ut eveniant bona, adeoque nec licite ob superflua facienda dotes a puellis ingressuris recipiunt.

CONSILIUM XXVIII.

ARGUMENTUM.

Pater, quamvis in Sacris constitutus, debet dare ex quocumque jure convenientia alimenta filiis spuriis, ac filiabus convenientem dotem; nil autem potest illis dare titulo donationis inter vivos, vel etiam ita instituere hæredes, ut saltem per interpositam personam possint, vel in totum, vel in partem ipsius consequi hæreditatem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ex jure Civili videtur prohibitum dare spuriis etiam ipsa alimenta.*
3 *Jus Civile solum loquitur de filiis, qui nati sunt ex coitu damnato, & jure Civili punibili.*
4 *Aliqui volebant ratione juris Civilis non danda esse a Patre alimenta necessaria spuriis, ut puniretur Pater in filiis.*
5 *De jure naturæ est, ut filii sive naturales, sive spurii, alantur a parentibus.*

6 *Neque etiam leges Civiles interdicere potuerunt Parentibus quoscumque filios alere.*

7 *Quando alias jure Civili sancitum esset, correctum fuisset a jure Canonico.*

8 *Filii Spurii quocumque jure sunt detestabiles, & odiosi.*

9 *Constitutio S. Pii V. nullatenus intelligenda est de denegandis alimentis filiis spuriis a Patre Ecclesiastico.*

10 *Materia alimentorum est favorabilis, unde parvus excessus non est damnandus.*

11 *Alimenta subministranda Spuriis, non solum secundum necessitatem naturæ, sed etiam secundum convenientiam ipsorum status.*

12 *Alendæ etiam sunt personæ, quæ ad ipsos filios spurios pertinent, si ipsi facere non possint.*

13 *Dum vere datur excessus in alimentis, quæ dantur filiis spuriis, omnino illicitus est.*

14 *Filiæ etiam spuriæ danda est dos proportionata alimentis, quæ ipsi essent tribuenda.*

15 *Magis urgere potest obligatio dandi dotem, quam obligatio dandi alimenta.*

16 *Id non prohibetur Constitutione S. Pii V.*

17 *Non potest constitui dos excedens filiæ spuriæ.*

18 *Non interdicitur Patri donare filiis spuriis donatione remuneratoria.*

19 *Pater nil potest dare filis spuriis, vel ex donatione, vel ex testamento, vel ex quocumque alio titulo.*

20 *Ecclesiastici id facere non possunt etiam ex ipsis bonis patrimonialibus.*

21 *Quidquid ex præfatis titulis accipiant a Patre filii spurii, est ab ipsis restituendum.*

22 *Si Ecclesiastici contra Constitutionem S. Pii V. aliquid disponant, ipsorum dispositio nulla est, etiam respectu illorum, qui possunt ab ipsis Ecclesiasticis aliquid habere.*

23 *Solum filii naturales possunt succedere in hæreditate patris, si desint filii legitimi &c.*

24 *De jure communi non videtur reprobatum, si Pater instituat hæredes aliquos, pertinentes ad eosdem filios spurios.*

25 *Idem dicendum, si instituat hæredem illum, qui instituit universalem societatem cum suo filio spurio.*

26 *Id tamen omnino probibitum est personis Ecclesiasticis ex Constit. S. Pii V.*

25 *Licet Pater institueret hæredem illum, quem fiduciam haberet traditurum hæreditatem suo filio spurio, dummodo hic non præstet fidem de ita faciendo.*

28 *Quod discrimen intercedat inter conditionem, & modum.*

29 *Si quis instituat amicum hæredem cum gravamine restituendi hæreditatem Spurio, Amicus sit verus hæres, & dominus hæreditatis.*

30 *Ex non adimpleto gravamine actus non redditur nullus.*

31 *Qui institutus est hæres cum tali gravamine, potest dare spurio hæreditatem tamque iste potest recipere.*

32 *Hæc tamen illicita sunt respectu Patris Ecclesiastici, relinquentis hæreditatem spuriis per interpositam personam.*

1 CUM quidam Ecclesiasticus in Sacris constitutus (heu quanta est hominum infirmitas, maxime voluntarie inter pericula degentium!) filium, unaque filiam ex soluta procreasset, non solum ipsis tribuit alimenta, sed etiam plura alia titulo donationis, ac assignata filiæ dote in matrimonio collocavit. Cum interim adhuc hujusmodi filios maximo amore prosequeretur, cogitabat quomodo posset illos hæredes instituere. Volebat igitur in ea parte, quam relinquere volebat Filiæ, ipsius Maritum hæredem instituere, & in ea parte, quam filio relinquere cogitabat, anceps erat, an institueret hæredem ejusdem filii uxorem, vel potius Amicum, habita ab ipso promissione, quod eam Spurio tradidisset. Cum autem etiam scire optaret quid in conscientia facere potuisset (fortasse tandem resipuerat) & modo facere posset, inquirebat, an potuisset spuriis dare alimenta, eo maxime quia non tam exigua tradiderat; an filiæ dotem; an valide plura tribuisset titulo donationis; an demum modo præfato hæredes instituere potuisset.

2 Quoad alimenta spuriis præstanda si attenderetur rigor juris civilis, forte nulla; vel exigua essent præstanda; nam *in Authent. ex complexu C. de incertis nuptiis*, hæc verba continentur: *Ex complexu nefario: aut incestu, seu damnato liberi, nec naturales sunt nominandi omnis paternæ substantiæ indigni beneficio, ut non alantur a Patre.* Hanc Constantini legem approbavit Justinianus *in Auth. quibus modis naturales efficiantur sui §. fin.* Quamvis plures velint in dicta Authentica *Ex complexu* comprehendi omnes, & quoscumque filios, qui extra legitimum Matrimonium, ex concubinatu a jure civili permisso nascuntur, qui omnes juxta jus civile spurii dicendi sunt; nihilominus bene dicitur dispositionem Imperatoris in dicta Autentica *Ex complexu*, solum procedere respectu filiorum, qui nati sint ex coitu damnato, & jure civili punibili; ut si nati sint ex adulterio, incestu, concubitu, sacrilegio, habito nempe cum Mo- 3
niali, cum Religioso professo, cum Persona constituta in Sacris &c. *Covarr. de Sponsal. p. 2. c. 8. §. 6. n. 5.*, *Paleotus de Nothis c. 40.*, *Peregr. de jur. Fisc. l. 3. tit. 18. n. 57.* Quoad eos ergo tantum intelligendam legem Constantini videntur designare etiam illa verba *ex complexu nefario, aut incestu, seu damnato &c.* eo maxime, quia in pœnalibus, & odiosis nulla admittitur extensio; & ulterius bene potuerunt leges velle esse punibilem coitum damnatum, non vero coitum, qui talis non sit.

4 Ita etiam aliqui noluerunt Spuriis, sive ex damnato coitu natis, deneganda ex jure civile alimenta, ut etiam non essent suppeditanda alimenta, simpliciter necessaria ad vitam sustentandam. Ratio inter Jurisperitos, qui hanc tuentur sententiam, ea est, quia leges in odium coitus detestabilis, in pœnam filiorum ita genitorum, cum ea in ipsos Patres redundet, ita disponere potuerunt, ut ipsos a damnato coitu revocarent. Hinc non referre dicunt ita nasci vitium esse Patris, non filiorum; *can. nasci dist. 56.* cum etenim Pater in filio puniatur; *leg. isti quidem ff. quod metus caus.*, idcirco a removendis Parentibus ab hujusmodi turpissimis congressibus, putant potuisse ipsos in filiis punire. Ita ratiocinantur apud Surdum *de alim. tit. 1. q. 10. n. 1.* eamdemque sententiam sequitur *Petrus Barbosa ad l. 1. p. 4. ff. solut. matr. Jo. Garzias de expensis c. 11. n. 25. &c.*

5 At hujusmodi Jurisperitos longe verius esse nullatenus attendendos arbitror. Ad hoc autem probandum supponendum est de jure naturæ esse, ut filii alantur a Parentibus, & e contra. In procreatione ergo filiorum duo a natura considerantur. Primo, ipsa procreatione, Secundo, filiorum educatio, quæ, ordinarie loquendo, ut convenit, dari non potest, si filii extra matrimonium procrearentur. Quamvis igitur secundum rationem educationis alienum sit a natura rationali, ut filii extra matrimonium generentur, non tamen est contra naturæ ordinem ipsa procreatio filiorum extra matrimonium, quapropter ita procreati vere sunt filii, & solum ex jure positivo diversimode considerantur filii ex matrimonio, ac extra matrimonium procreati, maxime quoad successionem, si proinde attenta generatione omnes eodem modo sunt filii, consequens est quod si Parentes, quia sunt principium generationis, causa, & authores filiorum, debent ex jure naturæ filiis legitimis alimenta, eodem pariter jure, eademque ratione eadem subministrare debent quibuscumque illegitimis, respectu quorum habent eamdem rationem principii, & sanguinis conjunctionem. Ita omnes Theologi, & Canonistæ, quorum plures allegat, & sequitur Sanchez *in Consil. l. 4. c. 3. dub. 27.* nec refragantur multi ex Juriperitis, quos sequitur *Rota dec. 747. n. 7. p. 4. Diversf. Gratian. c. 567. n. 36.*, *Surd de alim. tit. 4. q. 10 n. 6.*

6 Cum omnino constet de jure naturæ tribuenda esse alimenta a Patre etiam filiis Spuriis, dum ex se non habeant quomodo sustententur, hinc persuadere mihi non possunt Leges Civiles etiam in tali casu voluisse interdicere Patribus illos alere; nam alias iniquæ essent judicandæ, quod faciendum non est, dum juxta jus naturale possunt interpretari. Immo non desunt Jurisperiti, qui ex ipso jure civili probent posse Patrem cogi ad præstanda filio spurio alimenta, si Mater non habeat unde alat, cui ex dicto jure præcipue incumbit spurios alere, ut constat ex *l. si quis a liberis §. Ergo & Matrem ff. de libert. agnosc.* Inter præfatos Jurisperitos præcipue legendus Hotomanus *in disp. de spuriis §. Ut in pauca congeram.*

7 Quidquid autem ultro concederetur dispositum fuisse a jure civili de denegandis Spuriis alimentis dicendum est correctum fuisse a jure canonico *in c. cum haberet in fin. de eo, qui duxit in Matrim. &c.* Cum igitur ibi di-

can-

cantur alendi decem filii, quos Nobilis quidam Passu-
lanus habuerat ex sua Pellice, cum qua ipsi exprobratur
diu cohabitasse etiam vivente Uxore, adeoque credibi-
le est saltem aliquos tunc temporis ex ea generasse, con-
stat voluisse ibi Pontificem decernere etiam spuriis submi-
nistranda esse alimenta; cum maxime Decretum Pon-
tificis fundetur in pietate, æquitate, & jure naturali,
8 quibus titulis Parentes debent alere filios. Neque his
obstat *cap. per venerabilem qui filii sint legitimi*, dici
ab Innoc. III. Spurios non solum a successione pa-
terna, sed etiam ab alimentis, legibus sæcularibus
repelli. Non, inquam, hoc obstat, quia S. Pontifex
non hæc dixit ad approbandum jus Civile inquantum
potuerit decernere Spuriis deneganda esse alimenta,
sed solum ad ostendendum Spurios detestabiles esse, &
odiosos, non solum legibus Divinis, ut demonstrant
auctoritates S. Scripturæ, quas ibi adducit, sed etiam
legibus Humanis. Communiter proinde docent Theo-
logi, & Canonistæ de jure Canonico Spuriis omnino
a Patre præstanda esse necessaria alimenta, ut videre
est apud Barbosam *in Collectan. in d. cap. per venerabi-
lem n. 51. & in collect. in dict. Auth. ex complexu n. 26.
Cod. de incert. nupt.*, & apud *Ricc. in Collect. decis.
collect. 97. 110. c. 1099. & 1212.*
9 Item præfatis non obstat Constitutio S. Pii V. incip.
Quæ Ordini, quæ est 117. hujus Pontificis, qua revo-
cantur omnes facultates testandi, & disponendi de bo-
nis Ecclesiasticis, & etiam quoad Clericos de bonis
patrimonialibus in favorem quorumcumque illegiti-
morum. Dicendum etenim est tantum Pontificem so-
lum intellexisse removere quascumque speciales fa-
cultates, non vero quod ex pietate, lege naturali,
& jure Canonico illegitimis debetur, adeoque noluisse
interdicere illis dare alimenta; contrarium etenim
cogitare de illo Pontifice non est, ait Rota *dec. 747.
n. 12. p. 6. Divers.*
10 Quoad excessum autem alimentorum, quem Eccle-
siasticus, de quo in casu, tribuit filiis spuriis, ego
in primis observabam materiam alimentorum esse fa-
vorabilem, quapropter aliquem moderatum excessum
in sumministrandis alimentis non fuisse damnatum, un-
de in materia alimentorum ampliationem admittit Ro-
ta quamvis aliqua intercederet superfluitas, ut vide-
11 re est apud Rubeum *decis. 194. a n. 24.* Secundo, di-
cebam alimenta spuriis, esse subministranda juxta ipso-
rum statum, adeoque non esse necesse, ut spuriis
solum secundum naturę necessitatem concedantur: *San-
chez in cons. l. 4. c. 3. dub. 34.* Ex hoc autem infertur,
quod si filius ratione patris in dignitate constituti, non
sit adnumerandus inter viliores personas, neque etiam
12 ipsi omnino vilia sint suppeditanda alimenta. Item a-
lenda est ipsius Uxor, quamvis Patre reluctante, eam
duxerit; alendi sunt ipsius Filii, & Famuli, quoties
habere personas conveniat statuti ejusdem spurii, item-
13 que non habeat quomodo illas alat. Dum vero ex
quacumque ratione magnus fuisset excessus in alimentis
præstandis spuriis, puto a Patre illicite factum esse,
dum id ex aliqua alia ratione non potuerit cohone-
stari; nam leges etiam Canonicæ interdicunt Eccle-
siasticis quodcumque dare filiis spurris, & solum id
permittunt quoad necessitatem alimentorum.
14 Sicuti dictum est Patrem non solum posse, sed etiam
debere alimenta spuriis præstare, dum per se facere
non potest; ita etiam dicendum Patrem debuisse consti-
tuere dotem filiæ spuriæ, quamvis id neget Fagund. *in
Decalog. lib. 4. cap. 1. num. 7. & cap. 17. n. 9.* At contra-
rium omnino est affirmandum; nam *c. cum haberet
de eo, qui in Matrim. &c.* non solum dicitur provi-
dendum filiis spuriis de alimentis sed etiam submini-
stranda omnia necessaria pro modo facultatum; in-
ter necessaria autem respectu filiæ computetur dos,
ut *ex leg. 1. ff. Sol. Matr.*, *& ex Auth. res, quæ com-
munia de legat.* neque enim ea carens potest nubere,
15 & non nubendo, forte turpiter viveret. Ex hac ratione
dicendum est majorem necessitatem esse de constituenda
dote filiæ spuriæ, quam de præstandis alimentis,
propter periculum nempe incontinentiæ, quod immi-
nere potest, si manere deberet innupta; adeoque si
Pater filiæ spuriæ præstare debet alimenta, multo ma-
gis debet præstare dotem. Ita magis communiter DD.
16 videndi *in Collection. ad c. cum haberet cit. n. 10.* Et
præcise quod etiam post Constitutionem S. Pii V. Cle-
rici teneantur alimenta filiis spuriis præstare, & in eo-
rum favorem ex causa alimentorum, & dotis dispo-
nere possint de bonis patrimonialibus, & in subsidium
etiam de ipsis fructibus, & redditibus Ecclesiasticis,
tradidit Rota *dec. 747. a n. 12. p. 2. Divers. Surd. de alim.
tit. 1. q. 10. n. 29.* aliique, quos refert, & sequitur Barb.
loc. supr. cit. n. 6. Quod si Pater tradiderit spuriæ dotem
excedentem, seu inofficiosam, tunc certe illicite ope-
ratur, utpote operans in fraudem legis, quæ solum con-
cedit dare spuriis alimenta, & filiabus dotem loco ali-
mentorum. Dum proinde ita excedit in assignanda do- 17
te, ut quod tribuit, notabiliter supergrediatur, quæ
danda erant loco alimentorum, utique illicite dat, ut-
pote quia operatur contra Leges. An vero a filia, vel
ipsius Marito restituendus sit excessus dotis, videri
potest apud *Sanch. in Consil. l. 4. c. 3. dub. 39.*, & apud
Boss. *de aliment. oblig. c. 6. §. 8.*

Descendendo modo ad loquendum de his, quæ Pa-
ter donavit spuriis, non fuisset ex hoc redarguendus,
quando donatio fuisset remuneratoria. Etiam igitur
admisso prohibitum esse a jure Patri, ne etiam titulo do-
nationis aliquid spuriis impertiatur, id intelligendum
non esset de donatione remuneratoria; nam hæc non est
rigorosa donatio, sed remuneratio. Ita quamvis ex
jure nulla sit donatio, quæ intervenit inter virum,
& uxorem: nihilominus valida dicitur quæcumque do- 18
natio remuneratoria fiat inter eos: *Sanc. de Matr. l. 6.
disp. 6.* Verum tamen est, quod, ut donatio sit remune-
ratoria, debuit fieri ex talibus meritis, seu famulatu,
ad quæ Donatarius non teneretur; neque enim remu-
neratio proprie cadit super id, quod alias debitum est.

Ubi vero donatio non fuerit remuneratoria, neque 19
Pater potuit donare, neque filius spurius recipere, aut
retinere donatum; nam leges expressissime prohibent
aliquid dare spuriis, sive ab intestato, sive ex testamen-
to, sive ex donatione, ut clare constat *ex leg. si quis in-
cesti C. de incest. nupt. & ex leg. 1. C. de natural. liber.*
& specialiter quoad Clericos, quod Clerici nihil tribue-
re possint hujusmodi filiis vel etiam ex ipsis bonis patri-
monialibus, expresse sancivit S. Pius V. in Constit. sup.
cit. Hinc Spurios, Spuriasque restituere debere, quod 20
haberint a Patre titulo donationis, communis tenet
sententia, utpote quia leges non solum id in pœnam
ipsorum sanciverint, sed etiam illos voluerint incapaces
ita tradita possidendi. Ita communiter DD. apud *Sanc.
in Conf. l. 4. c. 3. dub. 19.* Ubi etiam reprobatur opinio
illorum qui dicebant, quod quamvis Spurii Clericorum,
vel Religiosorum sint incapaces aliquid recipiendi ex bo-
nis paternis ultra alimenta sive ex testamento, sive ab
intestato, sive donatione inter vivos; permittebant ta-
men Spuriis Secularium aliquid recipere donatione inter
vivos a Patre. Improbabilis ergo dicitur, & falsa ista 21
sententia, cum adsint Leges, quæ nulla facta distinctio-
ne omnibus Spuriis has donationes fieri nolint. Insuper
advertendum, quod ubi Ecclesiasticus habens filios ali-
quam faciat dispositionem de suis bonis, contra id, quod
disponitur in Const. S. Pii V., vult quod neque ipsi, qui 22
alias, essent capaces obtinendi quæ ipsis donat &c.
possint facere sua etiam titulo præscriptionis &c.

Solum ergo posse habere aliquid a Patre etiam ex te-
stamento, permittitur filiis naturalibus, pro quibus in-
telligo omnes illos qui procreati sunt ab iis, inter quos
tempore conceptionis, aut nativitatis poterat esse legi-
timum matrimonium, ut *ex c. ex tanto qui fil. sint leg.*
Si desint ergo filii legitimi, & Uxor, hos posse succe-
dere Patri ex testamento, tradit *Boss. de aliment. c. 6.
n. 157. & n. 178. in fin.* ex Paleot. *de Nothi. c. 40.*

Videamus modo, an iste Pater potuerit Spurium, & 23
Spuriam suis bonis indirecte adjuvare, instituendo suos
hæredes uxorem Spurii, & Maritum Spuriæ. In hac
igitur quæstione, præscindendo a Constitutione S. Pii
V. non improbabiliter sustineri posse id licitum fore,
quamvis multi relati *Sanc. in Conf. l. 4. c. 3. dub. 42.
n. 2.* illicitum judicant, cum intervenire videatur fraus in
legem, eo quod idem videatur esse, ac si Pater per inter-
positam personam propria bona filio, filiæque tribue-
ret. Contrarium nihilominus etiam ut probabilius
sustinet *Sanc. loc. cit.*, quem sequitur Boss. *de alimen-
tis c. 6. n. 216.* & id probat *arg. l. ult. ff. de his, quibus,
vel indignis*; & etiam quia leges odiosæ, & pœnales
non sunt extendendæ, sed stricte restringendæ, ad sim-
plicem casum, quem exprimunt, & cum id ex jure
faciendum sit, non videtur fraus commiti in legem,
ubi non attendatur extra casum stricte, & limitate sum-
ptum, qui in lege continetur. Hac ratione idem Bos- 24
sius paulo ante *n. 113. & 114.* dixerat posse Patrem hæ-

redem instituere illam personam, cum qua ipsius Spurius contraxerat Societatem, uta ita saltem dimidia hæreditatis pars ad Spurium perveniat.

26 Quæ tamen supra dicta sunt de Patre instituente suos hæredes uxorem sui Spurii, ac suæ filiæ Maritum, ad summum admitti possunt respectu Patris Sæcularis, qui ex damnato coitu ipsos filios habuerit. Ubi vero recepta fuit citata Constitutio S. Pii V. omnino id illicitum est respectu Personæ Ecclesiasticæ; nam huic omnino interdicit aliquid etiam de bonis patrimonialibus modo præfato favore spuriorum disponere. En ipsius verba, quæ habentur §.4. *Deinch vero districtius prohibemus, ac talia sive in prædictos illegitimos utruslibet sexus, sive in illorum conjuges, sive ipsorum Parentes, filios, descendentes, ascendentes, vel alios cognator, sive defunctis, sive viventibus illegitimis, etiam paupertatis, dotis, aut alterius cujuscumque pii operis intuitu fiant, neve ipsi unquam in r bus, bonis, pecuniis, juribus, jurisdictionibus, & actionibus prædictis, sive totis, sive in parte succedant, aut illa ad ipsos, quamvis dispensatione suffultos, etiam per prædictum circuitum deveniant, neve de eis ulla in alium, seu alios concessio, donatio, translatio, aliave dispositio fiat, ut alia bona similia, vel dissimilia, illegitimis, aut aliis supradictis concedantur.*

27 Ultimo, examinandum erat, an iste Ecclesiasticus ita potuerit aliquem hæredem instituere, ut ipsum gravaret ad dandam suam hæreditatem spuriis, & an hæres ita gravatus vere dare teneretur. Nil autem illicitum certe intervenire dicendum esset, quoties non ea lege hæredem instituisset Amicum, ut spurio suam restitueret hæreditatem, neque hic fidem præstitisset de ita faciendo, sed solum hæredem instituisset Amicum, eo quod fiduciam haberet ab ipso, suo filio spurio hæreditatem esse restituendam. Sicut autem in tali casu dubitari non potest Amicum vere fieri Dominum hæreditatis, ita certum esset integrum illi esse eam Spurio dare, eamque Spurium posse recipere, quia solum recipere non potest a Patre, non vero ab alio vero Domino.

28 At supposito etiam Patrem Ecclesiasticum instituisse Amicum hæredem cum explicato gravamine, ut postea hæreditatem filio spurio daret, mihi saltem quoad aliqua valde probabilis opinio *Sanch. in Conf. l.4. c.3. dub.*20. videbatur, quæ asserit quod hæres ita institutus potest habere hæreditatem, & quod possit recipi; ac retineri a Spurio, si ipsi tribuatur. Pro hoc probando, recolenda sunt quæ dixi *tr.*21. *q.*21 *cap.*2. de differentia quæ intercedit inter conditionem,
29 & modum: Conditio itaque taliter se habet in quocumque contractu, ut pendeat ab adventu ipsius consensus, contrahentium, adeoque non est perfectus contractus, quoadusque adveniat conditio. E contra ante modum datur perfectus consensus contrahentium, & proinde ante ipsum subsistit contractus, cui advenit modus exequendo nempe gravamen in contractu impositum. Dum igitur Ecclesiasticus, de quo sermo est; instituit hæredem Amicum, injuncto ipsi gravamine, ut hæreditatem det spurio, jam intelligo ipsum Amicum esse verum hæredem, quam-
30 vis cum præfato gravamine. Et quamvis gravamen ad executionem non demandetur: non desinit actus esse validus; & ita, ut observat *Sanch. cit.*, non amittat civilitatem ille, qui factus est Civis, dummodo aliquid solvat, si postea non solvit; nec ulla dicitur collatio alterius Beneficii; facta cum obligatione ponendi in primo substitutum, si id non adimpleatur. Eo ipso autem quod sit verus hæres, cum sit verus Dominus illius hæreditatis, qui impedit, ut non possit spurio dare, vel spurium recipere? Certe tunc non accipit hanc hæreditatem a Patre, vel a voluntate efficaci Patris, sed ab Hærede ab ipso instituto, & ab ipsius voluntate, cum libere consenserit in danda eidem hæreditate.

31 Præfata dicta sint attenta legum dispositione. Cæterum attenta Constitutione S. Pii V. nullatenus præfata licite, & valide fieri possunt, cum decreverit, quod illegitimi nullatenus in bonis Patris Ecclesiastici, *sive protinus, sive per interpositas personas, atque quomodocumque succedere, aut illa alias ad eos etiam per quemcumque circuitum multiplicatarum in alios capaces Successionum modo possint devenire.*

CONSILIUM XXIX.

ARGUMENTUM.

Non aliis, sed solis Doctoribus in Sacra Theologia, vel Jure Cononico licet aperire &c. literas Sacræ Pœnitentiariæ, si habeant hanc clausulam *Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori*. Nibilominus ex privilegio.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*

2 *Nullus quantumvis doctissimus potest aperire & exequi litteras S. Pænitentiariæ, si non obtinuerit lauream Doctoratus, vel in S. Theologia, vel in jure Canonico.*

3 *Neque etiam aperire possunt Licentiati in S. Theologia.*

4 *Facultas aperiendi &c. litteras Pænitentiariæ conceditur Doctori in S. Theologia &c. ratione Dignitatis.*

5 *Magistri in S. Theologia, si non fiat Doctores, non possunt præfatas litteras aperire.*

6 *Id concessum fuit Confessariis Societatis Jesu de licentia Generalis, vel alterius Superioris ab eo degnati.*

7 *Gregorius XIII. concessit Societati Jesu quædam privilegia privative ad alias Religiones.*

8 *Alii Pontifices privilegia Societati concessa ad alias Religiones extenderunt.*

9 *Quod Antecessores prohibuerunt, possunt Successores concedere.*

10 *Quando adest eadem ratio, qua primo concessum est privilegium, idem ratione communicationis conceditur privilegium, quodcumque illud sit.*

11 *Quæcumque privilegia Regularibus concessa, sunt favorabilia, & late interpretanda.*

12 *Conveniebat Confessariis Societatis non posse aperire literas Pœnitentiariæ sine Generalis licentia.*

13 *Id non attendendum a cæteris Religiosis.*

CUM juxta stylum ordinarium S. Pœnitentiariæ, ipsius literæ aperiendæ sint *a Discreto Viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori &c approbatis ab Ordinario*, specialiter ab ipsarum latore eligendo, ortum fuit dubium, an simplex Religiosus electus ab ipsarum latore, vero doctus, tam in Theologia, quam in Sacris Canonibus, potuerit easdem literas exequi. 1

Certe quicumque Religiosus, quantumvis doctissimus, non poterit exequi literas S. Pœnitentiariæ, si præcise attendatur quid in rigore significet prædicta clausula iisdem literis apposita. In vi ergo præfatæ clausulæ Executor literarum S. Pœnitentiariæ debet esse Magister, & Doctor in S. Theologia &c. quales sunt, qui tales creantur in aliqua Universitate; & aliquibus in locis vocantur Magistri, in aliis vero Doctores S. Theologiæ, adeo ut in præsenti materia Magister, & Doctor in Theologia sint Synonima: *Sanch. lib. 8. de Matr. disp. 34. num. 5. Gobath. in Quinar. tr. 5. cap. 37. num. 555.* Quod si non sit in S. Theologia Magister, aut Doctor, debet saltem esse Doctor Decretorum, nempe Juris Canonici. 2

Hinc bene deducitur, quod attenta præfata clausula, qui reipsa non est insignitus in publica aliqua Universitate, vel Academia laurea doctorali, non potest, nec valide exequi literas S. Pœnitentiariæ, adeoque si dispensaret in aliquo impedimento dirimente, Matrimonium in vi talis dispensationis contractum, omnino nullum esset: *De Just. lib. 1. cap.8. a num.95., Sanch. l. 8. disp. 54. a num. 5. Gobath. cit. a num. 1561., Pontius de Matr. l. 1. c. 21. §. 1. au. 13. Lezan. V. Literæ Apostolica.* Ratio autem de se clara est, quia Delegatus debet esse effective Magister seu Doctor in S. Theologia, vel Doctor in jure Canonico; qui ergo effective talis non est, vere non est ad dispensandum Delagatus, & ita invalide dispensaret.

Hinc communiter reprobatur Engel in *Manual. Paroch. p. 3. c.2. §.1. n.16.*, qui vult Licentiatos, eos 3 nempe, qui sunt examinati, & approbati, sed Docto-

ctoratus insignia non receperunt, posse aperire, & exequi literas S. Pœnitentiariæ. Quamvis igitur Licentiati in doctrina pares Doctoribus habeantur, & etiam in favorabilibus nomine veniant Doctorum; nihilominus id intelligitur quoad ea, quæ competunt Doctoribus ratione exercitii, non ratione dignitatis: potestas autem dispensandi non competit illis, nisi ratione dignitatis: *arg. c. Statutum de rescrip. in 6., Sanchez cit. n.8.* Addendum quod cum agatur de valore Sacramenti, nullatenus est discedendum a communi opinione.

4 Ex præfata communi doctrina communiter etiam inferunt Theologi supra citati, attenta clausula ab initio allegata, nullatenus Professores, & Rectores Regulares, qui juxta Religionis Statuta vocantur Magistri, vel Doctores S. Theologiæ, posse exequi literas S. Pœnitentiariæ, quia revera non obtinuerunt lauream Doctoratus in aliqua Universitate, ut ex
5 vi ejusdem clausulæ obtinere debuissent. Remanet modo videre, an simplices Religiosi aperire possint, & exequi literas S. Pœnitentiariæ in vi alicujus privilegii.

Sciendum igitur est Gregorium XIII. 3. Aprilis 1582. quibuscumque Confessariis Societatis Jesu privilegium tenoris sequentis concessisse: *Possunt Sacerdotes Societatis Jesu designati per Præpositum Generalem, aut de ejus licentia per alios Superiores Societatis, & a locorum Ordinariis approbati, etiamsi nullo gradu sint insigniti, aperire literas S. Pœnitentiariæ destinatas Magistris in Theologia, vel in jure canonico Doctoribus, & auditis confessionibus recurrentium ad ipsos, imposita illis pœnitentia in literis expressa, vel de jure injungenda, eos absolvere, ac in foro conscientiæ quascumque sibi verbo, vel scripto commissas absolutiones, dispen-*
6 *sationes, & pœnitentiarum injunctiones excipere, & exequi.* Dubitari autem aliquibus posse videbitur, an alii Regulares fruantur tali privilegio, quia Societas Jesu quædam habet privilegia cum clausula, *ne illis per communicationem alii Mendicantes fruantur.*

7 Verum quamvis concessum fuisset dictum privilegium cum clausula præfata, quod non credo, omnino apud me certum est posse quemcumque Religiosum æque ac Confessarium approbatum Societatis Jesu, maxime de sui Generalis licentia, vel alterius Superioris, cui Generalis concesserit facultatem talem impertiendi licentiam, posse aperire, & exequi literas S. Pœnitentiariæ, directas Magistris in Theologia, vel Doctoribus in jure Canonico. Ratio est, quia quamvis Gregorius XIII. & quidam alii Pontifices concessissent privilegia, quæ soli Societati Jesu convenirent privative ad alias Religiones; nihilominus alii posteriores Pontifices amplissimam omnium privilegiorum etiam Societatis Jesu communicationem concesserunt; ita etenim concessit Gregorius XIV. Cisterciensibus, & Cruciferis, ut patet ex ipsius
8 *Constit. incip. Illius, qui &c.*, quæ est 17. hujus Pontificis. Item Clemen. VIII. in sua *Constit. incip. Ratio Pastoralis &c.* edita an. 1597., & quæ est 51. hujus Pontificis, concedit Ordini Seraphico omnia, & singula privilegia quibuscumque, & quomodocumque concessa, non obstantibus quibusvis clausulis, quibus privilegia incommunicabilia redderentur, sicut legere est in dicta Constitutione, adeout nullum sit privilegium etiam Societati Jesu specialiter concessum, quo Ordo Seraphicus non fruatur. Nemo autem dubitare potest potuisse posteriores Pontifices communicabilia velle privilegia, quæ Antecessores incommunicabilia decravere; cum etenim par in parem non habeat imperium, ut etiam dicitur *c. innot. §. Cæterum de verbor. Signif.*, non potuerunt Antecessores manus Successorum ligare, quin aliter facerent ac sui Prædecessores.

9 Cum ergo etiam privilegia concessa Societati Jesu privative quoad alias Religiones, voluerint Summi Pontifices communia esse Cruciferis, Cisterciensibus, Ordini Seraphico &c. erunt etiam communia quibuscumque Religionibus participantibus privilegia horum Ordinum, atque hanc communicationem puto nulli, vel paucis ex approbatis Religionibus deesse.

Neque dicendum, concessa communicatione aliquorum privilegiorum, non intelligi concessam communicationem privilegii specialis, maxime si alicui tertio sit præjudiciale; cum etenim hoc valde sit exorbitans, non videtur comprehendi in generalibus con-
10 cessionibus. Contra igitur primo est, quia in præsenti non agimus de privilegio, quod juri alicujus tertii præjudicet. Deinde vera regula ad videndum, quando ex vi communicationis aliquod privilegium communicatum intelligatur, ea est, quod consideretur, an pro concedenda communicatione eadem militet ratio, qua primo concessum est tale privilegium; si etenim concessum sit intuitu Religionis, laboris, doctrinæ &c., hæc ratio verificatur in ordine ad quoscumque Religiosos; unde bene ad eos extenduntur talia privilegia, quamvis singularia videantur. Porro si Pontificum concessiones attente perlegantur, saltem ut plurimum ex præfatis generalibus causis concessæ videbuntur.

Addendum ex dictis *tr. 3. q. ult. c. 3. q. 3.* privilegia Regularibus concessa, etsi videantur esse contra jus commune, & contra jus tertii, vere non esse odiosa, sed favorabilia, adeoque admittere latam interpretationem. Hinc quodcumque privilegium quoad 11
communicationem in privilegiis aliis concessis, nullum excludere dicendum est, quoties ratio illud concedendi, non adeo fuerit specialis, ut non aptetur, nisi ipsi, cui concessum est.

Remanet autem observare, quod quamvis Religiosi Societatis Jesu uti non possint supracitato privilegio, nisi cum dependentia a Superiore Generali, vel altero Superiore ab ipso designato, id tamen non est necesse attendere alios Religiosos, qui participant Societatis privilegia. Ratio est, quia peculiare est Societatis 12
Jesu, in qua regimen est veluti monarchicum, ut saltem res præcipuæ a Superiore generali pendeant; atque ita privilegia non Societati, sed immediate ipsi Generali conceduntur, simulque participat privilegia aliis Religionibus concessa cum dependentia ab eodem Generali. Cum autem nil ex his in aliis Religionibus eveniat, respectu ipsarum quoad hoc non est attendendum, quod decernitur pro Religiosis Societatis. Insuper in communicatione privilegiorum non onera, sed privilegia communicantur; unde non est necesse alios Religiosos uti privilegio concesso Societati &c. cum dependentia a Generali &c. Ita pluribus citatis Salmanticenses *tr. 18. c. 1. n. 105.*

CONSILIUM XXX.

ARGUMENTUM.

Quando licitum sit Judicibus augere pœnas, vel easdem minuere, & an semper mitiora debeant eligere, quando in ipsorum arbitrio est unam, vel alteram pœnam imponere. Examinatur etiam, an liceat pecunia corrumpere Judices, a quibus immineret injusta sententia; sicut etiam, an liceat illos Potentium precibus fatigare.

SUMMARIUM.

1 *Facti Series.*
2 *Princeps Supremus potest augere, vel etiam minuere pœnas, non attendendo id, quod leges statuerant.*
3 *Etiam arbitrium Principis Supremi est a jure naturæ regulandum.*
4 *Judex Delegatus potest ex justa causa pœnas augere.*
5 *Arbitrium Judicis Delegati non solum debet esse regulatum a jure naturali, divino, & jure Gentium, sed etiam a jure positivo.*
6 *Delictum, quod juxta leges, omnibus attentis, non sit pœna mortis puniendum, nullatenus a Judice Delegato potest tali pœna puniri.*
7 *Si ex aliqua circumstantia aggravetur, augeri potest pœna a lege statuta, non vero diversa pœna puniri.*
8 *Dum ratione alicujus circumstantiæ delictum fiat alterius speciei, imponenda est pœna novo delicto correspondens.*
9 *Sicut ex justa causa potest Judex augere pœnam, ita & potest minuere, dum ita jura patiantur.*
10 *Impuberes, & Committentes delicta ex magna ira, ex magno dolore, vel impetu amoris mitius puniendi sunt.*
11 *Aliæ dantur causæ, ex quibus delicta mitius punienda sunt.*
12 *Dum homicidium commissum sit cum talibus circumstantiis, ut juxta leges morte plectendum sit, ita a Judice inferiore puniendum est.*

13 Nec

13 *Nec ipse Princeps Supremus potest rigorem legum relaxare, quoties ex hoc prævideretur crimina multiplicanda, & facinorosi animosiores evasuri.*

14 *Dum est in arbitrio Judicis unam, vel alteram pœnam eligere, ordinarie loquendo, debet pœna mitiore punire.*

15 *Ab hac regula discedere debet, quoties ratio boni publici exposcat, ut puniat juxta pœnam graviorem.*

16 *Si vere injusta immineat sententia, non est illicitum pecunia inducere Judicem ad justam pœnam discernendam,*

17 *Dum quis habet jus ad aliquod agendum, vel omittendum, potest permittere alterius peccatum, ut suum jus prosequatur, maxime si non prosequendo grave damnum pateretur.*

18 *In circumstantiis, in quibus Judex possit pœnam minuere, vel pœna ab ipsius pendeat arbitrio, licite Potentes apud Judicem intercedunt.*

19 *Non licet petere a Judice subalterno, ut puniat infra pœnas mitiores quam leges decreverint.*

20 *Nec etiam licet intercedere apud Judicem ut mitioribus pœnis puniat Reum delicti scandalosi,*

21 *Nec pariter, ut minuat pœnam pecuniariam, quæ alicui ex jure sit applicanda.*

22 *Omnino abstinendum a precibus importunis cum Judice, qui facile flectitur, seu muneribus corrumpitur.*

1 CUM Titius quemdam occidisset, & deinde in manus Justitiæ incidisset, pœna capitali se damnandum timebat, eo quod Judices se clare expressferant, velle in eo puniendo augere pœnas quoad fieri posset. Stante igitur timore quod Titius ad minus esset capite plectendus, ipsius Advocatus suadebat Consanguineis Titii, ut curarent pecunia removere Judices a rigidiore pœna, qua Titium punitum volebant. Nec in hoc aliquid adesse peccatum affirmabat, quia Judices criminales semper mitiora debent amplecti, & favere reis quantum patitur ipsorum arbitrium: quapropter cum injuste agerent volendo gravioribus pœnis Titium punitum, ajebat dare ipsius pecuniam ad eos removendos a voluntate augendi pęnas, quoad possent in punitione Titii, esse idem ac dare pecuniam pro impedienda injusta vexatione, quod indubitanter licitum esse affirmabat. Cum nihilominus Consanguinei Titii nollent statim id facere; & scire vellent, quid sine peccato facere possent, sequentia fuerunt examinanda. Primo, an Judices Criminales augere, vel minuere possint pœnas statutas contra Malefactores. Secundo, an in punitione criminum semper mitiora eligere debeant. Tertio, an supposito injuste velle aliquos damnare, possint pecunia removeri a proferenda injusta sententia; vel an demum saltem intercessionibus, & precibus Personarum potentium illos fatigare liceat, ut in mitiorem eligendam pęnam descendant.

2 Ut præfatis plene responderem, distinguendum primo fuit inter Principem Supremum, & Judicem ab eodem Principe delegatum. Certe Princeps Supremus, qui vel novas leges condere, vel antiquas mutare potest, vel præter, aut supra pœnas impositas a leges novas addere, poterit etiam pœnis majoribus Reos punire, nec cogitur sistere intra limites pęnarum, quas jura antea lata statuerunt; ita etenim fert ipsius suprema potestas. Verum tamen est in augendis pęnis, vel etiam minuendis non posse habere pro ratione propriam voluntatem; quamvis etenim necesse non sit, quod sibi proponat jura positiva pro regula sui arbitrii, nihilominus etiam arbitrium Principis Supremi regulandum est a jure naturali: & ita graviora delicta non potest velle puniri mitissimis pœnis, id etenim esset contra publicum bonum, quod jus naturale vult
3 neque a Supremo Principe lædi posse. Nec pariter velle potest delicta, quæ, omnibus attentis, sunt levibus pœnis punienda, gravioribus pęnis plectere; lex etenim naturalis dictat iniquum esse crimina ex omni parte leviora gravibus pœnis punire. Si igitur Judex, qui pęnis mortis voluisset plectendum homicidam, esset ipse Supremus Princeps, potarat utique id facere, quamvis attento jure positivo, mitiori etiam pęna plecti potuisset, adeoque non fuisset locus inquirendi, an pecunia redimi potuisset injusta vexatio.

Verum cum quæstio, ut puto, esset non de Supremo Principe, sed de Judice ab eodem delegato cum plena potestate ad reos puniendos, adhuc dicendum erat fuisse in ipsius arbitrio ex justa causa, & a jure approbata pęnas a jure latas augere: *leg. & si severius, leg. ex quibus caus. infer. err., leg. homicid. ff. de pœn., l. quid ergo §. Pœna gravior ff. de his, qui notant. infam. l. quoniam frequenter, leg. final. ff. ut lit. non contest. cap. 3. de Offic. Delegat., cap. final. de transact., cap. si Clerici §. De adulter. de Judic.* Et quidem cum delicta ex 4
circumstantiis ipsorum delictorum, deliquentium, & locorum graviora, & atrociora fieri possint, *cap. sicut dignum de homicid.*, cumque Legislatores non potuerint omnes has circumstantias vel prævidere, vel juxta eas pœnas statuere, ne leges in infinitum fere crescerent, necesse fuit omnes pęnas juxta facti, & personarum qualitates esse in arbitrio Judicis quoad eas augendas, vel minuendas: *leg. aut facta §. final., leg. quid ergo §. Pœna gravior ff. de his, qui notant. infam., Menoch. de arbitr. lib. 1. q. 26., Farinacc. q. 17. n. 7.* Ve- 5
rum tamen est arbitrium Judicis delegati non solum debere esse regulatum a lege naturali, divina, & jure gentium, quibus juribus etiam Princeps Supremus subditur, sed etiam a jure positivo: *Menoch. cas. 6. 7. & 13.*, & maxime in criminalibus intelligitur concessum arbitrium non liberum, sed regulatum a lege; *cas. 77. n. 1. & 5.*

Cum hæc generaliter dicta extra controversiam 6
sint, videndum modo est, an sit in arbitrio Judicis ita pœnam augere, ut etiam ad inferendam mortem perveniat. In hoc igitur casu primo dicendum est, quod si delictum per se non fuisset pęna mortis puniendum, & ratione alicujus circumstantiæ solum fuisset aggravatum, tunc non posset Judex Delegatus ex proprio arbitrio illud pęna mortis punire. Id bene deducitur ex paulo ante dictis, quia nempe Judicis delegati arbitrium debet esse etiam a jure positivo regulatum; unde si ex tali jure vel communi, vel statutario, tale delictum non est pœna mortis plectendum, nec mereri potest talem pęnam eo quod adfuerit aliqua circumstantia aggravans delictum, sed solum pęna a jure imposita posset augeri: *Menoch. de Arbitr. l. 1. q. 26. n. 20. Farinac. q. 7. n. 53.*, & alii apud ipsum. Hinc universaliter dicitur Judicem in arbitrandis pęnis sequi debere quod solitum est, & ab eo non discedere; *leg. si quis reum ff. de custod. Reor., & lib. 1. C. de pet., l. 40., & Auth. jubemus Cod. de Judic. §. 1.*, aliisque juribus citatis docent Panormit. *in c. inter Cæteras de rescript. Menoch. de arbitr. l. 2. q. 14., Farinac. q. 17. n. 45.*

Ponamus exemplum in eo, qui commiserit in rixa 7
homicidium, pro quo puniendo lex statutaria e.g. præscripserit exilium; certe Judex delegatus non potest hoc crimen pœna mortis punire eo quod in homicidio perpetrando aliqua circumstantia mere aggravans adfuerit; ut si e.g. homicida post primum lethale vulnus, aliud etiam in eodem rixæ calore inflixerit. Cum etiam stante hac circumstantia, verificetur homicidium fuisse in rixa commissum, non potest alia pęna, quam a lege contra tale delictum statuta puniri, quia non variatur species delicti. Solum ratione talis circumstantiæ poterit Judex exilium ad majus tempus protogare, dum ex tali circumstantia delictum, seu homicidium fuerit intra eamdem speciem gravius. At vero si circumstantia non solum aggravet delictum, sed talis sit, ut homicida ratione ejusdem aliud delictum specie diversum commiserit, tunc augenda est pęna, pro ratione novi delicti, ut de se patet. Ita si quis in rixa occiderit Fratrem, non solum puniendus foret 8
pęna, quæ correspondet homicidio in rixa commisso, sed etiam pęna, quæ correspondet novo qualificato delicto, consurgente ratione circumstantiæ personæ.

Quæ dicta sunt de augmento pœnæ applicanda sunt 9
ipsius diminutioni, quod nempe eam Judex minuere potest, si minuat ex justa causa a jure approbata; & si id non faciat ex justa causa peccat, & infamis evadit: *Jul. Clar. qu. 85.; Farinac. qu. 17. n. 6.* Hinc impuberes mitiori pœna puniuntur, quia præsumitur non esse omnino doli capaces: *Menoch. de arbitr. cas. 319. n. 1.* Mitius etiam punitur delictum in magna ira commissum, quod enim fit calore iracundiæ, minori saltem dolo perpetratur: *leg. 2. C. de Dolo, & leg. Auth. facta a. Causa ff. de pœn., leg. 2 §. Quær. ff. ad Turpil., can. si quis iratus 1. q. 3.* Hac ratione minus etiam punitur, qui delinquit justo dolore premotus,

cum

cum tunc non habeat plenam cognitionem, & difficile sit magnum dolorem temperare: *l. adulterium 30. §. Imperatores ff. de adulterio l. Graccus C. eod.* Hucusque dicta applicanda sunt peccanti ex inordinata amoris passione, nam impetu amoris captus agit ve-
11 lut ebrius. Aliæ dantur causæ ad mitius puniendum delictum, quamvis earumdem ratione delictum haud dici possit minus grave. Tales sunt lapsus longi temporis, consuetudo legitime introducta, spontanea criminis confessio, nobilitas, excellentia in arte, meritum in arte, meritum in Rempublicam &c. de quibus omnibus diffuse agit Farinaccius in Prax. Crimin. *p.3. tot. lib. 3. de pœnis temperandis.*

12 Ex prædictis facile est respondere ad id, quod principaliter inquiritur in casu; & dicendum quod si homicidium a Titio perpetratum fuerit cum aliquibus circumstantiis, quæ potius aggravent delictum, atque si tales intercedant circumstantiæ bene potuerit Judex juxta municipalia Statuta usque ad mortem inclusive ipsum condemnare, nullam illi facit injuriam, nam tunc plenum jus habet pœnas augendi; immo & ita facere debet; nam Judex inferior, cum careat potestate in legibus dispensandi, debet juxta eas judicare, & pœnas ab ipsis latas applicare, nisi adsit justa causa easdem minuendi; ut jam dictum est: *D. Tom. 2. 2. qu. 67. art. 4.* quem sequuntur Salmanticenses *tract. 29. cap. 1. punct. 3. num. 30.*, & communiter Theologi. Quod vero nulla esset causa minuendi pœnam ex eo constabat, quod opponebatur Titium homicidium commisisse non in rixa, sed animo pacato, & cum plena advertentia, adeoque fuerit ex omni parte voluntarium.

13 Immo putarem nec ipsum Principem Supremum multoties posse in similibus casibus pœnam a lege inflictam auferre. Non nego igitur non posse Principem Supremum, utpote qui est supra legem, pœnam taxatam minuere, vel auferre; & id etiam ad exercendam clementiam erga Subditos. At cum etiam ipsius arbitrium juxta jus naturale necesse sit regulari, statim constat non posse indulgentiam erga Subditos exercere, quoties nocere possit bono communi, eo quod nempe maleficia erunt frequentiora, ac homines scelesti fient insolentiores. Hinc si eo quod parceret furibus, homicidis, aliisque malefactoribus appareat homines scelestos non deterrendos, & crimina multiplicanda, non potest Princeps clementer cum Scelestis agere: *Princeps*, ait S. Thomas loco supra citato, *qui habet plenariam potestatem in Republica, si ille qui passus est injuriam, velit eam remittere, poterit reum licite absolvere, si hoc publicæ utilitati viderit non esse nocivum.*

14 Exinde autem major consurgere poterat difficultas, quia nempe Rei Advocatus affirmabat potuisse Judicem absque læsione legum, pœna mortis relicta, mitiorem eligere, cum videretur Statutum loci alternativam in pœnarum electione eidem Judici concedere. Hoc stante affirmabat saltem ex hoc capite injuste actum cum Reo, quoties relicta mitiore, capitalem pœnam elegisset. Et quidem, quamvis Menochius *de Arbitrar. q. 85. n. 3.* putet quod quando sunt duæ pœnæ alternative a lege taxatæ, Judex non de præcepto, sed solum de consilio debeat mitiorem eligere, nihilominus magis communiter docent Theologi mitiorem esse de præcepto eligendam; quapropter S. Th. 2. 2. q. 68. art. 4. ad 1. ait: *Misericordia Judicis habet locum in iis, quæ arbitrio Judicis relinquuntur, in quibus boni viri, est, ut sit diminutivus pœnarum &c.* Ita etiam ex eodem jure faciendum manifeste colligitur; nam juxta regulam 49. *Jur. in 6.* habetur quod *in Pœnis benignior interpretatio facienda est, & leg. factum ff. de reg. jur.* dicitur: *Factum in pœnalibus causis benignius interpretandum est.* Et ratio ea esse videtur, tum quia decet hominem imitari Deum Misericordem, qui punit citra condignum; tum quia cum etiam Malefactores, tamquam nostri proximi sint amandi, convenit in Judice Misericordiam apparere, etiam quando necessario debet illos punire.

15 At etiam hanc fere communem doctrinam dicendum est eam pati limitationem, quam supra innui, nempe nec posse, nec debere Judicem mitiorem pœnam eligere, quoties ita necesse foret ad compescendos Malefactores; nam tunc ratio publici boni, cui potissimum Judex attendere debet, aliud exposcit. Atque ita omnino dicendum videtur; nam si semper in pœnis alternativis Judex debere mitiora eligere, frustra diceretur unam, vel alteram eligere ab ipsius arbitrio pendere. Ita etiam *Exod.* 22. dicitur non permittendum Malefactores vivere: *Maleficos non patieris vivere*; eo quod si aliquando, omissa indulgentia rigorose non puniantur, sensim multiplicantur, ac nova graviora perpetrantur delicta. Ita etiam faciendum innui videtur *l. respiciendum ff. de pœn.*; ubi hæc habentur: *Respiciendum est Judicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituat, quam causa deposcit, nec enim aut severitatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est. Plane in levioribus causis proniores ad lenitatem Judices esse debent, in gravioribus pœnis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi.* Ex hoc autem constat, quod si agebatur de homicidio plene voluntario, quod delictum, ut severe puniatur, valde expedit publico bono, non sufficienter probabat Rei Advocatus cum eodem Reo injuste agi, quamvis mitiorem nollet pœnam eligere.

Supposito autem plene constare, quod Judex rigi- 16
diorem pœnam eligendo injuste ageret cum Reo, tunc puto consanguineos ipsius experiri potuisse; an si ei daretur pecunia ipsius animus in mitiora flecteretur, quamvis de hoc obtinendo ob ipsius integritatem pene desperarent. Ratio est, quia ex jure redimendi periculum vitæ conceditur etiam juste ad mortem damnato corrumpere Custodem, ut possit e carcere fugere, ut dixi *tr. 13. q. 3. c. 4. q. 8.* multo ergo magis poterit quis pecunia corrumpere iniquum Judicem, a quo quis est injuste graviter puniendus, nam tunc non solum operatur ex jure quod habet avertendi a se grave malum, sed etiam ad redimendam injustam vexationem. Nec refert dicere oblationem pecuniæ allici Judicem ad aliquid, quod non potest facere sine peccato; neque etenim potest acceptare pecuniam, ut desistat a sententia, a qua sine pecunia deberet ex vi sui officii desistere. Contra etenim est quia, dum quis solum intendit prosequi proprium jus, a quo prosequendo non potest sine gravi incommodo cessare, licet offerre alteri occasionem faciendi aliquod, quod non potest facere sine peccato. Ita licite, maxime in urgenti necessitate, offertur pecunia iniquo Ministro injuste deneganti Sacramenta: offerens enim pecuniam, cum solum intendat promovere suum jus, intelligitur dumtaxat permittere peccatum, quod Minister in acceptatione pecuniæ non potest non committere. Universaliter verum esse videtur, quod dum aliquis jus haber ad aliquid faciendum, vel omittendum, maxime si deberet ad his cessare cum gravi incommodo, possit ab altero exposcere, quod alias de sua natura esset indifferens, quamvis hic, & nunc ab eo fieri non possit sine peccato. Cum etenim ex una parte exposcatur, quod de se non esset malum, & ex alia jus habeatur ad illud præstandum, jam non adest obligatio alterius peccatum impediendi. Hinc quam- 17
vis non fieri possit Usurario solutio usurarum sine ipsius peccato, nihilominus supposito me jurasse soluturum, debeo solvere, atque ipsius peccatum permittere, quia tunc ex alio jure facienda est talis solutio. Id patet *ex c. Debitores de jurejur.* ubi hæc habentur: *Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent. Si vero de illarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum.* Et loquendo de pecunia danda Judici, a quo imminet injusta sententia, quamvis iste accipere non possit sine peccato, magis communiter licitum esse affirmant Theologi: *Molin. de Just. tom. 1. tr. 2. disp. 88. num. 3. Sanchez lib. 3. Consil. cap. un. dub. 3. num. 3., Lugo de Just. disp. 33. n. 136.* ac pluribus citatis Farinaccius *in Prax. Crimin. p. 3. q. 111., art. 7. a n. 119.*

Quod si dum timetur aliquem injuste graviori pe- 18
na damnandum, licite inducitur Judex mediante pecunia ad mitiorem pœnam decernendam, multo magis licitum erit mediante intercessione Virorum Potentium curare, ut Judex ab injusto rigore discedat. Si vero non constet de injustitia Judicis, dum in puniendo Reo vult graviorem pœnam eligere, non semper licitum est Potentium intercessiones adhibere. Utique licitum erit, si delictum sit dubium;

vel

vel si non sit dubium , nihilominus tales sint cir-
cumstantiæ delicti , ut bene possit Judex illius pœ-
nam minuere. Idem dicendum , si vere pœna sit ar-
bitraria . In his casibus nemo negabit licitum esse
quacumque intercessione curare ,. ut mitiora Judex
amplectatur; nam vere debet in his casibus mitiora
19 amplecti. Dum vero constet de delicto , quæcum-
que ratio adsit pro pœna minuenda , nemo potest
intercedere apud Judicem, ut puniat etiam infra pœ-
nas magis mites , quam lages decrevere ; solius et-
20 enim Principi Supremi est in legibus dispensare. I-
tem pessime agant Potentes, dum intercedunt apud
Judicem , ut mitius agat cum Reo delicti scanda-
losi, & atrocioris, quod proinde expediat bono pu-
blico, ut graviter puniatur; sicut enim non possunt

tunc Judices a gravioribus pœnis discedere, etsi de pœna mortis infligenda agatur, ita exorari non possunt, ut eessent a morte Reo infligenda . Nec pariter licet intercedere pro Reo pena pecuniaria damnando , quæ sit applicanda particulari personæ ; nam tunc intercessio esset contra justitiam ; & cederet in damnum tertii. Demum , si Judex facile flectitur , vel muneribus corrumpitur, Intercessor omnino abstinere debet a precibus importunis, & candide se exprimere , quod nil aliud, nisi justum, & quod fieri potest sine peccato , exposcit . Qui aliaa ratione cum his Judicibus se gerat , videbit facillime Reos absolvi , adeoque & in dies crescere Malefactores ; sicut etiam justitiam facillime nundinari &c,

F I N I S.

IN-

INDEX
TRACTATUUM, QUÆSTIONUM, ET CAPITUM
TOMI PRIMI.

TRACTATUS IV.

DE CENSURIS.

QUÆSTIO I.

De Censuris in Communi.

QUÆSTIO II.

De Excommunicatione in Generali.

QUÆSTIO III.

De Excommunicationibus in Bulla Cenæ.

QUÆSTIO IV.

De Excommunicatione Canonis, quæ contrahitur ob Clerici percussionem.

QUÆSTIO V.

De Suspensione, Depositione, & Degradatione.

QUÆSTIO VI.

De Interdicto, & Cessatione a Divinis.

QUÆTIO VII.

De Irregularitate.

TRACTATUS V.

DE BENEFICIIS, ET HORIS CANONICIS.

QUÆSTIO I.

De Ecclesiasticis Beneficiis.

QUÆSTIO II.

De Horis Canonicis.

TRACTATUS VI.

DE FIDE, SPE, ET CHARITATE.

QUÆSTIO I.

De Necessitate Fidei.

QUÆSTIO II.

De Spe.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Charitate.

TRACTATUS VII.

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

QUÆSTIO I.

De Religione, ejusque Actibus.

QUÆSTIO II.

De Superstitione, ejusque Speciebus.

QUÆSTIO III.

De Simonia.

TRACTATUS VIII.

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

QUÆSTIO I.

De Juramento.

QUÆSTIO II.

De Voto.

TRACTATUS IX.

DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

QUÆSTIO I.

De Festorum Sanctificatione.

QUÆSTIO II.

De Jejunio.

TRACTATUS X.

DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

QUÆSTIO UNICA.

De Obligationibus Parentum erga Filios, & Filiorum erga Parentes.

TRACTATUS XI.

DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

QUÆSTIO UNICA.

De Homicidio.

TRACTATUS XII.

DE SEXTO DECALOGI PRÆCEPTO.

QUÆSTIO UNICA.

De Speciebus Luxuriæ.

CAP. VII.

FINIS TABULÆ TOMI PRIMI.

INDEX
TRACTATUUM, QUÆSTIONUM, ET CAPITUM TOMI SECUNDI.

QUÆSTIO IV.

De Satisfactione Sacramentali.

QUÆSTIO V.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO VI.

De Sigillo Confessionis.

QUÆSTIO VII.

De Casibus Reservatis.

QUÆSTIO VIII.

De Confessario Sollicitante.

TRACTATUS XX.

DE SACRAMENTIS EXTREMÆ UNCTIONIS, ET ORDINIS.

QUÆSTIO I.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

QUÆSTIO II.

De Sacramento Ordinis.

TRACTATUS XXI.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

QUÆSTIO I.

De Sponsalibus.

QUÆSTIO II.

De Matrimonio secundum suam essentiam considerato, ut est nempe contractus, & ut est Sacramentum.

QUÆSTIO III.

De impedimentis Matrimonii in communi, sicut de impedimentis solum impedientibus in particulari; & de Denunciationibus ad Matrimonium præmittendis ad impedimenta detegenda.

QUÆSTIO IV.

De impedimentis dirimentibus in particulari.

QUÆSTIO V.

De dispensatione ab Impedimentis Matrimonii, & de modo illud revalidandi.

QUÆSTIO VI.

De Divortio.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Debito Conjugali.

FINIS TABULÆ TOMI SECUNDI.

INDEX

RERUM, ET VERBORUM.

Primus numerus indicat Tomum, secundus pagioam, tertius columnam.

A

iam

funt

Ali-

altera

pensa-

Con-

de

Ci-

D

jurio-

Si

tro-

Qua-

per-

H

I

intel-

filius

L

M

ex

Ora-

S

Sti-

T

Ex-

tur

F I N I S.